00059981

NOT TO BE ISSUED
OUT OF THE LIBRARY.

THE
ASIATIC SOCIETY OF BOMBAY
Town Hall, Bombay.

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016

IACOBI BRVCKERI
REG. SOC. SCIENT. BEROLIN. MEMBRI

HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE

A
CHRISTO NATO
AD REPVRGATAS VSQVE LITERAS.

PERIODI SECVNDAE PARS ALTERA.

Vol III

TOMVS TERTIVS.

LIPSIAE,
IMPENSIS HAERED. WEIDEMANNI ET REICHII.
MDCCLXVI.

1766

00059981

PRAEFATIO.

Tertius, quem Tibi, Lector humaniſſime, tradimus hiſtoriae criticae philoſophiae tomus et Saracenicae Arabicaeue et Chriſtianae philoſophiae omnis vſque ad reparatas literas hiſtoriam complectitur. In vtroque argumento quid praeſtiterimus, quibusque rationibus fuerimus vſi ex ipſius magis tractationis lectione, quam ex longa praefatione diſci praeoptamus, cum ſingulorum capitum ea ſit conditio, vt heic breuiter delineari non poſſint. Paucis tamen introductionis loco monendus es, in eo nos omnium virium neruis fuiſſe occupatos, vt quantum vniuerſalis hiſtoriae philoſophicae condendae inſtitutum poſtulabat, plenam daremus tractationem, nec in nudis factis recenſendis ſoli occuparemur, ſed iudicium quoque de fatis philoſophiae interponeremus, et imprimis ad detegendas veras ſyſtematum et opinionum cauſſas, principia, nexum et effectus in aliis dogmatibus varios reſpiceremus, poſthabito autem omni partis et praeiudiciorum ſtudio veros vultus philoſophiae inter Muhammedanos

danos et Christianos veteres, ac medii aeui cultae detegeremus. Vtrumque argumentum vt satis difficile fuit, ita nouum iterum laborem, ab eo, quem pridem susceperamus, satis diuersum popposcit. Vt enim dies diem docet, ita multa curis posterioribus vidimus et deteximus, quae nos, cum Germanicas historiae philosophicae institutiones scriberemus latebant. Id quod praecipue euenit in iis philosophiae partibus, quae a philosophia Orientali, et Aegyptiaca, siue Alexandrina post C. N. valde adulteratae sunt, quarum faciem paulo accuratiorem et genuinam dum delineauimus, necesse fuit, priora interdum cogitata dimittere. Id quod haud grauatim fecimus, quibus veritatis cura rebus omnibus potior, quique emendare sententiam, quoties noua lumina affulgent, non erubescimus. In vtroque autem et Saracenicae et Christianae philosophiae argumento origines, progressum, impedimenta, systemata, opiniones et fata philosophiae et philosophorum ex genuinis fontibus descripsimus, ipsis, vbi haberi potuerunt, auctorum scriptis consultis, ita vt nostris videre oculis niteremur, et certos de opinionibus veterum sensus assequi contenderemus. Et Arabicae quidem philosophiae ortum, fata, modumque ex scriptoribus potissimum Arabicis descripsisse non contenti, ipsam eius doctrinam fuse satis excussimus. Cumque in metaphysica Arabum Muhammedanae quoque theologiae dogmata fuissent tangenda, de eorum veris sensibus per diuersarum sectarum hypotheses fuimus solliciti. Quo factum est, vt haud raro a viris nonnullis doctissimis secessum facere coacti fuerimus, qui ex vnius sectae philosophicae inter Muhammedanos placitis, totius religionis summam multo pulchriorem, quam reuera est, nobis depinxerunt. In qua tamen re nos allatis ipsis theologorum Muhammedanorum locis atque testimoniis eam perspicuitatem secuti sumus, vt lectorem attentum arbitrum eligere nulli vereamur. Maxime autem curiose ad dogmatum historiam attentis iucundum erit, discere, qua ratione philosophia Orientalis cum Peripatetica ad stabiliendum

liendum enthuſiaſmum miro quodam ſyncretiſmo in hac gente coaluerit. Veterum porro Chriſtianorum hiſtoriam philoſophicam, quamuis proprie ad annales reipublicae Chriſtianae pertineat, negligere noluimus, eo quod ſeculo mox poſt reparatam ſalutem ſecundo philoſophia gentilis in Eccleſiam introducta mirum in ſacram doctrinam influxum habuit, et imprimis philoſophia Orientalis in Aegypto Platonicae admixta, et tandem Alexandriae noua ſyſtematis facie expreſſa, innumeris modis puritatem myſteriorum ſacrorum turbauit. Quod cum haud contemnendum eccleſiaſticae hiſtoriae caput attingat, operae pretium fuit, rem omnem conſultis ipſis veterum ſcriptis ab ouo, quod aiunt, repetere, eaque lumina accendere, ſine quibus ne palpare quidem in hiſtoria ciuitatis Chriſtianae licet. In quo labore nec odio, nec fauori partis locum fecimus, et ſeruato quidem, quem fulgidis eccleſiaſticorum doctorum nominibus debemus honore, ſed veritate tamen prima ſummaque lege habita, ita verſati ſumus, vt nec errores et lapſus magnorum virorum reticeremus, nec vllo partis ſtudio a recto nos auocari tramite, et a veritate hiſtoriae pateremur. Qua via eam nobis lucem cum patrum philoſophiae, et imprimis vexatae hactenus de Platoniſmo eorum quaeſtioni, tot tenebris inuolutae tantisque animorum fluctibus agitatae, tum haereticorum, praecipue Gnoſticorum ſyſtematibus, quae philoſophica fuerunt, foeneratos fuiſſe ſperamus, vt iam paulo certiori in hoc argumento pede Lector progredi queat. Vtramque enim partem incredibile dictu! quantum Orientalis, Aegyptiacaeque philoſophiae hiſtoria illuſtret, et quam eleganter ea tot errorum origines pandat, hactenus neglectas vel non ſatis animaduerſas. Eandem diligentiam in delineanda philoſophiae medii aeui hiſtoria adhibuimus, quam praetermiſſam hactenus viri docti recte doluerunt. Ea vero cum ſine eccleſiaſticae et literariae hiſtoriae auxilio intelligi non poſſit, oculum, quantum res poſcebat, illuc quoque intendimus, vt tota philoſophiae

valde mutatae et in marcidos redactae vultus hiſtoria deſcriberetur. Eos itaque ſcriptores conſuluimus, quos in hoc argumento et veram notitiam dare, et fidei hiſtoricae ſatisfacere nemo temere negabit: quae vero ob prolixitatem dici non poterant, eorum loca in fine paginae diligenter et copioſe adduximus, vt Lectori occaſio pateat, profundius in haec obſcuriſſimae H. P. partis adyta penetrandi. Ita vero factum, vt magnus obſeruationum hactenus inſuper habitarum cumulus exſurgeret, et plurima detegerentur, quae accuratius noſſe, ex philoſophiae et ſacrae quoque doctrinae vſu eſſe fatebuntur, quotquot eius dignitatem intelligunt. In eo autem negotio cordate nos verſatos fuiſſe, et vlcera abominabilia, qua tamen licebat, modeſtia, tetigiſſe, nemo aegre feret, cui veritatis ſtudium re omni alia eſt potius. Cum autem per tot barbararum aetatum decurſum, per tot ſcriptionum inſubidarum ſqualores, per tot ſenticeta nobis eundum fuerit, dabit veniam Lector, ſi in tam denſa ſylua interdum lapſi ſumus, et aut parum vidimus, aut minus recte; feret etiam, ſi a ſordido dicendi genere, quod ſcriptores medii aeui toties a nobis conſulti, exprimunt, aliqua calamo noſtro macula haeſerit. Iam eadem porro via, Deo fauente viresque et vitam largiente ad enarrandam philoſophiam recentiorem omnem et ſectariam et eclecticam progrediemur. Scrib. Kauſbyrae X. Cal. Iunii anno poſt reſtitutam ſalutem cIↃ IↃCCXLI.

IACOBI

59981

IACOBI BRVCKERI

HISTORIA CRITICA PHILOSOPHIAE

A

CHRISTO NATO AD NOSTRA TEMPORA.

TOMVS III.

HISTORIAE PHILOSOPHICAE
PERIODI SECVNDAE,
PARTIS PRIMAE
LIBER TERTIVS,
DE PHILOSOPHIA SARACENORVM.

CAPVT PRIMVM,
DE ORIGINE ET PROGRESSV PHILOSOPHIAE INTER SARACENOS SIVE ARABES.

§. I.

Post gentiles philosophos, qui Sec. VI et VII philosophari desierunt, vt *Tomo antecedenti* demonstratum, Arabes nos vocant, quorum antiquissimam quidem, quae illis tribui solet, philosphiam inter barbaricae philosophiae fata exposuimus: heic vero illi ex hac gente considerandi sunt, qui a regione, quam incolebant, Saraceni, id est, Orientis incolae dicti sunt[a]. *Ordo tractationis.*

 Hos

a) Arabes cur Saraceni dicti sint, non eadem omnium eruditorum opinio est. Et explodi quidem merito, qui vel a Sarah nomen traxisse putant, vel a Sarak, furari dictos coniiciunt, quod gens rapinis et furtis assueta esset, dubium non est. Prius visum Hieronymo comm. in Ezech. L. VIII. c. 25. et in Iesaiam L. V. c. 21. suspicanti, eum ab Agara serua descendissent, falso sibi assumsisse nomen Sarae, vt de ingenua et domina viderentur esse generati. Posterius Nicolao Fullero Miscell. SS. L. II. c. 12. pag. m. 276. seqq. placuit, cui Saraceni a latro-

Hos ſtatores philoſophiae recte dixeris, illi enim extorrem patria Chriſtiana, vt in ſequentibus dicemus, philoſophiam tandem apertis receperunt amplexibus, et barbariei in Romano imperio inualeſcenti [a] literarum oppoſuere ſtudia. Philoſophiae itaque fata inter Chriſtianos a nato ſeruatore vsque ad renaſcentes literas vno decurſu in ſequentibus delineaturi, et tum veteris tum medii aeui hiſtoriam philoſophicam expoſituri, hoc libro philoſophiam Saracenicam ſiue Arabum contemplabimur; tum quod per illam honos maxime pereunti fere philoſophiae vtcunque conſeruatus eſt, tum quod ab iis et Iudaei et Chriſtiani certa ratione ad Ariſtotelis normam philoſophari didicerunt, et noua philoſophiae facies ex eo tempore, quo Saraceni illam excoluerunt, comparuit. Ita vero abſoluemus etiam hiſtoriam philoſophicam inter nationes a fide Chriſtiana diſſentientes, ſequenti libro Chriſtianorum de philoſophia ſtudia ex inſtituto tradituri. In figendis vero temporum rationibus, ſequemur eam numerandorum annorum rationem, qua gentis iſtius ſcriptores vti ſolent, annos nimirum a fuga Muhammedis, quam Hegiram vocant, computantes; qui quomodo cum annis a Chriſti natiuitate conſpirent, in Chronologia technica exponi ſolet [c].

§. II. Phi-

trociniis, cui dediti erant, dicti videntur, conicitque eos ex genere Nomadum Arabum fuiſſe, vnde de regionis illorum ſitu plura docte cumulat. Recte his opponit POCOCKIVS in Specim. hiſt. Arab. p. 34. nec ab ipſis Saracenis hoc nomen potuiſſe proficiſci, qui famae ſuae peperciſſent, nec ab aliis, qui ſua potius lingua, quam Arabum, quibus hoc ad opprobrium ſonat, locuti fuiſſent. Vnde probabiliori coniectura iis, vt erat Arabicae literaturae peritiſſimus, appellationem a voce Arabica *Sharkion*, et *Ahleſ Shark*, quae *orientis incolam*, vel *orientalem* denotat, deriuare maluit. Nec ignorum ex ſacris literis, ſapientiam filiorum Orientis, Arabicam potiſſimum innuere. Nec contemnenda eius obſeruatio Arabes Orientis regiones incolentes ita ſe diſtinxiſſe ab iis, qui Mauritaniae regiones occupauerunt, quosque ipſi vulgo *Megrebines*, i. e. *occidentales* nuncupant. Nomen itaque non a moribus vel vitae inſtituto, ſed a patria et regionis ſuae ſitu haeſiſſe probabile eſt. Igitur philoſophia Saracenica, quo titulo inter Auicennae libros vnus occurrit, idem dicit ac Orientalis, ſed alio ſenſu, quam vbi ſupra pecuiiari capite de philoſophia Orientali verba fecimus. Non itaque praedonum et latronum hiſtoriam philoſophicam ſcribimus. Conf. Cel. DE BEAVSOBRE Hiſt. Manich. T. I. l. I. c. 2. pag. 24.

b) Ampliſſime viuiſque barbariem inter Chriſtianos a Sec. VIII inualeſcentem coloribus depingemus in libro ſequente, videndi interim HORNIVS Hiſt. phil. E. VI. c. 1. p. 295. et Ad. TRIBBECHOV. de DD. Scholaſt. c. 3. p. 113. ſeqq. BARONIVS ad A. DCCC. C. n. 1. et plenique, qui annales eorum temporum eccleſiaſticos et ciuiles condiderunt. Nec his magnopere abſtare putamus, quae V. C. POLYCARPVS LYSERVS in diſſ. de ficta medii aeui barbarie, in primis circa poëſin Latinam attulit, et integra hiſtoria poëtarum et poëmarum medii aeui decem poſt annum a nato Chriſto CCCC ſeculorum confirmare aggreſſus eſt. Ratiunculis enim a viro docto allatis conſtans et vniuerſalis omnium temporum ſententia virorum doctorum recte opponitur, teſtesque eorum temporum ſatis euidenter loquuntur, ita periiſſe artium et ſcientiarum culturam et elegantiam, vt horrida ſqualensque vbique regnaret barbaries. Nec exempla ex Sec. V, VI et VII allata huc pertinent, quibus nondum plane obtorpuiſſe ingenia alacriora diſcimus, ſed eorum temporum conditio conſideranda eſt, quae a Sec. VIII et ſequentibus inualuit. Quibus licet hinc inde ingenium aliquod comtius et elegantius emicarer, temporum tamen illorum infelicitate emergere non potuit, et ipſae artium et ſcientiarum ſegetes ſumma calamitate prorſus proſtratae iacuere. Id quod in ſequenti libro exemplis et teſtimoniis euidentiſſimis probabimus. Nihil itaque Saracenorum gloriae, cui vindiciae literarum iſtis temporibus debentur, pauci illi viri eruditi, et leuis illa ſcientiarum culturae vmbra, quae in hiſtoria medii aeui deprehenditur obſtant. Conf. Cl. IAC. BVRCKHARDVS de ſatis L. Lat. in Germania, P. II. c. 3. p. 115 ſeqq. B. BVDDEVS Iſag. in hiſt. theol. L. I. c. 4. § 12. p. 170.

c) Varie Arabes ante Muhammedi tempora annos computabant, de quo notabilem locum ALKODAII in hiſt affert POCOCK. ſpecim. hiſt. Arab. p. 172. ſeq. Eo vero tempore, quo in hac gente ſurrexit Muhammedes, numerabant ab anno elephanti, et a die *al-faiar*, i. e. *ſcelerato*, quo praelia inter Koraiſhitas et tribum Kais-Ailan orta ſunt. Tandem imperante Omaro filio Alchetabi, conuenerunt in eo, vt a

fuga

§. II. Philosophia quae fata inter Arabes habuerit, ex parte ex ipsorum scriptis disci potest. Teste enim LEONE AFRICANO inter Saracenos IBN VGVLGIVL *historiam vitasque philosophorum* descripsit, quam tamen adhuc inter *ἀνέκδοτα* latere putamus. Sunt etiam inter *libros* illos, *quos ex Oriente in bibliothecam Leydensem publicam transtulit quorumque catalogum* edidit IACOBVS GOLIVS [a], quidam, qui huc pertinent. Memorantur enim ibi NVREIRI *bibliotheca Arabica*, ABEN ASEBHIVS *de vita virorum doctorum, qui stante Arabum imperio excelluerunt*, ABEN ALHALI *de vitis philosophorum una cum parte septima bibliothecae Arabicae* ab ABEN NODIR *conscriptae*, in qua continentur *vitae et catalogi librorum philosophicorum, mathematicorum vel aliorum artificum, qui ad quadringentesimum a Muhammede annum floruerunt* [b]. Teste quoque HOTTINGERO [c], de re literaria Orientali optime merito, ex Arabibus IBEN CAFTA *historiam Arabum sapientum et philosophorum atque mathematicorum* scripsit, et ABIPHERGIVS in *bibliotheca Arabica* catalogum librorum philosophicorum, mathematicorum atque medicorum exhibuit, primis quatuor Hegirae seculis, id est a Sec. VII. ad Sec. XI. editorum. Quae Arabum scripta si hodie typis edita et versionibus fidis accuratisque aucta extarent, multum inde lucis historiae philosophiae Saracenicae accendi posset. Iis vero dum caremus, donec existat aliquis [g], Arabicae linguae atque literaturae callens, qui hos nobis thesauros ex forulis bibliothecarum protractos tradat, iis contentos nos esse oportet in hac historiae philosophicae parte iuuanda, quae typis expressa in plurium manibus sunt. Inter ea primum fere locum ducit IOANNES LEO, Granatensis, qui vero, quod patria ab Hispaniarum regibus Fer-

Fontes historiae philosophiae Saracenorum.

fuga Mohammedi, quae regione idololatrica se subduxit, aerae initium sumeretur. Teste enim G. ELMACINO in historia Saracen. L. I. p. 4. ed. fol. Muhammedus, cum tredecim annos inter Koraishitas vixisset, religionis patriae pertaesus, cum nouam sectam condidisset, eamque ciues sui recipere recusarent, anno decimo quarto Mecca, Medinam migrauit, vel aufugit potius. Quam fugam Arabes Heiram vel Hegiram vocant. Quo tempore cum Islamismus factioque Muhammedis, quam maxime confirmaretur, ea secta roborata a tanto duce prodiret, factum inde est, vt imperante Omaro filio Alchetabi, qui anno post eam fugam decimo quarto rebus praeesse coepit, vid. ELMAC. l. c. p. 26. consuetudo introduceretur ab hac fuga annos computandi, quod coepit anno 17 vel 18 Hegirae initio constituto in mensem Moharram, de quo videndum testimonium ISMAELIS ABVLFEDAE, quod affert POCOCKIVS l. c. p. 174. Conf. VEYG. REIG in epoch. HOTTINGER. hist. Orient. p. 260. seqq. ELMAC. l. c. Annum vero primum Hegirae ponit EVTYCHIVS in Annal. T. II. p. 227. in annum primum imperii Heraclii, siue A. C. 614, reliqui omnes vetercs et recentiores A. C. 622, nocte, quae secuta est diem 15 Iulii, feria sexta ineunte. Certe ab eo anno fugae illius aera computanda est. Quia autem anni huius epochae mere lunares sunt, absoluti diebus 354, horis 8. scrup. hor. 864. ideo difficilior est connexio et comparatio cum annis Iulianis, qui annus diebus 10. hor. 21. m. 12. differt: quam differentiam quomodo conciliare liceat Chronologi technici docebunt, qui videndi. Nos ad euitandam confusionem, cum non omnes eadem ratione computent, solos annos Hegirae nominabimus.

d) De medicis et phil. Arab. c. r.

e) Conf. DORNEVS ad IONS. de script. hist. phil. L. III. c. 28. §. 5. p. 156.

f) In bibliothecario quadripart. Eibl. III. P. II. c. 2.

g) Tria scripta Arabica ex Golianis edidit et iudicium de soluto et ligato Arabum dicendi genere adiecit Io. FABRICIVS Rostoch. 1738. sed ea ad H. P. non pertinent. Eidem viae insistere coepit V. C. ABRAHAM SCHVLTENS.

dinando et Eliſabeth occupata in Mauritaniam profugus, diu in Africa vixit, Feſſaeque operam linguae Arabicae dedit, aſer habitus et anno cIↃIↃXIII, iuxta inſulam Zerbi captus a piratis, Leoni X donatus eſt, qui eum ob eximiam eruditionem magni fecit, Ioannisque Leonis nomen, cum ſacro lauacro ad Chriſtianos conuerſus tingeretur, impoſuit, reuertente tamen illo poſtea apud Tunetanos ad vomitum [h]. Illi enim debemus libellum *de viris quibusdam illuſtribus apud Arabes*, quem e codice Mediceo deſcriptum, ex Arabico Latinum factum primus edidit Io. HENRICVS HOTTINGERVS [i], locis vero quibusdam meliorem et illuſtratum bibliothecae Graecae inſeruit vir ſummus IOANNES ALBERTVS FABRICIVS [k]. In hoc ſcripto celebriores quidem Arabum enarrantur medici: at cum medicae artis ſtudium, eo quidem tempore, cum philoſophia arctiſſimo iungeretur vinculo, et philoſophorum celeberrimi in arte quoque ſalutari excellerent, occaſio Leoni enata eſt, de meritis quoque Arabum in philoſophiam multa haud vulgaria ex monumentis gentis quae conſuluerat, afferendi: et ad hunc quoque fontem in ſequentibus ſaepius recurrendi nobis dabitur occaſio. Praeter hunc Saracenorum quoque hiſtorici in hac hiſtoriae philoſophicae parte conſulendi ſunt. Inter eos primum recte locum tuetur GEORGIVS ABVLFARAIVS [l], Malatienſis, non ignobilis annalium hiſtoricorum inter Arabes ſcriptor. Cuius hiſtoriam ad Arabum dynaſtias pertinentem nactus EDVARDVS POCOCKIVS pater, ſummis de eruditione philologica, maxime Arabica, meritis illuſtris, particulam primo eius aliquam edidit, hoc titulo praefixo: *Specimen hiſtoriae Arabum, ſiue Gregorii Abul-Faraii, Malatienſis, de origine et moribus Arabum ſuccincta narratio, in linguam Latinam conuerſa, notisque e probatiſſimis apud ipſos authoribus fuſius illuſtrata.* In hoc fragmento edendo vir eruditiſſimus non contentus textum verſione accurata inſtructum edidiſſe, ex ampliſſima eruditionis lectionisque penu, quam ex innumeris, rariſſimisque Arabum ſcriptorum libris, pleraque in Mſc. latentibus inſtruxerat, copioſas obſeruationes de moribus, dogmatibus, ſectis, et eruditione Arabum ſiue Saracenorum attulit, ſic vt grati fateamur, ſine hoc lumine nos in multis coecutire debuiſſe, probandumque ſit virorum doctorum de hoc libro iudicium, qui omne tuliſſe punctum Pocockium, ipſique Momo ſatisfeciſſe pronunciauerunt [m]. Huius fragmenti editione non ſine applauſu eruditi orbis excepta excitatus Pocockius, integram ABVL-

h) Videndi de Leone Africano NIC. ANTON. bibl. Hiſp. nou. T. I. p. 548. COLOMIES melanges hiſt. crit. p. 838. opp. G. I. VOSSIVS de hiſt. Latin. L. III. c. 12 p. 675.

i) In bibliothecario quadripart. p. 246.

k) Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 259.

l) Videndi de eo POCOCKIVS in praef. Specim. BAYLE Dict. T. I. art. Abulpharage p. 37. HOTTINGER bibl. Orient. P. III. L. II. c. 2. p. 80. ſeq.

m) Conf. NIC. HIER. GVNDLING. hiſt. phil. mor. c. IV. §. 4. p. 29. REIMMANN. Cat. crit. T. I. p. 941. HVET. demonſtr. ev. Prop. IV. c. 2. p. m. 90 maxime vero RICH. SIMON. bibl. crit. T. III. p. 65. bibl. choiſie T. II. p. 93. perrarus autem liber eſt, vid. VOGT. cat. libr. rar. p. 464.

ABVLFARAII *historiam*, *in dynastias diuisam digestamque, supplementisque suis auctam* postea communis iuris fecit [n], nouosque ita nobis fontes aperuit, ex quibus plurima ad philosophiae Saracenicae historiam hauriri possunt. Abulfaraiio iungendus est GEORGIVS ELMACINVS, ob notissimam *historiam*, quam is edidit *Saracenicam* a THOMA ERPENIO Latinam factam, et tum hoc solo sermone, tum adiuncto textu Arabico editam, post fata viri docti succedente in partes laboris THEOPHILO GOLIO, qui et RODERICI XIMENEZ historiam Arabicam adiecit [o]. Nam et ille multa passim attulit, quae nascenti adolescentique inter Saracenos eruditioni et philosophiae lucem accendere possunt [p]. Tertius post hos EVTYCHIVS, patriarcha Alexandrinus est, quem SAIDI EBEN PATRIK Arabes vocant. Is enim in *contextione gemmarum*, siue *annalibus* a mundi primordiis vsque ad sua tempora, annum scilicet Hegirae CCCXVIII deductis, quorum *specimen in fragmento aliquo eruditissimo commentario illustrato* edit illustris IO. SELDENVS [q], integros vero cum versione Latina et indicibus vtilissimis edidit EDVARDVS POCOCKIVS [r], philosophos quoque, medicos, mathematicos, poëtas ceterosque viros eruditos adducere oblitus haud est [s]. Iungi his ex Graecis possunt Byzantinae historiae scriptores aliqui, qui res Saracenorum etiam literarias passim tetigerunt: quos tamen enarrare huius loci haud est. Inter recentiores, qui historiae literariae Arabicae siue Saracenicae facem praetulerunt, tempore, et diligentia aliis prior est celeberrimus philologus IO. HENRICVS HOTTINGERVS, qui in *historia Orientali* et *bibliotheca Orientali* plurima collegit, quibus res literariae et philosophicae Saracenorum egregie illustrari possunt, magis memorabilia vero et extantiora breui at accurato compendio in *historia ecclesiastica* attulit. Hunc secutus maiori apparatu et lectionis copia BARTHOLOMAEVS D' HERBELOTIVS, qui in *bibliotheca Orientali* [t] de plerisque scriptoribus Arabibus, medicis, historicis, poëtis, philosophis copiose egit. Inter Germanos magnum illud patriae nostrae ornamentum HERMANNVS CONRINGIVS, tum *peculiari epistola ad Meibomium* data, tum in erudito *antiquitatum academicarum* opere [u], eruditionis etiam philosophicae inter Arabes siue Saracenos cultae specimina pluscula attulit; B. IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS autem in stupendi laboris opere *bibliotheca Hebraea*, eos scriptores Arabicos, maxime philoso-

n) Oxon. 1663. 4.

o) Lugd. Bat. 1625. fol. qua editione, cui Guil. Schickardus multa in margine alleuit, inter reculas nostras vtimur.

p) Vid. HOTTINGER. bibl. Orient. c. 2. p. 75. CAVE Hist. lit. S. E. p. m. 630. I. A. FABRICIVS bibliograph. antiq. p. 181. BAYLE Dict. T. II. art. Elmacin. p. 354. et ante hos GOLIVS in praef.

q) Origines ecclesiae Alexandrinae ab Eutychio descriptae cum versione et comm. Io. SELDENI. Lond. 1642. 4.

r) Oxon. 1658. 4.

s) Conf. SELDENVS et POCOCK. in praef. ELMACIN. hist. Sarac. L. III. c. 1. HOTTINGER. l. c. p. 71. FABRIC. l. c. p. 180. act. erud. 1698. p. 162. CAVE l. c. p. 498. REIMMANN. l. c. p. 940.

t) Paris 1697. fol. nouam editionem a Batauis indies expectamus. Conf. GVNDLING. l. c. p. 31.

u) p. 33. seqq. Suppl. XX. p. 249. seqq.

loſophos enumerauit, quorum libri in Hebraicam linguam translati ſunt. ABRAHAMI HINCKELMANNI[x], SAMVELIS SCHELGVIGII[y], GVSTAVI PERINGERI[z] ea de re ſcriptiones breuitatis cauſſa tacemus, nec eos hic allegamus, qui de literatura Turcica ſcripſerunt[a], cum ad recentiora tantum tempora reſpexerint. Non tacendae tamen nobis diſſertationes duae academicae, multum ad hanc hiſtoriae philoſophicae partem facientes; vna illuſtris IO. PETRI DE LVDEWIG, qui cum polyhiſtorem logicum edere conſtituiſſet, *hiſtoriam rationalis philoſophiae apud Turcas*[b] praemiſit, reuera autem Saracenorum de philoſophia merita deſcripſit: altera Cl. IO. GOTTFRIDI LACKEMACHERI, qui *de fatis ſtudiorum apud Arabes* praeſide COR. DIET. KOCHIO[c] eleganter docteque de fatis ſtudiorum apud Arabes diſſeruit. Alios, qui ὡς ἐν παρέργῳ, quaedam huc pertinentia attulere[d], ſilentio praeterimus, inter quos tamen prae aliis laudanda NICOLAI ANTONII induſtria[e], qui ſcriptores Saracenicos, qui philoſophiae operam in Hiſpania dederunt, enarrare non neglexit.

Status literarum et philoſophiae ante Islamiſmi tempora.

§. III. Antiquiſſimis temporibus vtrum inter Arabes philoſophia vlla quaeri poſſit, in *primo* huius operis *Tomo* late diſquiſiuimus, nec ob ſummum monumentorum de rebus Arabum defectum dicere aliquid licet; pauca vero quae Graeci habent, non ſumma omnia fide nixa, iſto loco enarrauimus. In Arabum quoque hiſtoricis nihil inuenimus, quod ſtatum eruditionis et philoſophiae ante Islamiſmi tempora prodere queat, eo quod ſcriptores eorum omnes Muhammedis aetate inferiores ſunt. Id quod magnis viris HERM. CONRINGIO[f] et IO. HENRICO HOTTINGERO[g] annotatum; quorum ille, non occurrere ſibi ex Arabum hiſtoria quicquam, quod rem eorum literariam veterem iuuare queat, candide faſſus eſt: hic Arabicorum ſcriptorum vix quenquam annis octingentis; Islamiſmo vero et Alcorano nullum neque theologum, neque philoſophum, neque hiſtoricum antiquiorem eſſe, monuit. Id quod dudum agnouit ABVLFARAIVS[h], ſcribens, *gentes Arabiae veteris deletas eſſe certisque nos earum memoriis deſtitui, et defeciſſe prorſus rationes, quibus in earum veſtigia inquiramus.* Hinc nec ſupra ſuo loco, vbi de philoſophia barbarica dictum, quicquam fide ſatis

x) Praefat. ad Alcoranum.

y) Or. de philoſophia Turc. vid. HEVMANN. poecil. T. III. L. II. p. 304.

z) Hiſt. linguae et erud. Arabicae Vſp 1694. 8.

a) IO. BAPT. DONADI della letteratura dei Turchi Ven. 1682. 12. AD. EBERTI diſſ. de eruditione Turcarum hodierna Act. erud. ſuppl. T. VII. p. 411.

b) Halae 1699.

c) Helmſt. 1719.

d) MORHOF. polyhiſt. T. II. L. I. c. 10. p. 52. ſeqq. BVDDEVS hiſt. phil. c. V. §. 3. 336. ſeq. HEVMANN. poecil. T. III. L. II. p. 302.

e) In biblioth Arabo-Hiſpanica. Pertinent huc etiam Cl. G. IAC. KEHRII monarchiae Aſiatico-Saracenicae ſtatus Sec. VIII et IX. ex numis Lipſ. 1724. fol. aliique rerum Muhammedis ſcriptores fuſe et cum iudicio enumerati in Cat. critico REIMMANNI p. 935. ſeqq.

f) Supplem. V. ad Antiqq. Acad. p. 218. ſeqq. de medic. Hermet. c. VII. p. m. 61.

g) Analect. hiſt. phil. diſſ. VI. conſentit SPENCERVS de legibus Hebraeor. rit. L. II. c. 1. ſ. 3. p. 282. ed. nou.

h) Dynaſt. IX. p. 100.

ſatis dignum occurrebat, explodendaque erat Zabiorum ſecta, tantopere poſt Maimonidem a SPENCERO illuſtrata atque commendata, nec habemus nunc quidem, quod ante Muhammedis tempora de philoſophia Arabum afferre magnopere queamus. Nec tantopere mirandum id eſt, cum paulo demum ante Muhammedis tempora ars ſcribendi Arabibus innotuerit. Illud tamen dubio caret, ante pſeudo-prophetae aetatem omnem philoſophiae cognitionem ab hac gente exulaſſe. Id quod ipſi ſcriptores Arabes innuunt, ſecula ante natum Islamiſmum, id eſt, Muhammediſmum in ignorantiae et ſcientiae ſecula diſtribuentes, hincque inter ſtatum ignorantiae et Islamiſmi diſtinguentes. Ita enim ABVLEARAIVS *): *Quod ad Arabes, qui ſuperſunt, duplex eis conuenit ſtatus, ignorantiae alter Islamiſmi. Status autem Arabum ignorantiae temporibus robore et potentia inter gentes celebris eſt.* Paria apud alios quoque Arabes ſcriptores occurrunt †), inde ad Chriſtianos delata ſunt ††), qui hac diſtinctione frequenter vtuntur. Et tacendum quidem non eſt, pertinere proprie hanc diſtinctionem ad religionem gentis, nec aliud velle Muhammediſmi aſſeclas, quam, ante compilationem nouae legis, conſarcinatamque religionem Islamiticam, ignorantiae et idololatriae tenebris obſepta fuiſſe omnia. Id quod ſatis luculenter innuit ſcriptor Arabs Ebno'l Athir a POCOCKIO *) adductus, qui ſtatum, in quo fuere Arabes ante Islamiſmum, fatetur fuiſſe *quod ad ignorantiam Dei et apoſtoli eius et conſtitutionem religionis et gloriationem de proſapia, et ſuperbiam et faſtum pertineat.* Quibus poſitis non audienda eſt opinio CONRINGII **), Abulfaraii fidem in ſuſpicionem vocantis, coniicientisque, fortaſſis talem eorum duntaxat Arabum fuiſſe conditionem, quos inter Muhammedes natus eſt. Nullam enim Arabum gentem ante impoſtoris tempora de noua iſta religione vel ſomnio cogitaſſe conſtat. Quamuis autem ea iſtum in modum ſe habeant, nec audiendi ſint, qui omne literarum genus hac diſtinctione Arabibus denegant, facile tamen ex dictis intelligi poteſt, gentem turpiſſimae et irrationali idololatriae ſe dedentem, caruiſſe cognitione

†) Islamismi frequentiſſima in hiſtoria Muhammedis, apud ſcriptores Saracenicos mentio. Eſt autem Islamismus, definiente Muſtafa Ebn Kaſſai apud POCOCK. Specim. hiſt. Arab. p. 52. „Cum quis ſe iis, quae a Muhammede tradita „ſunt, ſubmittat et aüſcultet, vel, ipſo Mu„hammede explicante apud SHARESTANIVM, „vt quis confiteatur, non eſſe Deum, praeter Deum illum, et ſe eſſe apoſtolum Dei, et „vt tempora precum ſtatuta diligenter obſeruet, „et eleemoſynam praeſtet, et menſe Ramadani „ieiunet, et vt ad Caabam, ſi commode poſſit, „peregrinationem, religionis ergo inſtituat. His enim partibus totus fere Muhammediſmus abſoluitur. Hinc ſectam ſuam Al Eslam, Islamiſmum, et ſe Muslemos, ſeu Islamitas vocant, quod Iudaei in Ismaëlitas non ſine conuicio mutarunt; exigua cum Arabum indignatione, qui per Ismaëlem ad ſe legem DEI propagatam eſſe gloriantur. Conf. POCOCK. l. c. p. 53. 54.

††) HOTTINGER Anal. Hiſt. theol. diſſ. VI. HORNIVS Hiſt. phil. L. V. c. 9. p. 285. LVDEWIG. l. c. §. 3. p. 6. GVNDLING. hiſt. phil. mor. c. IV. §. 3. p. 28. CONRING. antiqq. Acad Suppl. V. p. 217.

*) l. c. p. 52.

**) l. c. conf. GVNDLING. l. c. LACKEMACHER de ſatis ſtudior. inter Arabes §. 3. p. 6. not.

tione philoſophica, et meditatione atque iudicio de veritatibus ſummis et praecipuis, quibus potiſſimum mediis eiici eradicarique ſuperſtitio cultusque idololatricus poteſt, non cogitaſſe. Id quod ipſe non negat ABVLFARAIVS [p], faſſus, *Arabes Deum ad ſtudia philoſophica idoneos non feciſſe.* Neque tamen id ita intelligendum eſt, quaſi omni prorſus luce literaria deſtituti Arabes ita in tenebris ignorantiae, et ſqualore barbariei delituerint, vt nullae eos elegantioris literaturae ſtellae, vel igniculi ſaltem, interſtinxerint. Contrarium enim ſatis certis veterum teſtimoniis conſtat, et ex ipſo ABVLFARAIO [q] diſcitur, qui de veterum Arabum doctrina ita: *Eruditio Arabum, cuius gloriae praecipue ſtudioſi erant, haec erat, linguae ſuae peritia, ſermonis proprietas, carminum textura, et orationum compoſitio, noti etiam illis erant ſtellarum ortus et occaſus.* Facile fidem his ab Abulfaraio allatis conciliat linguae Arabicae elegantia, tempore Muhammedis iam regnans, quae gentem hanc in ea colenda poliendaque, augenda quoque et ad vſum oratorium feliciter transferenda fuiſſe diligentiſſimam nobis perſuadet. Qua in re mirifice confirmamur ſummo, quod Arabes poſuerunt eloquentiae, pretio atque ſtudio. Si quis enim ceteris eloquentior eſſet, populo conuocato, eorum animos ad rem aliquam vel ſuſcipiendam vel fugiendam orationis ſtimulis excitaturus perorabat, aut monita illis ſalubria inſtillabat, hincque titulo ſatis honorifico Chateb [r] audiebat, ſummoque erat in pretio. Quales oratores inter ſuos fuiſſe Sahan, Wayel, et inprimis Koſſum [s] non ſine magnis laudibus praedicant. Caue tamen eloquentiam intelligas dicendi regulis praeceptisque adſtrictam, qualem in Latinorum Graecorumque ſcholis videmus; ab his enim omnibus, quae artem aut diſciplinam ſapiebant, remoti erant illo tempore Arabes, longe aliis ſtudiis addicti. *Orationes eorum*, ita POCOCKIVS [t], qui earum quasdam ipſe legit, *nec artificioſe diſpoſitae, nec methodice concinnatae, adeo vt totus ſermo arena ſine calce recte dici poſſe videatur. In ſententiarum vero rotunditate, phraſium elegantia, ac prouerbiorum acumine inuenitur quod animum feriat.* Et in hac dicendi arte palmam ſe aliis gentibus praeripere iactant, quamuis nihil in ea ſit, quod philoſophiam vllo modo ſapiat. Sed et eloquentiae numeris adſtrictae, poëſeosque apud Arabes ante Muhammedem ſumma fuit exiſtimatio. Cuius varia ſcriptores eorum ſpecimina afferunt, teſtantes, magna Arabes contentione, hanc aliis palmam praeripere ſtuduiſſe, nullumque illis certius nobilitatis ac ingenui ortus argumentum, nihil quod ſibi magis gloriae ducerent, quam carmine animi cogitata eleganter exprimere. Hinc, referente Aliahaurio apud POCOCKIVM [u] *in celebri-iſta παννγύρει, forum Ocadhi dicta, vbi quotannis conueniebant, id fere agebant, vt*

p) loc. cit. q) Ibid.
r) Id eſt, orator, praedicator, conf. POCOCK. l. c. p. 161.
s) Inde prouerbium Arabibus: *Koſſo diſertior.*
t) loc. cit.
u) l. c. p. 159.

vt hoc certamine famam sibi comparārent: et, quod Al Firauzabadius tradit, *quotannis illuc per mensem integrum congregati, non solum commercia agere, sed potissimum carminibus recitandis alii alios glorioſi prouocare solebant*, immo ab hoc eorum facto magis quam a rebus venum expositis, nomen foro inditum. Et si quae ceteris anteferrentur poëmata, a regibus inter κειμήλια sua appendebantur ac reponebantur. Addimus his, quod ex Iallalodino Assoyutio affert POCOCKIVS [x]. *Si in tribu aliqua inclarescēret poëta, gratulatum illis concurrisse alias, ipsas epulas instituisse, mulieres tympana pulsantes omniaque nuptiali pompa ornantes, felicitatem tribus suae viris puerisque obuiis palam decantasse, beatos iam suos, quibus contigisset ἀμυντὴς, qui honorem eorum sartum tectum conseruaret, praeco, qui praeclare eorum gesta memoriae proderet.* Ex his vero colligi omnino potest, eruditionis summum fere gradum in hac arte poëtica Arabes quaesiuisse. Cuius rationes fuisse videntur, tum quod poëseos beneficio linguae elegantiam conseruari augerique posse crederent, vnde inter poëseos beneficia laudesque hanc quoque numerant, quod linguae Arabicae conseruatio et sermonis proprietas et elegantia ei debeatur: tum quod poëmata Arabibus, teste IALLALODINO [y], essent instar commentariorum, quorum beneficio imperturbatae seruabantur genealogiarum series, ne obliuioni traderentur res gestae memoria dignae, cauebatur, et e quibus linguae peritia augebatur: tum quod temperamenti inclinatione et climatis in quo vivebant dispositione ad imaginationis tropis pictoque sermone foecundae opera singulari ὁρμῇ et naturali quadam vi ferrentur. Illud certum, quod ex Muhammede Ebn Salam POCOCKIVS [z] addit: *fuisse poëmata Arabibus olim ἐγκυκλοπαιδείας pandecta, vltimum sapientiae eorum terminum, vnde quae illis vsui, depromebant, et quo omnia deferebant*; quae quoque causa est, cur poëtas imperatores sermonum appellauerint. Praeter sermonis elegantiam et poëseos studium etiam genealogiae operam dabant, cum multum illis interesset, vt singularum tribuum et familiarum series conseruarentur [a]. Tandem et ὀνειροκριτικῇ [b] et astrologiae iudiciariae diligenter vacabant, cuius rationes petendae videntur, partim a cultu inter eos, quem sideribus exhibebant, recepto, partim ab antiquissimo gentis more, quam in his consenuisse, suo loco ostendimus; partim vitae generi, ex quo victum quaerebant, quodque pastoritium fuisse constat, adscribendum est, cum ex stellarum dispositione varia eiusque προγνώσει pluuiae, imbres, pruinae, quaeque alia sunt pastorum attentione non indigna, praenosci posse crederent. Monente enim ABVLFARAIO [c], *noti illis erant stellarum ortus et occasus, item quaenam ex illis ita oppositae sint, vt oriente hac, illa occidat, quamque in pluuiis excitandis vim habeant.* Ad quem locum, ne nimii

 simus,

x) l. c. y) In libro Mezhar c. 29. apud POCOCK. l. c. p. 158. z) loc. cit. a) POCOCKIVS praef. ad carmen Tograi, et Specim. p. 159. LACKEMACHER. l. c. p. 7. b) Abulfeda apud EVND. p. 164. c) Dyn. IX. p. 101. POCOCK. l. c. p. 163.

ſimus, POCOCKIVM Lectorem conſulere iubemus, qui multa de hac Arabum aſtrologia empirica (quam non ex planetis, ſed ex ſtellis fixis, more Indis quoque recepto, hauriebant) docte cumulat. Neque tamen hic quoque philoſophiae aliquid quaerendum, licet hoc viſum ſit Cel. LVDEWIGIO [d]; recte enim addit hiſtoricus Arabs: *ſumma quidem attentione et diuturna experientia hanc artem iudicandi ex ſtellis aſſecutos eos fuiſſe, quod ſcilicet hanc rerum iſtarum cognitionem vitae ratio illis neceſſariam faceret, non vero, qua vera ſcientia acquiritur methodo didiciſſe.* Vtrumque et poëſeos et aſtrologiae ſtudium intermiſſum, adueniente Islamiſmo: et illud quidem quod ad bella et rapinas ſe gens omnis conuertiſſet; hoc quod idololatriae ſemina extincturus, cum vim diuinam ſtellis adſcriberent, Muhammedes illud vetuerit. Quamuis autem ab vniuerſalis circa literas barbariei macula Arabes ante Muhammedis tempora liberandi ſint, caue tamen, vel magnos eruditos, vel philoſophos inde exſculpas. Nam et pauci fuere, qui iſti ſermonis patrii puritati et elegantiae inſudarunt, et totum eorum ſtudium ab omni philoſophiae methodo longe fuit remotum. Nec eiusmodi eruditionem philoſophicam permiſit vita Arabum paſtoritia, de aliis rebus vix ſollicita, quam quibus victus parari poſſet. Quamuis autem non omnes eſſent Nomades, deſertorumque incolae, qui, teſte ABVLFARAIO [e] camelorum lacte victitantes et carnibus, dum loca herbida perquirerent, et aquae pluuialis defluuia ſectarentur, ibi tentoria figebant, quam diu terrae vberis beneficio, quo paſcerentur, inuenirent; deinde ad herbas et aquam indagandam proficiſcebantur, nunquam alternis ſedes figere et ſubinde migrare deſiſtentes, quam vitam tranſultatoriam quaſi et vagam ad colendam eruditionem ineptam eſſe, quilibet intelligit; ſed eſſent Arabes quidam vrbani, ſiue vrbium et oppidorum incolae; tantum tamen abeſt, vt elegantioribus ſtudiis animum polire conniſi fuerint, vt potius huic vni operam darent, vt e ſatione, palmarum fructibus, pecore et mercatura quaeſtum facerent. Ignorantia itaque, quae eruditioni, maxime philoſophicae opponitur, recte Arabibus ante Muhammedem viuentibus tribuitur, et magnopere illi errare cenſendi ſunt, qui neſcio quas diſciplinas philoſophicas inter Arabes viguiſſe leuiculis rationibus probare contendunt. Nihil huic opinioni magis contradicit, et quantae tenebrae, reſpectu eruditionis, Arabes operuerint, detegit, quam inſcitia eorum, qua ne literas quidem pingere plerique nouerunt. Ars enim ſcribendi haud longe ante Muhammedis tempora inter Arabes innotuit, de cuius inuentione ita praeſtantiſſimus Arabum hiſtoricus Ebn Chalican a POCOCKIO [f] adductus: *Illud de cuius veritate minime ambigitur apud eruditos, eſt, primum ſcripturae Arabicae repertorem fuiſſe Moramerum filium Morrae, Anbarienſem, ab Anborienſibus in reliquam Arabiam manaſſe hanc artem.* Licet autem apud Hamyarenſes longo

d) loc. cit. p. 7. e) loc. cit. f) Specim. p. 153.

longo ante tempore ſcribendi rationem non fuiſſe ignotam, probabili ſuſpicione credi poſſit, nihil tamen hoc ad reliquos Arabiae populos pertinet, qui huius ſcriptionis ne minimum quidem characterem intelligebant; cum a ſcriptione literisque Arabum fuerint diuerſiſſimi, literis inter ſe implexis minimeque diſtinctis, quas tamen vulgo diſcere non permittebant, nec cuipiam, niſi poſt impetratam ab ipſis veniam, iisdem vtendi facultatem concedebant. Ipſum quoque Morameri inuentum tantopere inter Koraiſhitas occultatum manſit, vt referente Ebn Chalican [g], cum iam euulgari coepiſſet Alcoranus, non reperiretur in vniuerſa regione Yaman, qui Arabice legendi ſcribendique peritus eſſet. Intelligi ex dictis diſtinctio poteſt inter populum libri et populum idiotam, id eſt inter eruditos et illiteratos, quorum illi Medinam, hi autem Meccam incolebant, quae diſtinctio ſatis luculenter contra philoſophiam Arabum teſtatur. Illi enim Chriſtiani et Iudaei erant, hi Arabes: quos illiteratos fuiſſe SHARESTANIVS [h] ait. Ita enim: *Duae ſectae oppoſitae ante miſſionem Muhammedis erant, populus libri, et idiotae. Idiota eſt, qui literas neſcit, Iudaei autem et Chriſtiani Medinam incolebant, idiotae autem Meccam.* Vocati autem illi populus libri, non ſolum, quod religionis praecepta libris comprehenſa tenerent, ſed et quod literas didiciſſent, librosque legiſſent, contra ac Arabes Meccenſes, qui totam vitam in ignorantia ducebant: adeo, vt Al Ommio, id eſt, idiota ab Ommah, natione Arabum, teſte auctore libri *Mogreb* apud POCOCKIVM [i] deduceretur; eo quod ſcribendi legendique prorſus ignari eſſent. Alia, curioſitate lectoris ſatis digna, at apud ipſum laudatiſſimum virum vbi libri copia ſuppetit, legenda, breuitatis cauſſa praetermittimus. Mirandum itaque non eſt, ipſum Muhammedem omni literatura vacuum ad condendam nouam religionem ſe accingentem, Chriſtiani et Iudaei opem imploraſſe. Ipſi enim Arabes, et legendi et ſcribendi artis ignarum fuiſſe non negant, eumque *Nabiyan Ommian, prophetam illiteratum* vocant, ſed duce quoque ipſo Corano hoc gloriantur, Deum ad idiotas prophetam ex idiotis miſiſſe [k]. Nunquam itaque conſilium, quod ſuſcepérat, maximum perfeciſſet impoſtor, niſi ad manus habuiſſet vxoris Chadijiae cognatum aliquem Warakanum, ſcribendi peritum, qui cum Hebraice tantum ſcribere noſſet, facili inde coniectura conſtat, ex populo libri illum fuiſſe, ſacris vel Iudaicis vel Chriſtianis addictum. Nec poſtea hanc artem didicit Muhammedes, ſed cum legem nouam conſarcinaſſet, ſcribis quibusdam vſus eſt, quorum nomina affert ELMACINVS [l]. Vtrum vero ob hanc ignorantiam, quam poſtea, lege contra artium liberalium ſtudia lata, manifeſte prodidit, vt in ſequentibus dicemus, mereatur pſeudo-propheta catalogo philoſophorum accenſeri, *eo quod, quae ab aliis bene conſtituta erant, omnia reiecerit, quemad-*

g) Apud EVNDEM loc. cit.
h) Ibid. pag. 156.
i) loc. cit.
k) Ibid. pag. 156.
l) Hiſt. Saracen. L. I. c. 1. p. 10.

modum, Pyrrhonii et Academici locum inter philosophos tuentur, qui aliorum philosophorum placita et dicta confutarunt et reiecerunt, quod GEORGIO HORNIO [m] placuit, Lectoris iudicio expendendum exsibilandumque relinquimus. Ex his vero luculentis argumentis constare putamus, non audiendos esse, qui ob studium elegantiae et nitoris linguae Arabicae, praeter artificiosam rhetoricae diligentiam Arabibus ante Muhammedem dialecticam philosophicam tribuunt. Quod praeiudicium cum iam *Tomo primo* inuictis rationibus iugulauerimus, ibi dicta otiose non repetemus. Nec obiici ad incrustandam falsam hanc opinionem potest Zabiorum religio, quam philosophico habitu depinxisse Thebit Ebn Korra, philosophum Arabicum peculiari de religione Zabiorum libro testatur ABVLFARAIVS [n]. Destitui enim Zabiorum antiquitatem testimoniis fide dignis, et recentem fuisse sectam, suo loco luculenter demonstrauimus, confecimusque, eorum aetatem Muhammedis tempora non superare. Nec euidentiori se id prodit testimonio, quam quod side scriptorum Arabicorum de iis refert tueturque HOTTINGERVS [o], eos de materia, forma, priuatione, elementis, tempore, temporis motu, meteoris, anima, demonstrationibus, sensu, sensibilitate aliisque argumentis ex philosophia Peripatetica desumtis fuisse philosophatos. Hoc enim, nisi prorsus falsum est et confictum, satis euincit, recentiori aetate sectam eam inter Arabes extitisse, inter quos, sub Almansore et Almamone demum Graecanicam philosophiam innotuisse in sequentibus ostendemus. Quaecunque igitur Arabum fuerit literatura elegantior, ob quam inter criticos locum illis facit LACKEMACHERVS [p], illud ex dictis est manifestissimum, nec ob argumentum aliquod, quod excusserunt philosophicum, nec ob methodum aliquam philosophicam in elegantioribus literis adhibitam Arabes ante Islamismi tempora mereri, vt in philosophiae historia commemorentur. Nec obstare huic sententiae potest medicae artis studium diu ante pseudo-prophetae aetatem inter Arabes cultum fuisse [q], vixisseque inter eos magna artis suae peritia et felicitate famam egregiam consecutum Al-Hareth Ebn Calda, praestantissimum medicum, qui cum in Persia artem salutarem didicisset, redux magnam sibi hominum opinionem conciliauit, ipsique Muhammedi gratissimus fuisse dicitur [r]. Ea enim medendi peritia tota empirica fuit, vt taceamus, illum hanc artem non in Arabia, sed in Persia didicisse. Recte itaque pronuntiasse censendus est ABVLFARAIVS [s], *philosophiae scientiam Deum Arabibus non concessisse, nec eos ad haec studia idoneos fecisse.* Quamuis enim facile concedi queat POCOCKIO [t], hoc non

m) Hist. phil. L. V. c. 9. p. 286.
n) p. 184. Verf. lat. conf. CONRING. antiqq. Acad. Suppl. V. p. 219.
o) Hist. Orient. L. I. c. 8. p. 187. seqq.
p) loc. cit. p. 7. not.
q) ABVLFAR. l. c. LACKEMACHER. loc. cit. p. 8.
r) ABVLFAR. l. c. p. 99. 158. CONRING. antiqq. Acad. Suppl. IX. p. 241. LACKEMACHER. l. c. tria ad vitam longaeuam commendauit mane prandere, vestes leues induere, et Venere parcius vti.
s) p. 102.
t) l. c. p. 165.

non ideo contigiſſe, quid minus idonea eſſent eorum ingenia ad haec ſtudia excolenda, cum poſtea oſtenderint, ea philoſophiae addiſcendae non inutilem poſuiſſe operam, ſed quod ea eſſet vitae eorundem ratio, quae tempus ei impendere non pateretur, et quod nondum reperirentur, qui iis honorem, quo alerentur, deferrent: verba tamen hiſtorici Arabici non eo torquenda ſunt, ac ſi ad doctrinam tantum de cauſſa vniuerſi ſiue theologiam ſcholaſticam, poſtea inter Arabes diligenter excultam, pertineant, quod quidem viſum Cel. LVDEWIGIO *w*). Nam Arabs hanc philoſophiam intelligit de aſtronomia philoſophica, et methodo ſcientiam gignente, ſiue dialectica, ad quas ineptos fuiſſe ante Islamiſmum Arabes contendit, qua vna obſeruatione in ipſis hiſtorici verbis euidentibus fundata, omnes machinae disiiciuntur, quibus pro dialectica Arabum ante Muhammedem pugnauit vir longe doctiſſimus.

§. IV. Nihil emendatum Muhammedis aduentu, nouaeque legis atque religionis promulgatione, quamuis mire ſe de gente ſua meruiſſe ſomniaret impoſtor, quod ab irrationali Numinis cultu ad rationalem eos reuocaſſet. Nam vt ipſe omni prorſus eruditione, more populi ſui, erat vacuus, et illiteratiſſimus, vti ſupra dictum, vt ne literas quidem pingere noſſet, miſerabilem autem, quam centonis inſtar vndique corraſerat, rhapſodiam legis ſuae nulla philoſophia tinxerat, ita, ne paulo prudentioribus oculi aperirentur, illique ſupra magiſtri captum ſaperent, ſibi prouidendum eſſe ratus eſt *x*). Vt itaque vno quaſi ictu, quicquid contra legis ſuae ineptias moliri poſſet humana eruditio, iudiciique acies, praeſcinderet, legem tulit, ne quiſquam Muslemorum artes liberales diſceret, ſecus qui faceret, mortis reus eſſet. Qua lege ſemel religionis obtentu firmata, dici non poteſt, quantum in ipſa herba prima meliorum inter Arabes ingeniorum ſemina ſuppreſſa fuerint. Id quod libere faſſus eſt ABV IAAFAR EBN TOPHAIL *y*), monens, *non defuiſſe quidem Arabibus viros cordatos, qui cognitionem philoſophiae ſpeciatim ſublimioris adepti fuerint, at non auſos eſſe vnquam eos illam palam profiteri. Sectam enim Hanafiticam, et legem Mohammedicam vetaſſe homines in eam ſe immittere, et, vt cauerent ab ea, monuiſſe.* Vt vero ingenia per otium de veritate cogitatura arceret, alia illis obiecta conſideranda propoſuit, legem nempe nouam, qua ſe auctoritatem ſibi magnumque aſſeclarum numerum comparaturum eſſe ſperabat, eiusque ambitu totam Islamiſmi nouaeque, quam meditabatur religionis ſummam comprehendebat, de cuius tamen legis Muhammedicae, quam Coranum vel Alcoranum dicunt, origine, indole et ſumma hic prolixe diſputare non licet,

Status philoſophiae tempore naſcentis Islamiſmi.

w) loc. cit. p. 7. not. (*i*)

x) Conf. HORN. Hiſt. phil. L. V. c. 9. p. 286. LVDEWIG. l. c. p. 17. CONRING. antiqq. Acad. diſſ. I. p. 31. POCOCK. l. c. p. 165. LACKEMACHER. l. c. §. 5. p. 10.

y) In philoſopho *αὐτοδιδάκτῳ* ſ. epiſtola de Hai Ebn Yockdan, p. 14. Ita vero religionis obtentu vehementer a philoſophiae ſtudiis abhorrebant Islamiſmi ſectatores, vnde Takkidinum quendam Almamoni, philoſophiam inter Saracenos reuocanti diuinas poenas fuiſſe minatum infra docebimus.

licet, illique adeundi ſunt, qui eius hiſtoriam literariam condiderunt [z]. Licet autem ne micam eruditionis poſſederit Corani compilator, non tamen plane negligenda eſt eius in hiſtoria philoſophiae Saracenicae conſideratio, eo quod non ſuo Marte illam compilationem conſtruxit Muhammedes, ſed tota ex libris Chriſtianorum per Neſtorianae ſectae aſſeclam quendam Bahiram, ex Iudaeorum doctrinis per Iudaeum aliquem Abdallam Ebn Salam, et ex Koraishitarum Zabiorumque religione, quam Arabes tum profitebantur corraſa eſt, vt doctiſſime obſeruatum DAVIDI MILLIO V. C. [a] Ex hac itaque origine de doctrinis illis in Corano comprehenſis iudicandum eſt, quas de Deo et attributis diuinis ille continet, quasque ad philoſophiam quoque Saracenicam pertinere infra probabimus, indeque cauſſa afferenda, cur inter inepta multa ſaniora quoque aliqua impoſtor attulerit, quibusque canalibus ad hominem illiteratum ea defluxerint. Iſto enim tempore praeter veteris idololatriae aſſeclas, et Zabiorum ſectam temere coëuntem, Iudaeos quoque atque Chriſtianos inter Arabes habitauiſſe, ex ſcriptoribus Saracenicis conſtat, obſeruatumque POCOCKIO [b] *in tribubus Rabiae et Gaſſan, et parte Kodaeae Chriſtianiſmum, Iudaiſmum apud Hamyar et Bani Kenanah, et Bani'l Hareth Ebn Caabae, et Cendah, magorum religionem inter Bani Tamim Sadducaeiſmum inter Koraishitas viguiſſe, quin et in aliis tribubus Chriſtianiſmum regnauiſſe.* Quamuis autem mirum videri queat, philoſophiam inter Chriſtianos non ignotam, non ad Arabes perueniſſe, licet tot inter illos Chriſtiani habitauerint; cogitandum tamen ad deſpiciendam populi libri, id eſt, eruditione culti doctrinam Arabes adduxiſſe ſtudia, quibus detinebantur vitaeque rationem toto coelo diuerſam; valde

z) Plerosque ſcriptores huc pertinentes nominauit triga virorum ſummorum, B. FABRICIVS bibl. graec. Vol. VII. p. 100. 136. et in ſyllabo ſcriptorum de V. R. C. c. L. p. 733. ſeq. B. BVDDEVS Iſag. in hiſt. theol. L. II. c. 7. p. 1403. et C. M. PFAFFIVS in introduct. ad hiſt. lit. theol. L. III. c. 5. p. 30. add. DORN. bibl. theol. crit. P. I. p. 443. Legendus autem et Coranus ipſe a MARACCIO cum prodromo et ab HINCKELMANNO editus, vitaeque Muhammedis ſcriptores poſt Abulpharaium, Elmacinum, Eutychium ISMAEL ABVLFEDA, in tr. de vita et rebus geſtis Mohammedis Moslemicae religionis auctoris, et imperii Saracenici fundatoris, Arabice ex MSc. Pocockiano bibliothecae Bodleianae cum verſione et notis IOANNIS GAGNERII Oxon. 1723. fol. edito, vid. CLERIC. Bibl. ancienne et moderne T. XX. P. I. art. 2. p. 68. quam ſcriptoris Arabis hiſtoriam fabulae illi Romanenſi, quam de vita Muhammedis ad exagitanda ſacra Chriſtiana confinxit Comes Boulainvillerius, recte opponi poſſe putamus. Addendi HADR. RELANDI libri duo de relig. Muhammedica, HOTTINGERI hiſtoria Orientalis, quosque nominat ZACH. GRAPIVS in hiſtoria literaria Alcorani, Roſtochii 1701. 4. edita. Vt alios plurimos taceamus. Comparari vero cum his ſcriptoribus meretur, docti viri, IACOBI ERHARDI diſſertatio de illuſtrium ac obſcurorum ſcriptorum erroribus praecipuis in hiſtoria Mahometi eorumque cauſſis, Vlmae 1731. 8. edita.

a) In or. inaug. de Mohammediſmo e veteribus Hebraeorum ſcriptis magna ex parte compoſito Trai. 1718. et in diſſ. de Mohammedaniſmo ante Mohammedem, quae eſt inter diſſertationes ſelectas decima.

b) l. c. p. 136. Affert is locum SHARESTANII dignum, qui hic legatur: „Ex Arabibus „erant qui ad Iudaiſmum inclinarent, ex iis, „qui ad Chriſtianiſmum, ex iis, qui ad Sabiiſmum „propenderent, et qui ſtellis fixis eam vim attri„buerent, quam erraticis aſtronomi, adeo vt nec „loco ſe mouerent, nec quieſcerent, neque iter fa„cerent, neque domi ſubſiſterent, niſi a ſtella „aliqua captato omine, dicentes inſuper, ſe hu„ius ſtellae vel illius beneficio pluuiam conſequi. „Erant et ex illis, qui angelos magni facerent, „eosque colerent, immo et qui daemonas cole„rent, aſſerentes, eos Dei filias eſſe.

de quoque eo iam tempore philoſophiam inter Chriſtianos in exilium, expellente barbarie, inclinauiſſe; tum fuiſſe hos Chriſtianos inter Arabes viuentes Iacobitas, id eſt, Monophyſitas, ab orthodoxis graui odio preſſos, quod ſine dubio diſſidium obſtitit, quo minus Graecanica philoſophia inter hos culta ad iſtos ſectarios pertingeret. Et hinc ratio quoque petenda videtur, cur in Alcorani compilationem plura, philoſophiam redolentia non confluxerint, cum tamen Chriſtianus homo manus auxiliatrices porrexiſſet, curque potius fabulis Iudaeorum veterumque haereticorum aliisque abſurditatibus omni ſanae rationi bellum indicentibus plenus ſit, opusque habuerit, vt innumeris ſubtilitatibus a doctoribus Saracenorum ſcholaſticis poſt receptam inter eos philoſophiam ad ſaniorem aliquem ſenſum reuocaretur. Qua in re a Muhammedis rationibus prorſus deuiarunt, qui eam potiſſimum ob cauſſam philoſophiae artiumque liberalium ſtudia prohibuit ſuis, vt eo grauior maiorque eſſet Islamiſmi, et qua ille nititur, legis nouae auctoritas. Quam vt ſupra omnem philoſophiam eueheret, eiusque veneratione hominum oculos ita perſtringeret, vt ad philoſophiae ſanaeque rationis monita prorſus coecutirent, diuinam ineptiſſimo centoni originem tribuit, et diuinitatis argumentum inde petiit, *quod*, narrante ABVLFARAIO [c] *miraculi inſtar ſit, quod cum conati ſint eloquentiſſimi quique ei par aliquid elaborare, ne capitulum quidem vnicum ipſi conferendum proferre potuerint.* Immo ſi Al Gazalium audis, a POCOCKIO [d] adductum, *Alcoranus eſt miraculum maximum, quod inter homines permanet, nec eſt prophetae, praeter eum miraculum permanens, cum ad imitandum eum prouocauerit apoſtolus Dei Arabum eloquentiſſimos et diſertiſſimos; quo tempore millenis eorum referta eſſet Arabum peninſula, quorum ſtudium, et quod maximo in pretio habebant, quoque praecipue gloriabantur, erat eloquentia: atque in medio ipſorum exclamans iuberet, vt quid illi ſimile proferrent, immo vel decem capitula, immo vel vnum, ſi de veritate eius dubitarent: dixeritque Deus, ſi congregati fuerint homines et daemones, vt aliquid huic Alcorano ſimile componant, nullo modo eos hoc praeſtituros, etſi mutuam alii aliis operam praeſtiterint.* Eadem Coſarorum regi Ismaëlita, ſiue Saracenus in notiſſimo illo R. IEHVDAE HALLEVI [e] dialogo reſpondit. Excogitata haec ſunt, non tantum ad conciliandam Corano inter Arabes, eloquentiae, vti ſupra dictum, primum inter ſcientias locum concedentes auctoritatem, ſed et ad deprimendam contemnendamque ſcientiam omnem, maxime philoſophicam, *eo quod*, verba iterum damus Al Gazalii, *conceſſerit illi Deus haec omnia, cum ipſe idiota eſſet, qui nulli vnquam ſcientiae operam dederit, nec libros peruoluerit, nec ſcientiae acquirendae gratia peregrinatus fuerit, ſed ſemper manſerit inter Arabum ignorantiſſimos, Orphanus et impotens, ac pro impotenti habitus.*

c) Dynaſt. IX. p. 104. d) loc. cit. p. 121. e) Libro Coſri P. I. §. 5. p. 12.

habitus. Nullus itaque philoſophiae locus relinqui poterat, cum de noua lege diſputari legislator veteratorius prohiberet, et gladium pro rationibus oſtendens, diſputationes ad iudicii extremi diem relegaret. Valde occupauit animos maleſanum hominis impoſtoris ſtudium: qui cum in hac lege ſua omnem prorſus induſtriam conſumi, ſicque beatitatis aeternae certitudinem acquiri poſtularet, ita Corani lectioni affixit ingenia, vt non integrum tantum ediſcerent, ſed illi etiam perquirendo, et in ſuccum ac ſanguinem vertendo omnes fere vitae dies impenderent. Quod eo facilius euenire potuit, quo magis hominibus ſtupidis et in ignorantiae tenebris educatis facile perſuaderi poterat, omnia, quae ſcitu vtilia et ſalutaria ſint, in iſto libro comprehendi, reliqua ei contraria vel non ibi collecta et expreſſa, damnanda prorſus et tollenda eſſe. Quo argumento vſum Amrum exercitus Saracenici ducem, omnes libros Alexandriae, quam occupauerat, damnaſſe et igni addixiſſe, infra narrabimus, legique paſſim poteſt *f*. Ita vero exitiale odium animis erga philoſophiam inſtillari oportebat, magnaque pati detrimenta ſcientias artesque omnes, ratione vtentes, maxime philoſophiam. Quamquam enim paſſim extabant ingenia nobiliora, quae iudicio naturali inſtructa ad rationis radios oculos attollebant, obſtitit tamen religio publiuae vindictae gladio ſuffulta, quo minus dotibus iſtis ad examinanda nouae legis fundamenta vterentur, et cogitare, multo minus meditari et philoſophari de iis auderent. Tantis etiam ineptiis et nugis, quibus Coranus ſcatet, animi agellus natura ſua non infoecundus, quaſi vepretis et dumetis obſepiebatur, vt teneri veritatis connatae, et a ratione ſubminiſtratae ſurculi non poſſent non extingui et in ipſa herba ſuffocari: qua ratione, quodcunque ad philoſophiam inter Arabes aptum videbatur, aut vi, aut aſtutia doloque ſupprimebatur. Quod cum in ſe rebus ſic ſtantibus facile eueniret, pſeudo-prophetae illiteratiſſimi exemplo eo magis confirmatum et ratum habitum eſt, quo magis ad hos ducis et doctoris ſui mores ſe omnis natio Saracenica conformabat. Quibus rationibus inducta ſecta Hanifitica, (quam ex quatuor orthodoxis ſectis eſſe, infra dicemus, quaeque anno Hegirae LXXX auctore Abul-Hanifa exorta eſt) ſummo rigore in artium et philoſophiae ſtudium debacchata eſt, vt ſupra dictum. Multum vero adiuuit hoc philoſophiae exilium tempore naſcentis et adoleſcentis Islamiſmi ratio huius politica, totiusque reipublicae, quam Muhammedes condere coeperat, conſtitutio. Quae cum rationibus ob ſummam auctoris ignorantiam niti non poſſet, armorum ſtrepitu gladioque micante firmata, hocque modo longe lateque diſſeminata eſt. Quo potiſſimum neruo cum conſiſtere deberet noua iſta ciuitas, vel coëuntis potius ex multis ſectis populi colluvies, armis magis, quam argumentis regenda, impoſſibile erat vt artibus liberalibus et philoſophiae locus relinqueretur, quae diſcindendis potius, quam

f) Vid. Coran. L. I. c. 1. Conf. Euthymius in Saracenis Sylburgii p. 43.

g) Abulfaraius l. c. p. 111. Pocock. l. c. p. 165. Conring. l. c. Suppl. XIX. p. 242.

quam aduniendis nexibus corporis leuiſſima commiſſura cohaerentis aptae fuiſſent; certe ad veram culturam pacem atque otium requirebant, ſine quibus philoſophari ex voto non licet. Eandem rationem ſecuti ſunt, primi poſt Muhammedem duces, totaque Ommiadarum familia, cuius in ſolis armis vim omnem fuiſſe, hiſtoria Saracenica omnibus fere paginis loquitur. Qui cum bello tempus omne conſumerent, et pro lege a parentibus ſub diuinae originis et auctoritatis perſuaſione acceptae auctoritate tanquam pro aris focisque pugnarent, facile in eam opinionem delapſi ſunt, libros omnes atque artes et philoſophiam quoque inutilem prorſus eſſe, eo quod vel illa continerent, quae in Alcorano quoque exhibentur, adeoque ſuperuacanea eſſent, vel contradicerent libro θεοπνεύστῳ adeoque ferenda haud eſſent, ſed tollenda potius, tanquam peſtes reipublicae. Quae inepta opinio ita homines feroces, et armis magis quam libris deditos in artes quascunque armauit, vt aliquoties praeſtantiſſima volumina, irreparabili ſtudiorum damno igne exuerent. Addi his cauſſis neglectae et proiectae inter Muhammedis aſſeclas primos philoſophiae poſſunt aliae, non plane omittendae. Inter quas non leuis momenti eſt, quod Saraceni cum Graecis reliquisque Occidentis populis inter quos philoſophiae ſtudium adhuc vigebat, certe magna librorum philoſophicorum copia reperiebatur, nulla alia in re conſueuerint, niſi vbi omnia puluere et ſanguine miſcebantur, et in caedes et rapinas diſcedebatur, quibus circumſtantiis vigentibus non potuere pacifica philoſophiae artiumque ſemina ad inimicam et bellicoſam gentem tranſire. Nec his obſtat, Chriſtianos multos inter Muhammedanos habitauiſſe, et cum iis familiariter fuiſſe conuerſatos, immo ipſum yeteratorem Chriſtianis, teſte ELMACINO [h], ſe humaniſſimum praebuiſſe, tutelamque ac defenſionem promiſiſſe, nec male de iis fuiſſe locutum, quibus artibus multos eorum ad ſequendas partes ſuas illexit. Hi enim Chriſtiani non Graeci erant, apud quos ſedem fixerant artes liberales et philoſophia, ſed Arabes ſchiſmatici et heterodoxi, tum religione tum doctrina prorſus a vera Chriſtianorum facie degenerantes, apud quos eo magis inualeſcebat barbaries [i], quo magis inter ipſos orthodoxos, ſiue Melchitas (ita dictos, quod imperatoris Romani religionem ſequerentur) bonarum literarum et philoſophiae ſtudia occaſum minarentur, litibusque et diſſidiis funeſtiſſimis omnem rationis vſum extinguentibus inter Chriſtianos perſonarent omnia [k]. Praeterea mature ab exemplo Muhammedis defecerunt duces ſequentes, qui parum communionis cum Chriſtianis fouerunt, eo quod bello potius perſequendos ſtatuerent, cum hac ratione res ſuas valde augeri poſſe confiderent, exitu expectationem non ſolum confirmante, ſed quoque ſuperante. Hincque auerſatio illa a Chriſtianorum conſortio ortum habuit, quam Califa

h) Hiſtor. Saracen. L. I. c. 1. p. 11. et quem adducit HOTTINGERVS hiſtor. orient. L. II. c. 2. pag. 235.

i) Fuiſſe quosdam inter hos Chriſticolas Graecis literis tinctos ABVLFARAIVS Dyn. IX. p. 171. teſtatur, ſed hoc paucorum tantum aliquot virorum fuit ſtudium.

k) Conferendus HOTTINGERVS l. c. c. 3. p. 239.

Raſiidus, Almamonis, ſcientiarum inter Saracenos reſtauratoris pater teſtatus eſt, cum iis Ioannem Meſuach in aulam ſuam deduxiſſet, vt eruditis, quos ſummo ſtudio condixerat, praeeſſet, cum apud ſolos Chriſtianos Graecae eruditionis notitia aliqua floreret. Teſte enim LEONE AFRICANO [i], pater indignabundus filium interrogauit: cur vni potiſſimum Chriſtiano confideret? et cur Chriſtianum hunc in curia ſua teneret, et ſufferret? cui Mamon, nē crabrones irritaret, probe gnarus, quantum inter Muhammedanos et Chriſtianos intercederet odium, hoc tantum reſpondit: *Pater mi reuerende, eum mihi Capellanum non conduxi, ſed artificem, videt vero excellentia tua, plerosque que artifices in imperio tuo eſſe Chriſtianos et Iudaeos.* Ex quibus omnibus ampliſſime hactenus diſputatis in vnam ſummam collectis, luculentiſſime patet, primo Islamiſmi exorientis et adoleſcentis ſeculo ab Arabibus ob plurimas cauſſas exulauiſſe omne philoſophiae ſtudium, nec potuiſſe emergere ingenia excitatoria ad eius culmina, eo quod infelicitas ſeculi, et lex Muhammedis, et ratio reipublicae Saracenicae prorſus obſtaret. Tam altas autem haec res radices egit, vt, cum ſecundo poſt Muhammedem ſeculo, pacatis tantiſper rebus Saracenorum principes eruditorum virorum cohortationibus excitati artibus liberalibus et philoſophiae audientiam facerent, eisque inter ſuos quoque locum facere conniterentur, obſtarent ex miniſtris eorum plurimi calcibusque atque pugnis repugnarent, eſſentque qui optimis principibus maledicerent, eo quod ſuperſtitionem, cui adhaerebant, artium et philoſophiae ſtudio iugulatum iri, probe videbant. Id quod auſus eſt, Takiddunus quidam, ſupra iam memoratus, qui teſte Sephadio Arabe apud POCOCKIVM [ii] profeſſus eſt: *Fieri non poſſe quin Deus certas de Al Mamone poenas ſumeret, quod ſcientiis philoſophicis introductis Muhammedanorum pietatem interpellauerit.* Quam ipſius ſententiam non mirandam eſſe, recte monet Pocockius, eo quod apud multos homunciones audacter pronuntietur, quicquid eſt humanarum literarum ac ſcientiarum, inimicum eſſe religioni: quod et inter Chriſtianos quosdam obtinere dolet. Certe inter Muhammedanos eo tempore tanto ardore aſſertum eſt, vt ſcurra quidam Al-Shafienſis dicere non erubuerit: *Si quis inter Muhammedanos philoſophiae operam daret, dignum eſſe, qui palo affixus per omnes Arabum tribus et coetus circumferretur, proclamante coram praecone: haec remuneratio eſt eius, qui relicto Alcorano et traditione incubuit philoſophiae.* Quod quamuis ſatis craſſa Miuerua dictum ſit, vocemque bouis aut aſini, non hominis ſonet, non magnopere tamen mirandum eſt, eo quod ſuperſtitioſiſſimus quisque, et Corani literae addictiſſimus, ſe paradiſo proximum eſſe perſuaderet, nihilque in abſurdo centone eſſet, quod non inepti quidam homuncionēs defenderent. Quibus cum ſenſum paulo commodiorem et magis-

i) De vir. illuſtr. Arab. c. 1. p. 261.
ii) l. c. p. 166. Conferendus qui noſtris haec temporibus applicat BAYLE Dict. T. IV. art. Takkiddin p. 315.

magis rationalem tribuerent philoſophantes, non potuit non ſtupor hominum ignorantia ſuperbientium illam diligentiam maledictis inceſſere, eo quod, veritate licet concinente, crederent, ita a primo legis ſenſu fieri diuortium. Ex dictis vero intelligitur, quantae tenebrae tunc in orbe philoſophico per omnem terram fuerint. Cum enim omnis fere philoſophiae honor poſt Sec. VII inter Chriſtianos eriperetur, et inter Saracenos ea non toleraretur, non potuere non fata philoſophiae eo tempore eſſe funeſtiſſima. Et actum fortaſſe de ea fuiſſet, niſi ex ipſa Saracenorum gente excitaſſet diuina prouidentia principes quosdam, qui fugientibus literis et philoſophiae manus iniecerunt, easque poſtliminio reduxerunt, vel exules potius apertis exceperunt amplexibus, de quorum hanc in rem ſtudiis iam porro dicendum eſt.

§. V. Veſtigiis Muhammedis preſſe inſtitere principes ducesque Saracenorum, qui ex familia Ommiadarum vsque ad medium fere ſeculum ſecundum Hegirae rebus praefuerunt[m]. Ii enim cum accepta noui imperii ſtamina ſibi confirmanda roborandaque eſſe probe noſſent, ad armorum vim atque gloriam cuncta retulerunt, poſthabitis literis omnibus; recentis quoque legis veneratione capti, memoriaque prophetae haud ita pridem rebus humanis erepti ad illius obſeruantiam excitati, religioni ſibi duxere, a ſancitis moribusque Muhammedis vel latum vnguem diſcedere. Inde factum, vt ad ſeculum vsque poſt C. N. octauum medium inter Saracenos priſtina regnaret barbaries. Aſt defuncto, qui vltimus ex Ommiadarum familia Saracenis imperabat, Merwano, filio Muhammedis, cognomento Abu Abdulmelico, magna literarum felicitate, fauſtiſſimoque ſidere, ſucceſſit familia Abbaſidarum, quae et Haſchemidarum appellatur[n]; ab eo enim tempore grauis, quae totam gentem dolo artibusque pſeudo-prophetae preſſerat nox ignorantiae decedere, et exorturae eruditionis atque philoſophiae praenuntia illuceſcere aurora coepit, tum Chriſtianis viris doctis inter Muhammedanos placide magis quam antea, toleratis, tum ipſis ſcientiis ſenſim meliorem ſui ſenſum atque guſtum Saracenis inſtillantibus. Donec ineunte Seculo IX ſol quoque ipſe, eruditionis, maxime philoſophicae fulgore ſplendens, oriretur, cum rebus Saracenorum regundis praeeſſet Abul-Abbas Al-Mamon, qui nouam in hac hiſtoria nobis periodum figit. Et a ſuperſtitione quidem a noui imperii conditore tanto ſtudio inter Arabes diſſeminata, nec huius quoque familiae principes vel latum vnguem diſcedebant, ſed ea ſuſcipiebant, quae, parum licet principes decentia, lex

Fata philoſophiae ſub Familia Ommiadarum.

Sub familia Abbaſidarum.

 tamen

m) Nomen retulit haec familia, a ſeptimo poſt Muhammedem Califa Moauia, filio Abuſofiani Ommiade, qui anno Heg. 41. regnare coepit. Vid. ELMACIN. Hiſt. Sarac. L. I. c. 7. p. 46. Cui quatuordecim ſua gente ſucceſſere principes, vsque ad Merwanum f. Muhammedis Abu Abdulmelicum, qui habenas regni capeſſiuit an. Heg. 127. vid. ELMACINVS ibid. c. 21. p. 81.

n) ELMACINO L. II. c. 1. vocantur Abbaſidae, ABVLFARAIO Dyn. IX. p. 123. Haſchemidae, a Haſchemo quodam inter majores eorum nobili, quod ideo notandum, ne quae vnum ſignificant, inter ſe nomina diſtinguantur. Succeſſit vero familiae Ommiadum Abbaſidea circa medium Sec. VIII. Couf. CONRING. antiq. Acad. Suppl. XIX. p. 247.

tamen Mahummedica imperabat. Hinc videas eos peregrinationes religionis ergo inſtituere, templa erigere, orationes ad populum habere, magnoque ſtudio ſummaque alacritate in Muhammedis religionem ferri, eamque quibus poſſent, artibus ſtabilitum ire o). Aſt in eo pulchrius ſapiebant, quam anteceſſores ſui, quod nefando illo, quod artes et ſcientias omnes in exilium mittebat, interdicto, deterreri ſe paſſi non fuerint, quo minus curioſo ad ſcientias artesque oculo reſpicèrent, et initio quidem exploratorum inſtar ad Muſarum caſtra digrederentur. Cuius rei laudabile initium fecit ſecundus ex Abbaſidarum familia princeps, qui poſt Muhammedem vigeſimus tertius Saracenis praefuit, Abug-Iaafar Al-Manſor quem natura iis dotibus eoque animo inſtruxerat, quibus ad iuuandas literas excitari confirmarique poſſet. Teſte enim ELMACINO p), *tanta fuit bonitate indolis, prudentia, rectitudine conſilii, et ſuauitate converſationis, vt dici non poſſit; magnanimus quoque et multo rerum vſu exercitatus.* Ita vero principis animo conſtituto, non potuit non via parari artibus atque literis. Nam et indolis bonitas ferociam illam genti inſitam, regulisque principum ſtabilitam expellebat, et prudentia, quid valerent literae et qua ratione principem ornare poſſent, explicabat, et conſilium rectum falſa Muhammedis et ſectatorum principia politica detegebat, et morum humanitas facilem cum viris doctis, animi vero magnitudo liberalem reddebat. Maximum vero in ſternenda ſcientiis, et imprimis philoſophiae, via ad aulam Al-Manſoris vſum praeſtitit ars ſalutaris. Duobus enim medicis Chriſtianis vtebantur Al-Manſor q), cumque is aſtrologiae multum tribueret r), aſtrologus etiam huic acceſſit numero, quae ternio cum philoſophiae ſtudiis eſſet imbuta, facile fuit philoſophiae ex puluere, in quo ſordida et abiecta ſqualebat, caput erigere, nouumque ſperare cultum. Cum itaque, qui Al-Manſorem in principatu praeceſſerat Califa Walidus s) Chriſtianos Arabica lingua pro Graeca vti iuſſiſſet, (quod Graecanicae eruditionis decremento magis, quam incremento accidiſſe rerum ſeries euincit) hoc mandatum, in omnia licet alia nitente eius auctore, occaſionem fecit, libros quosdam Graecae literaturae in Arabicum ſermonem transferendi. Condita quoque, quam imperii ſedem ſibi delegerat vrbe Bagdado, Muſis quoque lati-

o) Hoc multis exemplis hiſtoriae Saracenicae Scriptores confirmant. Vid. ELMACINVS hiſt. Sarac. L. II. EVTYCH. ALEX. Ann. T. II. p. 395. ſeqq. HOTTINGER. hiſt. Orient. L. II. c. 5. p. 275. ſeqq. Hiſtor. eccleſ. Sec. VIII. Sect. III. p. 501.

p) L. II. c. 3. p. 104.

q) Conf. LVDEWIG. l. c. p. 86.

r) ELMACIN. l. c. p. 102. addit his Cel. LVDEWIG. l. c. ob aſtrologiae ſtudium Almanſorem Magiae notitiam tribuiſſe Arabes, teſte ELMACINO l. c. L. II. c. 3. p. 101. ſed hoc non de Al-Manſore dicit Elmacinus, ſed de Abumuslimo, Zindikacorum duce, quem interfecit Al-Manſor.

s) Dynaſt. IX. p. 129. id teſtatur ABVLFARAIVS „Chriſtianorum ſcribis, ne amplius „Graece, ſed Arabice literas exararent, Walid „Califa interdixit." Id iuuandis inter Arabes literis profuiſſe putat LVDEWIGIVS l. c. et iugulandae, magis Graecae literaturae ſcopum habuiſſe, ex ſeculi primi inter Muhammedanos moribus facile intelligi poteſt. Anno enim Hegirae 96. Walidus, vltimus Ommiadarum regnauit. Nec improbanda CONRINGII l. c. coniectura eſt, hoc edictum maxime ſpectaſſe ad illud ſcribarum genus, quos notarios vocamus. Illud certum, nullo indicio probari poſſe, vllum librum Graece a ſeculo vsque ſeptimo atque adeo, poſt illud Walidi edictum in terris Saracenici imperii fuiſſe ſcriptum.

latibulum excitauit, locumque conſtruxit, in quo paulo poſt requieſcerent [t]. Cum enim magna ingenii vteretur perſpicacia atque elegantia, ferre diutius non potuit [u], vt in tantis ignorantiae tenebris gens ſua deliteſceret, et barbariei ſqualore horreret. Vt itaque principis exemplo oſtenderetur, qua ratione ex hoc ſomno eſſet euigilandum, audendumque aliquid humana ratione dignius, ipſe ad cognoſcenda philoſophiae et mathematicarum diſciplinarum praecepta animum adiecit. Qua de re digna ſunt, quae hic legantur ABVLFARAII [x] verba, eo quod prima naſcentis philoſophiae inter Arabes initia luculenter produnt. Ita ſcilicet ſcriptor Arabs: *Poſtquam Deus T. O. M. dynaſtas conſtituit Haſchemidas, et regnum ad ipſos tranſtulit, reuerſi ſunt animi ab incuria ſua, et experrecti intellectus a deliquio ſuo. Primus autem eorum, qui ſcientiis operam dedit, fuit Caliſa ſecundus Abu-Iaafar Al-Manſor, qui praeterquam quod legis peritia excelluit, philoſophiae etiam ſtudio incubuit, ac praecipue aſtronomiae.* Quamuis autem ad principis exemplum ſe ſubditorum quosdam compoſuiſſe credibile eſt, non tamen tum late ſatis pomoeria ſua extendiſſe philoſophiam inde colligendum eſt. Id enim non vnius principis aetatem ſed integrum fere ſeculum poſtulabat, eo quod ſuperſtitio ita animos plerorumque occupaſſet, vt non poſſent non in hac exorientis philoſophiae aurora coecutire. Neque tamen laudabilis principis cura ſtudiumque nullum effectum habuit, ſed pedetentim literis et philoſophiae via ſtrata eſt apertior. Qua in re Chriſtianorum quorundam diligentia laudari meretur. Teſte enim ABVLFARAIO [y] *Theophilus quidam Chriſtianus Arabs, ex ſecta Maronitica, homo elegantiori literatura imbutus, duos Homeri libros de excidio vrbis Ilii e lingua Graeca in Syriacam verterat;* eodemque teſte [z] iam Iuſtiniani aetate Syrus quidam, Sergius libros Graecorum multos hoc idiomate expreſſerat [a]. Quamuis autem ex reſiduis translationibus Syriacis, quas de ſcriptoribus eccleſiaſticis habemus, iure quodam colligi queat, ſaepius has verſiones grauiſſime hallucinatas fuiſſe, eo quod quae ſuperſunt in rebus tritis et vulgatiſſimis toties impegerunt, vt docte obſeruatum RENAVDOTIO [a]: certum tamen eſt, has verſiones Syriacas Saracenis primos duces fuiſſe, ad cognoſcenda philoſophiae artiumque myſteria, praeſertim cum Al-Manſor iam largiſſima eruditis propoſuiſſet praemia, qui Graecorum ſcripta ad philoſophiam, aſtronomiam, mathematicasque artes reliquas et medicinam pertinentia Arabica veſte induiſſet. Quod cum ab Arabibus ob Graecae linguae ignorantiam fieri non poſſet, excitati praemiis Chriſtiani, qui Graecos libros legebant, non tam Arabica lingua, quam Syriaca, has verſiones ſuſceperunt, eo quod in vrbe Bagdado,

t) ELMACIN. L. II. c. 3. p. 102. EVTYCH. ALEXANDRINVS Annal. T. II. p. 399. Conf. CONRING. l. c. p. 247.

u) l. c. p. 246. p. 160. Verſ. lat. Conf. LACKEMACHER loc. cit. §. 6. p. 13. x) Dynaſt. IX. p. 148.

y) Ibid. p. 94.

z) Conf. RENAVDOT. de verſ. Arab. apud FABRIC. Bibl. Gr. Vol. I. p. 814.

a) l. c. conf. ABVLFARAIVS p. 99. FREIND. hiſtor. medic. P. II. p. 5.

dado, vbi ſedes imperii erat, Syriacum idioma vernaculum erat. Hincque ratio petenda eſt, cur Arabicae, quae hodie extant verſiones, plerae que non ex Graeco, ſed ex Syriaco ſermone factae ſint. Fouit haec molimina quintus ex Abbaſidarum genere Saracenorum princeps Abug Iaafar Haron Rashidus, quem natura his muneribus ornauit, quibus promoueri quam maxime poſſunt partes eruditionis omnes. *Erat enim*, depingente indolem eius ELMACINO [b], *ſummae inter Chalifas humanitatis, et liberalitatis, maxime in poëtas, (vehementer enim delectabatur bonis verſibus eorumque auditu et imitatione) fortis et magnanimus, multi certaminis et peregrinationis, magnaeque deuotionis, et beneficentiae in pauperes: cumque peregrinaretur, ſolebant cum eo peregrinari centum docti* [c]. Is cum aliis quoque nominibus famam ſibi conciliauit celeberrimam, tum maxime ſummas laudes eruditorum patrocinio conſecutus eſt. Quos et aluit et praemiis affecit, et ſtipendiis auxit, et ad audenda pulcherrima quaeque excitauit. Quibus conatibus principis laudandis effectum eſt, vt paſſim ſcientiae excoli coeperint, in id connitentibus viris doctis, vt eius gratia et fauore gauderent, literis vtiliter inſeruientes. Mirandum itaque non eſt quod de aula Rasiidi ELMACINVS [d] refert: *in nullius Chalifae aula tot conueniſſe conſiliarios, iudices doctos* (qua voce in textu Arabico philoſophos innui, eamque voci *Obadâ*, quae elegantioris literaturae alumnum indicat, opponi, viris eruditis obſeruatum [e]) *eruditos et poëtas, atque in aula Rasiidi.* Ex quibus parce, vt pro inſtituti noſtri ratione debet, allatis intelligitur, auroram illuſcentium inter Saracenos literarum a ſolis ortu, quem vidit gens bellicoſa ſub Al-Mamone probe diſtinguendam, nec nimis eorum [f] verba premenda eſſe, qui *vsque ad Mamonem adeoque ad ſeculum Chriſtianum nonum durauiſſe monent inter Arabes, ob imperantium ruditatem etiam inter alios ſubditos eorum, tantum non ſpiſſam barbariem, quantum vis aliquis literatorum amor in Manſore et Harone Rasiido fuiſſet reſuſcitatus.* Hoc enim comparate tantum, inque relatione ad tempora Al-Mamonis, quibus patentibus portis ſcientiae omnes, maxime philoſophicae, exceptae ſunt, verum eſt, non vero abſolute barbaries illis tribui poteſt temporibus, quibus honos literis eſſe coepit. Negandum tamen non eſt, plerosque qui philoſophiae, reliquisque ſcientiis ſub Al-Manſore et Rashido operam dederunt, fuiſſe Chriſtianos, nec multum eo tempore Muhammedis aſſeclas in eo laborauiſſe, vt praeceptore et propheta doctiores fierent, vel ratione potiores. Plenum tamen diem viderunt ſcientiae, maxime philoſophicae, ſub Al-Mamone ſiue, quo integro nomine innotuit Abug Iaafar Abdallah, vel etiam Abu'l

b) L. II. c. 6. p. 120.

c) Fuit Rashidus *σύγχρονος* Carolo M. idemque rex Perſarum Aaron eſt, quem Annales Francorum ad an. 501. et EGINHARTVS in vita Caroli M. narrant, miſiſſe varia munera, elephantum, varias reliquias, e. c. caput Pantaleonis et alia pretioſa ad Carolum M. Aquisgranum, conf. LAMBEC. de biblioth. Vindobon. L. II. c. 5. p. 375.

d) L. II. c. 3. p. 120.

e) LACKEMACHER l. c. p. 13. not.

f) CONRING. antiqq. acad. ſuppl. XIX. p. 247.

Abu'l Abbas Al-Mamon, quem ſcientiarum, et philoſophiae quoque inter Saracenos cultae parentem recte dixeris [g]. Is enim parentem Rashidum in promouendarum literarum artiumque pulcherrimarum ſtudio multis paraſangis ſuperauit. Cum enim inter Chriſtianos orientales, vti ſupra dictum, quaedam florerent ſcientiae, et philoſophia aliquam adhuc inter eos moram feciſſet, valde earum incrementa ſuppreſſit Rashidi ſuperſtitio, quem ferre non potuiſſe quod Chriſtianos propius admitteret filius, ſupra iam narrauimus. Aſt aliam et planiorem viam ingreſſus eſt Al-Mamon princeps optimus. Is enim ſuperſtitionis capiſtro non tam vehementer coërcitus, quam parens, non tantum Chriſtianis fauit, eosque literarum atque philoſophiae cultores in aula ſua admiſit, ſed iis quoque inſtrumentis ad excitandas et vulgandas inter ſuos ſcientias et figendam eruditioni Graecanicae, praecipue, philoſophiae et mathematicis ſcientiis ſedem vſus eſt: idque tam felici effectu, vt ad hoc quaſi aſylum conuolaſſe, quae vbique exulabant, diſciplinas et bonarum artium ſtudia cenſendum ſit, exque eius aula tanquam ex equo Troiano eruditio, eiusque cultores ad Saracenos, et ab iis ad Chriſtianos quoque egreſſi fuerint, vt ex dicendis patebit. Et mirum quidem videri queat, ſcientias omnes, et in his philoſophiam quoque inualeſcere potuiſſe in aula principis, legis Islamiticae prohibitione tanquam vinculis quibusdam detenti, ne ad eruditionem properaret. Sed mirari deſinet, quicunque temporum illorum circumſtantias altius conſiderauerit. Et primum quidem et potiſſimum eius rei momentum a Chriſtianis arceſſendum eſt, quos maiorem inter populos Arabiae incolas partem conſtituiſſe, conſtat. Hi quamuis ea eruditionis cultura non eſſent expoliti, qua meliora ſecula inter Chriſtianos, Romanorum imperatori parentes fulgebant, et inclinaret ad corruptionem etiam in Oriente eruditio, vt libro ſequente demonſtrabitur; quamuis etiam inter eos plerique more Arabum non tam literis, quam mercaturae ſe tradidiſſent, habebant tamen inter ſuos viros doctos, qui et Graecos libros legebant, et vulgari lingua ſuis commendabant, quosque ideo populum libri vocatum fuiſſe ſupra diximus, et Theophilum quendam poſt Sergium in hac re vtilem praeſtitiſſe operam narrauimus. Hi cum comtius ingenium colerent, et tum arte medica, ſe principibus commendarent, tum elegantioribus literis animi quendam ornatum prae ſe ferrent, tum philoſophiae ſtudio vulgi, ignorantiae et barbariei ſe eriperent; non potuit non principum Saracenicorum inde conſequi veneratio, auctoritatem quandam conciliantibus, quae inter Arabes hactenus neglectae erant, eruditione et literis. Cuius exemplum eſſe poteſt Ioannes Philoponus, quem circa haec tempora in philoſophia Peripatetica excel-

Cauſſae exorientium inter Saracenos literarum et philoſophiae.

g) Prolixius id §. ſeq. docebitur. De reliquis eius geſtis videndi ELMACINVS L. II. c. 8. p. 131. EVTYCHIVS ALEXANDRIN. Annal. T. II. p. 416. ABVLFARAIVS Dynaſt. IX. aliique.

excelluiſſe, infra dicemus. Narrante enim ABVLFARAIO [h], *cum Amramus Omaris dux Aegyptum occupauiſſet, isque Alexandriam, vbi viuebat Ioannes, expugnaſſet, hic ad illum acceſſit. Qui, cognito, quem in ſcientiis locum teneret, honore ipſum affecit, audiitque de ſermonibus eius philoſophicis, quibus aſſueti non fuerant Arabes, quod eum ad fluporem redigeret, quoque percelleretur. Fuit autem Amrus intellectu praeditus, ad res percipiendas promtus, conceptibus claris, adhaeſit ergo illi, neque ab eo diſceſſit.* Alia exempla huic ſimilia infra afferemus. Ita excitatis Arabum animis, vt, quod ingens inter ignorantiam et literas diſcrimen intercederet, intelligerent, et quo loco ponenda eſſet philoſophia apertis perſpicerent oculis, facile erat, vt inuidentes Chriſtianis ſolis hanc gloriam, ſibi quoque eruditionis honorem vindicandum eſſe ſtatuerent. Quamuis autem omnes fere literae ſplendore ſuo Arabum oculos percellerent, nullum tamen magis eruditionis genus philoſophiae patentiorem portam aperuit, quam ſtudium medicum quo inter Arabes Chriſtiani quidem excellebant. Quos ſummo loco apud principes Saracenorum habitos fuiſſe, ex ELMACINO, ABVLFARAIO, EVTYCHIO aliisque hiſtoriae Saracenicae ſcriptoribus longo exemplorum catalogo demonſtrari poſſet [i], ſi hiſtoria artis medicae ſub Arabibus nobis ſcribenda eſſet, nec pleraque occupaſſet, doctiſſimi viri IO. FREINDII diligentia [k], cuius de fatis artis ſalutaris inter Saracenos tractatio digna eſt, quae cum hiſtoria philoſophiae in hac gente ſollicita attentione conferatur, cum multa adducat, lucem huic argumento foenerantia, quae afferre ob inſtituti rationem nobis non licet. Artis vero medicae notitiam tum inter Chriſtianos quaerebant Saraceni. Licet enim vnus itemque alter ex Arabibus eſſet, qui in peregrinis regionibus medicinae cognitionem fuerat conſecutus, qualem fuiſſe Alhareth Ebn Calda, Muhammedi gratum, ſupra diximus, exigua tamen et empirica tantum erat ea notitia, nec melior ipſius Alharethi eruditio medica [l]: vnde cum difficilioribus morbis implicarentur Arabum principes, hominesque illis cari, ad Chriſtianos medicos recurrendum erat, illique in aulas vocandi. Cuius rei exemplum vt habeat Lector, afferemus, ob libri raritatem EVTYCHII ALEXANDRINI [m] narrationem, qui haec refert: *Dono dedit Abdollahus Al-Rashido puellam ex Tamanenſibus, qui inferiorem terrae Aegyptiacae partem incolunt, quam, cum forma excellens et formoſa eſſet, valde amauit Al-Rashid. Eadem cum morbo graui laboraret, nec prodeſſet ipſi vlla medendi ratio quam adhibuerunt medici, Al-Rashido dixerunt: ad Abdollahum deputatum Aegypti tuum mittas, quo ad te aliquem e medicis Aegyptiacis mittat, talis ſiquidem huic*

h) Dynaſt. IX. p. 114.

i) Conſulendus elenchus medicorum veterum in FABRICII bibl. Graec. Vol. XIII. p. 17. ſeqq. et LEONIS AFRICANI libellus de claris et illuſtribus medicis apud Arabes.

k) Hiſt. medicinae a Galeno ad noſtra tempora P. II. p. 5. ſeqq.

l) Conf. RENAVDOT. l. c. p. 814.

m) l. c. T. II. p. 407. Conf. ELMACIN. L. II. c. 6. p. 123.

hic puellae medendae magis idoneus erit, quam medici Erakenſes. Miſit ergo Al-Rashid ad Abdollahum Ebn-Al-Mohdi, vt medicorum Aegyptiacorum peritiſſimum exquirens eum ad ipſum mitteret, atque inſuper, quomodo ſe haberet, atque affecta eſſet puella, ipſi indicauit. Accerſens ergo Abdollahus Balatianum patriarcham Alexandriae Melchitam, qui rei medicae peritus erat, quomodo ſe haberet puella, qualique morbo affecta, ipſi indicauit, et ad Al-Rashidum miſit. Qui ergo ſecum tortas Aegyptiacas duras et muriam aſſumens, vbi Bagdadum veniſſet, ad puellam ingreſſus ipſi tortam ruſticam et muriam comedendam dedit. Vnde ad temperamentum ſuum primum rediit, recedente ab ipſa morbo; quare ab eo tempore ex Aegypto ab penarium regium portari ſolent tortae aſperae et muria. Al-Rashid autem Balatianum patriarcham multis numis donauit: ſcriptis etiam literis mandatoriis, quibus omnes eccleſias in regione Iacobitarum, quas Melchitis ablatas poſſederant reddi iuſſit etc. Immo ipſum Al-Rashidum, cum apoplexia corriperetur, medicique de ſalute deſperarent, ex conſilio medici Chriſtiani, qui ſanguinem, inciſa vena mittendum ſuaſerat, fruſtra refragantibus medicis Arabibus, cum hoc remedii genus adhibendum eſſe filius Al-Mamon praetendiſſet, ita reſtitutum fuiſſe, ſicque honorem medicae artis inter Chriſtianos regnantis apud Arabes valde creuiſſe, ELMACINVS [n] narrat. Alia exempla, breuitatis cauſſa praeterimus [o]. Artis itaque ſalutaris praeſidio cum ad aulas principum Saracenorum aditus medicis pararetur, immo ſedes illis in ipſa regia Bagdadi figeretur, ſponte euenit, vt quam ipſi quoque excolebant, philoſophia cum medicina inter Arabes reciperetur. Maxime inter hos medicos Chriſtianos, quibus et artis ſalutaris et philoſophiae inter Arabes receptae patrocinium debetur, celebris eſt, Ioannes filius Maſawaichi, ſiue Meſue Damaſcenus, cum Ioanne Meſue Damaſceno, hoc multo iuniore, itemque cum Ioanne Damaſceno Manſure, ſcriptore eccleſiaſtico non confundendus [p]. *Ioannes Meſue ſiue.*

D 2 Hic

n) Lib. II. c. 6. p. 122.

o) Conf. RENAVDOT. vbi ſupra.

p) Ioannes a patria Damaſcenus, a parente Meſue dictus, non confundendus eſt, cum Io. Meſue filio Hamech, fil. Abdela, Damaſci regulo Sec. XII. medio claro, et ſcriptis medicis a IACOBO SYLVIO Lugd. 1550. editis noto, vid. MERCKLIN. in Lindenio renou. p. 640. FABRICIVS bibl. Graec. Vol. XIII. p. 256. quemadmodum a Ioanne Damaſceno ſcriptore eccleſiaſtico, de quo in ſequenti libro dicendum et vitae profeſſione et aetate facile diſtinguitur. Vitam eius enarrauit LEO AFRICANVS, de viris illuſtribus inter Arabes c. I. qui nos docet, fuiſſe natione Chaldaeum, religione Chriſtianum ex Neſtorii ſecta, natumque eſſe in villa quadam Niniue proxima. Hunc ex patria, ait, profectum Bagdadum, eo quod patriarcham ſectae ſuae quaereret, ordines ſacros ſuſcepturus. Vidiſſe Chriſticolas et Muhammedanos multos liberalibus artibus operam dantes, eorumque exemplo excitatum ad eas animum ipſum quoque applicuiſſe, patriamque ſuam ob ſimplicitatem contemſiſſe. Breui autem tempore, et medicinam, et philoſophiam, et aſtrologiam didiciſſe. Tunc ad Al-Mamonem veniſſe, praefectumque eſſe ſynedrio virorum doctorum, quod in ſeqq. narrabimus: magna quoque in eius aula auctoritate vixiſſe, tandem vincente inuidia in carcerem coniectum, et non niſi ſoluta certa auri ſumma dimiſſum fuiſſe. Anno vero aetatis 80. obiiſſe. Nomen Meſue idem eſſe vult LEO l. c. ac Moſis improbante HOTTINGERO ad h. l. Meſuah idem eſſe vult ac Meſchichoio, i. e. Chriſtianus; ſed falli Hottingerum ex allato Abulfaraii loco conſtat, ex quo diſcimus Meſue dici, pro Maſawaichus. Huius Meſuae adhuc Lati-

Hic enim cum ex disciplina magni inter Syros et Arabes nominis medici Gabrielis, filii Bachtisthuae filii Georgii prodiisset [r], et ab eo hospitali Bagdadensi fuisset praefectus, magna apud Al-Rashidum Al-Mamonem et reliquos principes vsque ad tempora Al-Motawacceli gratia floruit, anno demum DCCCXLVI, vel vt habet Abi Osaia DCCCLXV defunctus. Is cum praeter medicam artem ex Graecorum disciplina philosophiam didicisset et humanitatis literas, scholam Bagdadi aperuit, et inter Arabes, lingua Syriaca, quae Bagdadi florebat, philosophatus est. Qua de re audiendus est ABVLFARAIVS [s] ita narrans: *E medicis etiam Al-Rashidi fuit Ioannes filius Masawaihi, Christianus, Syrus, cui commisit Al-Rashid interpretandos libros medicos antiquos, qui Al-Rashido eiusque successoribus inseruiuit vsque ad tempora Al-Motawacceli. Magni habitus fuit Bagdadi, summaeque auctoritatis. Libros composuit elegantes; scholam instituit disceptandi gratia [s], in qua de omni scientiarum antiquarum genere optime eas explicans disseruit. Praelegebat etiam et ad ipsum congregati sunt discipuli quam plurimi.* Huic itaque Mesuae seniori prima debentur inualescentis inter Arabes philosophiae initia; nam et ipse philosophatus est, et discipulos eadem duxit via. Inter quos imprimis non omittendus nobis est Honain Ebn Isaac, homo Arabs, religione, quemadmodum ipse praeceptor, Christianus, ex Arabum Ebadiorum genere, quod in confinibus Hirami habitabat, de quo multa habet ABVLFARAIVS. Is inter alia de illo haec scribit [t]: *Imperante Al-Motawaccelo claruit Honain Ebn Isaac medicus Christianus Ebadiensis. Hi Christiani quidam Arabes erant e tribubus diuersis, qui in vnum congregati se ab hominibus seduxerunt, in castella quaedam iuxta Hiram, ab ipsis extructa, appellatique sunt Al-Ebad, id est serui creatoris. Honain vero cum adoleuisset, scientiae amore captus Bagdadum ingressus est ad Ioannis Ebn Mesue scholam accedens ipsius seruitio se addixit, et apud ipsum studiis operam dedit. Cumque percontationibus deditus esset, Ioanni molestus fuit: die igitur quodam cum quaestionem erudiri cupientis proposuisset, iratus Ioannes, quid, inquit Hirensibus cum medicina? Tuum est in compitis minuta vendere,* (erat enim pharmacopolae filius) *iussitque ipsum schola sua expelli. Discess-*

Latine versi extant libri quidam medici editi Basil. 1543. fol. Conf. FABRICIVS l. c. p. 256. Valde incurius est in huius viri historia LINDENIVS L. l. p. 563. qui nec idiomatis quo scripsit, satis gnarus fuit, nec aetatis qua vixit. Eum enim sub Adriano IV. Pont. Max. A. C. 1158. vel Friderico Barbarossa imperatore A. C. 1155. ponit, iuniorem Mesuen cum seniore confundens.

r) De his medicis consulendus FREINDIVS Hist. med. P. II. p. 5. seqq. qui etiam in fine operis adiecit vitam Gabrielis, ex Arabico Latine redditam a SALOMONE NEGRI Damasceno, quae historiam medicorum Arabum valde illustrat, et non fine luce hic consuli potest.

s) Dynast. IX. p. 153.

s) Ex his verbis Cel. LVDEWIGIVS l. c. p. 22. not. h. Collegium exsculpit Logicum, inuito, nisi fallimur textu, disceptare enim Arabibus idem est, ac differere, adeoque recte ab ipso Abulfaraio de omni disciplina arteque, a Ioanne explicata exponitur. Quamuis vix dubitandum sit, quin etiam logicam tetigerit Mesue.

t) loc. cit. p. 171.

Diſceſſit itaque Honain flens, et in Graecorum ditionem ſi recepit, vbi biennio ſubſtitit, donec linguam Graecam perfecte calleret, librisque philoſophicis conquirendis, qua potuit ſedulitate, ſe applicuit. Hactenus Abulfaraius; ex cuius narratione diſcimus, hunc quoque Honain inter parentes philoſophiae inter Arabes naſcentis referendum eſſe [u]: nam alio quoque loco refert, eum ſapientiam Graecorum in linguam Arabum tranſtuliſſe, et Euclidem atque Ptolomaei *Almageſtum* explicuiſſe, vertiſſe etiam Pauli Aeginetae *libros nouem*, et Syriace librum Nicolai *de ſumma philoſophiae* Ariſtotelicae, vt alia paſſim obuia, Hippocratis, Galeni aliorumque taceamus, ab eo cum Arabibus lingua Syriaca et Arabica communicata [x]. Nec dubium eſt quin alii quoque ex diſciplina Meſuae prodierint, qui naſcentia philoſophiae lumina ſuis ſtudiis auxerunt amplificaruntque [y]. Quamuis autem valde dubitet CONRINGIVS [z], vtrum publicam ſcholam inſtituerit Meſue, eo quod Abulfaraius nullam memoret ſcholam publicam ab Al-Mamone inſtitutam, licet in pretio apud illum fuiſſe doctos eiusque cura propagatam e Graecorum ſcriptis philoſophiam theoreticam haud praeterierit ſilentio: fatemur tamen tantum non videri nobis ſilentium hiſtorici, vt dubitandum magnopere ſit, publica auctoritate docuiſſe Meſuen. Dicemus enim in ſequenti §. vbi Al-Mamonis de philoſophia ſtudia atque merita enarrabimus, quantam apud hunc Chalifam auctoritatem nactus fuerit Ioannes Damaſcenus, et quod eum vniuerſae eruditorum ſynagogae, quam magno ſtudio conuocauerat, praefecerit. Vix itaque dubitandum eſt, quin Al-Mamon de propagandis literis, maxime philoſophicis, ſollicitus Ioannem publice docere iuſſerit. Quam opinionem firmat obſeruatio celeberrimi FREINDII [a], monentis, Muhammedanorum eam fuiſſe conſuetudinem, vt vbicunque templum erigerent, illi adiicerent ſcholam publicam; Bagdadi itaque recens excitatae eiusmodi ſcholam quoque fuiſſe, illique praefuiſſe Ioannem, Syriaca lingua, quae vrbi illi vernacula fuit, docentem, recte coniicit. Ita vero cum pulcherrimam eſſe eruditionis, et imprimis philoſophiae, faciem Arabes intelligerent, non potuerunt non eam

 deama-

u) Notandus hic Honain maxime ob verſiones librorum philoſophicorum et medicorum confectas. Cum enim ex Graecia et libris et lingua Graeca auctus Bagdadum, et inde Baſoram veniſſet, Arabicam linguam didicit, reverſusque Bagdadum ſedem ibi fixit, nobilesque inter doctos nomen conſecutus eſt, verſionibus ex Graeco factis, in Syriaca et Arabica lingua. Inde nomen interpretis κατ' ἐξοχήν ei haeſit, Sergio primo interpreti, vt ſupra dictum, non impari habito. Teſte Abi Osbaia, cuius hiſtoria Medicorum Arabum nondum edita, vixit centum annos, ab A. Heg. 164. vsque ad 264. habuit filium Iſaacum et nepotem Hobaish, eadem interpretandi felicitate conſpicuos, et huic familiae praeſtantiores verſiones philoſophorum Graecorum inter Arabes debentur, conf. FREIND l. c. p. 10. Qua ratione Honain Ariſtotelem vertere Al-Mamon iuſſerit, ſeq. §. commodiori loco dicemus.

x) Conf. FABRICIVS l. c. p. 249. Habentur quaedam eius ſcripta in bibliotheca Kraffiana vid. Cel. SCHELHORN. Amoenit. lit. T. III. p. 194, 196. 209. HERBELOT. bibl. Orient. p 49. b.

y) Patet hoc ex teſtimonio Abu Soliman Segiſtanaei apud HOTTINGER. bibl. Orient. L. III. P. II c. 16. p. 217. filios Mongbemi aluiſſe quosdam interpretes, ex quibus Honain f. Iſaac et Honain f. Haſemi et Thabet f. Korra et alii quibus ſingulis menſibus impenderint quaſi 500 denarios pro translatione et ceteris neceſſariis.

z) Antiqq. Acad. ſuppl. XX. p. 250.

a) loc. c. p. 6.

deamare, et vt illa potirentur, omnibus viribus fatagere. Cuius occasionem egregiam nacti sunt cum Alexandriam expugnassent Saraceni, quam sedem fuisse omnis eruditionis et imprimis philosophiae, innumeras quoque complexam fuisse bibliothecas, ex illis repetendum, quae *Tomo secundo* de hoc literarum emporio diximus. Et in ipsa quidem oppugnatione vrbis lethale eruditioni omni vulnus inflixisse Arabes, superstitiosa legis Islamiticae veneratione ductos, ea probant, quae ABVLFARAIVS [b] narrat: *Die quodam dixisse Ioannem Philoponum ad Amrum ducem: circumiuisti tum omnia Alexandriae repositoria, omniaque rerum genera, quae in iis reperiuntur, obsignasti, quod ad illa igitur, quae tibi profutura sunt, nolo tibi contradicere, at quae nullo tibi vsui futura sunt, nobis potius conuenient. Dixit illi Amrus: quid est, quod opus sit tibi? dixit illi: libri philosophici, qui in gazophylaciis regiis reperiuntur. Hoc, inquit, Amrus est, de quo statuere non possum; et de quo ego quid in mandatis dare non possum, nisi post veniam ab imperatore fidelium Omaro Ebno'l Chattah impetratam. Scriptis ergo ad Omarum literis notum ei fecit, quid dixisset Ioannes. Perlataeque sunt ad ipsum ab Omaro literae, in quibus scripsit: quod ad libros, quorum mentionem fecisti: si in illis continetur, quod cum libro Dei* (Corano) *conueniat, in libro Dei est, quod sufficiat absque illis; quod si in iis fuerit, quod libro Dei repugnet, neutiquam est iis nobis opus; iube igitur e medio tolli. Iussit ergo Amrus Ebno'l As dispergi eos per balnea Alexandriae, atque illis calefaciendis comburi. Ita spatio semestri consumti sunt: audi quid factum sit et mirare.* Etsi autem recte inde coniicimus, magnam veterum librorum penuriam, quam hodie respectu habito ad maximas veterum bibliothecas sentimus, ex hac insigni clade suo modo esse deriuandam, dubio tamen carere existimamus, multos codices fauillis subtraxisse priuatorum, quorum manibus ad comburendum tradebantur, curiositatem, ipsamque Ioannis industriam, maxime vero eos, qui de arte salutari naturalique praecipiebant, incendio fuisse ereptos, eo quod sine salutis publicae dispendio ipsi Saraceni iis carere non possent. Alia coniecturae huius argumenta a Cl. FREINDIO [c] adducta breuitatis caussa omittimus. Cum itaque etiam post occupationem vrbis Alexandriae, ibi doctissimi viri habitarent, et imprimis medicinae studium a multis seculis in iatrosophistarum Alexandrinorum schola florens, pristinum honorem suo modo tueretur [d], eo quoque confluxere Arabes, illo praecipue tempore, quo absurdum, quod contra eruditionem et literarum studium lex Islamitica inculcabat, praeiudicium ex animis Arabum sensim eiiceretur. Cum enim ipsi principes, vrbes orientis, quae Christianis paruerant, multas occupassent, conquisitas vbique bibliothecas, non

b) loc. cit. p. 114.
c) loc. cit.
d) Id vel vnum Balatiani patriarchae Alexandrini exemplum supra memoratum probat. Ita Elkananinum medicinae professorem Alexandrinum memorat Aby Osbaya.

non iniſano Omari furore, incendio deleuerunt, ſed congeſtas et Chriſtianis Graeca literatura imbutis cuſtodiendas ſuisque hominibus aperiendas tradiderunt, vt ex ſequentibus conſtabit. Ita vero porta patebat ampliſſima philoſophiae inter Arabes, quos et alia ratio, ad eam amplectendam cogebat. Nempe conſarcinauerant legem Islamiticam, ſiue Alcoranum homines fanatici, a nulla re minus, quam iudicio inſtructi, qui homini impoſtori, nulla prorſus literarum cognitione exculto auxiliatrices manus iunxerant. Qui cum anilibus et futilibus fabulis ex Iudaeorum et haereticorum Orientalium horreis deſumtis compilationem hanc conſtruxiſſent, et vt turbae ex plebe coëunti carnisque cupiditatibus frena laxanti, gratam legem praeſtarent, craſſas ſatis notiones fuiſſent ſecuti, non potuit non irrationalis et miſerabilis Corani facies exiſtere. Quem cum et Chriſtiani oppugnarent, et Iudaei irriderent, et philoſophi ignorantiam et nationis barbariem in eo reſplendeſcentem obiicerent, coacti ſunt ex ipſis Muslemitis viri paulo ſupra plebis ſortem ſapientes ad philoſophiam confugere, et ineptae legi eius patrocinio tolerabiliores ſenſus affingere, quod theologiam Arabum ſcholaſticam peperiſſe, in ſequentibus dicemus. Cumque id nouum malum genuiſſet, diuerſis ex coacta legis interpretatione opinionibus exſurgentibus, quarum patrocinia in ſectarum formam tandem degenerarunt, iisdem praeſidiis ſingulae ſectae vti coactae ſunt quibus extiterunt, nempe philoſophiae vſu [e]. Quam cum libri tandem Graecorum cura principum, praecipue Al-Mamonis, inter Arabes vulgari lingua innoteſcentes parabilem feciſſent, tantum ſubito philoſophiae ſtudium inter Saracenos exarſit, vt non tantum tota Arabia, Syria, Perſia, Aegyptus hac luce colluſtraretur, ſed fugientibus quoque ſeculo Chriſtiano nono et ſequentibus literis et philoſophia ex Occidente graui barbariei nocte preſſo ſepultoque omnis fere earum honor penes Arabes eſſet, et ab iis demum lucis aliquid ad Chriſtianos Europam habitantes remitteretur, de quibus philoſophiae fatis infra accurate diſſeremus. Tandem inualeſcentibus Turcarum armis langueſcere demum coeperunt haec ſtudia, et cum priſtino honore priſtinum etiam vigorem amiſerunt, quod in gente barbara et gladio magis quam libris vtente non eſt mirandum [f].

§. VI. Ex dictis conſtat, philoſophiae inter Arabes cultae vera et aperta initia ad Al-Mamonis tempora referenda eſſe, qui ita ſe ſtatorem literarum omnium, maxime philoſophicarum, praebuit, vt aeternum inde ſibi nomen famamque inter veteres et recentiores comparauerit; idque non immerito [g]. Vt enim natura dotibus eum prorſus ſingularibus exor-

Al-Mamonis de literis et philoſophia merita.

e) Ex inſtituto de ea re dicemus infra, conf. POCOCK. ſpecim. hiſt. Arab. p. 204.

f) Conf. IDEM p. 167.

g) Plenis buccis optimum principem laudant, quotquot ex veteribus et recentioribus res Saracenorum literarias tangunt. Ex illis videndi ELMACINVS L. II. c. 8. p. 139. ABVLFARAIVS Dynaſt. IX. p. 160. ſeq. LEO AFRICANVS l. c. c. I. p. 260. ZONARAS L. III ZACHVTH in Iuchaſin f. 110. col. 2. ex his innumeri et inter eos celeberrimi viri POCOCK. l. c. p. 166. VOSSIVS de ſcient. math. p. 173. CONRING. antiqq.

exornauerat, quibus et imperio praeesse feliciter, et bonis artibus literisque parentem se atque promotorem praebere posset, ita hunc potissimum sibi diuina prouidentia principem delegerat, cuius studio barbariei, quae omnem fere orbem occupare coeperat, obex poneretur, et inter Arabes scientiarum studia excitarentur. Teste enim ELMACINO [h] *fuit omnimode excellens, liberalis, magnae clementiae, et boni regiminis, neque inter Abbasidas quisquam eo fuit vel eruditior vel praestantior.* His itaque et intellectus et voluntatis praesidiis munitus, et rerum suarum circumstantiis inductus regias, quas acceperat, dotes ad iuuandas literas adhibuit. Qua in re liberalitas ei alas quasi animo ad Parnassi culmina aspiranti addidit, et scientias in aula eius clementia promouit. Cuius tanta ei cura erat, vt in ea demonstranda gloriam potissimum quaereret, dicereque soleret: *Si scirent homines, quanta sit dulcedo clementiae apud me, venirent vtique ad me cum peccatis suis, vt veniam darem ipsis* [i]. Qua esca inuitati eruditi, ad aulam eius conuolarunt. Eius vero rei prima fundamenta prouidentia in illo posuit, quod patrem Al-Mamon nactus esset Chalifam Rashidum, quem disciplinis iam fauisse, earundemque promouendarum studio nonnulla feliciter suscepisse in antecedentibus diximus. Cuius laudabile exemplum cum ob oculos versaretur filio sponte sua ad hunc animorum ornatum aspiranti, et naturali quadam inclinatione literis pretium ponenti, calcar inde acerrimum additum est iuueni, vt quod pater coeperat, filius perficeret, et iis se quoque atque prouincias suas ornamentis augeret, quibus et gloriam et felicitatem maxima olim regna assecuta fuisse non ignorabat. Viuo itaque adhuc parente hunc animi sui scopum mature prodidit, circumstantiis regni ita consilium iuuantibus, vt id ad alia literis inimica non reuocaretur. Cuius historiam ita narrant scriptores Arabes ABVLFARAIVS, ELMACINVS [k] et praecipue LEO AFRICANVS [l]. Erat Al-Mamon secundus filius Rashidi, quem cum frater primogenitus Abu Abdalla Almamini, vel quo nomine etiam appellatur scriptoribus Saracenicis, Muhammed Abu Musa ordine natiuitatis in regno praecederet, exigua illi spes supererat regno integro potiundi. Ex patris tamen beneuolentia portionem aliquam accepturus regionibus quas Persia comprehendebat, destinatus princeps est [m]. Se itaque adhuc in viuis superstite pater in pro-

vin-

antiqq. Acad. diss. I. p. 32. HERBELOT. bibl. Or. v. Mamon, RENAVDOT. apud FABRIC. bibl. gr. Vol. I. p. 813. et quae doctissimus HEVMANNVS habet Poecil. T. III. L. I. p. 302. vt alios taceamus.

h) l. c. consentit ABVLFARAIVS l. c.

i) Memorabile clementiae optimo principe dignae exemplum narrat ELMACINVS histor. Sarac. L. II. c. 8. p. 135.

k) ll. cc.

l) De viris illustribus Arabum c. I. p. 260. seq. videndus etiam PAVLVS DIACONVS L. XXIV. p. 339.

m) ELMAC. l. c. 6. p. 115. qui refert, Rashidum ita distribuisse regnum tribus filiis suis, vt Almaminum successorem constituerer, eique daret Iraeam et Syriam, Al-Mamoni concederet, quicquid est ab Hamadanah vsque ad extremum Orientem: Casimo Mutamano daret Mesopotamiam, Tsugouram et Awasimam. Paulo aliter TEXEIRA p. 233. qui videndus. Choroſanam autem plenam diuitiis et hominibus eruditis fuisse ait LEO l. c.

uinciam Chorosanam, quae inter maximas et potentissimas erat, eum ablegauit, vt illi regioni suo praeesset nomine. Quam prouinciam cum nactus esset Al-Mamon, eoque iussu parentis se contulisset, campum ingressus est, in quo animus literarum amans ad optima scientiarum genera exspatiandi occasionem inueniebat. Quamuis enim plerique Arabes parum eo loco tribuerent literis, Rashidi tamen studio effectum erat, vt Christiani multi literis tincti in ea prouincia viuerent, et melioribus Graecorum libris in Syriacam linguam transferendis insudarent, et diuersa disciplinarum genera excolerent. Teste enim LEONE *, cum iam ante istud tempus Ioannes Mesue se Bagdadum contulisset, nouum se inter Christicolas mundum inuenisse sibi visus est, eo quod multos, etiam Muhammedanos quosdam, offendisset liberalibus artibus, praecipue medicinae, philosophiae et astrologiae operam locantes suam. Cum autem ad hoc iter se accinxisset Al-Mamon, praecepit ei frater, vt secum duceret homines eruditionis virtutisque praestantia conspicuos. Quae gratissime audiuisse, et studiose exsecutum fuisse Al-Mamonem, et discendi literasque promouendi, quod fouebat, desiderium euincit, et LEO AFRICANVS porro testatur. Nam vt fratris voluntati cum consiliis suis amice conspiranti fieret satis, rerum suarum curatorem scribamque, (Secretarium voce barbara vocat Leo) iubet vndique conquirere viros doctos et cuique pro eruditionis et studiorum conditione stipendia designare. Quod diligenter exsecutus scriba principis ex diuersarum regionum linguarumque hominibus viros vndique doctos congregat, quorum aliqui Graecis literis studebant, alii Persicis, nonnulli vero Chaldaicis operam dederant. Quam virorum doctorum synagogam cum nec vna lingua nec vnum studium regeret, facile vidit oeconomus, haud diu in vnum eam conspiraturam esse, eo quod moribus, linguis, studiis et religione inter se dissentirent. Dominum itaque monuit, vt vnum cunctis praeficeret, in quo omnium fere disciplinarum genera residerent, quique cunctis regendis sufficeret. Miratus Al-Mamon talem virum inueniri posse, eum consilium, quam posset, maturrime exsequi iussit. Accito itaque, de quo supra diximus, Ioanne Mesueh, qui et notus illi et familiaris erat, principem suum rogat, vt hunc potissimum reliquis ducem praeficeret, habiturum enim illum virum prudentem et circumspectum et sapientem. Quod cum non sine gaudio audiuisset Al-Mamon, eius periculum fecit, inuenitque eum omni scientiarum et eruditionis genere munitissimum. Hinc itaque honore et axiomate aucto itineris commeatum suppeditare, eumque secum in Chorozanam proficisci iubet. Intellexit id Al-Mamonis parens Rashidus, cui magnopere displicuit, quod Christianum in aula filius tolerare, vnde seuere eum increpauit, at responsi loco hoc ab Al-Mamone accepit. Mi pater non animae fideique atque religionis custodem ministrum-

*) loc. cit.

ſtrumque eum mecum duxi, ſed virum eruditum et artibus conſpicuum, quales homines in tuis ditionibus Chriſtianae fidei regulis parere ſatis noſti [o]. Poſt Rashidi mortem ſucceſſit quidem in imperio Al-Maminus, ita tamen, vt illi ſucceſſorem pater Al-Mamonem in teſtamento ſubſtitueret. Nec refragatus Al-Mamon curauit, vt prouincia quam regebat, fratri iureiurando obſtringeretur. At Al-Maminus captata occaſione fratrem ſucceſſorem neglexit, filium Muſam ſibi imperii haeredem exoptans, quod poſt clandeſtina diſſidia inter fratres tandem in apertum bellum erupit, in quo prouincias, quibus praeerat Al-Mamon, ſuas reddidit. Nec diu felicitate ſua gauiſus eſt Al-Maminus, cum enim voluptatibus ſe totum dediſſet, tempusque heluando compotandoque, neglecto imperio, tereret, tandem a militibus incolisque Bagdadi deiectus throno, captus, et interfectus eſt, vt pluribus narrant ſcriptores Saracenicae hiſtoriae ELMACINVS [p], EVTYCHIVS [q] aliique. Magno id euenit artium et ſcientiarum commodo, cum ad ſummam rerum princeps promoueretur, cuius in extollenda eruditione iuuandisque literis ſtudium quam maxime enitebat. Occupauit enim vrbem Bagdadum, in qua iam ante reſediſſe Muſas ſupra narrauimus, poſtquam ſemeſtri eam obſidione tandem expugnaſſet. Ibi pacatis pauliſper imperii rebus ad id cogitationes conuertit, vt Graeca literatura inter ſubditos ſuos innoteſceret. Quamuis enim ex ſupra dictis conſtet, ante Al-Mamonem iam Bagdadi alibique inter Arabes extitiſſe verſiones quasdam Syriacas aliquot librorum veterum Graecorum, Syriaca tamen Arabes nec ſatis intelligebant, nec ſe eis dederant [r], Arabicae autem verſiones tum aut nullae erant, aut librorum tantum quorundam medicorum [s]. Huic itaque fini obtinendo vt de mediis diſpiceret princeps optimus, quibus Graeca, quae Arabes ignorabant, ſuis innoteſcerent, ingentem, teſte LEONE AFRICANO [t], congregauit numerum doctorum diuerſarum linguarum et interrogauit nomina auctorum atque librorum, qui ſcripti erant de diſciplinis artibusque lingua Graeca, Perſica, Chaldaea atque Aegyptiaca, ſiue Coptica [u], adeoque multa eorum nominata ſunt volumina. Tunc miſit ex familiaribus ſuis in Syriam Armeniam et Aegyptum, vt illos libros coëmerent, qui principis iuſſibus obſequentes infinitas ſarcinas conduxerunt et Bagdadum attulerunt. Tunc a viris doctis, quibus id in mandatis dederat, ſegregati boni

o) Id inprimis ab eo tempore factum eſſe probabile eſt, quo Al-Manſor auauus Al-Mamonis per Georgium Bachtishua Indum, medicum Chriſtianum a periculoſiſſimo morbo liberatus erat. Eum enim diuitiis et honoribus cumulatum, Niſaburam, Choroſanae, vrbem, vbi educatus erat, remiſit, eiusque gratia viris ibi doctis vehementer facit, conf. ABVLFARAIVS l. c. p. 143. FREIND. hiſt. medic. P. II. p. 5. ſeq.

p) L. II. c. 7. q) Annal. T. II. p. 415. ſeqq.

r) Conf. RENAVDOT. de verſ. Arab. et Syr. apud FABRIC. Bibl. Graec. Vol. I. p. 814.

s) Prius LEO l. c. tuetur, poſterius viſuſi RENAVDOTIO l. c. et FREINDIO l. c. p. 5. 6.

t) loc. cit.

u) Fauebat Aegyptus eiusmodi verſionibus concinnandis, eo quod in hac prouincia orthodoxorum ſiue Melchitarum (ita dictorum, quod religionem imperatoris ſequerentur) maior erat numerus, quam in Syria et Perſia, vbi Neſtoriani et Semi-Eutychiani praeualebant. Hi autem in liturgiis Coptica lingua vtebantur, illi Graeca, adeoque Graecos libros intelligebant, quorum magnus numerus in Aegypto latebat. Effecit tamen abſentia principum, vt quod facilius facere poſſent, ſegnius exſequerentur.

boni et vtiles, ad medicinam, phyſicam, aſtronomiam muſicam coſmographiam et chronicam ſpectantes, eorumque verſiones curatae ſunt. Graecis itaque transferendis praefecit Ioannem Meſueh, qui illi a ſanitate tuenda erat, quod inter Arabes non eſſent, qui Graecam linguam intelligerent, illique addidit alios viros doctos, qui ſub eius moderamine labori auxiliatrices manus adiungerent, verſionibus vero ex Perſica lingua conficiendis perfecit Mahan filium Meſuach. Diſplicuit id quidem multis, qui aegre ferebant, vni potiſſimum Chriſtiano ſummam rei concredi: at his reſpondit Chalifa: *Cur non illi confiderem, vertenti verba aliorum ad alios, neque ad noſtram neque ad eius fidem pertinentia, cui committo gubernationem corporis mei, in quo habitat ſpiritus et anima.* Hac itaque occaſione multos veterum Graecorum libros, et inter eos Galeni quoque et Ariſtotelis opera in Arabicam linguam traducta eſſe, LEO AFRICANVS [v] teſtatur. Haec vero Ariſtotelis ſcripta hoc loco eo magis notanda ſunt, quia hinc vera origo natalesque philoſophiae Ariſtotelicae, quae inter Arabes ſummo poſtea loco habita eſt, intelligi poſſunt. Nec omittendum hoc loco eſt, quod ſcriptor *vitarum medicorum celebrium*, nondum editus ABI OSBAIA narrat: apparuiſſe Al-Mamoni in ſomnio ſpectrum, ſenis figura, idque profeſſum eſſe, ſe eſſe Ariſtotelem. Expergefactum Chalifam mox interrogaſſe ſuos, quis homo eſſet Ariſtoteles? cui cum reſponderetur: eſſe vnum ex celebratiſſimis Graeciae philoſophis, extemplo ad ſe accerſiri iuſſiſſe Honain, eumque rogaſſe, vt Ariſtotelis ſcripta Arabica faceret, proque ſingulis verſionis voluminibus tantum ei auri numeraſſe, quantum volumen penderet. Repetunt narratiunculam recentiores quidam, et inter hos G. HORNIVS [x] et IO. FREINDIVS [y]. Sed recte ſuboluit continuatori VOSSII *de ſectis* [z], inter fabulas hanc Arabum referendam eſſe, qua poſtmodum ſcholaſtici, cum nullum alium de huius philoſophiae auctoritate praetextum proferre potuiſſent, libenter vſi ſunt. Nobis ad ipſos Arabum philoſophos commenti huius origo referenda eſſe videtur, qui cum religionis praeceptis hoc Ariſtotelis ſtudium contrarium ſenſiſſent, ita improbantium tela eludere conati ſunt. Licet nec a veriſimilitudine haec quoque coniectura abeat, ipſum Al-Mamonem hoc figmento fuiſſe vſum, cum multi hoc eius Graecae literaturae ſtudium improbauiſſent, vt ſupra dictum. Neque vero patronum tantum promotoremque ſcientiarum, ſe praeſtitit Al-Mamon, ſed et ipſe iisdem, quas extollebat et ad florem quendam euehebat, gnauiter operam dedit, ipſe inter philoſophiae et mathematicarum ſcientiarum purpuratos referendus diſcipulos. Qua de re nos dubitare non ſinunt ſcriptorum hiſtoriae Saracenicae teſtimonia, quibus conſtat, ſuperaſſe eum anteceſſores ſuos omnes eruditione, nec vltimam in cognoſcendis philoſophiae et matheſeos myſteriis poſuiſſe operam. Im-

v) loc. cit.
x) Hiſt. philoſ. L. V. c. 9. p. 286.
y) Hiſt. medic. P. II. p. 10.
z) pag. 154.

primis Aſtronomiae regulas accurate didiciſſe Al-Mamonem teſtatur ELMACINVS [a], qui et hoc addit, ventorum ſtationes eum egregie calluiſſe, ſic vt inter peritos huius ſcientiae etiam nunc notus ſit ventus Al-Mamonis. Quibus merito additur, quod ABVLFEDA [b] habet, iuſſiſſe eum mathematicos ſuos in proportionem terrae ad gradus coeli in campis Sinear inquirere. Ita philoſophiae et matheſeos praeſidiis munitus eo felicius et facilius in conuentibus eruditorum, quos in aula eius inſtituebant, eorum colloquiis adeſſe, et attente auſcultare et problemata ipſe proponere varia potuit, animum doctis addens adhortationibus ſuis, vt ſcientiarum incrementa nouis quotidie ſucceſſibus augerent [c]. Quanquam autem, bello Al-Mamoni intercedente cum Romanis [d], hoc literarum ſtudium refrigeſcere paulum videri potuerat, tantum tamen abeſt, vt armorum ſtrepitus Muſarum Saracenicarum otia interpellauerit, vt potius haec ipſa bella cum Chriſtianis nouam Al-Mamoni occaſionem ſubminiſtrauerint, pluribus ſcriptis philoſophorum et mathematicorum Graecorum potiundi. Qua de re omnino memoria digna ſunt, quae habet ZONARAS [e], qui ita ex verſione WOLFII ſcribit: *Cum multos diſcipulos Leo* (philoſophus, poſtea epiſcopus Theſſalonicenſis) *haberet, accidit vt eorum quidam accurate in geometria eruditus, dum in Oriente peregrinatur, a Saracenis captus cuidam inter barbaros illuſtri in ſeruitutem traderetur. Agarenorum porro princeps theoremata philoſophica ſtudioſe audiebat, et praeterea geometricis methodis erat deditus. Cum autem captiui herus auditorium frequentaret, aliquando et ipſe eum comitatus auditis doctoribus qui figuras geometricas delinearant, et triangulum omnis figurae principium eſſe docebant, omnesque figuras ex eo et oriri et in eundem reſolui, et circulum omnium figurarum quae ambitu aequali contineantur, eſſe capaciſſimum, et eius generis alia: rogauit dominum an liceret magiſtros de iis quae docerent percontari? Quod cum ille permiſiſſet, petiit rationes eorum, quae docuiſſent, ſibi declarari. Verum illis quod reſponderent, non habentibus, Agarenorum princeps captiuo accerſito, num ipſe id poſſet? interrogauit. Eum ſe ſcire affirmantem, afferre in medium iuſſit. Captiuus igitur ab initio declarat ſingula, rationibus adductis et cauſſis expoſitis. Auditores verbis eius intellectis theoremata acutius perſpexerunt, quaſi dilatatis ingeniis virumque admirati rogarunt, an Conſtantinopolis alios ſimiles haberet? At ille: Multos, inquit, me praeſtantiores habet, ſed vnum*

a) loc. citat.

b) In Geographia, conf. VOSSIVS de ſcient. mathemat. c. XXXV. §. 3. p. 173. vbi exempla habes, quam ridicule viri docti, ſed hiſtoriae literariae Arabum non ſatis gnari de Al-Mamone errauerint. Obſeruatum autem vni terrae gradui deberi milliaria LVI.

c) ABVLFARAIVS l. c. p. 143.

d) Per Romanos in hiſtoria Saracenica intelligendi ſunt Graeci, eo quod Romanorum imperatori Orientali parerent, vnde Conſtantinopolis quoque Roma noua dicta eſt. Auctorque eſt ABVLFEDA in Geographia, Arabes quoque vicinos populos, qui Bosphoro Thracio, Ponto Euxino, Armeniae parte, monte Amano et mediterraneo mari continentur, Romanos vocare. Conf. IAC. GOLIVS ad ALFERGANI elementa aſtron. p. 16. SCHICKARD. in Taarich p. 16. De bello vero Al-Mamonis cum Romanis vid. ELMACIN. L. II. c. 8. p. 137. e) Hiſt. L. III.

vnum magiſtrum omnium, virum in philoſophicis rationibus incomparabilem. His auditis Agarenorum princeps amore illius magiſtri captus eum et videre et audire deſiderauit, ac literas quibus hortabatur, ad ſe vt veniret, ſuamque ſapientiam ſibi communicaret, captiuo liberaliter ac benigne tractato ad illum perferendas tradit. At Leo veritus ne in crimen veniret, ob miſſas ab hoſte literas epiſtolam Dromi Logothetae tradit, captiuo etiam adducto, qui argumentum eius exponeret. Ex hoc Theophilo (imperatori) *innotuit, et beneficiis affectus publice docere iuſſus eſt.* Dicemus de hoc Leone, haud obſcurum inter philoſophos Sec. IX medio nomen conſecuto infra ſequenti libro, nec hoc iſtis loco Lectorem moramur. Illud vero hic notandum eſt, fuiſſe hunc Agarenorum principem Zonarae memoratum Al-Mamonem, cuius tum ad Leonem tum ad imperatorem Theophilum literas *Collectio ſcriptorum poſt Theophanem* a FRANC. COMBEFISIO edita exhibet. Plura his ſubiungit COELIVS SECVNDVS CVRIO [f], cuius fide illa quoque referemus: „Mamumus Leonis ad ſe aduentu deſperato geometricas aliquot aſtro„nomicasque et aliarum ſcientiarum quaeſtiones ei diſcutiendas mit„tit. Quibus a Leone optime ſolutis, et inſuper ſignis quibusdam ad „futura praedicenda adſcriptis, cum eas Leonis literas legiſſet, ſummo „eius deſiderio ardens fertur exclamaſſe: O beatos illos, qui tua, diui„ne Leo, conſuetudine fruuntur. Inde ſtatim legatos cum donis ad im„peratorem miſit, eique hunc in modum ſcripſit: Statueram, vt can„didum amicum decet, ipſe ad te venire, ſed cum a Deo, cuius ſum„ma eſt poteſtas mihi commiſſum imperium, populusque ſubditus fero„ciſſimus id non concedant, peto, vt Leonem virum philoſophia aliis„que ſcientiis praeſtantem ad me mittas, quo exiguum tempus mecum „degens, ſuae me doctrinae, cuius amore flagro, participem faciat. Ne„que ob religionis et gentis diuerſitatem hoc differas, ſed mecum amice „agas, rogo, quod ſi praeſtiteris, tibi mille auri pondo dabimus, pa„cemque et foedus perenne tecum inibimus. Cui petitioni imperator „ne ſcientiae, quarum cauſſa Romani cunctis gentibus admirationi erant, „barbaris proderentur, non annuit, quin potius Graecus ipſe et Chri„ſtianus, a barbaro impioque homine virtutem colere didicit." Haec Curio, cuius narrationem ex teſtimoniis ſcriptorum Byzantinae hiſtoriae poſt Theophanem examinandam Lectori, ne nimii ſimus, relinquimus, infra de Theophili in Leonem ſtudio et beneuolentia plura dicturi. Neque vero ſic deſtitutus ſcopo ſuo Al-Mamon a propoſito defecit, ſed a ſequentibus imperatoribus pretio precibusque libros Graecorum philoſophorum et mathematicorum impetrauit, quos lingua poſtea Arabica vulgari iuſſit. Qua de re notatu dignus eſt locus ABVLFARAII [g], ita ſcribentis: *Al-Mamon perfecit, quod orſus fuit auus ipſius Al-Manſur, et ſcientiam locis ſuis quaerere aggreſſus, cum*

f) Hiſt. Saracen. L. II.

g) Dynaſt. IX. p. 169.

Romanorum regibus intercedens, petiit ab illis, vt, qui apud ipſos eſſent, libros philoſophicos ad eum mitterent; qui cum ad ipſum, quos habebant, miſiſſent, conquiſitis ille interpretibus peritis eos ipſis accurate vertendos impoſuit, cumque, qua fieri potuit, diligentia conuerſi fuiſſent, homines ad eos legendos incitauit, eorumque perdiſcendorum deſiderium ingeſſit, ipſeque doctis vacare et ipſorum diſputationibus intereſſe ſolitus et eorum diſſertationibus delectari, cum ſciret, doctos eos eſſe, quos ſibi Deus ex creaturis ſuis elegit, et e ſeruis proprios vindicauit. Dolendum tamen inepto gentis linguaeque ſuae amore dictum Al-Mamonem, poſt conditas iſtas verſiones Arabicas, teſte ſcriptore Arabico Geuzi apud LEONEM AFRICANVM [h], προτύπα Graeca comburi iuſſiſſe. Ita enim factum eſt, vt ſolis iſtis verſionibus ſtandum eſſet, quas infeliciter ſatis fuiſſe confectas infra pluribus dicemus: et, cum ſimili modo Saraceni, etiam in Africa, circa libros Graecorum furerent, magna inde codicum Graecorum inopia exorta, qua tot deſideratiſſimis veteris eruditionis theſauris carere nos oportet. Ceterum ob inſignem hanc diligentiam eo magis laudandus Al-Mamon eſt, quo magis totus in id incubuit, vt, cum ſuos artibus tantum mechanicis inſudare intelligeret, eos ad philoſophiam rationisque vſum meliorem atque elegantiorem excitaret. Qua de re ita ABVLFARAIVS [i] Al-Mamonem differentem adducit: *Docti ſunt, quos ſibi Deus e creaturis ſelegit, et e ſeruis proprios vindicauit; vtpote qui ſtudium ſuum adhibuerint ad virtutes animae rationalis acquirendas: abſtinentes ab eo, cui inhiant Sinenſes et Turcae, quique eorum veſtigiis inſiſtunt, vt peritia artium mechanicarum excellant, gloriamque captent ex iis, quae animae iraſcibilis propria ſunt, et potentiis concupiſcibilibus emineant; ſcientes haec bruta cum illis communia habere, immo ipſis in eorum multis praecellere ſiue artificii curioſitate, vt apes ſexangulares cellas, in quibus eſcam ſuam reponant, conficiunt: vel audacia et fortitudine, vt leonem aliasque feras, ad quas non auſit homo accedere, nec ſibi audaciam ipſis parem vendicare velit; ſiue in rerum venerearum appetitu, vt porcum aliaque animalia, quae non opus eſt explicare. Atque hanc ob cauſſam docti tenebrarum lumina ſunt, et generis humani domini, quibus deſtitutus ferus euadit mundus.* Quae quamuis mentem magis quam verba Al-Mamonis referre videantur, recte tamen eius hac in re animum depingunt, et quam ſollicite cauerit, ne Arabes pecudum porro more viuerent, euincunt. His itaque eruditiſſimi Chalifae conſiliis hacque diligentia, et rara in principe, et laudatiſſima, laetiſſima per omne Saracenorum imperium eruditionis et ſcientiarum ſeges effloruit, tantusque hos acceſſit, vt non conderetur templum, cui non ſchola adiiceretur magnifica, in qua artium et philoſophiae praecepta perſonarent. Cuius teſtes fuere Cufa, Baſora, Bagdadum aliaeque vrbes in Arabum regnis celebriores, quae ſcholas eiusmodi alebant.

h) loc. cit. i) p. 160.

alebant. Quae omnia ab ineuntis ſeculi Chriſtiani noni auſpiciis vsque ad annum DCCCXXXIII, quo rebus humanis ereptus eſt Al-Mamon, contigerunt, laudes bonorum omnium commerita, licet ſuperſtitio et barbaries ringeret. Supra enim iam Takiddini cuiusdam bouinam retulimus vocem: *fieri non poſſe, quin Deus certas de Al-Mamone poenas ſumeret, quod ſcientiis philoſophicis introductis Muhammedanorum pietatem interpellauerit.* Id enim mirandum non eſt, cum philoſophiae ope inconditum legis Coranicae opus ſuis coloribus denudatum ipſis Muhammedanis miſerabile, et philoſophiae opera comendum ornandumque eſſe viſum fuerit. Vnde non reiiciendi, qui, externa tantum ſimulatione doctos inter eos viros Coranum recipere ſtatuunt; cum certum ſit, non praeſentius aduerſus ſuperſtitionem remedium eſſe philoſophia [k]. Et hae verae philoſophiae Saracenicae orjgines ſunt, quam ſub Al-Manſore conceptam, geſtatam in vtero ſub Rashido, editam in lucem ſub Al-Mamone eſſe, dicta demonſtrant.

§. VII. Quae inter Arabes eruditionis omnis, et philoſophiae in ſpecie, ſemina ab Al-Mamone ſparſa erant, ea nec ſequentia tempora ſuppreſſerunt, ſed incrementa coepit, et ad maturitatem properauit ſeges iucundiſſima. Tantae enim efficaciae fuit Al-Mamonis exemplum apud Chalifas Saracenorum complures, vt ad eius imitationem laudabili zelo exardeſcerent. Et erant quidem nonnulli, qui quod vel animo erant inertes, vel armorum amore occupati, parum de literis cogitabant; at ſurrexerunt tamen alii, qui intercidere florem eruditionis paſſi non ſunt, ſed augere eum indies et promouere diſciplinarum ſtudia fategerunt. Inter hos principes maxime notandus nonus ex Abbaſidarum familia Chalifa Haron Wacicus, vel Wathekus Billa Abug Iaafar, anno Hegirae CXXVII, C. DCCCXLI, imperio potitus [l]. Is enim teſte ELMACINO [m] *amabat foouit eamque remunerabatur, et in plerisque negotiis ſuis Al-Mamonem imitabatur.* Ad cuius exemplum non elegantiores tantum literas promouit, ſed et philoſophiae atque diſciplinis mathematicis honorem habuit, fouitque liberalitate principe digna philoſophos et mathematicos, praecipue aſtronomos, quorum ſemper magna inter Saracenos fuit exiſtimatio. Produxere eius tempora Al-Haſanum celebrem aſtronomum, cuius librum de *manſionibus lunae* memorat ABVLFARAIVS [n]. Hunc in

Progreſſus philoſophiae Saracenicae.

Principes Saracenorum literaru et philoſophiae promotores.

k) Conferendus hic BAYLE Dict. T. IV. art. TAKEDDIN, p. 815. qui inter Chriſtianos quoque Takeddino ſimiles inueniri docet, id quod etiam indignatur POCOCKIVS ſpecim. hiſt. Arab. p. 166. Et ille quidem recte notat, philoſophiam ſuperſtitioni eiiciendae recte adhiberi, at eam reuelationi interdum obeſſe, acutius quam verius diſputat, et a ſcepticorum quorundam, quibus hoc loco fauet ſuo more Baylius, imbecillitate ad rectum philoſophiae vſum principiorum euidentiam debito gradu modoque ſequentem inepte argumentatur.

l) Conf. HOTTINGER. Hiſt. eccleſ. Sec. IX. Sect. II. p. 652. cui tamen viro accurate docto et in hiſtoria Orientali verſatiſſimo, errores nonnulli h. l. excidere. Nam et falſum eſt, Motawaccelum ante Aharonem Rashidum ponendum eſſe, cum hic multis ante illum annis floruerit: et Agarenorum princeps a Zonara adductus non pro anonymo, ſed pro Al-Mamone habendus, et Leo cum diſcipulo non confundendus erat, ſed veniam damus petimusque viciſſim.

m) L. II. c. 10. p. 146.

n) ABVLFARAIVS p. 258. VOSSIVS de ſcient. ma-

in principum Saracenicorum ſerie excepit frater Giafar Abulfadlus Mutewakkilus Alalla, qui coepta a fratre, nec abſoluta ob imperii breuitatem, perfecit, eruditorum labores adiuuit et remuneratus eſt, et beneuolentiſſimum ſe viris doctis praeſtitit, natura dotibus ad id inſtructus. Teſte enim ELMACINO *) *natura fuit munificus, liberalis, valde benignus, et ſuauiter cum ſuis conuerſans. Cum Chaliſatum ſuſcepiſſet, ſuſtulit tentationem ab hominibus et ordinatus fuit mundus. Floruerunt eius tempore viri excellentes, docti, literati.* Quo loco per doctos philoſophos intelligendos eſſe, ex oppoſito ſatis patet, et ſupra iam monitum. Quae turba eruditorum eo tempore magno numero floreſcens miranda non eſt, cum ex ſchola Meſueh et Honain integra fere agmina virorum eruditorum prodierint, qui Graecanicam philoſophiam et medicinam ab his magiſtris didicerunt. Supra enim iam notatum, et ipſum Honainum et filios Dauidem atque Iſaacum non docendo tantum, ſed et vertendo et interpretando ſcripta Graecorum philoſophorum et medicorum, philoſophiae ſtudia inter Arabes propagauiſſe. Maxime vero, qui vſque ad hunc Chalifam vixit, Honainus notari meretur, ob verſionem ſcriptorum Hippocratis Arabicam. Licet enim a Sergio iam confecta eiusmodi extaret verſio, Syriaca lingua ſcripta, parum tamen illa cum eruditis probaretur, eorum ſuaſu nouam et meliorem Honainus ſuſcepit. De qua re ita luculenter cuncta complexus eſt doctiſſimus RENAVDOTIVS **p**: *Si ſcriptorum Orientalium teſtimonio ſtamus, probabile eſt primis Al-Manſoris et Al-Mamonis temporibus Hippocratem Arabice redditum fuiſſe, ſed omnibus reliquis translationibus obſtruxit praelataque eſt verſio compoſita ab Honaino filio Iſaaci, cuius magna fuit ſub Chalifa Elmotavvakelio auctoritas. Is imperio praeeſſe coepit anno Heg. CCXXXII, C. DCCCXLVII, defunctus anno Heg. CCXLVII, C. DCCCLXI, Honainus vero diſcipulus fuit Ioannis filii Maſoviae, qui vulgo Meſue dicitur, atque vt hiſtorici referunt, auctores Graecos transferendos in ſe ſuſcepit, quod translationes Sergii eſſent valde imperfectae naeuisque ſcatentes. Tum Gabriel filius Boctiechuae medicus et ipſe celebris ad hoc eum laboris exhortatus eſt, quo fuit tanto cum ſucceſſu defunctus, vt verſio eius omnes alias longe poſt ſe reliquerit.* Plura addit hanc in rem vir praeſtantiſſimus, apud ipſum legenda. Al-Motawakeli itaque temporibus poſt Al-Mamonis aetatem pleraeque verſiones Graecorum philoſophorum mathematicorum et medicorum Arabicae debentur, ex quibus Latinae et Hebraicae poſtea confectae ſunt. Praeter Honainum huius principis aetate floruit etiam Alkendi, quem Alchindum Occidentales nominant, magnae famae philoſophus, de quo tamen infra prolixe

mathemat. c. XXXIV. §. 15. p. 176. qui vero, et eo duce HOFFMANNVS in Lexico, aliique nimis eum aetate deprimunt in Sec. XI. collocantes. Dictus eſt Muhammedanorum Euclides.

*) L. II. c. II. p. 153.

p) l. c. apud FABRIC. Bibl. Graec. Vol. I. p. 814. Conferendus cum eo FREINDIVS hiſt. medic. P. II. p. 10. ſeqq. conf. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 138. ex his ſupplendus HVETIVS de claris interpretibus c. II. p. m. 201. qui hanc Hippocratis verſionem omiſit.

lixe et ex inſtituto dicemus, videndus autem, qui eum in compendio laudat ABVLFARAIVS [q], qui et hoc narrat, paulo poſt Alkendii tempora Arabum quendam Chriſtianae religioni addictum, nomine Koſtam philoſophiam, quam a Chriſtianis didicerat, in Syria profeſſum fuiſſe, tumque Eraki conſediſſe, et philoſophiam verſionibus ſuis iuuiſſe; quo doctore Graecanica philoſophia inter Arabes haud parum promota eſt [r]. Nec infeliciora literae fata ſub Saracenis habuere ſeculo Chriſtiano decimo. Cuius initio rebus Arabum praefuit decimus octauus ex Abbaſidarum familia Chalifa Iaafar Abulfadlus Murtadirus Billa, quem viros eruditos honoraſſe et promouiſſe cum ipſe eruditus eſſet, hiſtorici referunt. Teſte enim ELMACINO [s]: *Poëta fuit eximius, atque eloquens, auctor ſimilitudinum quas ipſe excogitauit, quarumque nemo ante eum exemplum edidit.* At poëſeos rationem habebant eo tempore Arabes, non ſolum ob carminis elegantiam, cui a primis fere temporibus erant addictiſſimi, ſed ob morum quoque praecepta, quae in iis repandebantur. Vnde ex Saracenorum conſuetudine poëtae horum temporum ſuo quoque iure ad philoſophorum ſubſellia reuocandi ſunt, eo quod plerique de moribus fuerint philoſophati. Medio vero ſeculo iſto vigeſimus Abbaſidarum Chalifa Ahmed Abul Abbas Arradis Billa talem ſe eruditis praebuit, qualem eſſe Al-Mamonis ſucceſſorem decebat. Teſte enim ELMACINO [t] *munificus fuit, et liberalis, eruditus et poëta magnae eloquentiae, et gaudens conuerſatione et praeſentia eruditorum, ac multis virtutibus praeditus.* Talis cum princeps eſſet, non defuere, viri ſub eo docti, et praecipue philoſophi, qui indefeſſa induſtria philoſophiam excolebant, eamque publice docebant. Inter eos fuit Matthaeus filius Yunesi, de quo ABVLFARAIVS [u] narrat: *Poſtquam in academiis Aſiaticis ſtudiorum cauſſa fuiſſet verſatus, inter Arabes eum conſediſſe, et artis logicae peritum, ſcholas dialecticas habuiſſe, eamque artem explicuiſſe, ſaepius eundem ſermonem repetentem, cum ipſi propoſitum eſſet docere, et, vt intelligeretur, efficere.* Paulo poſt inter principes Saracenicos magno literis ornamento et patrocinio fuit Saifuddaula, cuius integritatem, benignitatem, munificentiam, eruditionem, et beneuolentiam viris doctis, imprimis poëtis et philoſophis, praeſtitam magnis laudibus ſcriptores hiſtoriae Saracenicae extollunt. Ex quibus ELMACINVS [x] ita de illo: *Rex fuit ſtrenuus, reuerendus, eruditus, valde iuſtus et beneficus, ac religioni addictiſſimus. Eratque habitaculum eius ſynagoga virorum doctorum, et aula domicilium liberalitatis, et receptaculum eruditorum,* (i. e. philoſophorum) *ac poëtarum nec quisquam ab aula eius receſſit, quin benignitatem eius laudauit.*

q) Dyn. IX. p. 179.
r) Dicemus de eo infra §. 28.
s) L. II. c. 19. p. 186.
t) Lib. III. cap. 1. pag. 207.
u) pag. 200.
x) Lib. III. cap. 4. pag. 225.

laudauerit. Erant autem in aula eius multi poëtae, et inter alios quoque Mutenabbis, qui in Diuano suo septem de eo habet carmina, item Abusarhus Alvvavvas et Chalidaeus, ac Abulfarhus Albagas multique alii: quin et ipse quoque bonos fecit versus. Non autem solos poëtas nutriuit principis huius clementia, sed philosophos quoque fouit ex Mesuachi et Honaini schola prodeuntes, inter quos celeberrimum tunc nomen consecuti sunt Alfarabius, Afrihi aliique [y] infra plenius describendi. Diuisum iam tum erat Saracenorum imperium in diuersos Chalifatus siue principatus et orientalibus quidem Saracenis, Asiam incolentibus imperabat Aleppi Saifuddaula, Africanis in Aegypto degentibus Cafurus Achsiidaeus, qui reliquorum aemulatione accensus, non remissiorem se in fouendis philosophis et eruditis quibuscunque, praecipue poëtis, praestitit. Teste enim ELMACINO [z]: *Vocauit in aulam suam viros quosque doctos, et insignes ac poëtas et inter ceteros Mutenabbin.* Iisdem vestigiis institit exspirante seculo Christiano decimo et exordiente vndecimo, vigesimus septimus Abbasidarum Chalifa Abdalla Abucasimus Murtadis Billa, quem non religionis tantum peritum fuisse, et studiosum doctorum virorum, sed et pium et proborum amatorem, strenuum, benignum, et egregios etiam versus componentem, testis est ELMACINVS [a]. Nec aliter se gessit filius eius Ahmed Abbul Abbas Mustadir Billa, quem simili modo viros eruditos dilexisse, et disertum lingua fuisse, ELMACINVS [b] scribit. His moribus cum per tria fere secula essent Saracenorum principes mirum non est, diuiso in diuersos principatus Saracenorum imperio Chalifas etiam reliquos his vestigiis incessisse, qua de re passim agit Elmacinus in his annotandis satis curiosus, cuius loca laudat statumque literarium sub hac gente paucis delineat Io. HENRICVS HOTTINGERVS [c], qui videndus. Nec cessauit inter Saracenos eruditionis gloria, sed philosophiae quoque honor suus constitit, donec ad finem properante seculo decimo quarto Christiano Timur ille famosissimus, quem plerique Tamerlanem appellant, innumerabili copiarum aceruo totum fere Orientem hostiliter inuaderet, et torrentis instar, bello, rapinis, caedibus, flamma cuncta inundaret, sub quo armorum strepitu tristissimae Orientalium Musae conticescebant, vel de securiori nido dispiciebant, non ad Persas tantum, sed ad Tartaros quoque Scythasue aufugientes. Persarum enim gens, literis semper dedita, ne tunc quidem maiorum vestigia deseruerat, et tum elegantiora historiae ac poëseos, tum seueriora philosophiae moralis et astronomiae studia coluerat. Illius exemplum esse potest Chondemiri, historici Persae, *historia vniuersalis* nondum edita; poëseos nobilissimum illud *rosarium persicum* cuius infra dabimus epitomen; astronomiae specimen exhi-

Philosophia inter alias Asiae gentes culta.

y) ABVLFARAIVS p. 208.
z) p. 226.
a) L. III. c. 8. p. 289.
b) c. 9. p. 297.
c) Hist. eccl. Sec. IX. p. 653. seq. Sec. X. p. 111. Sec. XI. p. 459. Sec. XII. p. 892.

exhibet ſcriptum aſtronomicum *Shhaeh Cholgii* a Io. GRAVIO editum. Neque obſtitiſſe Scytharum ferociam, quo minus philoſophiae et matheſi operam darent, Olog Beigi principis Tattarorum, Timurisque nepotis exemplum, *tabulae*que eius *geographicae* a laudato GRAVIO editae luculenter demonſtrant. Multum vero ad decrementa literarum contulere arma Turcarum, quae Saracenorum imperium euerterunt, priſtinamque reuocauerunt barbariem; licet recentioribus temporibus ex his tenebris prodire et ipſi auſi fuerint, de qua re vero hoc loco nihil dicendum, vbi Saracenorum hiſtoriam philoſophicam ſcribimus. Ex hoc breui hiſtoriae philoſophicae inter Saracenos cultae compendio manifeſtum eſt, ab Al-Manſoris aeuo, maxime vero ab Al-Mamonis tempore, honorem literis omnibus, et philoſophiae quoque fuiſſe habitum, nec defuiſſe, qui barbarici ſe opponerent. Sed et publicae eruditionis ſedes ſcholaeque non defuere Arabibus Aſiam incolentibus, in quibus mathematicae et philoſophicae ſcientiae iuuenibus tradebantur. Et naſcentibus quidem inter Arabes literis et philoſophia priuatas magis quam publicas ſcholas habuiſſe viros doctos, vix dubitandum eſt, cum nondum locum certum ſedemque fixam accepiſſet eruditio, licet paſſim conſediſſent viri eruditi, qui iuuentutem docebant. Quod imprimis Chriſtianos feciſſe Graecae literaturae gnaros, eosque ex ſcholis ſuis Muhammedanae fidei alumnos non excluſiſſe, Meſuehi et Honaini exemplo ſupra memorato conſtat. Sed principibus Arabum in ſtudiorum patrocinium conſpirantibus, omnino credibile eſt, ſurrexiſſe quoque ſcholas et collegia publica, et praecipue Al-Mamonem, qui eruditorum et philoſophorum ſocietatem in aula fouebat, eiusmodi collegia in praecipuis imperii ſui vrbibus excitauiſſe. Certe Baſorae eiusmodi doctorum virorum collegium floruiſſe, quod Zaid Ebn Kaphaa offendit cum illuc appelleret, teſtis eſt ABVLFARAIUS [d], ſcribens: *Diu is Baſorae ſubſtitit, vbi quosdam reperit in variis ſcientiis doctos, quibus ſe adiunxit, atque operam collocauit. Coetus iſti ſocietatem inter ſe conſtantes ac ſincera amicitia coniuncti, in ſanctitatis, puritatis ac ſinceritatis ſtudio coaluerunt, atque inter ſe ſectam conſtituerunt, quo viam ad conſequendam Dei beneuolentiam propinquam ſe reddidiſſe autumant, dicentes religionem Islamiticam pollutam eſſe, et mixtam erroribus, nec ablui et mundari poſſe, niſi philoſophiae ope* [e]. Sed in aliis quoque vrbibus eiusmodi ſcholas doctorumque collegia fuiſſe, facile euinci ex ſcriptoribus Saracenicis poteſt. Bocharae enim, Tartariae quidem vrbe, ſed in confiniis Perſiae ſita, ſcholam fuiſſe, in qua in literis enutritus eſt Auicenna, teſtis eſt ABVLFARAIVS [f]; qui et de Yunesio ſupra dicto, quem dialecticae laude excelluiſſe ſcripſerat, addit, eum ex incolis Dirkanae fuiſſe, ibique educatum in ſchola Mar Mari [g]. Vt taceamus

Scholae Saracenicae in Oriente.

F 2 Chri-

d) Dyn. IX. p. 217.
e) Valde illuſtrat hic locus ea, quae in fine §. praec. diximus.
f) p. 239.
g) p. 200.

Chriſtianos Libani montis incolas, quos ex ſupra dictis notum eſt artium et ſcientiarum ſcholas habuiſſe, et prodiiſſe ex illis viros philoſophiae quoque laude inclytos. Celeberrima tamen Muſarum ſedes atque literarum emporium fuit Bagdadum, quam ſibi ſedem regiamque Chalifae Saracenorum elegerant. Supra enim iam demonſtratum, in ea vrbe ab initio imperii Abbaſidarum Chriſtianos literas docuiſſe, et philoſophiae quoque et voce et ſcriptis promouendae operam dediſſe; ſed et Al-Mamonem, occupata vrbe, florentiſſimam ibi eruditionem reddidiſſe, et conduxiſſe vndique viros doctos, qui philoſophiam et diſciplinas mathematicas docerent. Id quod eo ſatis functo itidem factum eſt. Seculo enim Chriſtiano decimo medio Bagdadi docuiſſe Iaballat Al-Moſtaufi, et logicam, phyſicam, metaphyſicam, politicam iunioribus tradidiſſe, idque etiam feciſſe Afrihi Ebn Adda verſatiſſimum dialecticum ABVLFARAIVS [h] teſtatur. Et ex hac quoque ſchola tanquam ex equo Troiano prodiere philoſophi magni inter Arabes nominis, Abulheiſin, Eſſophi, Abulhuſen Ibnu Telmid, Alfarabius, Raſi, Bachillani, Meſuach, ſiue Ioannes Damaſcenus iunior, Gazzali aliique, quorum aliqui in ea quoque vrbe docuerunt, vt in eorum vitis narrat LEO AFRICANVS [i]. Quo etiam auctore [k] nouimus, ſeculi duodecimi initium huic demum loco academiae famam et celebritatem comparauiſſe. Tum enim condidit Vezirius prouinciae praeſes (Vice-Cancellarium et Conſiliarium maiorem vocat Leonis interpres voce barbara) pulcherrimum collegium Bagdadi, in quod ducenta fere millia ducatorum expenderat, idque poſſeſſionibus fundisque ditauit, et doti illi eos dedit, quorum reditus et prouentus quindecim millium ducatorum ſummam aequabant. Ita conſtituta academia, ſex circiter millia hominum doctiſſimorum, (ſtudioſorum ſine dubio et diſcipulorum) congregati ſunt, ad quos erudiendos ſingularum artium et ſcientiarum profeſſores conſtituit, qui eas iuuentuti praelegerent. Interque eos fuit Algazelius celeberrimus Saracenorum philoſophus, magno ſtipendio ad ſubeundum in hac academia doctoris publici munus conductus, vt infra in eius vita narrabimus. Sed et hoc, auctore Leone, diſcimus, tantam eius academiae, profeſſorumque auctoritatem et exiſtimationem fuiſſe, vt non tantum iuuenes vndique confluerent, et diuites quoque atque nobiles ad philoſophiam diſcendam properarent, ſed et ipſe prouinciae praeſes haud raro lectionibus profeſſorum, maxime Algazelii, intereſſet; ſicque gloriam et honorem philoſophorum quam maxime creuiſſe. Ex hac ſchola cum innumerus diſcipulorum aceruus exiret, qui abſoluto ſtudiorum ſtadio per omnis fere orientis prouincias diſperſi ſunt, facile inde colligi poteſt, latiſſime in iis locis philoſophiam pomoeria ſua extendiſſe, nec mirum videri debet, literas elegantiores et philoſophiam ex Chriſtianorum regionibus extorrem nidum atque aſylum inter

h) p. 208. 209. i) De viris illuſtribus Arabum. k) c. 12. p. 274.

inter Saracenos inueniſſe laetiſſimeque in Aſia fuiſſe propagatam. Quod ſi melioribus et propitioribus factum eſſet ſeculis, quibus purior et elegantior philoſophiae habitus enituerat, dubium non eſt, quin optimo atque feliciſſimo philoſophiae fato eueniſſet: at cum iis potiſſimum temporibus acciderit, quibus inter Graecos tantum non collapſa penitus erant literarum ſtudia, et vix caput paulum extollere iterum audebant, ſolus etiam Ariſtoteles dux a Saracenis in philoſophia deligeretur, multum hoc obfuit incrementis philoſophiae, ex hac gentis circa illam induſtria certo alias euentu prodituris. Egregie tamen factum ab orientis his incolis, quod omnibus vnius prouinciae ſcholis virum quendam egregie doctum praefecerint, qui eas regeret. Certe Naſiroddinum Tuſenſem, celeberrimum philoſophum, cuius infra pleniorem dabimus notitiam, omnes, quae ſub Mogulenſium imperio fuerant ſcholas, earumque reditus ſub arbitrio ſuo habuiſſe, teſtis eſt ABVLFARAIVS [l]. Plura quae hanc philoſophiae Saracenicae hiſtoriam illuſtrabunt infra adducemus, vitas praeſtantiſſimorum philoſophorum Arabum enarraturi.

Fata philoſophiae inter Arabes Occidentales.

§. VIII. Haec inter Arabes in Aſia potiſſimum geſta ſunt, qui cum, imperante Chalifa Achmed Abulabbas Mutadino Allala in multas factiones diſcinderentur [m], factum tandem eſt, vt noui principes ſurgerent, et imperium, quod hactenus vni paruerat, in partes diuideretur. Eo itaque tempore anno Hegirae DCCCLXXVII, Aegyptus ab Aſiatico principatu auulſa, et a Muhammed Ebn Tolun nouum in his Africae partibus imperium conditum eſt [n], quod a diuerſis familiis gubernatum, inter quas Saladina [o] emicuit, tandem a Mameluchis occupatum et priſtinis poſſeſſoribus ereptum eſt. Quanquam autem variis mutationibus et viciſſitudinibus Aegypti principatus erat obnoxius, quae ex Saracenica hiſtoria aliunde repetendae ſunt, id quod alias funeſtum plerumque philoſophiae fuiſſe, eius hiſtoria loquitur; raro tamen exemplo detrimentum literae et philoſophia inter Saracenos Aegypti dominos paſſae non ſunt, ſed et aſylum et patrocinium inuenerunt exoptatiſſimum. Nam et Alexandriae et Alcairi a Saracenis gymnaſia excitata fuiſſe conſtat, in quibus philoſophia et humanitatis diſciplinae perſonarent. Vidit eiusmodi gymnaſium BENIAMIN TVDELENSIS [p], cuius haec narratio eſt. *Extra vrbem Ariſtotelis, praeceptoris Alexandri, ſchola eſt: vbi pulchra et magna ſtructura, marmoreis columnis inter ſcholas collocatis. Nam viginti ferme ſcholae viſuntur, quia eo ex toto mundo confluebant, quo Ariſtotelis philoſophiam addiſcerent.* Succinit his LEO AFRI-

l) pag. 358.

m) ELMACIN. L. II. c. 16. p. 166. ſeqq.

n) EVTYCHIVS Annal. T. II. p. 471. is circa haec tempora natus eſt.

o) Vid. vita Saladini a Cel. ABR. SCHVLTENS, cui plurimum debet Orientis literatura, edita.

p) In itinerario p. 121. Videtur autem Iudaeus in abſurda opinione fuiſſe, ipſi Ariſtoteli hoc gymnaſium exſtruxiſſe Alexandrum M.

CANVS [q], teſtatus, *multa Al-Cairi quoque admirandi operis acroateria paſſim reperiri, interque ea vnum, a Sultano Gaurio exſtructum, illo, quocum, a Selymo Turcarum imperatore deuicto concidit in Aegypto Mameluchorum imperium. In ſuburbio Betzuaila item eſſe celebre collegium Heſen Sultani, concamerationum altitudine, moeniumque vaſtitate adeo memorandum, vt rebellibus arcem praebuerit: porro in ſuburbio Beb Elloch videri collegium memorandi operis, Mameluchi Iazbach, cuiusdam Sultani conſiliarii, a quo locus Iazbachium aedificium appelletur: Bulacum poſtremo ſuburbium pulcherrimis ſtudioſorum collegiis refertum eſſe.* Haec Leo, quae ex illo repetit CONRINGIVS [r]. Ex his vero aedificiis ſplendidis recte colligitur, nec ſumtibus peperciſſe, nec fauore defuiſſe Aegypti principes literis et philoſophiae, cum regias fere opes ad eiusmodi aedificia conſtruenda adhiberent: nec defuiſſe ſplendidis gymnaſiis profeſſores ſtipendiis ampliſſimis nutritos, diſcipulosque ad capaciſſimas iſtas literarum palaeſtras eruditionis et philoſophiae addiſcendae cauſſa conuolaſſe. Fatendum tamen Turcarum oſcitantia, armis et mechanicis operis magis tribuentium, quam ſcientiis, eueniſſe, vt valde haec literarum et philoſophiae ſtudia in Aegypto refriguerint. Sane idem LEO AFRICANVS [s], de Al-Cairi incolis haec ſcripta reliquit: *Mercaturae ac mechanicis artibus dant operam, non tamen loco natali excedunt. Plurimum ſtudio legum incumbunt, artium paucisſimi. Quamuis collegia perpetuo ſtudioſis referta ſint, exigui tamen ad frugem perueniunt.* Id quod confirmat PROSPERI ALPINI, qui per aliquot annos Al-Cairi vixit, teſtimonium, qui quo loco philoſophiae et medicinae ſtudium apud Aegyptios ſuo tempore fuerit, luculenter deſcribit: cuius tamen verba, ne Lectorem moremur, in fine paginae tantum adiicimus [t]. Dilatarunt fimbrias imperii ſui Saraceni ſub Chalifa Walido in Africa [u], anno Hegirae XCV, et Barbariam, Mauritaniam, Cyrenen, Marmaricam aliasque regiones ad maris mediterranei ora ſitas

q) In hiſt. Africae L. VIII. p. 267.
r) Antiqq. Acad. diſſ. I. p. 34.
s) l. c. p. 272.
t) De medicina Aegyptiorum L. I. c. 1. „Ac „primum dico, Cayri aliisque in locis Aegypti „plurimos tum viros tum mulieres reperiri, qui „publice per vrbem medicinam faciunt, non ta„men vllos exiſtere, qui hanc artem aliqua ra„tione atque Hippocratice faciant: quando ibi „nunc non literis ſed armis opera ab his popu„lis detur. Neque id quidem mirum, cum „Turcarum imperio ea gens ſubiecta ſit, qui „nullis ſcientiarum ſtudiis delectantur: armis „tantum auro argentoque et Veneri indulgentes. „Deeſt illis ſtudiorum exercitatio, quanquam „publicas ſcholas, ſiue ſtudia ipſi habeant, in „quibus varia ſcientiarum genera docentur. „Cayri ſtudii locum Gemelhazaz appellant, „pro quo trecenta millia aureorum anno quoli„bet diſſipari aiunt. Siquidem ibi totius acade„miae ſumtus ad libros, ad victum, et ad reli„qua doctoribus et ſcholaribus neceſſaria quot„annis aere publico ſuppeditantur. Ex omnibus „vero ſcientiis et artibus, quae ibi docentur, „ea pars theologica ſola apud ipſos colitur, „quae pſeudoprophetae Mohammedis leges inſti„tutionesque pertractat: multi ſiquidem prope„modumque infiniti ſunt, qui honoris atque vti„litatis gratia in eiusmodi ſcientiam incumbunt „. - - In aliis vero artibus atque ſcientiis per„pauci ſunt, qui perfecti fieri ſtudeant, omnium„que minime in arte medica etc.

u) ELMACIN. hiſt. Sarac. L. I. c. 13. p. 72. RODERICVS TOLETANVS in hiſt. Arab. c. 9. ſeqq. p. 8 addita Elmacini editioni Erpenianae, LEO AFRICANVS l. c. MARIANA hiſt. Hiſp. L. VII. c. 5. et alii.

ſitas occupauerunt, inde Arabes Muſtehgemi dicti, id eſt barbari et Mogrebimi, Occidentales, vt ſupra obſeruatum. Ex Africa in Hiſpaniam transfretantes, hanc quoque regionem totam bellis repleuerunt, vique gladii fecerunt ſuam [x]. Et initio quidem, cum his terris partim Bagdadenſium, partim Aegyptiorum duces, partim alii duo Chalifae, qui defecerant, Caruanenſis ſcilicet et Feſſanus imperarent [y], parum literarum ibi diſſeminatum fuiſſe, ſilentium ſcriptorum ſatis euincit. Aſt cum noua Luntuniorum inter Saracenos gens exoriretur, quae auctore Abul Taxif prius imperium circa A. C. clo LI deleuit, eaque breui temporis ſpatio ita imperii fines prorogaret, vt vtramque Mauritaniam, Tingitanam ac Caeſarienſem complecteretur, Barbariamque his et Tunetanum regnum, quin et Baeticam integram aliasque Hiſpaniae regiones adiiceret, meliora quoque in his regionibus barbariei ſqualore obſitis illuxerunt literis tempora. Nec mutationem magnopere paſſus eſt ſtatus literarius inter Saracenos Africae incolas cum Almuachedini ſeu Almohadi pontifices deuictis Luntuniis rebus potirentur, medio ſeculo Chriſtiano duodecimo Marocci aula conſtituta. Et quamuis hoc quoque regnum ſeculo ſequente concideret, et tria alia pareret, Feſſanum, Telenſinum et Tunetanum, quorum viciſſitudines et fata noſtris quoque temporibus celebrata ſunt, manſit tamen, ſi ſcriptoribus hiſtoriae Africanae credendum literis inter Mauros honos. Maxime vero id factum ſub tertio Mauritaniae rege, ex Almuachindinorum gente Iacobo Manſure, qui literis magnopere fauebat [z]. Eius enim temporibus debemus Auerroëm aliosque magni nominis philoſophos, qui in Africa et Hiſpania nomen extuleruntſuum, cum eo tempore longe lateque in Occidente inter Chriſtianos regnaret barbaries, vt infra ſequente libro narrabimus. Et ſeculo quidem Chriſtiano nono, quo primum fere arma Saracenorum in his terris inualeſcere coeperunt, irreparabilem literae iacturam fecerunt, libris Graecorum tantum non omnibus, quos Vandalici furores reliquerant, crematis, et abolitis, cum ferro ignique vbique gens bellicoſa, et eo tempore ſolis armis vacans, graſſaretur: quod eo maiori damno euenit, cum pauciſſimi ex his codicibus Latina ciuitate eſſent donati. Reparauere tamen hanc iacturam ſequentia tempora, Orientalium Saracenorum exemplo incitata, quorum verſiones librorum optimorum, ab Al-Mamonis tempore ad hoc ſeculum confectas nacti Arabes, cateruatim ex Orientis regionibus congregauerunt, et ſplendidas inde extruxerunt bibliothecas, quarum vsque ad recentiora tempora haud obſcura remanſerunt veſtigia. Teſtes volumus bibliothecam Feſſanam et Larrachaham, qua Africae vrbe occupata ingens

x) Rodericvs Tolet. l. c. c. XII. pag. 11. has regiones a Saracenis in Africa occupatas recenſet: Aegyptum, vbi metropolis Alexandria Aethiopiam, vbi Nadauer, Africam, vbi Carthago, Hiſpaniam, vbi Toletum, Siciliam, vbi Panormum. Addit his partem Calabriae, Apuliae et prouincias quasdam Gallicas. Conferendus cum his Conringivs l. c. differt. I. p. 36. Suppl. XXII. p. 255. ſeqq.

y) Leo l. c. p. 16.

z) Idem de viris illuſtribus Arabiae cap. 20. pag. 283.

ingens inde librorum Arabicorum ad Gallos copia translata eſt, qui cum Arabicam linguam eo tempore non intelligerent, coëmtis quibusdam voluminibus, potiſſimam eorum partem in Hiſpaniam remiſerunt, ex quibus poſtea Philippus II. Scorialenſem bibliothecam auxit, qua de re videndi, qui libros manu ſcriptos celeberrimae bibliothecae enumerarunt [a]. Nec hoc ſolum ad figendam in Africa eruditioni, praecipue, philoſophicae, ſedem ab Arabibus tentatum eſt, ſed excitata quoque gymnaſia atque collegia, ſplendidis aedificiis, prouentibus vberrimis, et docentium eruditione ſuperbientia. Qualem academiam fuiſſe Marocci teſtis αὐτόπτης eſt LEO AFRICANVS, qui eam his verbis deſcribit [b]: *Habet et haec arx regia nobiliſſimum quoddam collegium, cui triginta inſunt aulae. Huius medio viſendae amplitudinis quaedam eſt, in qua publice maximoque apparatu praelegere ſolebant, dum adhuc apud illos literaria floreret reſpublica. Qui in hoc collegium recipiebantur, his dabatur victus atque veſtitus. Profeſſorum alius centum, alius ducentos quotannis pro lectionis qualitate aureos accipiebat, neque quemquam praelectioni admittebant, qui non exactiſſime calleret, quae ad eam artem, quam profitebatur, pertinere putabant. Locus ornatiſſimus parietes habet opere vermiculato elegantiſſimos, eaque praeſertim aula, in qua publice ſemper praelegere ſolent. Omnes porticus, omnesque adeo conuexitates ex lapide depicto vitreoque compoſitae ſunt, apud illos Ezzuleia dici ſolet, cuiusmodi adhuc apud Hiſpanos in vſu eſt. Huius ſtructurae medio egregius limpidusque admodum eſt fons, cuius murus ex marmore candido atque elaborato. Audiui frequentem quondam hic fuiſſe diſcipulorum numerum.* Eodem auctore nouimus, apud Feſſanos eadem beneuolentiae et magnificentiae erga literas ſpecimina eo tempore extitiſſe. Adiiciemus integrum LEONIS [c] locum, licet longiuſculum, eo quod multa contineat, hiſtoriam literariam Maurorum, qua et philoſophica comprehenditur, valde illuſtrantia. Ita vero ille: *Sunt in hac vrbe duo celeberrima collegia, multis aedificiis multoque opere muſſuo elegantiſſima, horum omnes trabes inciſae, parietes tum marmorei, tum cretacei. Sunt, quae centum habent muſeola, ſunt quae plura, ſunt quae pauciora. Omnia autem a diuerſis regibus, qui ex Marinis oriundi erant, condita ſunt. Atque horum quoddam eſt amplitudine et elegantia admirandum viſuque digniſſimum, quod a quodam rege conditum eſt, quem illi Habu Henu vocabant. Heic egregium quendam fontem marmoreum reperias, cuius vas duas cupas continet. Praeterfluit quoque in hoc collegio riuulus intra canalem nitidum atque elegantiſſimum, cuius margines marmore et maiorica elegantiſſimae ſunt conſtructae. Tria item hic viſuntur deambulacra tecta, miro artificio ac*

a) Nominat eos STRVVIVS introd. in hiſt. lit. c. 3. p. 84. conf. HOTTINGER. ſmegma Orient. L. III. P. II. p. 1. et ad calcem bibl. Orientalis.

b) Hiſt. Afric. L. II. p. 60.

c) L. III. p. 110.

ac labore ornatiſſima, quae columnis quibusdam innituntur octogonalibus variis coloribus diſtinctis. Ab vna autem columna ad aliam arcus videas labore muſiuo, auro atque coeruleo colore conſpicuos, tectum autem ligneum eſt, miro artificio inciſum. Porticus cancellis elegantiſſimis ſunt ſecreti adeo vt, qui foris ſunt, illos videre nequeant, qui intus ambulant. Murus vndique, quantum manu contingere licet, opere cretaceo, quod maiorica vocant, depictus eſt. Reperias multis in locis carmina quaedam, quae annum indicant quo exſtructum fuit illud collegium, item et permulta in conditoris laudem conſcripta epigrammata. Sunt et characteres magni admodum nigro colore obducti, qui a longe optime leguntur. Portae illius collegii aereae multo artificio ornatiſſimae, cubiculorum vero ianuae ligneae miro item artificio inciſae. Aula quae orationibus eſt dicata, ſuggeſtum habet, ad quem nouem gradibus ebore et hebeno conſtructis aſcenditur. Abſoluto collegio, dicunt nonnulli, regem, quantum pecuniarum in eo exſtruendo conſumſiſſet, ſcire voluiſſe, moxque folio vno alteroue perluſtrato, quadraginta millium aureorum ſummam reperiſſe: quare omnino lacerum librum in eum fluuiolum coniecit, hoc addens ex cuiusdam Arabis ſcriptis dictum: quicquid charum, quamuis carum, ſi pulchrum, carum non eſt: neque nimio conſtitiſſe dicendum, quod animo arridet. Fuit tamen regi quidam a theſauris; qui ſumtum accuratiſſime annotauit, atque in egregium hoc opus quadringenta et octuaginta aureorum millia inſumta collegit. Reliqua Feſſae collegia cum hoc aliquam habent ſimilitudinem, habetque quodlibet ſuos profeſſores quorum quidam ante meridiem, alii horis pomeridianis praelegunt; his autem optime a conditoribus praeuiſum eſt. Olim qui hic literis incumbebant, toto ſeptennio veſtitus atque victus dabatur, at nunc illis nihil praeter cubiculum contingit gratis. Haec Leo, ex quibus luculenter patet, quantus ſumtus vere regios in literas et optima diſciplinarum genera contulerint Maurorum principes. Haec vero omnia non ad eruditionis tantum vniuerſalis hiſtoriam literariam, ſed ad philoſophicam quoque pertinere, recte ex eo euincitur, quod in his collegiis atque academiis non legis tantum Islamiticae explicatio, et theologia Muhammedanorum ſcholaſtica, ſed et mathematicae et philoſophicae ſcientiae publicae praelectae et traditae ſunt; ex quibus praelectionibus prodiere medici, philoſophi, mathematici inter Saracenos Africae incolas celeberrimi, Raſi, Ezarharagui, archiatri Cordubenſes; porro Efferiph Effachalli, Ibnu Saig, Ibnu Zohar, Ibnu Thofail, Ibnu El Baitar, Auerroës, Abul Haſan, Abubahar, multique alii, quorum ex parte infra fiet mentio: qui ſatis, quo loco philoſophia a Mauris habita ſit, oſtendunt. Adiiciamus tamen LEONIS [d] teſtimonium, ſcribentis: *Qui in Barbaria ac maris mediterranei tractu habitant Arabes*

d) L. I. p. 33.

bes maxime trahuntur ad ſcientiae ſtudium atque cupiditatem, habentque apud illos locum principem ea, quae ad illorum fidem atque religionem ſpectant. Fuerunt olim et mathematicarum diſciplinarum, et philoſophiae atque aſtrologiae ſtudioſiſſimi; ſed abhinc annis fere quadringentis ea ſtudia ab illorum principibus atque fidei profeſſoribus fuerunt ſublata. Ex his vero Leonis verbis intelligimus, philoſophiae inter Mauritanos reliquosque Africae Arabes recentiori aetate exiguum fuiſſe pretium, immo refrixiſſe omnem literarum amorem. Nam et de Maroccana academia teſtatur: *ſuo tempore diſcipulos plures non inueniſſe quam quinque: et praelectorem quidem ſtupidiſſimum atque ab omni humanitate alieniſſimum; et* de Feſſana: *iam nullos habent haec collegia praeter exteros quosdam ſcholaſticos, qui ciuium victitant eleemoſynis: et ſi quis e ciuibus inhabitet, numerum duorum vel trium non tranſſcendunt. Profeſſore lectioni parato ex auditoribus quisquam textum praelegit, cui poſtea praelector commentum addit atque locorum obſcuriorum interpretationem aliquam. Solent et interdum praeſente praelectore diſcipuli inter ſe de lectionibus certare.* Ex quibus vltimis verbis id, quod ſupra Leo monuit, confirmatur, legis tantum Muhammedicae ſtudium ibi adhuc vigere, ad quam nempe et textus et Sunae ſiue explicationes pertinent. Cauſſam vero, cur ita literarum elegantiorum et philoſophiae ſtudia inter Mauros decreuerint, recte ad inteſtina bella reuocat, quibus euerſae ſunt facultates principum. *Bellum*, ait *Sahidicum multas deleuit poſſeſſiones, quarum emolumentis alebantur ſtudia: nunc autem ducenti huic collegio, illi vero centum vix aurei in annum redeunt, qui profeſſoribus numerantur.* Prouocat tamen GEORGIVS HORNIVS [e] ad Clenardum, quo teſte conſtet, Tuneti florere ceteras omnes diſciplinas. Collegia ibi eſſe multa, in quibus ſtudioſi artibus, medicinae, legibus operam dent. Superiori ſeculo XVI, teſte IOVIO [f] regem Muleaſſem, exactiſſime philoſophiae Auerrois peritum cum philoſophis Italis de natura vniuerſi, motu coeli, poteſtate ſiderum diſputauiſſe, et hodienum doctores vocari Alphakios, id eſt, σοφούς. Nos haec auctorum fidei relinquimus, nec hodiernum inter Mauros philoſophiae ſtatum hoc loco curamus, medii aeui hiſtoriam philoſophiae Saracenicae ſcribentes.

Sectae inter Saracenos.

§. IX. Conſideratis ita fatis philoſophiae in gente Saracenica in genere, de ſpecialibus quoque eius apud illam circumſtantiis nunc porro agendum eſt: inter quas nulla magis attentionem meretur, et huc referri debet, quam quae ſectas Muhammedorum philoſophorum enumerat. Eae enim tantum non omnes ex philoſophia ad legis Islamiticae explicationem adhibita exortae ſunt. Et ipſe quidem nouae religionis conditor, vt ab omni literarum praeſidio erat vacuus, et ineptam rhapſodiam compilauerat,

e) Hiſt. phil. L. V. c. 2. p. 293. f) Hiſt. L. XXXIV.

tat, de cuius veritate facile dubitare poterant, qui de ea diſceptare audebant, ſeuere prohibuit, ne de noua lege diſputarent, cuius eo magis rationem illum habuiſſe credibile eſt, quod eius aſſeclae ex variis religionum diuerſiſſimarum populis coiuiſſent: quos aeque facile disiungi praeuidebat, ſi, quod illis iniecerat, communis legis capiſtrum, diſputationibus diſcinderetur. Nec alia forte ratio eſt, cur, teſte ELMACINO [g] Muhammed ante vltima fata praeceperit, *ne duae in Arabia concurrerent religiones*, et ob hoc eius mandatum Iudaei, qui ſub foedere cum illo fuere, poſtea eiecti ſint. Mature tamen de legis ſenſu et interpretatione in diſſidia diſceſſum eſt, quae tandem in ſectas abierunt. Non ignotum enim rerum Muhammedicarum gnaris eſt, quanta diſcordia inter Muhammedanos exorta ſit, ex quo Alis nouam factionem condidit [h], ad quod ſchiſma philoſophicas eius meditationes aliquid contuliſſe, non inepte coniicitur. Teſte enim ELMACINO [i] *fuit acutiſſimus, et multum pollens eruditione, quippe ſpeculatiuis ſcientiis et practicis inſtructus.* Et hoc quidem ſchiſmate Turcarum et Perſarum gentes Muhammedanas ita animo disiungi conſtat, vt facilius Chriſtianos, quam ſectam oppoſitam tolerent. De quo tamen ſchiſmate hic plura dicere nihil attinet, cum id ad eccleſiaſticam magis Muhammediſmi hiſtoriam, quam philoſophicam pertineat, et apud ſcriptores rerum Muhammedicarum facile inueniri queat. Sed et praeter magnum hoc ſchiſma in multas alias ſectas Muhammedis aſſeclae diſtincti ſeparatique ſunt, prout, nempe vel de iure ſuo Canonico, quod ex lege Islamitica exſtruebant, vel ex theologia, praecipue vero de Deo eiusque attributis et decretis inuicem diſſentiebant. Earum tamen hiſtoria integram tractationem poſtulat, a nobis ob prolixitatem non expectandam, licet varia ea exhibeat, quae hiſtoriae philoſophicae inter Muhammedanos lucem accendunt. Dabunt tamen amplam de hoc argumento diſquirendi ſyluam HOTTINGERVS [k] et POCOCKIVS [l], viri de hiſtoria literaturae Orientalis immortaliter meriti, qui ex ipſis Arabum et Iudaeorum inter Arabes viuentium ſcriptis egregiam eius nobis collegerunt materiam. Sunt vero ſectarum Muhammedicarum ſupra ſeptuaginta, quas enumerare omnes et inter ſe diſcernere, nec operae pretium eſt, nec ad hoc noſtrum inſtitutum pertinet. Potiora tantum delibamus, quae ad rhombum facere, et hiſtoriam Muhammedanorum philoſophicam illuſtrare apta ſunt. Dux vero hic eligendus eſt ABVLFARAIVS [m], qui in ea hiſtoriae ſuae parte, quam doctiſſimo commentario illuſtrauit POCOCKIVS, accuratius ceteris de his ſectis commentatus eſt. Eo enim auctore ſex ſunt ſectae ſiue diſſenſiones circa radices, quae in ſeptuaginta et tres ramos effloruerunt.

g) L. I. c. 1. p. 8.
h) ELMACIN. L. I. c. 5. p. 36. confer. TEXEIRA l. c. p. 215. HOTTINGER. l. c. p. 366.
i) L. I. c. 3. p. 43.
k) Hiſtor. Orient. L. II. c. 6. p. 349.
l) Specim. hiſtor. Arab. p. 209. add. GEOR. A SALE proleg. ad Koran, ſ. VIII. p. 151.
m) Dynaſt. IX. quem locum in ſpecimine ſigillatim expreſſit POCOCKIVS.

Illae ſunt Moatazalae, Sephatii, qui inter ſe contrarii ſunt, vt et Kadarii Giabariis aduerſantur, et Morgii Waidiis; quibus et Shios addit Chawarigiis contradicentes. Diſſenſum vero reduci, ait, ad quatuor capita, quorum primum eſt attributa et vnitas Dei, ſecundum decretum eius et iudicium; tertium promiſſa et minae, quartum prophetia et antiſtitis munus. Recte vero ſimul monet, potiſſimam diſſenſus partem ex philoſophia eiusque notionibus ad theologiam applicatis originem cepiſſe, qua de re infra in enarrandà Muhammedanorum theologia naturali pluribus dicemus. Ex reliquis hic per lancem quaſi ſaturam notandi ſunt Hanifaei vel Hanifitae [n], eiusdem fere commatis in articulo de prouidentia diuina, quo Phariſaei inter Iudaeos fuere: Melkitae, cum Chriſtianis orthodoxis, quos ita quoque appellari ſupra iam memorauimus, non confundendi, quae ſecta non theologiae tantum, ſed et diſciplinis aliis litauit, virosque produxit varia eruditione celebres, Ibn Hagheb Aegyptium, Abu Muhammed Abdallā Ibn Abizeid, Ahmed Ben Edris Sanhag aliosque [o]. Porro Schafaei, inter ſectas Muhammedanas valde celebrati; Henbalitae ab Ahmed Ben Henbal ita dicti, et Schamrachaei. Maxime vero inter Muhammedanos celebris eſt ſecta Mutazalitarum, quos Muhammedanorum Phariſaeos recte dixeris. Nam et hi a ſeparatione nomen habent, Arabico nomine idem ſignificante, quod Hebraeum, nempe ſeparatos. Accepere enim nomen teſte Shareſtanio apud Pocockivm [p], ab auctore ſectae Waſel Ebn Ata, Al-Haſani Baſrienſis diſcipulo, cui et aſſeclis id haeſit, quod, cum propoſita a quibusdam quaeſtione de iis, qui peccatum aliquod grande commiſerunt, num a fide excidiſſe putandi ſint, nec ne etc. non expectato magiſtri reſponſo ſe ſubduxiſſet, et ſententiam ſuam condiſcipulis exponere coepiſſet, dixerit Al-Haſan: ſeparatus eſt a nobis Waſel, vnde nomen exortum. Paulo aliter Ebn Chalican in vita conditoris huius ſectae, narrat: Al-Haſanum eum ob ſententiae diuortium a ſchola ſua expuliſſe, a quo cum ſe ſubtraxiſſet, adhaerente ei Amro Ebn Obaid ipſis eorumque aſſeclis homen Al-Motazali haeſiſſe. Aliorum relationes de hoc nomine variantes videſis apud Pocockivm [q]. Eſt vero haec ſecta inter praecipuas Muhammedanorum theologos ſcholaſticos, referrique debet inter ſectas philoſophicas, eo quod multa de Deo, rebusque diuinis philoſophice diſputat, vt ex Maimonide [r] diſci poteſt, qui eorum opinionem de prouidentia diuina exponit, ex quo diſcimus, in hoc quidem dogmate eos proxime ad Sadducaeorum ſententiam acceſſiſſe. Et hic quoque philoſophiae vſus in argumento theologico cauſſa eſt, cur in multis legis Islamiticae partibus a communi reliquorum explicatione receſſum fecerint. Eorum propago fuit ſecta Ghabetaeorum. Sed et Ghabraei enumerandi ſunt, qui in doctrina de prouidentia diuina Eſſenorum placitis proxime ſe adiunxerunt, itemque Aſcharitae et Kadraei.

n) Elmacin. L. III. c. 8. p. 286.
o) Conf. Hottinger. l. c. p. 341.
p) l. c. p. 211.
q) loc. cit.
r) Mor. nebhoch. L. III. c. 16.

Kadraei. Dararaei autem et Hamzaei inter haereticos vna cum Karmataeis a Muhammedanis referri ex ELMACINO [s] et ABVLFEDA [t] patet, nec Zindikaeorum melior exiſtimatio fuit, de quibus infra ex inſtituto dicemus. Plerasque has ſectas ab Al-Manſoris, Rashidi et Al-Mamonis temporibus, vel paulo poſtea deriuandas eſſe, quibus philoſophia inter Arabes innoteſcere et vulgari coepit, vel ex eo liquet, quod philoſophiam legi Islamiticae applicuerint, indeque in ſententiarum diuortia ſeceſſerint. Nempe cum ineptias Alcorani perſpicerent homines non inepti, et iudicii acie inſtructi, qui philoſophiae recens introductae auctoritate et veneratione moti, eiusque praeſidiis muniti philoſophari de lege incipiebant, non potuere non, qui paſſo acutius videbant, obſtupeſcere. At cum a lege deficere, et pſeudo-prophetae doctrinam deſerere inter Muhammedanos capitale eſſet, adeo, vt ipſe Al-Mamon, quamuis philoſophiae luminibus illuſtratus ſeueriſſimas in id poenas, teſte ELMACINO [u] conſtituerit, neceſſarium erat, vt, quod reiicere fas non erat, philoſophiae beneficio in alios et commodiores ſenſus transferretur, et ſic legis Islamiticae ſenſus verus mira ratione adulteraretur. Exortae inde inter Muhammedanos ſectae philoſophicae, quae recepta ſemel philoſophia Ariſtotelis, non ſatis tamen pure ad haec tempora deriuata, ita vſae ſunt, vt, quod litera Corani abſurdum eſſe docebat, diſtinctionum, abſtractionum, notionum philoſophicarum adminiculo in meliores ſenſus detorqueretur, ſicque noua religionis legisque Iſmaëliticae, et quidem potiorem partem metaphyſica exiſteret facies. Agnouerunt id ipſi Arabes, ex quibus dignus eſt locus SHARESTANII [x], ita ſcribentis: *Deinde inſpexerunt e Matazalorum doctis quidam libros philoſophorum, cum imperante Mamone verſi eſſent, et eorum viam* (i. e. methodum) *cum viis* (legis) *Al-Calam miſcuerunt, atque inde ſpeciem ſcientiae ſingularem conſtituerunt, quam ſcientiam Al-Calam nuncuparunt, vel quod praecipua, de qua apud eos diſputatur et controuertitur, quaeſtio ſit de illo ſermone* (verbo Dei) *atque ita toti ſpeciei nomen tribuatur, vel quod imitati fuerint philoſophos, qui ſpeciem e ſpeciebus ſcientiarum ſuarum* (logicam) *vocarunt Al-Manteck, ſunt vero Al-Mantek et Al-Calam ſynonyma.* Addendus his locus MAIMONIDIS [y], qui ipſe diu inter Arabes vixit, et caſtra philoſophicorum horum theologorum curioſe explorauit, qui recte docet, „Muhammedanos iſtos theologos ſua po„tiſſimum ex libris Graecis Syriacisque ex Graeco verſis deſumſiſſe, et „haec tela alibi accepta illuc direxiſſe, vt philoſophorum arma (contra Is„lamiſmum) euerterent. Factum enim eſſe, cum Chriſtiani vel Graeci „vel Syri eſſent, et in his potiſſimum linguis pleraque philoſophorum „ſcripta legerentur, vt regibus et principibus legi Chriſtianae parentibus „ſubiecti homines eruditi ea ſibi vindicarent, quae a gentilibus philoſo-

s) L. III. c. 6. p. 264. L. II. c. 16. p. 174.
t) Opp. p. 38.
u) L. II. § 8. p. 138.
x) POCOCK. l. c. p. 194.
y) Mor. nebhoch. P. I. c. 71.

„phis dicta cum Christiana religione conuenirent, vel dissentientia ra„tionibus philosophicis eneruarent, sicque articulos fidei suae roborare „contenderent: qua ratione constet Ioannem Philoponum instituisse. „Eandem methodum secutos fuisse rationalistas Muhammedanorum, ex„surgente Islamismi lege, qui, cum in libris Graecorum et Syriacorum „philosophorum ea legerent, quibus iuuari fidem nouam putarent, illa „Islamiticae religioni accommodauerint, de quibus nihil vnquam Grae„cis in mentem venerit." Alia, eo quod aptius infra enumerabuntur, hic tacemus. Non mirandum id magnopere est, siue Corani absurditates necessario meliori sensu explicandas, siue studia philosophica inter Arabes tandem emergentia, siue Christianorum tela, quibus nouam superstitionem confodiebant, consideres. Nam hac ratione his omnibus vno labore succurrebant homines astuti, qui inuenta introductaque noua ista theologia philosophica vel scholastica et se philosophos esse demonstrabant, et cum aduersariis communibus armis concurrebant. Primis vero Muhammedismi nascentis temporibus, nihil tale eueniisse obseruamus, eo quod non legis tantum conditor philosophiam, quam ignorabat, prorsus contemsisset, sed et gladio, non calamo, dissentientes refellere mallet: Ast exortis per philosophiae introductionem sectis, cum ipsi quoque Muhammedani de legis suae fide vacillarent, haec theologia philosophica inter Saracenos introducta est. Id quod Al-Gazelius apud POCOCKIVM [z] fatetur: *Sub Muhammedanismi initiis ignotam illis hanc de rebus ad religionem spectantibus disquirendi artem fuisse: postea cum oriri sectae et in dubium vocari religionis articuli coepissent, inuectam, eiusque vsum ad eorundem articulorum veritatem contra innouatores propugnandam adhibitum fuisse.* Vtrum vero Arabes alieno ad id exemplo inducti persuasique fuerint, de eo anceps videtur quaestio. Et ex libro *Cosri* [a] quidem, quem R. IEHVDA HALLEVI conscripsit, patet, fuisse inter Iudaeos quoque eiusmodi rationalisticam (sit venia verbo) seu philosophicam sectam quam vt Arabes עלם אלכאלם, sic ipsi חכמת הרבורים, *sapientiam verborum* vel *loquelae* vocarunt, cuius officium fuerit, fundamenta fidei confirmare rationibus intellectualibus et artis dialecticae beneficio religionis mysteria defendere. Nam Karaeis eos adscribit, aitque finem תכלית מדבר esse, *vt in animam eius et animam discipulorum ingrediantur imprimantur fundamenta fidei, quae in anima sapientis sinceri et simplicis quasi naturaliter sunt insita.* Eadem monet MAIMONIDES [b] hic breuitatis caussa non exscribendus. Ex his itaque non inepta argumentatione colligi posse videtur, a Iudaeis hanc theologiam philosophicam siue dialecticam ad Arabes transiuisse, cum Iudaei inter Arabes habitauerint, et inter populos libri, siue eruditos numerati ab illis fuerint, vt supra demonstratum, constet autem, philosophiae vsum Saracenos a gentibus, quad apud ipsos habitabant, didicisse.

Origines philosophiae et theologiae scholasticae inter Muhammedanos.

z) l. c. p. 196. a) P. V. §. 15. seq. p. 359. b) loc. cit.

ciſſe. Firmat hanc ſuſpicionem Cl. CAMPEGII VITRINGAE e) obſeruatio, Medabberim non exacte tantum cum Dialecticis Graecorum conſpirare, ſed teſtibus his Iudaeis ab hac gente ortum accepiſſe, immo Pauli et Apollinis iam temporibus extitiſſe. Aſt quamuis haec non ſine omni ſpecie et colore dicantur, recte tamen illis opponitur id, quod ſuperiori libro euictum dedimus, et hiſtoria philoſophiae Iudaicae euidenter demonſtrat, Iudaeos non maturius philoſophari coepiſſe ſecundum Ariſtotelem, quam vbi ex oriente pulſi inter occidentales populos, praecipue inter Saracenos, qui tum Hiſpaniae prouinciis plerisque imperabant, habitare coeperint; nec prius theologiam ſuam habitu philoſophiae Ariſtotelicae amiciuiſſe, quam vbi exemplo Saracenorum inducti fuerint. Nec magnopere vel Halleui vel Maimonides nos morari debet, genti ſuae hanc theologiam philoſophicam vindicantes: cum innumeris fere locis iam comprobatum dederimus, nihil ſolennius apud ſuperbiſſimam Iudaeorum gentem eſſe, quam peregrinam eruditionem ſibi vindicare, et origines eius ex ſuis aruis deriuari, quem ſcopum habuiſſe, et libri *Coſri*, et *doctoris perplexorum* auctorem ex ipſis eorum verbis paulo curatius attento ſatis apparebit. Vt taceamus, hoc illum loco ita hanc theologiam philoſophicam deſcribere, vt indigna videatur Iudaeo legis peritiam ex ſimplicioribus et purioribus fontibus haurienti. Nec multum iuuat adductam opinionem, quod Iudaei cum Chriſtianis inter populos libri ſiue eruditos ab Arabibus relati fuerint. Hoc enim non tam ad philoſophiam in ſpecie, quam eruditionem generalem, imprimis vero ad artes elegantiores et humanitatis pertinere, ex ſupra dictis eſt manifeſtiſſimum, ſupponitque haec ratio id, de quo tamen quaeſtio diſceptatur, nempe, inter Iudaeos eruditionem aliquam inter Arabes ſectantes, iam tum numeratos fuiſſe hos Dialecticos. Tales autem iam D. Pauli aetate exſtitiſſe, nemini Vitringa perſuaſerit, qui non ſola aliquali nominum conuenientia, ſed rationibus euidentibus id demonſtrari poſtulat. Relicto itaque hoc theologiae philoſophicae et ſcholaſticae inter Arabes cultae fonte, illi aut ſponte ſua tam egregie ſapuiſſe dicendi ſunt, ex quo nempe philoſophiam didicerunt: aut ſtatuendum, a theologis Chriſtianis Graecis circa ſeculum octauum ſacrae religionis dogmata philoſophicis diſputationibus, tractationibusque explicantibus, (quibus ſe fere ducem praebuiſſe Ioannem Damaſcenum in ſequenti libro dicemus) Arabes hunc morem accepiſſe. Nec id ſine rationibus ſatis luculentis ſtatuitur. Nam et Maimonidis ipſius teſtimonio ſupra adducto confirmatur, quo a Chriſtianis hanc methodum ſequentibus Arabes eam didiciſſe fatetur, et omnino veriſimile eſt, traductis Graecorum libris a Ioanne Meſueh, Honain, reliquisque ex hac ſchola viris doctis cum Arabes Al-Mamonis conſilio ad has verſiones legendas ſcrutandasque inuitarentur, factum eſſe, vt videntes, quem egregium vſum in firmanda et purganda quaſi

e) Obſ. SS. L. III. c. 21. p. 313 ſeqq.

quaſi à popularibus erroribus lege Islamitica praeſtaret, hanc theologiam ſcholaſticam et philoſophicam, ſine qua legem defendi ſatis non poſſe putabant, excolere inciperent. Illud ex Arabum memoriis conſtat: Almawakefum quendam primum fuiſſe, qui eiusmodi ſyſtema ſcientiae compoſuerit, eamque ita definiuerit: *Scientia, qua idoneus reddi-tur quis ad confirmandos articulos religionis, allatis probationibus et dubia ſoluenda* [d]. Quaecunque autem huius theologiae philoſophicae inter Muhammedanos origo fuit, certum tamen eſt, inepta prorſus ratione coeptis his eos inſtitiſſe, et ſine iudicio acutis diſputationibus et argutiunculis vacauiſſe. Id quod aliter euenire non potuit, cum philoſophia inſtrumentum popularis ſuperſtitionis fieri cogeretur, et inter tot ſectas quaelibet ea tueretur, quae ſibi maxime placebant. Nec id multo ſudore et puluere opus habebat, vbi ſemel Ariſtotelica philoſophia, ad notiones abſtractas, vagas et incertas proniſſima recepta erat. Eius enim beneficio innumerae notiones, diſtinctiones, canones, huiusque generis alia excogitabantur, tantaque ſubtilitate de iſtis argumentorum generibus, de quibus craſſiſſimas et populares notiones pſeudo-propheta habuerat, diſputabatur, vt innumerarum inde litium ſemina non poſſent non exſurgere. Relictis enim veris nominum et rerum definitionibus, quas applicare ineptis et ad vulgi tantum captum accommodatis dogmatibus non poterant, inflexerunt ea miris abſtractionum ſubtilitatibus, aranearum telis non diſſimilibus, quae candide ſimpliciterque, ſine religionis ſuae damno explicari non poterant. Cuius exemplum in doctrina de cauſſis in Deo MAIMONIDES [e] adducit, narrans, noluiſſe hanc dialecticam ſiue rationaliſticam ſectam Deum vocare cauſſam primam, ſed maluiſſe eum agens vel efficiens primum appellare; eo quod diſcrimen aliquod inter cauſſam et agens ſiue efficiens intercedere putaret. Cuius eccе rationem acutiſſimam: contendebant homines ſupra modum ſubtiles: ſi Deum cauſſam dicerent, ponendum quoque eſſe cauſſatum ſiue effectum, indeque ſequi, vt Deus ab aeterno eſt cauſſa neceſſaria, ita cauſſatum atque effectum eius ſiue mundum, ab aeterno fuiſſe: aſt ſi agens dicatur vel efficiens, non ſequi ſimul effectus exiſtentiam neceſſariam, cum efficiens non tantum ante effectum neceſſario eſſe debeat, ſed eſſe quoque diu poſſit, priusquam effectum producat. Et hae quidem ſubtilitates philoſophicae et metaphyſicae non ad doctrinas tantum theoreticas ſed practicas quoque extendebantur, variisque nugis ſuppoſitis diuidebantur, ita vt vel ex ſola partitione ſomnia ingenii ſubtiliter otioſi cognoſci poſſint. Dabimus ea de re locum ex ABVL. HOSEIN. BASRIENSIS *compendio articulorum Omari*, quod *ἀνέκδοτον* a magno in his literis Welſchio noſtrate accepit eruditiſſimus HOTTINGERVS [f], qui hanc nobiscum particulam communicauit: licet enim ſit longiuſculus, luculentus

d) HOTTINGER. biblioth. Orient. c. II. p. 137.
e) l. c. P. I. c. 69.
f) l. c. c. 2. p. 188. ſeqq.

lentus tamen eſt, et integra huius theologiae philoſophicae inter Muhammedanos cultae facies in illo depingitur. „Scito autem, ita ille, iudicia „legalia quaedam dependere a qualitate operis, et appellari, ad ramos ſpe„ctantia, vel practica: alia dependere a fide, vnde et radicalia et fidei „nominantur. Scientia autem a prioribus reſultans, vocatur notitia le„gum et iudiciorum, quia nullum praebent vſum niſi ratione conſtitutio„nis, neque obſeruat aliud intellectus in iudiciorum vniuerſalitate, niſi „eam. Poſteriorum ſcientia eſt dogmatum de vnitate et attributis, in „quibus praecipua eius verſatur indago, et nobiliſſimus ſcopus. Erant „autem primi ex ſocietate et aſſeclis Muhammedis, quibus omnibus Deus „propitius eſſe velit, propter puritatem articulorum compotes felicis pro„phetae conuerſationis, tempusque foederis adhuc prope fuit: ita vt ob„ortis variis caſibus atque controuerſiis facile potuerint habere regreſſum „ad illum. Acquieſcentes igitur abſtinuerunt a reuolutione harum dua„rum ſcientiarum, et diſpoſitione earum per capita et articulos (confeſ„ſio autem ſcopi eorum et ramos concernebat et radices) vſque dum diſ„ſidiis inter Muſelmannos gliſcentibus et contentione inter antiſtites reli„gionis nata, apparuit diſcrepantia ſententiarum, inclinatio ad nouitates, „et varias quaeſtiones, atque ſic creſcentibus quaeſtionibus et accidenti„bus reditus eſſet ad eruditos in dubiis, qui modum pene exceſſerunt in „ſpeculationibus, demonſtrationibus, ſtudio et contentione iuris ſui la„borioſe eliciendi, et explanatione articulorum fundamentalium et radi„cum, diſpoſitione tractatuum et capitum, multiplicatione quaeſtionum „cum demonſtrationibus ſuis, citationibus ſimilium cum reſponſis ſuis, „examine philologiae et reconciliationibus, explicatione religionum et „diuerſitatibus earum. Ea autem quae iuuabant notitiam iudiciorum pra„cticorum, a demonſtrationibus diſtinctiuis appellabantur. Notitia mo„dorum demonſtrationis ſummariae, ob vſum quem habet in iudiciis, „radices iurisprudentiae: notitiae articulorum, a demonſtrationibus, ſer„mo". Neque tamen hoc totam hanc theologiam ψευδοφιλόσοφον abſoluit, ſed alia quoque ſunt ad eius indolem pertinentia, hic eo magis notanda, quo magis eam a ſana philoſophia diſcernunt, et dicendis infra de theologia et philoſophia ſcholaſticorum lucem quandam foenerabuntur. Nempe non ex certo aliquo et indubitato principio argumentationum ſuarum neruos vimque demonſtrandi deriuabant theologi hi philoſophici, nec naturam rei ita expendebant, vt ex ea, quae vellent demonſtrari poſſent. Ita enim facile eueniſſet, vt quod roborari atque confirmare volebant, corrueret, eo quod ſanis certisqe principiis illa noua theologia non niteretur. Commodius itaque rebus ſuis auxilium laturi, eas ſibi fingebant hypotheſes, hasque propoſitiones precarias ſubtiliter excogitabant, quibus ſyſtema ſuum poſſe confirmari, parumque inde incommodi emergere videbant. Qua propoſitione vel principio hypotheticq admiſſo, cum

cum interdum eueniret, vt, quae vellent, demonſtrare poſſent, veram ita ſe rationem inueniſſe ſibi videbantur, qua et legis ſuae integritas vindicaretur, et philoſophiae honos ipſis tribueretur, et philoſophicae meditationis accuratio doctrinae ſuae non denegaretur, et lectores haberent, quae noua et non vulgaria, ſed philoſophica, et Chriſtianorum ſubtilitatibus non minora perciperent. Legi ea de re meretur MAIMONIDES [g], cuius tamen locum, ne nimii ſimus, ipſum adducere, breuitatis cauſſa ſuperſedemus. Is enim diſerte monet, dialecticos hos ſiue loquentes, tum inter Chriſtianos, tum inter Muslimenos non ad manifeſtas rerum circumſtantias earumque principia reſpexiſſe, ſed tantum ad poſſibilitatem, qua res eſſe ita debuerit vel potuerit, vt ſuae opinioni non obſtaret, indeque, cum id eueniſſet, tandem concluſiſſe, rem ita ſe habere. Qui cum diſputando ita egiſſent, vt ſua dogmata demonſtrarent, librisque etiam conſcriptis has ſibi ex rerum meditatione cogitationes ſubnatas eſſe dicerent; non ſenſiſſe hoc poſteros eorum, nec attendiſſe, haec ad religionis ſuae confirmationem fuiſſe relata, ſed in ea haeſiſſe opinione, anteceſſores ſuos philoſophos refutare voluiſſe, earumque demonſtrationes in dubium vocare, cum tamen certum ſit, quod illi nihil vel affirmauerint vel negauerint, niſi quod per mille conſequentiarum riuulos dogmatibus ac opinionibus ſuis damnum afferre poſſe crediderint &c. Ex his vero intelligi quoque poteſt, cur pauca θετικῶς, pleraque προβληματικῶς attulerint, factisque theſibus et antitheſibus, rationes pro et contra opiniones militantes aequali robore et numero adduxerint: adeo vt MAIMONIDES porro fateatur: *Noli a me exſpectare, ac ſi adducturus tibi eſſem argumenta loquentium, quae pro veritate principiorum ſuorum adducunt. Nam in hac re et illi totam vitam ſuam conſumſerunt, et conſument dies illi ſuos, qui ſequentur.* Illud tamen obſeruat, ad ſcepticiſmum hos homines iſta problematica differendi et philoſophandi conſuetudine inclinaſſe omnes: *Cum vero*, ait, *conſideraſſem, et libros Medabberim perlegiſſem, quemadmodum ſtudioſe quoque et pro virili ſcrutatus ſum libros philoſophorum, inueni omnium ipſorum vnicam ſpeciem, partibus tantum diſtinctam. Principale enim fundamentum omnium eſt, nullam certam cognitionem rerum haberi poſſe, quod ſcilicet hoc vel illo modo ſe habeant, eo quod in intellectu contrarium ſemper eſſe et cogitari poſſit.* Haec ille. Ex quibus recte concludimus, referendos eſſe hos philoſophos Muhammedanos inter Arabes ad Scepticos, nec magnopere hanc incertitudinem mirandam eſſe, cum ſaepiſſime miſcere quadrata rotundis et tenebris lucem inani et ſtulto conſilio tentauerint. Et hi quidem philoſophi Muham-

Secta loquentium. medani a ſermone vel loquela, *Loquentes*, id eſt rationaliſtae et dialectici vocati ſunt, quos, vt dictum, Iudaei *Medabberim*, eorumque ſcientiam *Hochmath Hammedabberim*, Arabes vero *Al-Calam* vocant, quaeque in

g) l. c. c. 71. conf. HOTTINGER. hiſtor. Orient. L. II. c. 6. p. 341.

in medii aeui philoſophia peculiari conſideratione digna eſt. De qua appellatione non omnium eadem fuit opinio. R. ABEN TIBBON [h] ex re magis accidentali, quam ſcopo et inſtituto huius ſectae eos ita deſcribit: *Eſt nomen certae cuiusdam ſectae philoſophorum ſciolorum, qui de rebus ſtatuunt non ſecundum intellectum neque ſecundum earum naturam, ſed ſecundum imaginationem et phantaſiam ſuam, et confundunt homines multitudine verborum et orationibus ſpecioſis, quae nullam habent veritatem, vnde earum ars vocatur ſapientia verborum, quaſi dicas, eam non eſſe intellectualem, ſeu cum intellectu congruentem.* Contra ſenſum ſcopumque nominis haec dici recte notauit R. IEHVDA MVSCATVS [i], ad librum *Coſri* prouocans, in quo vocantur *ſapientes, topice vel dialectice loquentes ratiocinantes et diſputantes.* Nullo id meliori argumento euincitur, quam quod petitum ab Arabica appellatione Al-Calam, qua voce ſermo quidem vel loquela indicatur, ſed non promiſcue quiuis ſermo, verum per ſynecdochen partis ille, qui in differendo diſputandoque occupatus eſt. Et Alshareſtanius ac Arabum nonnulli alii eapropter ita dictam putant hanc ſcientiam, quod de Dei verbo, ſeu ſermone, quo homines allocutus eſt, diſquirat, quod inter primaria fidei Muhammedanae capita eſſe, in ſequentibus dicemus. Sed falli eos vel ex hoc ſolo patet, quod huius ſcientiae dialecticae obiectum multo latius ſe diffundat, nec hoc vno argumento occupetur. Verisimiliori itaque coniectura alii a Graeca voce λόγος, quae non ſermonem tantum ſed et rationem vel verbum ratiocinantis indicat, quaeque vocem, logica, i. e. artem ratiocinandi et differendi genuit, deriuare malunt: nec improbanda eſt in totum POCOCKII [k] opinio, ſtatuentis, Arabes ad vltimam nominis θεολογία partem, omiſſa priori, reſpexiſſe, cum praecipue de Deo rebusque diuinis vel aliis, reſpectu ſaltem ad Deum, loquantur. Quam vocis originem valde firmat definitio Al-Calam ab Ebnol-Koſſai allata, quam exhibent POCOCKIVS [l] et HOTTINGERVS [m], *eſſe eam ſcientiam, qua diſquiritur de eſſentia Dei et attributis eius et conditionibus rerum poſſibilium circa creationem et reſtitutionem iuxta canones Islamiſmi.* Eleganter vero POCOCKIO [n] vocata eſt theologia Muhammedanorum ſcholaſtica, eo quod ſcholaſticorum theologiae ita ſimilis eſt, vt ouum ouo non magis eſſe poſſit, eo quod vel communes parentes habuerint, vel vna alteram genuerit, de qua re infra dicemus. Nec errabunt tamen, qui cum GOLIO metaphyſicam ſeu theologiam philoſophicam vocant, cum hoc iſtorum hominum inſtitutum fuerit, vt theologiam ſuam rationibus philoſophicis exornarent, et, vt habet Al-Mawakef, idoneos ſe redderent, ad confirmandas confeſſiones religionis, allatis probationibus et dubia

h) In explic. difficil. verborum libri Moreh.
i) Ad l. c. Coſri p. 360. ed. Buxtorf.
k) l. c. p. 198.
l) Ibid.
m) loc. cit. p. 187.
n) loc. cit.

ſoluenda. Sed et rationales vel rationaliſtae recte dicuntur, cum λόγος רבר, *Calam*, et ſimilia omnino ſermonem ratiocinantium innuant, quae ſignificatio arriſit Io. TRIBBECHOVIO [a] et CAMP. VITRINGAE [b]. Hac itaque exorta theologiae philoſophicae ſpecie, dici non poteſt, quanta incrementa philoſophiae ſtudium inter Muhammedanos ceperit, cum nemo theologus eſſe queat, qui hanc ſcientiam non intelligit. Vnde plurimi quoque inter Arabes fuerunt, qui eam et compendiis et commentariis illuſtrauerunt, quorum catalogum affert HOTTINGERVS [c], ab iis qui copioſiora deſiderant, ipſe adeundus. Quamuis autem inter eos, qui ratiocinari ſimul et legem tamen Muhammedis ſeruare cupiebant maximi iſta ſcientia fieret, non potuit tamen non ars illa hybrida e diſquiſitionibus logicis, metaphyſicis et theologicis conflata et in monſtrum aliquod horrendum et informe degenerans diſplicere multis, qui malebant, ſeruari ſimplicitatem et ignorantiam Muhammedis, quam adhibitis regulis philoſophicis legis Muhammedis ſenſum deprauari et corrumpi, et allatis principiis peregrinis in falſos ſenſus rapi. Quod non viderunt tantum Iudaei, ſupra adducti ſed et Arabes; et memoratu non indignum, quod POCOCKIVS obſeruauit, aliis eam principiis niti, quam qui apud ipſos Muhammedanos aut pro theologis ſanioribus, aut pro doctioribus philoſophis habiti ſunt, indeque apud illos in partitione ſcientiarum altum apud eos ſilentium eſſe de hoc commento, quaſi quod in earum numero habeatur, indigno, vt videre eſt apud AVICENNAM et NASIRODDINVM ALTVSIENSEM [d]. Vnde ſupra iam narratum Alshafienſem ſectae huius nominis conditorem pronunciaſſe: *Si quis Al-Calam operam daret, dignum eſſe, qui palo affixus per omnes Arabum tribus et coetus circumferretur, proclamante coram eo praecone: haec remuneratio eſt eius, qui relictis Alcorano et traditione ſcientiae Al-Calam incubuit.* Alii ex theologis Arabum non totam quidem reprobauerunt, ſed haereſium interuentu inuectam earum gratia retinendam cenſent, ſed nimis tamen ei indulgendum non eſſe monent. Inter quos eſt Al-Gazalius, cui *neceſſe*, viſum, *vt ſit in omni regione, qui hanc ſcientiam calleat, ad haereſes, vbi pullulant, retundendas, at in eo, qui illi ſtudere voluerit, tria requiri, nempe diligentiam, vt ei ſedulo vacet ingenii acumen et morum probitatem; et nullo modo ferendum, vt vulgo explicetur. Eſſe enim eam inter illas ſcientias, quae non ſimpliciter commendentur, ſed, dum intra modum ſubſiſtant, probandae ſint, nempe ad ſupprimendas haereſes, quibus ceſſantibus eam quoque ceſſare debere.* Ceterum et hoc monendus eſt Lector, antequam hanc theologiae philoſophicae conſiderationem relinquimus, non confundendam eam eſſe cum ſcientia iuris Muhammedanorum. Ea enim legis Islamiticae peritia eſt, et non articulos fidei ſeu radices, ſed ramos

ſiue

a) De Dd. ſchol. c. III. p. 122.
b) l. c. c. 21. p. 314.
c) Bibl. Orient. p. 194.
d) Loca indicat POCOCK. l. c.

ſiue theologiam practicam et ius aliquod naturale atque canonicum itemque ciuile Muhammedanum comprehendit, de qua, cum ad noſtros limites non pertineat, lectorem ad POCOCKIVM [r] ablegamus, docte de ea commentantem. Locum vero ſuo iure in hiſtoria philoſophiae Saracenicae hanc theologiam philoſophicam vel ſcholaſticam occupare, et ipſa eius indoles atque natura euincit, et influxus probat, quem, ſi non ad gignendam, certe ad educandam roborandamque et ad adultum quendam florem perducendam theologiam et philoſophiam ſcholaſticam habuit. Sequenti enim libro certis teſtimoniis demonſtrabimus, Britannos, Gallos et Germanos a ſeculo decimo philoſophiam ex ſcriptoribus Arabicis eorumque verſionibus et commentariis didiciſſe, et imprimis Adelardum, Othonem Friſingenſem aliosque multos in eo fuiſſe, vt illi commentarii in ſcholis explicarentur. Proditque vtrumque commentum affinitatem, ſimilitudine originis, modi diſputandi, ſubtilitatis quaeſtionum, obſcuritatis notionum ſcepticiſmi, diſputandi in vtramque partem, reliquorumque naeuorum, quos in ſequenti libro candide detegemus.

§. X. Ex adductis iam iudicare attentus facile poterit, quae potiſſimum fata philoſophia inter Arabes medii aeui habuerit. Vt tamen accuratior eius depingatur facies, philoſophorum quoque Arabum notitia facienda Lectori, eorumque hiſtoria enarranda eſt. Quo in penſo abſoluendo optandum merito, vt ex iis fontibus hanc hiſtoriae philoſophicae partem hauriri liceat, quos ex ipſis Arabum ſcriptoribus literariis ſupra attulimus [s]. Aſt hi cum plerique in puluere et tenebris bibliothecarum lateant, contentos nos oportet iis memoriis, quas apud ſcriptores Arabes, Graecos item atque Latinos deprehendimus. Inter quas notiores et certiores eae ſunt, quae ad Mauritaniae et Hiſpaniarum Saracenos pertinent, eo quod diu familiariter cum iis Chriſtiani et Iudaei vixerint, eorumque res plenius cognouerint, quam in Aſia factum, vbi qui inter Saracenos habitarunt Chriſtiani, nobis magis ignoti ſunt, quam Arabes ipſi. Ad orientales enim Arabum ſcholas pauci aduolarunt; aſt conſtitutis a Saracenis gymnaſiis ſcholisque in Africa et Europa, dici non poteſt, quanta auiditate ad eos Chriſtiani et Iudaei feſtinauerint. Et illorum quidem iſta in re exempla infra ſuo loco occurrent, horum autem in antecedenti libro ſpecimina attulimus, et vel vnus Maimonides Auerrois diſcipulus luculento exemplo eſt. Produxere vero felicia Abbaſideae familiae tempora magnum eruditorum, poëtarum, mathematicorum et praecipue philoſophorum numerum. Cum enim principum fauor et munificentia, aulae honores, populi veneratio, imitandaque poſteris exempla maiorum magnum animis calcar adderent ad currendum impigre in eruditionis vniuerſae, et philoſophiae ſtadio, non poterat non magna dies-

Scriptores philoſophiae inter Saracenos.

r) l. c. p. 200.

s) Conferendi quos nominat HOTTINGERVS Bibl. Orient. c. II. p. 276. et qui ibi laudatur IBN SALAM liber, de Rashidi et Mamonis imperatorum moribus.

que inde literatiſſimorum virorum philoſophorumque meſſis exſurgere. Cuius teſtimonia luculenta nobis collegit eruditiſſimi HOTTINGERI[f] diligentia, qui ſcriptores philoſophicos Arabum magno numero recenſet. Quamuis enim nimis lata ſignificatione Grammaticos huc quoque reuocet rhetoricosque ſcriptores, iis tamen demtis tantus aceruus remanet, vt facile ex reliquis intelligi queat, quanto in pretio philoſophia apud Arabes fuerit. In quo catalogo illi praecipue notandi ſunt, qui in Ariſtotelem commentati eius lectionem contribulibus ſuis fecerunt facilem, quorum indicem a ſcriptore Arabe Muhammed Ebn Iſaac confectum, et ab HOTTINGERO[ff] adductum eo magis legiſſe operae pretium eſt, quo magis Ariſtoteles ſolus dux fuit, quem Arabum ſecuta eſt induſtria. Sed in reliquis quoque philoſophiae partibus fere omnibus diligentiſſimos fuiſſe Arabes, ex hoc loco liquet. Cuius vt in compendio notitiam aliquam faciamus Lectori ex libro, rarius hodie occurrenti, ecce meruere I. de philoſophia in genere Behaioddinus, Sabkaeus, Aphdollodinus Chungaeus, Schamſoddinus Azbahanaeus, Iacobus Sabachidas Kindaeus, Alkendi nomine infra enarrandus, Ibn Omar eiusque commentator Katibaeus, qui et Phachri-Raſis philoſophiam commentariis explicuit. II. Syſtemata vero philoſophica confecere Schiraſita quidam, cuius logicam, phyſicam et metaphyſicam Chatibaeus obſeruationibus illuſtrauit: tum Mouapheki Abdollatifi, et celeberrimus Ibn Sina, ſiue Auicenna, in cuius philoſophiam Naſiroddinus, Fahri Raſis, Nuuerius aliique commentati ſunt. Claſſi quoque huic addendi Gemſiidus Gaiatus, Kotoboddinus, Schiraſita Sharauerdus, eiusque commentator Ibn Kemouna, itemqu Gadumfer Tauriſius, qui inter primos fuit, qui inter Arabes philoſophicam Hiſtoriam excoluere, edito libro *de philoſophis antiquis et recentioribus*. Porro et Ibn Matoul aliique de hoc argumento ſcripſerunt. III. Logicam illuſtrarunt ex Arabibus praeter Auicennam, Sahdi, Catibaeus eiusque interpres Ibn Mutaher, Aphdolloddinus Chungaeus, Schamſoddinus Aikaeus, Alchindus aliique. IV. Metaphyſicae illuſtrandae inſudarunt Ibn Honaim Raſiaeus Muhammed Tuſius, eiusque commentator Ahmed Ispahanienſis, qui etiam Naſiroddini ſcripta metaphyſica commentariis explicuit, Tadi, Talegius, Behmeianus Abu Manſor aliique ex parte quoque Latinitate licet ſatis infeliciter[t] donati. V. In phyſica Cazrinius ob hiſtoriam naturalem celebris eſt, eminuerunt quoque meletematis ſuis in hac philoſophiae parte Behmeiarius, Ibn Amid, Ali Zelthus, Ahmed Abul-Abbas Kalkaſchandaeus, Schafaeus quidam aliique, hiſtoriae vero plantarum et herbarum haud inutilem praeſtiterunt operam, Ibn Beitarius medicus Malacenſis et Maleieſia: hiſtoriam animalium ſcribendam ſuſceperunt Demirius, Ibn Kadi Schiaba et Gaheth; de vita et ani-

ma-

f) l. c. p. 216. ſeqq.

ff) pag. 219.

t) Dicemus ea de re pluribus infra. Interim audiendus doctiſſimus LVDOV. VIVES de cauſſis corrupt. art. L. V. p. m. 167.

ma Perſarum philoſophus Abibeker et Ibn Patrik, et de arcano rerum ſenſu Ibn Arabi Hiſpanus et Aphdoloddinus Chunghaeus ſcripſerunt. VI. Philoſophos vero morales tractationibus ſuis ſe demonſtrauerunt Ibn Schel Samaritanus, Ibn Hauaſen Cusiiraeus, Ahmed Azdaeus et Aſſiotus. VII. Politicam commentariis illuſtrarunt Ibn Abinalius Abil Kaſemus, Fahri Tartuſius, Ibn Dafar, Zauauaeus, Thagoddinus Alexandrinus, et Makrizi. Vt taceamus magnum eorum numerum, qui de aſtronomia, aſtrologia et Geometria egregie meriti ſunt, alibi nominandum. His enim ſcientiis mathematicis Arabes cum laude inſudauiſſe, celeberrima Thebiti Ebn Korrae, Alhaſanii, Alpharagii, Alphraganii, Alchabitii, Albategnii aliorumque nomina euincunt, de quibus in hiſtoria mathematicarum diſciplinarum non ſine encomio tractatio ſolet inſtitui [u]. Fuiſſe autem inter Arabes etiam Iudaeos et Chriſtianos quosdam, qui de literis et philoſophia egregie meriti ſunt, ex Meſue et Honaini exemplis ſupra allatis conſtat. Hi quidem, vbi de Saracenica philoſophia agitur, proprie huc non pertinent: non omittemus tamen eorum, quantum ad noſtrum inſtitutum pertinent, hiſtoriam paucis et ὡς ἐν παρέδῳ recenſere, ne in hac quoque parte deſideretur noſtra induſtria. Quam ita ad illuſtrandam hanc philoſophicae hiſtoriae partem adhibebimus, vt aliquot celebriorum philoſophorum vitas peculiari tractatione exponamus, reliquorumque per lancem quaſi ſaturam poſtea aliquam afferamus copiam. Omnes enim recenſere et inſtituti noſtri limites non permittunt, et lectoris patientia indignum eſt, eo quod nihil plane noui praeſtiterint, ſed ſolum Ariſtotelem miſere tortum et corruptum adorauerint, eorum etiam notitia ex aliis fontibus facile hauriri poſſit [v]. Meliori tamen memoria digni ſunt, Iacobus Alkendi, Thabet Ebn Korra, Alpharabius, Abulhaſan Al-Aſshari vel Eſciari, Abulhuſein Eſſophi, Alrazis, Auicenna, Eſſeriph Eſſachalli, Thograi, Ibnu Saig Aui Iaafar Ebn Thophail, Auerroës, Noimoddinus, Ibnu Elchatib, Elmuhaied Ettoſi, Neſſiroddinus.

§. XI. Inter primos et praeſtantiſſimos Arabum philoſophos ſuo iure primum fere locum poſtulat ALKENDI [x], ſiue quo nomine integro vtebatur Abu Yuſef Iaacub Ebn Eshak Alkendi [y]. Qua in appellatione inte- *Alkendius.*

u) Videndus Vossivs de ſcientiis mathematicis c. XXXV. p. 172. ſeqq.

v) Adeundi Herbelotii bibliotheca Orientalis, et ſimiles.

x) Exiguae ſunt memoriae de Alkendo, nec tam frequentes, quam poſtulat fama huius philoſophi. Habet aliqua Abvlfaraivs Hiſtor. Dyn. IX. paſſim; ſed non ſatis eius hiſtoriam exhaurientia. Ex recentioribus P. Bayle Dict. T. I. p. 136. peculiari articulo de eo egit, ſed nec accurate nec plene ſatis. Scriptorum autem catalogus ex Hottingeri bibliotheca Orientali colligi, vitaque ex Herbeloti bibliotheca illuſtrari poteſt. Scopae tamen hae diſſolutae ſunt, vnde laudanda eſt eruditiſſimi Lackemacheri induſtria, qui de hoc philoſopho peculiari diſſertatione Helmſtad. 1719. 4. edita, egit, eiusque hiſtoriam literariam docte illuſtrauit, quem nos quoque in multis ſecutos fuiſſe grati fatemur.

y) Vid. Abvlfaraivs loc. cit. p. 179. Pocock. ſpecim. hiſt. Arab. p. 365. Lackemacher. l. c. p. 4. Monendus hoc loco Lector eſt, ne in ſequentibus in appellationibus philoſophorum Arabum offendat, moris fuiſſe apud Arabes, vt multis cognominibus gauiſi fuerint; vnde praeter nomen ſuum proprium, etiam patris, itemque filii vel vnigeniti, vel primogeniti,

integra Iacobus nomen eius proprium eſt, Abu Yuſeph vero, more Arabum ideo dicitur, quod filium Ioſephum habuit, ſibi vel magnopere dilectum vel prae reliquis eius filiis clarum: Ebn Eshak autem vocatur, quod patrem habuit Iſaacum. Nomen vero Alkendi, id eſt Kendaeus a tribu Arabica [z], ex qua ortum habuit, deriuatum eſt, quod cum Al Ioophi Alkendi, celebri Arabum poëta, ex vico Kendah in praefectura Cufa ſito oriundo, qui alias Al-Motanabbi dicitur, et de quo ſupra iam aliqua facta mentio, non eſt confundendum [a]. Patriam habuit Baſram vel Baſoram, celebre orientis emporium, ſesquidiei itinere a ſinu Perſico ſitum, quod Omar, tertius a Muhammede princeps Saracenorum condidit, et non magnitudine tantum elegantia et diuitiis ex mercatura, ſed eruditionis quoque gloria cum Cufa diu certauit [b]. Pater ei contigit et natalium ſplendore et muneris dignitate illuſtriſſimus [c]. Obſeruante enim ex ſcriptoribus Arabibus POCOCKIO [d], ex Arabum regibus oriundus fuit, inter quos ante Islamiſmum genti huic imperantes fuiſſe etiam aliquos ex Kindaea tribu oriundos, ex POCOCKII [e] narratione de his regibus diſci poteſt: Teſte vero ABVLFARAIO [f] pater Cufae praefectum egit, quod poſt Chalifatus eminentiam ſummum dignitatis inter Arabes faſtigium fuit. Nec ſpernenda docti viri [g] coniectura, ſuſpicantis, principes Moslemiticos, pulſis ſuperatisque Arabum regulis imperioque ſibi vindicato, vt facilius iugum ferrent aequiorique animo paterentur imperium, regias has principesque familias non omni dignitate et praerogatiua ſpoliaſſe, ſed aliquam eis priſtini axiomatis vmbram reliquiſſe, et ſic Iſaacum quoque, Iacobi parentem, conditae ab Omaro nouae vrbi Cufae [h], prouinciaeque Erakenſi praefectum datum eſſe. Ea vero dignitate ſub Calipha Mohammed Mohdi, Abbaſidarum tertio, et ſub quinto, Aharone Al-Rashido gauiſus eſt. Ex his vero parentis eius temporibus, de aetate Alkendi iudicandum eſt, quamuis incerti ſint eius natales, et paſſim viri

docti

niti, vel ſibi prae reliquis chari, vel aliis ex circumſtantiis clari, itemque tribus patriaeque nomen ſibi tribuerunt, vt ex hoc ipſo Kindaei exemplo patet. Cuius vt aliud quoque Lector exemplum habeat, en titulum ABVLFARAII hiſtorici, eius dynaſtiis praefixum: „Dominus „noſter, pater ſanctus, eximius, doctrina et „eruditione inſignis, doctorum rex, excellentium „excellentiſſimus, temporum ſuorum exemplar, „ſeculi phoenix, ſapientum gloria, doctor di„uina ope ſuffultus Mar Gregorius Abulfaraius, „filius excellenter ſapientis Aharonis Medici Ma„latienſis", conf. HOTTINGER. bibl. Orient. c. 2. p. 293. Valde abhorrere hanc titulorum inſaniam a moribus noſtris, neminem latet, ſed dandum aliquid eſt moribus Orientalium, eiusmodi tumorem verborum alibi quoque affectantium.

z) Arabes in certas tribus fuiſſe diſtinctos ſatis notum: earum notitiam accuratam exhibet POCOCK. ſpecim. hiſt. Arab. p. 40. Inter has tribus ſeptem ſunt, quae a Kahlan filio Saban origines deriuant, interque eas Kendah quoque.

a) Accidit ipſi POCOCKIO, at quanto in his literis viro! l. c. qui vero ipſe p. 365. errorem emendauit, et haec nos docte monuit. Vocatur etiam Alkendi Iacobus Sabachidas Kindaeus, vid. HOTTINGER. bibl. Orient. c. 2. p. 217. vnde colligi poteſt, vel patrem vel alium ex eius maioribus nomen Sabachidae, id eſt, matutini accepiſſe.

b) ABVLFAR. l. c. extructa vrbs anno Heg. 14. conf. IAC. GOLIVS ad Alferg. p. 119.

c) ABVLFAR. l. c. p. 273.

d) l. c. p. 365.

e) l. c. p. 78. 79. p. 179. verſ. lat. f) loc. cit.

g) LACKEMACHER. l. c. p. 6.

h) Cufa, celeberrima prouinciae Erakenſis metropolis, quam aedificauit Chalifa Omar, ad Euphratem ſita, Babylon veterum quibusdam eſſe videtur, et tum mercatura tum eruditione fuit florentiſſima. Vid. GOLIVS l. c. p. 119. 121.

docti non ceſpitauerint tantum, ſed et lapſi fuerint in eius temporibus definiendis [i]. Cum enim pater ſub tertio quintoque ex Abbaſidarum familia principe vixerit, ſequitur inde, quod et tota Alkendi hiſtoria euincit, eum ſub Al-Mamone, magno illo literarum et philoſophiae inter Arabes fatore et promotore, tum ſub eius ſucceſſoribus Almotaſemo et Ahmed floruiſſe: et ſic aetatem eius in finem ſeculi poſt Hegiram ſecundi et initia tertii, ſiue ſeculi Chriſtiani noni initia et progreſſum incidere. Id quod teſtimonio ſcriptoris Arabis ABVLKASEM, qui *hiſtoriam medicorum* ſcripſit, confirmari poteſt, qui *eum*, teſtatur, *apud Al-Mamonem, Al-Moſatemum et Ahmedum magna gratia fuiſſe gauiſum* [k]. Feliciſſimis vero ſideribus natum fuiſſe Kendaeum eo minus dubitandum eſt, quo magis in eo conſpirauere omnia, quae ad ſummos eruditionis honores et laudis faſtigia philoſophum euehere apta ſunt. Cum enim parentibus editus eſſet ampliſſimis, quibus nec educandi occaſio, nec ſumtus nec optimus ſcopus eum ad maiorum exempla formandi deerant; et natura eum iſtis dotibus cumulauiſſet, quibus et iudicium formari rectum et ingenium ad foecunditatem ali augerique, et firmari memoria poteſt: in illa autem eius aetas incideret tempora, quibus ex ſopore et veterno excitata Arabum ingenia exorientis eruditionis radios auide excipiebant, princeps autem optimus ad amplectenda doctrinae et imprimis philoſophiae ornamenta bonos omnes vehementer et verbis et praemiis excitabat; facili inde inductione colligi poteſt, animum Al-Kendi natura ad optima quaeque audenda aſpirantem, ſubdito a parentibus calcari, ad ea brabea impigre cucurriſſe, quae ad promouenda literarum ſtudia Al-Mamon et ſucceſſores propoſuerant. Certe hos principes iſtis illecebris eruditionis illum apud ſe detinuiſſe, ex hiſtoria Medicorum Arabica ABVLKASEMI obſeruauit POCOCKIVS [l]. Adiuuit fortuna conſilium,

i) Cum Arabum hiſtoria literaria ſatis incerta et obſcura ſit, mirum non eſt, in definienda Alkendi aetate viros doctos paſſim offendiſſe. Nam LVCAS GAVRICVS in Cal. Eccl. et qui eum ſequitur GER. IO. VOSSIVS de ſcientiis mathemat. c. XXXV. §. 30. p. 179. ponunt eum in annum a C. N. 1235, quem tamen errorem facile praeuidere potuiſſent, ſi obſeruaſſent, Auerroëm et Raein, qui ante hunc annum vixerunt, eius mentionem facere. Seduxit Voſſius Morerium et compilatores alios, vt cum ipſo errarent. Paulo maturius eum floruiſſe putat WOLF, IVSTVS in chronologia medicorum, et qui eum ducem ſequuntur LINDENIVS et MERCKLINVS de ſcript. medic. L. I. p. 473. illi enim Eugenii III. P. R. temporibus A. C. 1145 vixiſſe putant. At et hoc in anno errant, et quod peius, eius tempora cum aetate Auicennae et Auerrois confundunt, cum tres hi philoſophi tribus diuerſis temporibus vixerint. Iuſtum ſequitur etiam, quod miramur FABRICIVS biblioth. Graec. Vol. XIII. p. 54. Cautius NAVDAEVS apologie des grands hommes accuſez de magie, c. 14. p. m. 250. quique eum ſequitur P. BAYLE l. c. de tempore eius nihil definiunt, ille tamen recte ſuſpicatus eſt, ſex ante ſua tempora ſeculis eum vixiſſe, eo quod Auerroës eum vehementer laudauerit, quem Sec. XII vixiſſe conſtat. Proxime vero IO. SELDENVS, qui in praef. ad origines Alexandrinas pag. 19. Alkindum inter *συγχρόνους* Eutychii numerat, ille vero teſte ELMACINO hiſt. Saracen. L. III. p. 208. vixit ſec. III. Heg. id eſt, ſec. Chr. noni fine et decimi initiis. Recte vero HERBELOTVS bibl. Orient. p. 957. et LACKEMACHERVS l. c. §. 5. p. 8. Al-Mamonis temporibus tribuunt. Quorum hic quoque leuem aliquem errorem libri Iuchaſin p. 111. emendat.

k) Vid. POCOCK. l. c.

l) loc. cit.

ſilium, ad formandum animum natura bonum docilemque occaſionem in patria fauentiſſimam exhibens. In ea enim non mercatores tantum florebant diuitiarum potentia illuſtres, ſed et eruditi viri, in omni diſciplinarum genere exercitatiſſimi, quorum ſtudio effectum eſt, vt Baſrae ſibi Muſae domicilium eligerent [m]. Quibus omnibus cum ſe coniunxiſſet maxima diligentia, isque ſe philoſophiae ſtudio totum tradidiſſet, mirum non eſt, tanta eum denique doctrina eminuiſſe, vt et philoſophus κατ' ἐξοχήν diceretur [n], et ſuperbiſſimis ornaretur, more Arabum, titulis: Ita enim Muhamed Iſacides de eo apud HOTTINGERVM [o]. *Chindaeus, qui fuit Abu Ioſeph, Iacob, aetatis ſuae radix, et temporis ſui phoenix in notitia ſcientiarum veterum omnium, dicebatur philoſophus Arabum, extantque libri eius in diuerſis diſciplinis, logica, philoſophia, geometria, arithmetica, muſica, aſtronomia et alia id genus.* Quae verba licet ſtilum orientalium magnificum ſapiant, patet tamen ex iis, Alkendum in omni fere diſciplinarum genere, maxime vero in omnibus mathematicis et philoſophicis ſcientiis ita fuiſſe verſatum, vt ei ſuppar inueniretur nemo. Quod illi eo magis laudi cedit, quo magis illa aetate Al-Mamonis ſtudio viri docti de palma in philoſophia et matheſi obtinenda certabant, et, vt eruditione ſe mutuo vincerent, omni niſu ſatagebant. Illud ABVLFARAIVS [p] teſtatur, ſi inter Muhammedanos vir κατ' ἐξοχήν doctus denominandus ſit, Iacobum hunc nominari: et ex aliis Arabum ſcriptoribus IO. SELDENVS [q] obſeruat, locum eum habere inter nouem iudices, qui cum Haly de iudiciis aſtrorum plerumque coniunguntur. Alia Arabum, Hali, Razis, Meſuè iunioris &c. elogia a P. BAYLE [r] adducta tacemus. Nec alia ſunt Chriſtianorum de hoc Arabe philoſopho iudicia, apud quos ad noſtra vsque tempora inter ſtellas primae magnitudinis in coelo philoſophico et mathematico connumerari meruit: quod CARDANI [s] iudicium inter duodecim magna ingenia Alkendum numerantis multi viri docti, qui eius res tetigerunt, confirmauere [t]. Quamquam autem ingenium Alkendo natura dederat philoſophicum idque haud mediocre, dolendum tamen eſt, in ſecula eum ſeruilia incidiſſe, quibus cum vbique regnaret barbaries, ſolus Ariſtoteles imperabat, vnusque in omnium libertatem ſaeuam exercebat tyrannidem. Huic itaque dum more gentis ſuae collum ſubdit, in illum quoque iurat Alkendus, eiusque libris illuſtrandis interpretandisque totum ſe tradit. Vnde inter commentarios Arabum Ariſtotelicos in MVHAMMEDIS ISACIDIS catalogo [u] referuntur eius ſcripta in libros *de categoriis, de interpretatione, analytica priora et poſteriora, de praedicamentis et de ſophiſtica.* Laudandum vero in eo eſt, quod non tantum, more ipſius Ariſtotelis ex Platonis

m) GOLIVS ad Alferg. l. c.
n) ABVLFARAIVS l. c. p. 273.
o) Bibl. Orient. c. 2. p. 283.
p) l. c. confer. LACKEMACHER. l. oc. §. 7. pag. 9.
q) loc. citat.
r) loc. citat.
s) De ſubtil. L. XVI.
t) Videndi quos iam allegauimus, Seldenus, Pocockius, Hottingerus, Baelius, Voſſius, Lindenius, Naudaeus, alii.
u) Apud HOTTINGER. l. c. p. 219.

nis academia ſeruato philoſophiae neceſſitatem et vtilitatem diſcipulis commendauerit, ſcripta *exhortatione ad diſcendam philoſophiam* [t], ſed quod etiam mathematicarum diſciplinarum προπαιδείαν vehementer inculcauerit, quo nomine inter ſcripta eius laudari ſolet eius tr. *de matheſeos neceſſitate ad intelligendam philoſophiam* [u]. Qua in re recte eum Arabes ſuos inſtituiſſe, eo magis iudicandum eſt, quo magis ne Graeci quidem Ariſtotelem ſine his adminiculis intelligere potuiſſe ſuo loco obſeruauimus. Sed et ſuo ipſe exemplo id confirmauit, ſedulus enim diſciplinis mathematicis inſudauit, et praecipue aſtronomiam et aſtrologiam indefeſſo excoluit ſtudio, cuius diligentiae ſpecimen eſſe poſſunt libri mathematici Kendaei, paſſim in bibliothecis latentes multisque memorati, quos hoc loco adducere inſtitutum vetat [v]. Sed et philoſophiam rationalem atque metaphyſicam ſtudio illuſtrauit ſuo. Scripſit enim *quaeſtiones logicas et metaphyſicas*, itemque tractatum *de philoſophia interiore* [w], qua voce acroamaticam indicari, ex eo diſci poteſt, quod de methodo Ariſtotelis eſoterica ſiue acroamatica *Tomo primo* diximus. Tandem et ad artem ſalutarem more philoſophorum Arabum animum applicuit, ſtudioque ſuo, experientia et lectione nixo eousque in hac arte profecit, vt inter experientiſſimos medicos numeraretur [x]. Videas itaque paſſim ſcripta eius medica in bibliothecis atque catalogis ſcriptorum medicorum enumerari [y]. Aſt ſic quoque partem quoque philoſophia naturalem ſimul ſumma diligentia excuſſiſſe, credibile eſt, qua cum multa detegeret, quae in iſtorum temporum ignorantia atque oſcitantia attonitos homines reddebant, exorta inde eſt magiae ſuſpicio, qua paſſim premi praeſtantiſſimum philoſophum videas, quemadmodum eum etiam ab hac labe recte abſoluit GABRIEL NAVDAEVS [z]. Qua in accuſatione et ſyſtema Peripateticum a leui et ſuperſtitioſo hominum genere ad res ſublunares earumque affectiones ex influxu coeleſtium ſphaerarum definiendas adhibitum, et artes medicorum veterum, medicaminum ſuorum vires effectibus ſupranaturalibus tribuentium, et myſteria ſua indoctum vulgus ſolaque admiratione ignotarum rerum ad lubitum voluntatemque prudentum ducendum celantium, inuidiam quoque magni viri meritis ita obluctantem eaque infamantem concurriſſe, facile palpabit, qui haec et ſimilia exempla probe

t) Ibid. p. 217. Exhortatio Iacobi Sabachidae Kindaei, qui vulgo Alchindus dicitur, ad diſcendam philoſophiam.

u) Ibid. p. 248.

v) Conf. VOSSIVS l. c. memorat inter alia HOTTINGERVS l. c. p. 252. Iſaaci Chindaei tr. de metiendis diſtantiis, et de electione dierum. Non differre hunc Iſaacum a Iacobo noſtro iam vidit SELDENVS praef. ad orig. Alexandr. p. 19. vterque enim libri titulum ex catalogo librorum Arabicorum qui in bibliotheca Lugduno-Batana ſeruantur, deſcripſit Aut itaque patris et filii nomina inter ſe confuſa, aut reuera patris ſcriptum fuit, filio perperam tributum ob maiorem celebritatem. Cl. LACKEMACHERO poſterius placet, nobis prius. De aliis videndi HERBELOTVS, BAYLE, aliique.

w) HOTTINGER. l. c. p. 245.

x) Conf. NAVDE l. c. BAYLE l. c.

y) MERCKLINVS in Lindenio renouato L. I. p. 473. MORHOF. Polyhiſt. T. II. L. I. c. 10. p. 53. FABRIC. bibl. Graec. Vol. XIII. p. 48. 54.

z) loc. cit.

be ponderauerit, vnde ab hac labe Kendaeum abſoluere nulli dubitamus [a]. Quanquam et hoc apud ſtupidiores ſuſpiciones fouere has potuit, quod ex ſcriptoribus Arabibus narrat HERBELOTIVS [b]: feliciſſimum fuiſſe Alkendum in coniecturando, et diuinationes eius ſaepiſſime euentu fuiſſe comprobatas. Adeo vero ad regulas philoſophiae medicae artis praecepta exegit Alkendi, vt qualitates atque efficaciam medicamentorum regulis arithmeticae et muſicae ſubiiceret [c]. Qua in re tamen eum ſtatuendo: qualitatem medicaminis dupla proportione augeri, et muſcas captaſſe, et nimia ſubtilitate ſomnia ſecutum eſſe deceptum falſa interpretatione loci alicuius Galeni dudum iam obſeruatum Auerroi [d], et poſt eum recentioribus aliis. Ceterum in theologia Muhammedanas partes ſecutum fuiſſe conſtat, quamuis virum in philoſophia verſatiſſimum impudentia Corani mendacia vel riſiſſe, vel rationali magis ſenſu explicuiſſe, adeoque more philoſophorum Muhammedanorum religionem prudentum atque eclecticam ſecutum fuiſſe, facile Cl. LACKEMACHERO credamus, ex Al-Hoſain Ebn Abdo'l Rahmân obſeruanti [e], doctores Muhammedanos non in omnibus Kendaeum probauiſſe. Audiendus ergo non eſt HERBELOTIVS [f], qui eum ortu et natiuitate Iudaeum fuiſſe ſtatuit. Neque vero ſola theoria philoſophiam Alkendaeus profeſſus eſt, ſed et vita exprimere ſtatuit. Cuius egregium exemplum in animi continentia iraeque moderamine erga acerbiſſimum aduerſarium reliquit, dignum quod apud ABVLFARAIVM [ff] fuſe narrantem legamus. Summa rei haec eſt: Magno, vti ſupra dictum, fauore principum vtebatur Alkendi, et veriſimile eſt, in aula Almamonis eum Bagdadi fuiſſe verſatum, quo loco conueniſſe principum beneficentia illectum maximum virorum doctorum aceruum, ſupra in Al-Mamonis hiſtoria diximus. Certe hoc loco eum vixiſſe et docuiſſe Abulfaraius teſtis eſt. Cum itaque, vt ſupra monitum, ineptam vulgi ſuperſtitionem ad rationes philoſophicas reuocaret philoſophus, accidit, vt legis Coranicae interpres quidam (quales traditionem Muham-

a) Prouocat Naudaeus ad Wimpinam et Picum, qui magiae reum egere ob librum de theorica magicarum artium, ipſe tamen obſeruat, quod et SELDENVS l. c. notauit PICVM in apologia, et in libello de hominis dignitate, Alchindum cum Rogerio Bachone et Guilielmo Pariſienſi inter eos referre, qui magiam vere naturalem olfecerint. Nos, qualis magia Alkendaeo placuerit, dicere non poſſumus, cum hunc librum non inſpexerimus, quem nec Naudaeus vidit, vnde ex ſola coniectura pro Alkendi dicit: facile tamen largimur, poſſe in eo reperiri ſuperſtitioſa multa, vt ſcilicet et natio Arabum ab omni tempore fuit, et religioni Muhammedicae conueniebat. Aſt hanc ſuperſtitionem ex ſyſtemate eius philoſophico fluxiſſe nulli dubitamus. Ita enim Peripatetica multa abſurda nugasque vanas ſuppeditare poſſe, vel vnius Pomponatii vel Petri Aponenſis exemplum euincit. Id quod mire confirmant ea, quae doctiſſimus SELDENVS l. c. obſeruat: „Magiam hanc Al„chindi Picum potiſſimum cerni voluiſſe in libro „de radiis, in quo de ſpecierum rerum omni„modarum, vti radiorum a ſole, emanatione, „et de relatione vniuerſi partium magnetica „agit." Sphaeras enim cunctas arctae harmoniae influxu inter ſe cohaerere ex mente Stagiritae notum.

b) l. c. p. 469.

c) Pertinet huc liber eius de medicinarum compoſitarum gradibus, vid. MERCKLIN. l. c. p. 473. MORHOF. l. c. et imprimis FREIND. hiſt. medic. P. II. p. 65.

d) In coliget. L. V.

e) l. c. p. 16.

f) loc. cit.

ff) l. c. p. 272. 178. verſ. lat.

Muhammedis potiſſimum explicabant [g],) magno in Alkendium feruore zeloque inſurgeret; ſine dubio, quod ſentiret, non bene conuenire ſtudio philoſophiae cum ſuis nugis atque ſomniis, oculosque aperiri attentis, ne amplius tanta facilitate impoſtoribus fiderent. Magnis itaque iris contra philoſophum aeſtuans, et acerbiſſimis accuſationibus dirisque conuiciis eum proſcidit, et impietatis atque haereſeos coram plebe accuſauit, immo hoſtiliter armis eum inuadere auſus eſt. Quid ad haec Alkendi? Non is malum penſare malo, effrenemque atque fanaticum hominem loro et virga compeſcere, quod per principis fauorem atque gratiam facile licebat, ſed emendare animum vaeſani hominis et ad frugem reducere conatus eſt. Detectis, quas vitae eius intentauerat, inſidiis, non carcerem et gladium ei obuertit, ſed monita et praecepta philoſophiae. In eo autem curam ponebat, vt ab alio Abu Maaſcharo huic, (hoc enim illi nomen erat) arithmeticae et geometriae amor iniiceretur. Non fefellit prudentiſſimum virum ſuſpicio, fore, vt didiciſſe fideliter artes emolliat mores, nec ſinat eſſe feros. Ita enim breui factum eſt, vt qui prius canina rabie in Alkendi fuerat debacchatus, iam percepta mathematicarum et philoſophicarum diſciplinarum dulcedine, ſtultitiam ſuam apertis agnoſceret oculis, et furere in philoſophum ſuperſtitionis patrocinio deſiſteret. Quod cum ille obtinuiſſet, vt quem philoſophiae hoſtem expertus erat, hunc philoſophicis armis victum et proſtratum cerneret, ad frugem reuocatum in diſciplinam recepit, tantaque fidelitate erudiuit, vt inter optimos diſcipulos emergeret [h], et in aſtrologia libros doctiſſimos conſcriberet [i], quibus famam ſibi comparauit poſtea. Ceterum quibus honorum titulis et axiomate in tanta principum gratia fulſerit Kendaeus, quamdiu vixerit, quem vltimum in hac vita diem viderit, quaeque alia ſunt, hodie ignoramus. Non confundendum eſſe Kendaeum hunc cum Alkendo poëta, ſiue Motanabbi ſupra iam ex Pocockio monitum, id quod GOLIVS [k] quoque obſeruat: quemadmodum etiam a Kendaeo ELMACINO [l] memorato diſtinguendus eſt. Caue tamen ne ex Alchindo, Alcendi, et Alkindo diuerſos tibi effingas homines, vt quibusdam viris doctis accidit [ll]. Vnum enim tantum norunt Arabes Iacobum Alkendi [m].

§. XII. Poſt Alkendaeum inter Arabes philoſophiae et mathematicarum diſciplinarum cognitione prorſus ſingulari excelluit THABET *Thabet Ebn Korra.*

g) Duplex apud Muhammedanos lex eſt ſcripta et ἄγραφος. Illa Corano continetur, eſtque lex Islamitica a Muhammede ſcripta: alteram Sunam vocant, quae omnia comprehendit praecepta vel prohibita a Muhammede, vel dictis factisque eius ſtatuta, de quibus nihil in Alcorano ſcriptum reliquit. Vid. POCOCK. l. c. p. 298. HOTTINGER. bibl. Orient. pag. 163. GOLIVS in Lex. Arab. v. Suna. In hoc ſtudio traditionario multi ſunt Muhammedani, vid. HOTT. l. c. p. 165. Eſt itaque Suna idem, quod Iudaeorum Talmud, eaque ius canonicum et ciuile Muhammedanorum nititur potiſſimam partem.

h) Vid. ZACHVT. in Iuchaſin p. 111.

i) Vid. HOTTINGER. bibl. Orient. p. 254.

k) Additam. gramm. Arab. p. 208.

l) L. II. c. 9. p. 141.

ll) Ita GESNERVS bibl. pag. 23. 30. 368. BAYLE l. c. FABRICIVS bibl. Gr. Vol. XIII. p. 48. 54.

m) Conf. Cl. SCHVLTENS in bibl. nou. Sect. II, obſ. LACKEMACHER. l. c. p. 5.

BET BEN KORRA, Ebn Harun Al-Sabi Al-Harrani [n], qui et vno nomine Thebit dici ſolet. Al-Sabi autem ob religionem, quam profitebatur, dicitur. Hanc ſcriptis explicuiſſe his verbis narrat ABVLFARAIVS [o]: *Multa ſcripſit in diſciplinis mathematicis, medicina et logica. Sunt et illi libri lingua Syriaca ſcripti, de iis quae ad Sabiorum religionem ſpectant, de eorum conſtitutionibus, praeceptionibus et ritibus, de mortuis inuoluendis et ſepeliendis, de munditie et immunditie, quaenam animalia ſacrificiis idonea, quae inepta, de temporibus cultui diuino deſtinatis, de ordinanda lectione inter orandum.* Subiungit his hiſtoricus breue ſectae Zabiorum doctrinae compendium [p], quod cum ea dogmata exhibeat, quae *Tomo primo* late excuſſimus, merito hic ſilentio praetermittimus, locum tamen hunc legendum iis commendamus, qui huius Philoſophi doctrinam, cui adhaeſit, et philoſophiae ſyſtema inaedificauit intelligere cupiunt. Ratio hinc petenda, cur inter mathematicos magnum ſibi nomen famamque parauerit, his enim ſcientiis Sabaei ſiue Zabii plurimum tribuerunt. Praecipue vero in geometriae ſublimioris algebraeque myſteriis celebrata fuit eius eruditio, quam doctiſſimis ſcriptis illuſtrauit, quae tamen paſſim adhuc in bibliothecis deliteſcunt. Euclidem enim a mendis repurgaſſe, et commentariis illuſtraſſe docent GABRIEL et IOANNES Maronitae [q]. Liber quoque eius *de ſuperficierum diuiſionibus* itemque *data* eius ſiue *determinata* memorantur, quae eſſe problemata geometrica teſtatur HOTTINGERVS [r]. Tum eius *aggreſſiones de anguli rectilinei triſectione*, itemque *de veritate propoſitionum algebraicarum ex demonſtrationibus geometricis adſtruenda* [s], et ſimilia, quae ex parte in *collectione ſcriptorum veterum mathematicorum* edere promiſerat doctiſſimus Mathematicus EDWARTVS BERNARDVS.

n) ABVLFARAIVS Dynaſt. IX. p. 184. POCOCK. ſpecim. hiſt. Arab. p. 377.

o) loc. cit.

p) Adiiciemus ſequentia quoque ABVLFARAII verba in eorum gratiam, qui librum haud vbiuis obuium, ad manus non habent. „Illud „autem, inquit, quod apud non conſtat de ſe„cta Sabiorum, eſt: profeſſionem eorum eandem prorſus eſſe cum Chaldaeorum antiquo„rum profeſſione, Keblamque ipſorum polum „arcticum. Quatuor virtutibus intellectualibus „illos diligenter ſtudere; illis, vt ter orent, „iniunctum eſſe, primo ante ſolis ortum, ſemi„hora aut minus, quo oriente ſole finiantur „octo incuruationes, quarum ſingulae tres con„tineant adorationes: ſecundo ita vt finiatur „oratio meridie declinare incipiente ſole, con„ſtarque quinque geniculationibus, quarum „vnaquaeque tres contineat adorationes, tertia „oratione ſimili ſecundae, et finienda occidente „ſole. Ieiunia illis iniuncta eſſe, vnum trigin„ta dierum, quorum primus eſt nouus falcanui „prioris; nec non aliud ſeptem dierum, quo„rum primus Strebati octauus. Stellas inuoca„re: multa offerre ſacrificia, de quibus non „comedunt, ſed igne abſumenda penitus tra„dunt. A fabarum et alii vſu abſtinere, non„nullos etiam a phaſeolis, braſſica, crambe et „lentibus. Dicta eorum affinia eſſe dictis phi„loſophorum. Argumenta eorum ad probandam Dei vnitatem, longe firmiſſima eſſe: au„tumare animas ſceleratorum nouies mille ſecu„lis cruciari, deinde ad miſericordiam Dei redi„re." Diligenter cum his conferenda ſunt, quae tomi primi libro primo de Sabiorum religione et theologia diximus. Proprie enim ad haec tempora pertinent. Conf. HOTTINGER. hiſt. Orient. L. I. c. 8. biblioth. Orient. p. 103. ſed de his cap. ſeq. ex inſtituto dicemus.

q) In rebus Orientis Geographiae Nubienſi ſubnexis, p. 16.

r) l. c. c. 2. p. 248.

s) Vid. FABRIC. bibl. Graec. Vol. II. p. 564. ſeqq.

DVS [t]. Sed et arti ſalutari operam nauauiſſe, deque ea libros exaraſſe, ex Abulfaraii teſtimonio ſupra adducto conſtat [u]. Maxime vero hic nobis memorandus eſt, ob philoſophiam rationalem ab eo diligentiſſime excultam, ſcriptisque, teſte iterum ABVLFARAIO, illuſtratam, quibus magnum ſibi nomen et exiſtimationem inter ſuos peperit, adeo, vt ſi Cel. LVDEWIGIO [x] ſtandum, ſine teſte id tamen aſſerente, eius logica adhuc dum in vſu inter Muhammedanos pretioque ſit. His vero medicinae, matheſeos atque philoſophiae ornamentis ita ſe commendauit Chalifae Al-Mootadedo, vt ſummo apud eum honore eſſet, multisque teſte ABVLFARAIO [y] beneuolentiae ſpeciminibus frueretur. Sed et filio Senan [z] et nepote cognomine Thabet Ebn Senan inclaruit, qui et ipſe inter medicos et mathematicos Arabum celeberrimum nomen conſecutus eſt [a], de quibus videndus HERBELOTIVS [b]. Natus eſt Thebit teſte hiſtorico Arabico an. Heg. CCXXI, defunctus a. H. CCLXXXVIII, ex quo patet, ſeculo eum Chriſtiano decimo inter Arabum philoſophos innotuiſſe, errareque BLANCANVM [c], ſeculo decimo tertio eum vindicantem.

§. XIII. Proximus huic fama et exiſtimatione philoſophus inter Arabes fuit ALFARABIVS, qui et inter gentis ſuae homines, et inter Chriſtianae fidei aſſeclas magnum ſibi nomen peperit, valde laudatus inter Saracenos ABVLFARAIO [d], IBNV GIVLGIVL in *hiſtoria philoſophorum* EBN CHAICAN in *hiſtoria Medicorum*, IO. LEONI AFRICANO [e] aliisque. Integrum ei nomen fuit Abu Naſr Muhammed Ebn Tarchan Al-Farabi [f]: quam vltimam appellationem, qua plerisque innotuit, quaeque laudari communiter ſolet, a patria Farab accepit. In huius enim prouinciae [g] vrbe Balch Farabius parentibus nobilibus natus eſt [h]. Qui cum et cenſu et honore ſplenderent, dubium non eſt, quin ad ſimiles huic vitae generi mores Abu Naſrus ductus fuerit. Sed contemtis is diuitiis vitaeque ſplendore ad ſublimiora et maiora adſpirauit, clamque paternae domui ſe ſubducens ad celeberrimam Muſarum ſedem Bagdadum abiit, vt philoſophiam addiſceret. Cuius cum in ſchola Ioannis Meſue hauriendae occaſionem nactus eſſet optimam, tanta contentione in philoſophiam incubuit, vt ſummam eius cognitionem attingeret, magnus- *Alfarabius.*

t) Videndus conſpectus ab illo editus, quem bibliothecae Graecae l. c. inſeruit integrum deſideratiſſimus FABRICIVS, et ante eum ad calcem vitae eius Epp. Hungtingtonianis adiectae THOMAS SMITH. Mireris itaque Thabetum omiſiſſe inter Arabum mathematicos Voſſium.

u) l. c. Hinc addi debet catalogo medicorum veterum apud FABRIC. bibl. Gr. Vol. XIII.

x) In diſſert. de philoſ. ration. apud Turcas §. 11. p. 31. not. g.

y) l. c. conf. POCOCK. ſpecim. hiſt. Arab. p. 377.

z) Fuit enim Chalifae Moktaderi archiater.

a) Xenodochio Bagdadenſi medicus praefectus eſt, maxime vero ob opus hiſtoricum ab a. H. 290. ad a. 363. quo obiit, inclaruit. Valde enim id paſſim laudatur.

b) In Thebit.

c) In chronol. mathemat. caſtigatus ideo SELDENO praefat. ad orig. Alex. p. 16.

d) Dynaſt. IX. p. 208.

e) De illuſtr. Arabiae viris c. 5. p. 265. ſeqq.

f) POCOCK. ſpecim. hiſt. Arab. p. 372.

g) Sita eſt in Aſia minore a Turcis poſtea Otrar dicta. Ex hac regione ortus etiam Alhaurius, POCOCK. l. c. h) LEO l. c.

magnusque teſte LEONE [i], philoſophus euaderet. Id quod luculenter confirmant ABVLFARAII [k] verba, qui haec de eo refert: *Mohammed Al-Farabi in vrbe Bagdad ſtudiorum cauſſa fuit, magnosque ſub Ioanne doctore in philoſophia progreſſus faciens ſupra ſocios ſuos eminuit, eosque in veritatis indagatione vicit. Artis logicae profunda eruit, eiusque arcana retexit, ac captu facilia reddidit, et quicquid ex ea ipſi opus fuit, digeſſit in libros, ſenſibus perſpicuis et conceptibus ſubtilibus refertos, quibus de iis admonuit, quae ab Alkindi aliisque omiſſa fuerant de arte analytica et diſcendi methodis, attigeruntque libri eius logici, phyſici, metaphyſici, politici finem ſufficientem et ſcopum egregium.* Neque vero ſoli philoſophiae ſe tradidit, ſed cum in ſchola Meſue aulisque principum Saracenicorum confluxiſſent medici, mathematici et philoſophi, harumque diſciplinarum ſtudia ita coniungerentur, vt vix eſſet philoſophus, qui non artis quoque ſalutaris et matheſeos, maxime vero aſtronomiae myſteria perquireret [l], ipſe quoque Alfarabius hunc diſciplinarum ſeueriorum campum totum emenſus eſt, nec prius ad parentes rediit, quam princeps fere ſcholae illius euaſiſſet. Ita vero non animi tantum diuitias mirifice auxit, ſed et famam atque exiſtimationem. Cum enim in ea incidiſſet tempora, quibus ſummum literis honorem habebant Chalifae Arabum, et imprimis philoſophiam munificentia principibus digna iuuabant, accidit, vt ad eorum quoque aures fama de praeſtantiſſima Al-Farabii eruditione perueniret. Quae cum digniſſima videretur praemiis, a plurimis Aſiae viris ſummis, ipſisque principibus inuitatus eſt, vt in aulam veniret, propoſita eruditionis mercede ampliſſima lautiſſimoque ſtipendio, quali et alii viri ſummi et celeberrimi fruebantur. Longe alia tamen fuit praeſtantiſſimi philoſophi opinio, vita prorſus alia, et ſolitudinis, quam frequentiae aulae, amantior. Ne paternas quidem facultates prae philoſophiae ſtudio multum reſpexerat, ſed fundis patriis deſertis Bagdadum aufugerat. Redux itaque cum paternae opes abunde exhiberent, ex quo commode viueret, omnem aulae apparatum quamuis ſplendidum diuitiasque oblatas generoſo contemſit animo, et ad eas ſolum poſſeſſiones animi reſpiciens, quae eripi nequeunt, ſufficere ſibi ea oſtendit, quae ad vitam hanc non ſine duritie tolerandam facere poſſunt. Qua in re philoſophiam eum non ſcholae tantum, ſed vitae didiciſſe iudicandum eſt. Id enim vitae eius ratio docebat, qua et vanitatem rerum huius mundi, et miſeriam vitae humanae contemplabatur, et ab omni rerum humanarum ambitione et ſplendore, licet vehementer oculos perſtringente, voluptate item atque commoditate abhorrebat, teſteque Ibnu Giulgiul apud LEONEM [m], continue tempore

i) Ibid.
k) loc. cit.
l) Probe hoc in hiſtoria philoſophiae Saracenicae notandum eſt. Medicina enim philoſophiae portam aperuit, vt ſupra demonſtratum. Inter Chriſtianos quoque Arabibus parentes theologia cum medicina ſaepe numero coniungebatur.
m) loc. cit.

pere hiemis cum quibusdam ſuper paleam dormiebat, ſemper viſus contriſtari et lugere, non de re aliqua mundana, ſed de eo ſolum, quod inueſtigabat, nempe vt philoſophiam altius perquireret, eiusque maiorem nanciſceretur cognitionem, ratus tantum ineſſe humanis rebus imperfectionis, tantum tumultuum, tantum poſt ſummam laetitiam et tripudia poenitentiae et lachrymarum, vt ſatius ſit, in paupere penu philoſophiam excolere, potirique animo tranquillo. Qua de re celebrati ſunt hi eius verſiculi:

Panis hordaceus et aqua putei et habitus lanae in pace
Meliores ſunt, quam laetitiae terminatae in poenitentia.

Ex quo philoſophiae moralis Alfarabianae ſpecimine [n] luculenter patet, non defuiſſe inter Arabum philoſophos viros ſobrie ſatis et prudenter in philoſophiae actione verſatos. Vanitati vero vitae huius cum ſe ita ſubduxiſſet philoſophus praeſtantiſſimus, ad philoſophiam egregiis ſcriptionibus et meletematibus iuuandam ſe accinxit. Cumque ſumma eſſet diligentia laborisque improbi patientia, totum ſcientiarum philoſophicarum circulum duce vſus Ariſtotelis philoſophia illuſtrauit, et hunc potiſſimum philoſophum, quem ſibi caput atque praeceptorem delegerat Arabum natio, explicandum ſibi ſumſit. Eius enim *de categoriis* librum explanaſſe Al-Farabium, teſtis eſt MVHAMMED ISAACIDES [o], qui et commentarium ei deberi in *analytica poſteriora*, itemque in *rhetoricorum libros* tradit. Ex his vero intelligitur, quod et Abulfaraium ſupra retuliſſe recordamur, plurimum laboris impendiſſe Al-Farabium arti rationali illuſtrandae, iisque ſupplendis, quae Kendaeus aliique ſatis obſcure intricateque dixerant. Quod eo magis feliciter ſucceſſit philoſopho acutiſſimo, quo magis perſpicuitate gaudebat et acumine, quibus et veritatis nexum detegere luculenter, et proponere aliis euidenter potuit. Adeo autem Ariſtotelis lectione delectabatur, vt eius nulla illum caperet ſatietas vel faſtidium, ſic vt, ſi fides GABRIELI SIONITAE [p], cum Ariſtotelis librum *de auditu* legiſſet, faſſus ſit, ſibi quadragies repetitum nondum diſplicuiſſe, ſed lectionem denuo exorſurum ſe eſſe. Alii de rhetoricorum libris id dicunt, teſtatum eum fuiſſe, ſe eos legiſſe ducenties, et tamen iteratam adhuc deſiderare eius lectionem [q]. Mirum itaque non eſt, nocturna verſauiſſe eum manu atque diurna libros Ariſtotelis, iisque explanandis tantum laboris atque diligentiae, tribuiſſe, vt ſcriptorum eius memoretur collectio, ſexaginta tractatibus philoſophicis conſtans [r], quos omnes philoſophia Ariſtotelica, qualem Arabes habuiſſe infra exponemus,

n) Haec omnia LEO l. c. Hinc dictus eſt Arabibus mundi contemtor egregius. POCOCK. l. c. p. 372.

o) De commentar. Ariſtot. apud HOTTINGER. bibl. Orient. p. 221.

p) De moribus Orient. p. 16.

q) Conf. HORN. hiſt. phil. L. V. c. 10. p. 292. FABRIC. bibl. Gr. Vol. XIII. p. 865.

r) Vid. WOLF. bibl. Hebr. T. I. p. 8.

mus, animaſſe conſtat. Tanti autem hi libri philoſophici, (quos praeter logicam, phyſicam quoque, metaphyſicam et politicam itemque logicam diſcendi methodum explicuiſſe, ex Abulfaraio ſupra didicimus,) habiti ſunt, vt non inter Arabes tantum ſummo loco ponerentur, ſed Iudaei quoque qui circa iſta tempora, ſecundum Ariſtotelem philoſophari coeperant, magni Alfarabium facerent. Certe plurimum ei tribuit Maimonides, quem, probabile eſt, ab Auerroë praeceptore hunc eius amorem atque exiſtimationem accepiſſe. Non vero luculentius argumentum eſt, quo loco Al-Farabium Iudaei habuerint, quam quod libros eius philoſophicos ex Arabico idiomate in Hebraeum transtulerint. Indice enim celeberrimo WOLFIO [s] leguntur inter Iudaeos verſiones librorum eius Hebraeae *de elenchis ſophiſticis*, *de principiis naturalibus*, *de eſſentia animae*, *de ſyllogiſmo demonſtratiuo et de elenchis*; itemque libri alicuius optici. Obiit praeſtantiſſimus philoſophus octuagenarius anno Hegirae CCCXXXIX, vel vt alii CCCXLIII, illud auctoritate Ebn Chalikan apud POCOCKIVM [t] conſtat. LEO [u] autem annum CCCLXXXVIII ponit. Forte illi de viuentis hic de morientis annis intelligendi ſunt, nec ſibi contradicunt. Illud certum, ſeculo Chriſtiano decimo Al-Farabium vixiſſe.

Eſciari al. Al-Aſshari.

§. XIV. Eminuit porro inter philoſophos Saracenorum Ariſtotelicos ESCIARI [y], vel vt integrum nomen ex Arabibus affert POCOCKIVS [z], Abulhaſan Al-Asshari, quem maximum philoſophum ſecundum opinionem Ariſtotelis fuiſſe LEO narrat. Nomen vero Al-Asshari vel Eſciari ab origine ſua accepit. Quemadmodum autem profunda Peripateticae doctrinae cognitione praeſtabat, ita eius philoſophiae praeceptis ad explicanda legis Islamiticae capita ſic vſus eſt, vt a receptis dogmatibus in multis diſcederet, nouamque inter theologos Muhammedanos ſectam conderet, quae ab eo nomen Assharitarum vel Al-Asshareorum accepit, exemplumque ſyncretiſmi philoſophico-theologici inter Muhammedanos eſſe poteſt. Digna eſt ſectae origo, quae hic paucis ex ſcriptoribus Arabibus repetatur, eo quod haec ſecta tota philoſophica fuit [a]. Nempe dederat prius Abul Haſan Al-Assharienſis nomen Motazalis, praeceptorem nactus Abu Ali Al-Iobbaienſem, qui ſectae Al-Iobbaiorum poſtea auctor fuit. Is cum ſecundum principia ſectae ſuae celeberrimam in ſcholis theologorum Muhammedanorum quaeſtionem: teneri Deum illud ſemper facere, quod vnicuique maxime expedit, affirmauiſſet, in negatiuam declinans Al-Asshari, vt abſurdi eum conuinceret, exemplum per inſtantiam, quod aiunt, adduxit: nempe tres illi proponebat fra-

s) loc. cit. p. 7.
t) HERBELOT. bibl. Orient. p. 337.
u) Specim. pag. 372. et praef. ad Thophail pag. 1.
x) loc. cit.
y) Ita nomen effert LEO AFRIC. de vir. illuſtr. Arab. c. 2. p. 262. aliis etiam Caſchiri et Aſchari, vtrumque enim vnum nomen eſt, diuerſis articulis relatum HERBELOTIO pag. 133. 261.
z) loc. cit. p. 250.
a) Conſulendi POCOCK. l. c. et HOTTING. hiſt. Orient. L. II. c. 6. §. 5. p. 346.

fratres, quorum primus vixerit in obedientia erga Deum, ſecundus in rebellione, tertius mortuus eſſet adhuc paruulus: de his tribus, quid ſentiret? rogauit magiſtrum Al-Iobbaienſem: ille, primum, ait remuneratum iri in paradiſo, ſecundum in inferno punitum, tertium nec praemium nec poenam manere. Quid ergo, regeſſit Assharienſis, ſi dicat tertius: O domine, ſi mihi vitam largitus eſſes, vt cum fratre meo fideli paradiſum ingrederer, melius mihi fuiſſet. Reſpondit Al-Iobbaienſis: dicturum dominum, noui te, ſi diutius vixiſſes, ſcelera patraturum, ob quae in ignem coniiciendus eſſes. Tum iterum Assharienſis: dicet ergo ſecundus: o domine cur non me e vita ſuſtuliſti adhuc infantem, ne peccatis meis poenam mererer, atque igni cruciandus traderer, vt cum fratre meo feciſti? Nihil habuiſſe, quod regereret, Al-Iobbaienſem ait ſcriptor Arabs libri Al-Mawakef, at Al-Sephadius hoc eum dediſſe reſponſum refert: Vitam illi prolongauit, vt ita copiam illi faceret ſummum praemii gradum conſequendi, quod ipſi optimum fuit. Verum ne ſic quidem diſceſſit Abul-Haſan, ſed regeſſit: Cur ergo non et ob eandem cauſſam viuum conſeruauit alterum illum, cui et hoc aeque expediiſſet? quo eo redactus eſt Al-Iobbaienſis, vt nihil aliud haberet quod reſponderet quam: Num inſtinctu diaboli afflatus es? cui feſtiue reſpondit Al-Assharienſis: Non ego ſum a daemone afflatus, verum aſinus magiſtri ſtetit in fornice. Qua diſputatione exaſperatus vtriusque animus diuortium fecit et Al-Asshari deſertis Motazalorum caſtris eorum dogmata conuellere iisque ſe totum opponere et diuerſiſſimum de Deo decretisque diuinis ſyſtema ſequi coepit. Qua de re infra quidem aliqua adhuc praecipienda ſunt, cum plerarumque ſectarum Muhammedanarum diſſenſus ad attributa, decreta et opera Dei pertineat, ex inſtituto autem non hoc loco, ſed in peculiari hiſtoria theologiae Muhammedanorum tractandum eſt. Addemus tamen in Lectoris gratiam, vt dicta facilius intelligat, verba MAIMONIDIS [b], qui inter hos homines vixit, eorumque philoſophiam et theologiam accurate didicit. Is de harum ſectarum differentia ita: *Diuerſitatem, quae in ſingulis hominum indiuiduis apparet, Ariſtoteles tantum tribuit accidenti, Aſaria voluntati, Mutazali ſapientiae, nos Iudaei vero ſtatuimus ſequi eam meritum cuiusque et rationem operum.* Haec de ſectae huius origine ſcriptores Arabes, quam ſe propter prolixitatem opinionum inter ſe diuerſarum explicare non poſſe ſcripſit LEO AFRICANVS [c]. Tanta vero ſubtilitate Ariſtotelicis praeciſionibus vſus, de attributis diuinis eorumque cum actionibus humanis concurſu influxuque praecepit Al-Asshari, vt attributa in Deo ab eſſentia ipſius diuerſa ſtatueret, ita tamen, vt comparationem inter Deum et homines fieri prohiberet [d]. Qua in re diſcedendo a craſſis Muhammedanorum quorundam notionibus ad abſtractiones meta-

b) Mor. nebhoch. P. III. c. 16. c) loc. cit. d) POCOCK. l. c.

phyſicas et ſubtilitates nimias eum deflexiſſe, ex comparatione dogmatum Muhammedanorum in diuerſis ſectis liquido conſtare poteſt. Ex his vero principiis concluſiones pluſculas deduxiſſe philoſophum ſubtiliſſimum facile coniici poteſt. Certe LEO, vel interpres potius eius barbarus diſerte: *Iſte Eſciari ſeparatus ab vna parte declarauit ſcripturam diuinam, diuinus, addendo rationes naturales cum argumentis reſolutis.* Ex quibus manifeſtum eſt, Assharienſem hanc philoſophiam et theologiam ſcholaſticae fuiſſe ſimillimam. Quae cum mira ſubtilitate placeret, et reliquis ſectis purius ſanctiusque de diuinis rebus ſtatuere videretur, tantum applauſum non per Aſiam tantum ſed et Africam et Hiſpaniam nacta eſt, vt omnes omnino ſectas vbique locorum feliciter oppugnaret et euerteret. Teſte enim LEONE *confudit ille omnes alias rationes apparentes opiniones et ſectas, eo vsque, vt omnes opiniones, ſua excepta, vsque nunc haereticae vocarentur, quibusdam temporibus exceptis, quibus proſtrata fuit in Aegypto et in Aſia. Poſtea omnes opiniones depreſſae ſunt, ſua vero innouata eſt, quae adhuc floret, et ex illa ſecta fuerunt multi doctores theologi, adeoque talis opinio ſummopere magnificata eſt, et ad hoc venit, quia ſi quis dixerit opinionem Eſciari non eſſe veram, damnabatur ad mortem* Haec Leo, ſatis, vt interpres eius ſolet, barbare, ſed luculenter de magna quam huius philoſophi ſecta, conſecuta eſt auctoritate. Addit et hoc: a pueris in ſcholis eius libros legi et explicari, epiſtolasque quasdam et carmina hanc opinionem explicantia ab illis memoriae mandari. Obiit anno Hegirae CCCXXXI, Baſrae, vrbe felicis Arabiae.

Abul Huſein Eſſophi. §. XV. Magna etiam fama paulo poſt Al-Asshari inter Saracenos vixit ABVL HVSEIN ESSOPHI, philoſophus et mathematicus praeſtantiſſimus. Is Bagdadenſis vel natiuitate vel educatione et diſciplina fuit, certe in his ſcholis, quas eruditiſſimis viris abundauiſſe ſupra memorauimus, ad eam philoſophiae, imprimis autem aſtronomiae, perfectionem enixus eſt, vt dictum de eo per prouerbium ſit; intellexiſſe Abul Huſein melius coeleſtia, quam Ptolomaeum terreſtria. Maxime vero notabilis eſt, quod primus teſte LEONE AFRICANO [e] fuerit, qui ſigna et ſtellas cum planetis pinxerit. Quod vel ita intelligi poteſt, primum eum fuiſſe, qui imagines et ſigna ſtellis tribuerit, quod falſum eſt, cum diu iam iſtae imagines ſtellarumque figurae notae fuerint, vt ex ARATI *phaenomenis* patet, adeoque tantum de introducto earum vſu inter Arabes intelligi debet; vel id vult: primum eum planiſphaerium deſcripſiſſe. Rebus humanis exemtus eſt anno Heg. CCCLXXXIII, ſeculo Chriſtiano decimo medio.

Al-Raſi. §. XVI. Poſt theologum et aſtronomum philoſophiae fama clarum tertius nobis enarrandus eſt medicus philoſophiae laude et medendi ſimul peri-

e) l. c. c. 3. p. 263.

peritia celeberrimus. Est is AL-RASI, vel quo integro nomine scribitur Abubecher Muhammed Ben Secharia Al-Rasi. Quae appellatio diuersa ei nomina peperit. Quibusdam enim Albubecar, Abubeter, Albubeter, Abubater pro diuersa pronuntiatione vocalium Arabicarum dicitur. Sed et Al-Mansor dicitur, non alia forte ratione, quam quod dedicatio libri cuiusdam, Al-Mansori inscripti, vt postea dicemus, occasionem dedit auctoris nomen confundendi. Sunt et alii quibus Bubi Kie filius Zachariae nepos Errasis dicitur [f]. Quod ideo monendum est, ne diuersa vnius nominis pronuntiatione vel diuersis etiam vnius hominis nominibus seducti, plures ex vno viro philosophos et medicos nobis fingamus. Al-Razi vero quo nomine in medicinae historia plerumque laudari solet, dictus est more Saracenorum a patria. Natus enim est Rai, Persarum vrbe [g], teste LEONE AFRICANO [h]. Vnde non audiendus est WOLFGANGVS IVSTVS [i], et qui eum sequitur LINDENIVS [k], qui eum Carthaginensem faciunt, et ab Abuchare Muhammed Arabe, filio Zachariae Rhazis, auctore *Helchauy*, hoc est *libri continentis*, siue systematis medici distinguunt [l]. Vterque enim idem est natione Persa. Parentem habuit Zachariam, auum Arahum, quorum ille cum mercaturam exerceret, filium secum Bagdadum abduxit, sine dubio vt quaestui faciendo ex mercatura se addiceret [m]. Sed cum praeter spem illi pater morte eriperetur, mutauit consilium, et scientiarum praecepta, quae in hac vrbe personabant, triginta fere annos natus didicit, optimosque praeceptores nactus est. Philosophiae itaque ac salutari arti se totum tradidit, eo effectu, vt superata communi reliquorum conditione super alios longe excelleret, et plerosque quos commilitones habebat, relinquendo post se, singularem eruditionem acquireret, magnamque sibi famam atque existimationem pareret. Praecipue vero in medica arte ab eo tempore, quo se illi totum dederat, longe lateque celebratus est, eo quod praestantissima illius esset eruditio medica. Cum enim non iuuenilibus annis medicinam exerceret, sed matura aetate et virili robore instructus post longam meditationem et lectionem ad eam faciendam accederet, Xenodochio quoque praefectus (quod inter honoratissima munera referri solebat) occasionem haberet fauentissimam, multa experientia arcana salutaris artis tentandi, non potuit non euenire, vt inter philosophos medicosque Arabes celeberrima fama excelleret, eaque illius esset existimatio, vt prouerbiali nomine experimentator diceretur [n], eo quod non

f) Etiam Bachilo et Manaethon Genebrardo dicitur apud HOTTINGER. hist. eccles. Sec. XI. p. 461. conf. de his Al-Rasis nominibus FABRIC. bibl. Graec. Vol. XIII. p. 46.

g) Iracensis, velut alii volunt Chorosanae prouinciae vrbe, confer. GOLIVS ad Alfragan. pag. 213.

h) l. c. c. 6. p. 266.

i) In chronol. med. vsus auctoritate GENEBRARDI L. V. p. 569.

k) De scriptorib. med. L. I. p. 4.

l) Conf. NIC. ANTON. bibl. Hisp. vet. L. VI. c. 12. T. I. p. 370. seq.

m) Conf. HERBELOT. bibl. Orient. p. 18.

n) Hunc titulum gerit in titulo libri de pestilentia apud MERCKLIN. l. c. p. 5 confer. FREIND. Hist. medic. P. II. p. 22. seqq.

tantum multorum annorum experientia fuiſſet vſus, ſed ad eam quoque in medendo recurrendum ſaepenumero eſſe contenderet. Acceſſit his diligentia infatigabilis, eaque animi ad res omnes attenti occupatio et praeſentia, vt omnem fere eruditionem philoſophicam et medicam exhauriret [o]. Semper enim illum vel legiſſe vel ſcripſiſſe Arabes ſcriptores teſtantur. Vnde factum, vt plerisque aliis praeferretur, et illa eruditionis eius medicae eſſet exiſtimatio, vt Galenus Arabum diceretur. Neque vero legiſſe ſufficiebat viro prorſus inexhauſtae induſtriae, ſed et omnia in partes vocabat, quibus experientiam augeri iuuarique poſſe intelligebat. Hinc nec itinerum moleſtiam refugit, et aliquoties medicinae faciendae cauſſa in Perſiam profectus eſt, nec curam ſanitatis quorundam principum, qui eam magnopere expoſcebant, deprecatus eſt, nec cum omnis generis hominibus, herbarum, chirurgiae, metallicae aliarumque artium notitiam aliquam vendentibus conuerſari detrectauit: vnde praeter reliquas artis ſalutaris partes in chemia quoque praeſtantiſſimam ſibi cognitionem acquiſiuit, dignus, quem ARNOLDVS VILLANOVANVS [p] *in ſpeculatione clarum, in opere promtum, in iudicio prouidum, in experientia probatum* vocaret, et, quae eum excipiebant, tempora inter Chriſtianos ducem eligerent, quo iuuentutem medendi arti ſe dedentem ad eius adyta perducerent. Quamuis nec id quoque negari queat, Rhazin Graecos plerumque exſcripſiſſe, quem fuiſſe morem Medicorum Arabum fere omnium, eorum hiſtoria probat. Verum de his Raſis meritis in rem medicam alibi dicendum, legendusque omnino, qui diligenter in hac arena deſudauit eruditiſſimus FREINDIVS [q]. Nos ad hiſtoriam medici et philoſophi celeberrimi reuertimur, quem in aula regis Al-Manſoris [r] in ſumma exiſtimatione vixiſſe refert LEO AFRICANVS [s]. Eo enim auctore conſtat, Raſin Cairum profectum aliquot ibi annos aegrotauiſſe, (vel potius aegrotos ſanaſſe) magnam autem eius per iſtas terras famam fuiſſe. Cum autem illa ad aures Al-Manſoris peruenisſet, qui tum ſecretarius maior apud principem ſiue pontificem Cordubenſem erat, et poſtea ſumma rerum potitus eſt, isque vehementer viris eruditis faueret, eo quod ipſe, praeclare literis tinctus eſſet, excitatus tanti viri doctrina in aulam principis eum promiſſione lautiſſimi ſtipendii facta, inuitauit. Quam vocationem ſecutus Al-Raſis Alexandriae conſcenſa naui in Hiſpania appulit, et Cordubam profectus eſt. Ibi ſumma aulae totius, maxime Al-Manſoris gaudio exce-

o) Hinc in editione operum eius Baſileenſi 1544. fol. Scripta eius vocantur „opera exquiſitoria, quibus nihil vtilius ad vſus practicos extat: omnia enim penitus, quae habet Hippocrates obſcuriora, aut Galenus fuſiora fideliſſime doctiſſimeque exponit, et in lucem profert.“

p) De diuerſis intentionibus morborum.

q) loc. cit.

r) Non confundendus hic Al-Manſor cum Al-Mamonis auo Al-Manſore, nec cum tertio ex Almuachindorum familia rege; Ille enim vixit a. Heg. 137, hic Auerrois temporibus a. H. 600. Raſis vero patronus a H. circiter 400, et hic quidem Cordubae, ille Marocci. Perperam autem Chorasanae princeps dicitur FREINDIO l. c. p. 24. Cordubae enim vixiſſe teſtis eſt LEO l. c. De hoc Al-Manſore videndus RODERIC. TOLET. hiſt. Arab. c. XXXI. p. 26.

s) loc. cit.

exceptus, et magnifice habitus, habitatione et ſupellectile ſplendida, ſeruis reliquisque, quae ad aulae ſplendorem pertinebant, commoditatibus affatim inſtructus eſt. Quae liberalitas virum doctiſſimum impulit, vt in id omnes animi neruos intenderet, vt artis tantopere honoratae ſummam et quaſi medullam optimo principi traderet. Quam cum decem libris eſſet complexus, quorum titulos et argumentum dabunt MERCKLINVS et FREINDIVS [x], opus pulchrum et in ſuo genere optimum patrono inſcripſit, vnde *Al-Manſor* dictum eſt. Cumque ſumma felicitate in praxi medica vteretur, immenſas ſibi inde facultates acquiſiuit. Quod non mirabitur, qui cogitauerit virum et aetate grauem et experientia atque lectione doctiſſimum multa ſciuiſſe, quae populum in admirationem rapere potuerint [a], cuius exemplum memorabile affert LEO [b] in fine paginae enarrandum. Quod ſi tamen Ibn Chalicam, hiſtoriae medicorum ſcriptori Arabi apud HOTTINGERVM [y] fides eſt, vacillare coepit fortuna Al-Razis, tergumque ei obuertere. Refert enim, Al-Razin librum dedicaſſe Al-Manſori Chemicum, et mille denarios ab eo praemii loco accepiſſe, ſed cum, quae ſcripſerat, opere exequi et in actum deducere nequiret, verberibus et exilio affectum eſſe. Cuius rei fides ſit penes auctorem. Illud LEONIS [z] auctoritate conſtat, annos illum natum nonaginta Cordubae obiiſſe. Octogeſimo viſum amiſiſſe quibusdam traditur. Illi vero audiendi non ſunt, qui centum et viginti annos eum vixiſſe, anno trigeſimo mederi coepiſſe, empiricum fuiſſe annos quadraginta, et rationalem medicum itidem per annos quadraginta, et ita octoginta annos praxin medicam exercuiſſe dicunt [a]. Obiit, ſi LEONEM ſequamur, anno Heg. CCCCI, ſi ABVLFARAIVM [b], anno CCCXX floruit, vnde RENATVS MOREAV recte

x) ll. cc.

*) Eleganti diſſertatione obſeruationes ſingulares curationum a Rhaſi ſuſceptarum enarrat FREINDIVS l. c. qui legi meretur.

z) l. c. Dabimus rei ſummam, eo quod FREINDIVS, qui diligenter omnia, quae praxin Razis illuſtrare poſſunt, conquiſiuit, eius non meminit, et in huius medici hiſtoria Leonem non conſuluit. Refert is ex Ibnu Haynan Luſitanicae hiſtoriae ſcriptore: Razin quodam die per plateam Cordubae tranſiens vidit magnam hominum turbam congregatam, cuius cauſſam ſciſcitatus, cum comperiſſet, ciuem quendam, qui ibi obambulauiſſet, ſubito mortuum concidiſſe, acceſſit propius, conſpectoque homine cum furore quodam praecepit, virgultorum vt manipulus afferretur, vt a circumſtantibus poſſet percuti. Quod cum ipſe facere coepiſſet Razis, qui eum per omnia corporis membra, praeſertim pedis plantas virgis caedebat, gens omnis effuſa in riſum, inſanire Razin iudicauit. At ecce, qui paulo prius omnibus mortuus credebatur, poſt quadrantem horae mouere ſe et reuiuiſcere coepit. Razis autem conſcenſo mulo domum repetiit. Populus, qui adſtabat rei nouitate et inſolentia commotus et obſtupefactus miraculum hoc magna voce depraedicare coepit. Re ad Al-Manſorem perlata, cum eius quoque curioſitas veram eius cauſſam ſcire cuperet, Raſin vocari iuſſit, cui fateri ſe, dixit, quod ignorauerit, licet eum excellentiſſimum medicum eſſe iudicauerit, poſſe eum reſuſcitare mortuos. Is hoc Dei, non ſuum munus eſſe candide profeſſus eſt. Remedii vero genus hoc ſe didiciſſe dixit in itinere Bagdado in Aegyptum ſuſcepto, cum comes quidam ſimili modo corruiſſet. Eum enim iſta caedendi ratione reuocatum fuiſſe in vitam. In ſimili itaque caſu ſimile remedium ſe adhibuiſſe. Quibus auditis Al-Manſor dixiſſe fertur regionem, in qua Raſis viuit, Galeno potiri, Al-Razin reſpondiſſe: experientiam magis quam medicum prodeſſe.

y) In analectis p. 296. ſeq.

a) Ita MERCKLINVS l. c.

b) loc. cit.

recte temporibus Al-Manſoris eum tribuit, annoque aerae Chriſtianae CMLXVI. Nimis itaque eius tempora matura ponit FREINDIVS [c] A. C. CMXXXII obiiſſe ſcribens, quemadmodum nimis ſeram illi aetatem adſcribit MERCKLINVS [d], cum A. C. MLXX, vel MLXXXVII eum vixiſſe putat. Scripſit, teſte Abi Osbaia *hiſtoriae medicae Arabum* auctore opuſcula CCXXVI, ex quibus multa hodie ſuperſunt, Latina etiam veſte ornata, de quibus tamen hoc loco dicere ob inſtituti rationem non licet; videndi autem hiſtoriae literariae ſcriptores paſſim, maxime NICOLAVS ANTONIVS [e], HERBELOTIVS [f], et MERCKLINVS [g]. Sed philoſophiam quoque ſcriptis adiuuit, ex quibus liber *de intenſione et remiſſione*, itemque commentarius *de rebus ſublimioribus metaphyſicae* cum aliis eius libris in Hebraeum ſermonem translatus eſt [h]. Habuit *συμπατριώτας* plures literis claros, et a communi patria Raſiaeos dictos, inter quos eſt Ibn Hoſain Raſiaeus, quem *diſquiſitiones metaphyſicae orientalis* ſcripſiſſe refert HOTTINGERVS [i]. Cum his confundendus non eſt, probe etiam diſtinguendus a Phaeroddin Razi celeberrimo Mohammedanorum theologo, et philoſopho, qui non ſolum commentario in Al-Coranum ſcripto magnam inter ſuos famam conſecutus eſt, ſed et teſte ABVLFARAIO [k] philoſophiam magno cum applauſu docuit. Natus is eſt Rai A. Heg. DXLIII, denatus eſt A. DCVI [l], adeoque tempore medico inferior.

Auicenna. §. XVII. Superauit famae celebritate ſui temporis philoſophos inter Arabes omnes AVICENNA, qui medicae quoque eruditionis nomine inter Chriſtianos ita innotuit, vt celebratiſſima eius a plurimis annis fuerit memoria. Cuius vitam conſcripſit diſcipulus SORSANVS, quem Arſanum alii vocant, Latinitate donatam a NICOLAO MASSA eiusque operibus praefixam [m], quam tamen videre nobis nondum licuit. Nec omiſere virum medicae artis claritate famigeratiſſimum hiſtoriae medicae inter Arabes ſcriptores Ibnu Giulgul, Ibnu Chatir, Ibnu Chalican aliique nondum editi, idemque LEO AFRICANVS [n], vt taceamus recentiores hiſtoriae medicae, etiam literariae ſcriptores, maxime HERBELOTIVM [o] et NICOLAVM ANTONIVM [p], aliosque in ſequentibus nominandos. Integrum autem verumque eius nomen fuit Abu Ali Al-Hoſain, Ibn Abdollahi Ebn Sina Al-Schaiich Al-Raiis [q]. Inter quae nomina Al-Hoſain ei proprium eſt, Abu Hali dictus eſt a filio, quem vnigenitum habuit Hali

c) loc. cit.
d) loc. cit.
e) l. c. T. I. p. 369. T. III. p. 235.
f) l. c. p. 18.
g) l. c. p. 4. add. FABRIC. l. c. HOTTINGER. l. c. SPIZEL. arcan. bibl. retect. v. Abubeter, aliique.
h) Vid. WOLF. bibl. Hebr. P. I. p. 6. P. III. p. 3. vbi obſeruatur, in mſc. codice bibl. Oxon. libri de remiſſione dici, quod an. 1180 vixerit. Sed vitium in numero eſſe, apertum eſt.
i) Bibl. Orient. p. 246.
k) pag. 317.
l) Conf. POCOCK. ſpecim. p. 377.
m) Venet. 1608. vid. FABRIC. bibl. Graec. Vol. XIII. p. 96.
n) De illuſtr. Arabum viris c. 9. p. 268.
o) Bibl. Orient. p. 812. ſeqq.
p) Bibl. vet. Hiſpan. T. II. p. 6.
q) POCOCK. ſpecim. hiſt. Arab. p. 362. et ex hoc alii.

Hali vel Ali, qui parentis veſtigia in medicae artis ſtudio ſolerter preſſit. Abdolla vero parentis et Sina aui nomen eſt, et Alſchaii atque Alraiis doctorem primarium et celeberrimum denotat. Inter haec aui nomen, quod corruptae Latinorum appellationi Auicennae originem dedit, notiſſimum eſt. Arabes autem, teſte LEONE [r], Errahis, ſiue Alraiis titulo plerumque laudant, principemque medicorum κατ' ἐξοχήν ita dictum intelligunt. Valde in huius viri hiſtoria lapſi ſunt viri docti, ne de eius quidem patria ſatis inter ſe concordes. Quidam enim Hiſpanum faciunt, quos errare, recte notauit ANDREAS DE ALPAGO [s]. Nicandro Edeſſae natus et in Hiſpaniam poſtea profectus dicitur: aſt ne hoc quidem ſuffragantibus veteribus dicitur, quemadmodum de reliquis quoque Auicennae circumſtantiis egregie nugatur Nicander, ex merito vapulans doctiſſimo FREINDIO [t]. LEONI AFRO [u] in Perſiae vrbe Hamadan natus dicitur, MERCKLINO [x] in vico Aufrene prope Bocharam; VOSSIO [y] in vrbe Balech. Melioribus tamen teſtimoniis, ipſiusque Auicennae conſtat apud ABVLFARAIVM [z], cui conſentit Abulfeda [a], Bocharam eum patriam habuiſſe, qua vrbe A. Heg. CCCLXX, ſi Arabes, Abulfaraium aliosque apud POCOCKIVM et HOTTINGERVM [b] ſequamur, natus eſt, quamuis LEO [c] octo eum annis prius A. Heg. CCCLXII, editum eſſe innuat. Parentem habuit, ſi non medicum, quod VOSSIO [d] placet, certe virum eruditione haud leui tinctum, magnis praeterea opibus ſplendidum, ita vt in educationem filii ſumtus facere quosuis facile poſſet. Cum itaque huic ingenium contigiſſet ſupra modum excellens, quod ad artes et ſcientias ſuapte natura ferebatur, de eo maxime ſollicitus fuit parens eius, vt accurate in literis inſtitueretur. Quem in finem puerum adhuc ad celebrem quendam mathematicum miſit, vt arithmeticam ab eo Indorum, aſtronomiam et geometriam diſceret. Quas cum mira animi facilitate tenuiſſet, philoſophiae quoque eum addicendum ratus philoſophum aliquem, Bocharae degentem, Abu Abdallam in domum ſuam atque familiam recepit, vt filium inſtrueret. Qua de re audiendus eſt ipſe Auicenna, apud ABVLFARAIVM [e] ita narrans: *Abu Abdalla Bocharae philoſophiam profitebatur, quem domi noſtri hoſpitio excepit pater meus, ſperans fore, vt ab eo diſcerem. Logicae ergo terminos apud eum legi, at de ſubtilitatibus nihil ei notum fuit.* Addit his: *Se praeceptore deſtitutum ipſum libros perlegere coepiſſe, commentaria conſulentem.* Melius vero, quam philoſophiae ſtudium ſub hoc duce, ſucceſſiſſe oportet legis Islamiticae Alcoraniue cognitionem, ſi vera ſunt, quae ſcriptores Ara-

r) loc. cit.
s) Apud FABRIC. ad l. c. Leonis p. 269.
t) Hiſt. medic. P. II. p. 39.
u) loc. cit.
x) Linden. renou. P. I. p. 98.
y) De philoſophia c. XII. p. 110.
z) Dynaſt. IX. p. 230.
a) Apud POCOCK. l. c.
b) Hiſt. eccl. Sec. XI. pag. 450. 461. anal. P. I. p. 295.
c) loc. cit.
d) loc. cit.
e) l. c. p. 230.

Arabes POCOCKIO *e* laudati referunt: nondum decenni maiorem literas humaniores et quicquid scientiarum ad Alcorani intellectum pertinet, caluisse, et totam encyclopaediam ante annum aetatis decimum octauum absoluisse. Talis cum esset, consultum patri eius visum ad Musas eum Bagdadenses dimittere, cum vehementer cuperet, hunc filium suum in mathematicarum atque philosophicarum itemque medicarum disciplinarum cognitione aliquando excellere *f*. Bagdadum vbi venit summa mentis alacritate et peruigili studio incubuit, et sepositis reliquis negotiis omnibus in eo primum laborem suum esse iussit, vt arcana logicae rimaretur. Id quod tanta contentione fecit, vt noctes fere insomnes duceret, omniumque fere obliuisceretur, donec rationalis atque naturalis philosophiae mysteria pernouisset. Qua de re ipse audiendus est, haec apud ABVLFARAIVM *g* narrans: *Per sesqui annum libris legendis sedulo incubui, et quoties aliqua in quaestione perplexus essem, aut medium syllogismi terminum non inuenirem, ad templum me recepi, et ad omnium creatorem preces supplex effudi, donec aperiretur mihi in eo, quod abstrusum et reconditum erat. Noctu domum meam reuersus, lucerna coram me posita, legendo et scribendo operam dedi, et quandocunque me inuasit somnus, aut debilitatem aliquam sensi, acceptum vini populum bibi, donec ad me redirent vires, deinde ad legendum reuersus sum. Quod si me occuparet vel leuissimus somnus, de ipsis illis quaestionibus somniabam, adeo vt multarum ex ipsis rationes mihi per insomnia nota facta fuerint. Nec ita facere destiti, donec solidam dialectices et physices cognitionem acquisiuissem.* Tanta cum esset eius diligentia tamque feruens contentio, mirum non est, quod supra iam innuimus, annos eum natum octodecim totius iam encyclopaediae cursum absoluisse. Iungebat autem more philosophorum Bagdadensium philosophiae medicinam, cuius cognitionem tanta felicitate sibi comparauit, vt Chalifae filium, desperato et obscuro morbo laborantem successu exoptatissimo sanaret *h*. Quo artis suae successu non ad aulam tantum principis, sed ad bibliothecam quoque eius aditus illi patuit. Qua occasione fauentissima vsus iuuenis ineffabili literarum et philosophiae amore flagrans cum optimos scriptores in Arabicam linguam ex Graecis translatos offendisset, ad maturitatem quandam perducere, quae laetissimis illi incre-

mentis

e) loc. cit.

f) LEO l. c. Auicennam iam tum in patriis laribus, a praeceptore Abdalla Euclidis propositionibus sex prioribus auditis proprio Marte totum librum absoluisse, idemque fecisse cum Ptolomaei Almagesto ipse apud ABVLF. l. c. refert, vid. BAILLET de erudit. praecoc. c. XXI. p. 68.

g) l. c. referunt nonnulli auctore ipso Auicenna lecta quadragies Aristotelis metaphysica, eam tamen intelligere non potuisse. Cum autem forte fortuna in Al-Farabii commentarios incidisset, quos tribus drachmis a librario redemerat, tantum inde lucis cepisse, vt et gratias Deo ageret, et stipem propterea pauperibus erogaret.

h) Conf. MERCKLINVS l. c. aliique. Narrant quidam, collegisse Auicennam ex sanguinis pulsu, principis filium non morbo, sed amore aegrotare, adeoque artificio illi per omnia simili, quo Erasistratum sanauisse Antigonum Seleuci filium, concessa in matrimonium nouerca APPIANVS narrat, restituisse. Sed dubium non est, has circumstantias fuisse assutas ab Arabibus, vt Graecis medicis non inferior Auicenna videretur. Conf. FREIND. l. c.

mentis ſuccreſcebat, eruditionem indefinenter conniſus eſt. Ita roboratis viribus annum aetatis vigeſimum primum cum attigiſſet, animum ad ſcribendum adiecit, Meſuen, cuius maxima inter Arabes erat exiſtimatio, ſibi imitandum proponens, cetera arti ſalutari tempora dicauit omnia. Cuius eam habere experientiam dicebatur, vt teſte LEONE f, magni nominis excellentiſſimique medici atque philoſophi gloria eniteret. Quae eum ad honores et diuitias in aula principis, tandem autem ad carcerem et indigna, vt ſolet eſſe fortuna aulae, fata promouit. Rem ita narrat LEO: Miſſurus erat Sultanus Iaſochbagh in patriam Auicennae nepotem ſuum, vices principis ibi in imperio ſubiturum. Is cum Auicennam ſibi potiſſimum comitem medicumque expetiuiſſet, precibus pretioque impetrauit, vt iter ſecum ſuſciperet. Qua occaſione vſus Auicenna cum praxin medicam inſtitueret, magnas ſibi opes et innumeras, corraſit diuitias, fauore autem vſus principis ſui maximo. Sed inuidit fortuna Auicennae tantae felicitatis conſtantiam, quam calamitas euertere coepit maxima. Cum enim Sultanus reſciuiſſet, nepotem ſuum, Auicennae herum, cum alio fratre ipſius Sultani defectionem ab eo meditari, praeuertere conſilium rebellemque veneno e medio tollere conſtituit. Qua in re cum commodiſſimam Auicennae operam fere intelligeret, qui archiatri munere fungebatur, eum id vt conſilium exſequeretur hortatus eſt. Non defecit a fide domino debita Auicenna, nec nefando crimine manus polluit: at cum Bagdadenſis aulae iniuriam timeret, ſilentio totam rem preſſit, nec domino nefarium detexit conſilium. Qua in re vtrum vel Bagdadenſis Sultani metus an prudentia viro philoſopho digna, ne atrociſſima bella exſurgerent, Auicennae ora clauſerint, dictu difficile eſt. Vtrumque tamen in animo fuiſſe Auicennae concludi poteſt ex ea ratione, quam rogatus attulit. Cum enim detecta conſpiratione dominus eius reſciſceret, Auicennam conſilii participem factum eſſe, in carcerem eum coniici iuſſit. Quod cum indignarentur homines, tantae eruditionis virum tam improuide rebus ſuis tamque male conſuluiſſe, cum praeſtitiſſet, rem totam domino enarrare ſuo, egregie eos falli dixit, quod putent, ſe eius rei exitum non prudenti cogitatione expendiſſe. Probe enim ſibi perſpectum fuiſſe, ſi conſilium internecinum reuelauiſſet, diſcordiam maximam inde exortum iri, multorum bellorum cauſſam, vix plurimorum hominum ſanguine extinguendorum. Praeterea ſe illi quoque moecenati non minus gratiae debere, qui in hunc, quo conſtitutus ſit, gradum eum aſſumſerit, quam qui in eo ſeruauerit. In hoc igitur carcere per biennium commorari coactus eſt Auicenna. Qui ne tunc quidem libertatem fuiſſet nactus, niſi portam carceris mors ei aperuiſſet. Erat quidem robuſtus corpore integrisque Auicenna viribus, ſic vt ad ſenectutem facile pertingere potuiſſet. At cum praeter modum et rationem in Venerem exarſiſſet, immodico eius vſu ita vires corporis exhauſit omnes, vt in

f) loc. citat.

carcere vehementiſſimo alui profluuio corriperetur. Quo cum aegrotaret, acceſſerunt ad eum nobiles ex ciuitate plurimi [k], qui morbo eius indolentes non ſine ſtupore quaeſiuerunt, cum tantam artis medicae peritiam poſſideret, cur non lethali malo medicinam pararet ſalutarem? Is vaſculo, quod iuſſerat, allato cum aqua, pauxillum pulueris alicuius medici iniecit, cuius tanta virtus erat, vt extemplo aqua congelaſceret. Quod cum ſpectatoribus oſtendiſſet, ſe vero, dixit huius medicaminis vnziam dimidiam ſumſiſſe, nec tamen ſibi profuiſſe, adeoque mortem ſibi certiſſime expectandam eſſe. Iuſſit itaque tabelliones aduocari duos, vt teſtamento conſcripto de rebus ſuis poſſet diſponere. Quod cum factum eſſet, paucos poſt dies ex morbo obiit. Factum id a. Heg. CCCCXXVIII [l], nempe ſi cum plerisque ſtatuatur, annos eum aetatis octo ſupra quinquaginta non fuiſſe ſupergreſſum. Quod ſi vero LEONI fides adhibenda, qui octogenarium a. Heg. CCCCXLII obiiſſe dicit, paulo maturius quam ſupra dictum, natum ad hunc annum [m] perduraſſe dicendum eſt. Reliquit poſſeſſionum ampliſſimarum, quotannis ſex ducatorum millia reddentium [n] haeredem vnicum filium Hali medicinae experientia inclytum, quem et doctum et acuti ingenii, et medicinae ſectatorem maximum fuiſſe LEO [o] teſtis eſt. Hunc cum parente Auicennae Abdollahi confundunt MERCKLINVS et FREINDIVS [p], cum alio quoque eiusdem nominis et profeſſionis Arabe non incelebri [q] non miſcendum. Ex his vero illorum quoque error patet, qui Auicennam cum Auerroë vixiſſe vno tempore contendunt, integri ſeculi συγχρονισμὸν admittentes [r]. Quae confuſio varias de inimicitia inter Auicennam et Auerroëm fabulas peperit, infra in huius vita ὡς ἐν παρόδῳ tangendas. Recte vero laudatur Auicennae diligentia, laborisque improbi patientia, et contentio ſtudiorum tanta, vt fere miraculo ſit. Nam non ſolum Corani lectiones omnes, ſed et libros Ariſtotelis metaphyſicos memoriae mandauiſſe dicitur. Quod vehementi, quo more Arabum, Stagiritam proſequebatur, amori adſcribendum eſt, cum hunc ſibi in philoſophia ducem more gentis ſuae elegiſſet. Vtrum vero, quod Io. PICVS MIRANDOLANVS [s] tuetur, in eius ſcriptis aliquid diuinum et Platonicum ſit,

k) Ibnu Giulgiul apud LEON. l. c.

l) POCOCK. l. c. p. 362. FREIND. loc. cit. qui Medinae eum obiiſſe, Hamadani ſepultum, incerto auctore dicit, et ad A. C. 1036 eius obitum refert, FABRICIVS in A. C. 1050, et alibi l. c. p. 96. in A. C. 1186, MERCKLINVS A. C. 1145, 1165. Erpenius et Gutſchonius, quos ſequitur NIC. ANTONIVS l. c. p. 6. A. C. 1036, certiſſimum terminum vitae eius numerant. Communi calculo Sec. XI. medio vindicatur. Conf. G. SIONITA de morib. Orient. cap. 3.

m) Incidit in A. C. 1050.

n) LEO l. c. Mirandum id non eſt, infinitis enim diuitiis et honoribus, Chalifas eneraſſe, magis quam ornaſſe medicos, ex Abi Osbaiae hiſtoria medicorum patet, quae huiuscemodi ſpecimínibus abundat.

o) loc. cit.

p) ll. cc. ipſe etiam FABRICIVS ad Leon. loc. citat.

q) Vid. MERCKLIN. l. c. p. 387. FABRIC. l. c. p. 174. et imprimis FREIND. l. c. p. 20. Dictus eſt Hali Abbas Simia Galeni. Vixit circa A. C. 980.

r) Errarunt hunc errorem HORNIVS hiſt. phil. L. V. c. 10. p. 291. et laudati MERCKLINO l. c. p. 94. Continuator VOSSII de ſectis pag. 154. ipſo VOSSIO de philoſ. c. XII. p. 110. errorem hunc confodiente.

s) In apologia apud HORN. l. c.

fit,

ſit, eorum eſto iudicium, qui inconditas Auicennae ſcriptiones earumque verſiones cum aurea Platonis eloquentia comparandi, gryphesque equis iungendi patientiam a ſe impetrare poſſunt. Meliorem ei locum in arte ſalutari plerique tribuunt. Cum enim laudem ſummi, inter medicos ſui aeui, viri fuiſſet conſecutus, vt ſupra ex LEONE notatum, plerique qui poſt eum inter Arabes et Chriſtianos de re medica ſcripſere, egregie has literas ſe adiuuiſſe credidere, ſi in Auicennam fuiſſent commentati[s]. Nec recentioribus plerisque alia de eo haeſit ſententia. Nam et COELIO RHODIGINO [t] *vir* dicitur *ſcientia ſingulari et ingenio exactiſſimo ac ſubacto imprimis, id eſt, vſu, auditione, lectione ac literis perpolito cultoque*: et IVLIVS CAESAR SCALIGER [u], *eius lectionem medicis omnibus tamquam perneceſſariam* commendabat, *nec quemquam magnum medicum euadere poſſe* exiſtimabat, *qui tam doctum opus non legiſſet.* Et VOSSIVS [x] pater *Auicennam Galenum exſuperare in eo* dicit, *quod medicinam omnem methodo ordineque optime complexus ſit.* Nec ſplendidius ſummae, quam in arte ſalutari conſecutus eſt, exiſtimationis teſtimonium eſt, quam quod princeps medicorum κατ' ἐξοχήν, vel ſolo nomine Al-Raiis, princeps dictus ſit, vt ſupra iam obſeruatum. Quod ſeduxit nonnullos, vt ſomniarent, principis eum ſanguine ſatum, vel regio axiomate inſignitum fuiſſe. Quem errorem in Foroliuienſi iam ſugillauit LEO AFER [y], qui eum Cordubae regem fuiſſe dixerat. A quo tamen nec RHODIGINVS [z] alienus eſt, qui inter medicos eum purpuratos numerat. Quos errare recte vidit Cel. FREINDIVS [a], cum nec de regni loco, nec de nomine conſentiant. Quamuis nec id probandum exiſtimemus, quod ille Arabum nonnullorum fide refert, ad ſummi conſiliarii, quem magnum Vezirium appellant, dignitatem eum peruenisſe. Quae fabula inde orta videtur, quod Auicenna [b], opibus vſus ampliſſimis, cum temperamento gauderet ſupra modum ſanguineo, et ad voluptatem, luxum et ſuperbiam veſtium atque ſupellectilis valde prono, magnifico habitu vſus eſt, adeo vt teſte Ibnu Chalican, ad ornandum muniendumque mulum ſuum ferri loco argentum adhiberet. Ex qua morum et habitus magnificentia facile fuit eiusmodi de tanto axiomate fabulam cudere. Praeter eruditionem in Auicenna mores quoque maxime probati laudatique ſunt. Teſte enim Ibnu Giulgiul [c] fuit acutus et beneuolus et in reſponſionibus quandam iucunditatem prae ſe ferens, cuius aliquot exempla ex hoc ſcriptore Arabe affert LEO, qui videndus. Et haec quidem pro Auicenna certatim afferri videas. Aſt nec deſunt, qui in omnia alia abeunt, et abiecte ſatis de eius eruditione iudicant. Nam vt

s) Conf. FREIND. l. c.
t) Antiqq. lect. L. II. c. 19. p. m. 57.
u) Scaligerana prima p. m. 18.
x) loc. cit.
y) loc. cit.
z) l. c. L. XXIX. c. 11. p. m. 119.
a) loc. cit.
b) LEO l. c. qui hunc ſplendorem et ſuperbiam ſupellectilis ita excuſaſſe Auicennam refert: facere hoc ſe, vt honori medicae artis ſatis proculcato ſubueniret.
c) Apud LEONEM l.

taceamus, eum teſte Iafeo ſcriptore Arabe apud POCOCKIVM [d] cum Alfarabio et Al-Cendo de religione ſuſpectum fuiſſe, quod ideo factum eſſe coniicit Pocockius, quod de rebus ad alteram vitam ſpectantibus philoſophice argutandi, easque aliter ac ſonant verba interpretandi audaciam ſibi ſumſerit: LEONIS [e] iam tempore inuenti ſunt, qui pronuntiarent: Auicennam in medicina fuiſſe luſcum, in philoſophia autem coecum. Quod iudicium confirmat eruditiſſimi FREINDII [f] obſeruatio fatentis, ſe cum toties plura Auicennae opuſcula percurriſſet, nihil vnquam inueniſſe, quod non Galeno ſurripuerit, vel quod non melius et perſpicue magis in Rhazi vel Haly Abbas poſſit inueniri. Signa eum morborum plerumque ſine neceſſitate rationeque multiplicare, et ſymptomata accidentalia cum eſſentialibus miſere confundere. Quod equidem mirandum non eſſe magnopere putamus, cum plagiariorum, inter quos ſuo iure referendus Auicenna eſt, hic mos ſit, vt centones conſuant male plerumque cohaerentes, male inter ſe coaptatos. Id quod Auicennae iam obiecit celeberrimus medicus IO. MANARDVS [g], monens; *non eſſe eum inter antiquos numerandum, ſed nec inter auctores, hoc eſt, qui aliquid arti addiderunt, cum ex aliis fere verbum e verbo acceperit, quicquid in ſuum librum congeſſit, atque cum multis, vel ſui, vel interpretum culpa mendis.* Et alibi *in eius libro praeter denſam caliginem infinitum eſſe ambagum chaos* obſeruat. Eundem plagii reatum HVETIVS [h] in Auicenna notauit, ipſe ſuo loco conſulendus. Immo ſi GABRIELI SIONITAE [i], fides eſſet, in adoleſcentia iam furtiuas manus in hac arte prodidiſſet. At eae narrantur circumſtantiae, quae vel mediocriter attento fabulam primo intuitu produnt. Ex his vero de meritis in philoſophiam

d) Ad portam Moſis c. VII. p. m. 224.
e) Ibid. qui hoc Ibnu Chatir, hiſtorici iudicium fuiſſe ait.
f) l. c. p. 40.
g) L. IX. epiſt. 5.
h) De clar. interp. L. II. p. 205. qui ſurripuiſſe eum pleraque Galeno, Paulo Aeginetae et Dioſcoridi obſeruat. Qua in re tamen aliquantulum Auicennam excuſant mores gentis ſuae, medicorumque in ea viuentium, quos exſcriptores Graecorum fuiſſe omnes obſeruat FREINDIVS l. c. p. 17. at ſuo quoque modo excuſat.
i) Rem paucis ſic habe: Bocharae celeberrimi nominis medicus viuebat, qui tamen neminem eruditionis ſuae haeredem eſſe volebat. Igitur famulis vtebatur literarum rudibus, ſcripta quoque omnia diligenter cuſtodiebat. Auicennae mater ſollicita de filii ſui praeclara eruditione dolum comminiſcitur. Filio perſuadet, vt ſurdum ſe et mutum fortiter ſimularet. Ipſa, medicum aggreſſa, famulitium pueri et commendat et ſuadet. Impetrabilis res erat, quia ſurdus et mutus, ineptus ad omnia ſtudia videbatur. Sed tamen medicus explorandum puerum ratus, et ipſe dolo vtitur. Aliquoties enim maſſas aeneas magni ponderis prope aures pueri ignorantis proiiciens, ſic ſe, num quae fraus lateret, expiſcaturum ratus eſt. Omnia tamen perſeuerans pueri dolus vicit. Medicus tot experimentis conſumtis, nihil ſubeſſe fraudis ratus, negligentius ſchedas ſuas habere, et incuſtoditas fere abituriens relinquere. Qua occaſione Auicenna vſus eas ſurripere, deſcribere, et tandem nomine ſuo, defuncto medico edere coepit. Repetit integra, et fidem adhibet more ſuo G. HORNIVS hiſt. phil. L. V. c. 10. p. 291. Sed fabulam et mendacia quaeſo Lector, manibus palpa. Surdum et mutum ſe ſimulauit puer; qua ratione igitur famulari poterat, vel perſuaderi medico, vt inutilem puerum reciperet? Parentibus gaudebat, opibus affluentibus, qui in famulitium dari potuit? Domi a philoſopho eruditus Al-Coranum memoria tenuit, vnde ſurditatis ἀφωνίας ſuſpicio? Decimo aetatis anno Bagdadum miſſus eſt; quomodo ergo inſeruire potuit alieno domino? Verum fertilia in eiusmodi nugis comminiſcendis ſunt Orientalium, maxime Arabum, ingenia.

phiam ab Auicenna profectis facile iudicium fieri poteſt. Cum enim conſarcinatorem potius opinionum male ſaepe cohaerentium et plagiarium, quam philoſophum egerit, vni etiam Ariſtoteli collum ſubmiſerit, ſane non potuit proficiſci ab eo aliquid, quo philoſophia magnopere iuuaretur. Cumque inſuper more gentis ſuae Islamiſmi praeiudiciis impeditus fuerit, quae vehementer philoſophiae obſtitiſſe infra docebimus [k], tantum abeſt, vt philoſophiae auxiliatrices manus porrexerit, vt corrupiſſe eam potius cenſendus ſit. Qui morbus licet et reliquis inter Arabes philoſophis communis ſit, in Auicenna tamen eo grauior fuit, quo pauperiori iudicii penu inſtructus is fuit, homo ad iudicandum prorſus ineptus, et neſcio quo fanaticiſmo, qui inter Muhammedanos compluribus contigit, correptus. Cuius luculentum teſtimonium eſt, quod logicam in templo, et inuentionem mediorum terminorum in ſomniis ſe quaeſiuiſſe, et accepiſſe quoque hac via myſteria logica et phyſica fatetur. Neque vero purum et intemeratum Peripateticiſmum in eius ſcriptis offendas, eo quod nec Graeca intelligeret [l], nec philoſophorum hiſtoriam teneret, ſine quibus praeſidiis obſcura Ariſtotelis ſcripta intelligi non poſſunt: verſionibus autem vteretur ineptis et ad capiendos philoſophi ſenſus et mentem atque ſententiam aſſequendam parum idoneis. Cum autem ratiocinandi arte, licet eam tanto ſtudio excoluiſſe videri voluerit, deſtitutus fuerit, mirum non eſt, in ſcriptis quoque medicis Auicennae regnare confuſionem, obſcuritatem, errores, miſerumque conſpici chaos, in quo, quae bona ſunt vel mediocria, ex furtis eius et expilationibus Graecorum deriuanda ſunt. Scripſit, vt erat vir diligentiſſimus, medica plurima, in hiſtoria medicinae literaria enarranda [m]: inter ea vero *canon* eius *medicinae* eminet, in quo ſyſtema aliquod medicum corradere magis quam conſcribere et ex ſcriptis Graecorum compilare aggreſſus eſt. Qua in re ſummam ei laudem tribuit SEBASTIANVS SCHEFFERVS [n], *eo quod tanto ingenio, tanta philoſophiae cognitione, tanta denique peritia artis inſtructus rem hactenus Graecis ipſis intentatam aggreſſus ſit, integram artem medicam in vnum ſyſtema redigere conatus. Quanquam enim negari nequeat, multa in illo opere canonis occurrere, quae correctionem mereantur, fatendum tamen eſſe opus admiratione dignum.* In quo tamen iudicio de Auicenna iudicium et veritatem merito deſideres. Nam quae a Graecis furto abſtulit, bona et egregia ſuis potius dominis vindicanda, quam plagiario tribuenda ſunt: falſum autem eſt, primum eum ſyſtema aliquod medi-

k) Eleganter id de Auicenna obſeruauit L. VIVES de corr. art. L. V. „metaphyſicam Auicennae videri reſipere deliramenta Alcorani. „Nihil fieri poſſe illis inſulſius frigidiusque".

l) Id probaturus HORNIVS l. c. ad RHODIGINVM antiqq. lect. L. II. c. 2. prouocat, indignantem, quod Auicenna in Hiſpania natus Graeca non intellexerit. Verum nec libro II, ſed L. III. p. m. 73. hic locus extat, et de Auerroë non de Auicenna agit. Simili ratione ab Hornio ſine dubio deceptus lapſus eſt RAPIN reflex. ſur la phil. p. 739.

m) Enarrant eius ſcripta medica LEO, MERCKLINVS, ANTONIVS II. cc. HOTTING. bibl. Or. p. 212. biblioth. quadrip. p. 257. WOLF. bibl. Hebr. P. I. p. 9. aliique.

n) Introd. in art. medic. p. 64.

medicum conſtruxiſſe, cum ex ſupra dictis conſtet, Abubeter ſiue Razin in *continente ſuo* idem ante Auicennam tentauiſſe. Verum haec medicis expendenda relinquimus, monuiſſe contenti, etiam in philoſophico argumento Auicennam diligentiam quidem ſuam demonſtrauiſſe, iudicium vero et philoſophandi prudentiam non item. Scripſit enim varia rationalem, phyſicam et metaphyſicam philoſophiae partem illuſtrantia [o], v. c. tr. *de anima*, *de ſtellis*, *de ſphaera*, *ſyſtemā logicum*, *phyſicum*, *metaphyſicum* et alia, de quibus HOTTINGERVS [p] videndus. Horum librorum vt et medicorum quorundam verſiones quoque extant Hebraeae [q], et imprimis Latinae. Vsque ad renatas enim literas non inter Arabes modo, verum etiam inter Chriſtianos dominatus eſt Auicenna tantum non ſolus, vnde, cum in ſcholis Saracenorum Chriſtiani philoſophiam et medicinam diſcerent, hoc imprimis duce egregio opus eſſe iudicatum eſt, et in hunc finem verſiones Latinae, cum Arabica non intelligerentur, confectae ſunt. Id quod imprimis GERARDVS CREMONENSIS tentauit, cuius tamen labor adeo ineptus eſt, vt noua recognitione et emendationibus quamplurimis opus eſſe viri docti cenſuerint. Quare ANDREAS ALPAGVS Bellunenſis [r], quem in ſenectute Arabicae linguae diſcendae et codicum Arabicorum conquirendorum cauſſa in Orientem profectum fuiſſe conſtat, innumeris hanc verſionem caſtigationibus correxit, et ad Arabicae linguae codicumque fidem reſtituit. Et ne ſic quidem tamen Auicennae opera fideliter ſatis nobis tradita eſſe doctis viris obſeruatum eſt. Quae cauſſa extitit, cur et VOPIS. FORT. PLEMPIVS Medicus Louanienſis [s] et PETRVS VATTERIVS archiater et conſiliarius Aurelianenſis [t] nouam verſionem molirentur, quae tamen typis non prodiere. Multa quoque Auicennae ſcripta *ἀνέκδοτα* ſeruant bibliothecarum foruli, quibus tamen ſine magna eruditionis iactura hodie facile caremus.

Eſſeriph Eſſachalli.

§. XVIII. Ex Aſia in Africam et Europam ad Mauros progreſſis occurrit ESSERIPH ESSACHALLI, homo Siculus, qui nomen Eſſeriph id eſt, nobilis vel illuſtris ideo accepit, quod ex poſteris Muhammedis eſſet. Sharifi vero titulo ſolos eos gauiſos fuiſſe, qui a Muhammede genus duxere vel ei affinitate coniuncti fuere, obſeruat POCOCKIVS [u], idque exemplo illuſtris Edriſidarum familiae, quae olim in aliquibus Africae partibus regnauit, illuſtrat. Is non modo eloquentiae dulcedine et eruditionis praeſtantia in genere, ſed et philoſophiae, medicinae, aſtrologiae et coſmographiae notitia ſpeciali per Occidentis terras ita incla-

o) Conf. LEO l. c.

p) Bibl. Orient. p. 218. 245.

q) Videndus de iis BARTOLOCCIVS bibl. Rabbin. T. I. p. 6. WOLFIVS bibl. Hebr. l. c.

r) Conf. VOSSIVS de phil. p. 110. FABRIC. bibl. Graec. Vol. XIII. p. 272. not. s. Sed voluerunt hunc quoque lapidem alii Arabicae literaturae periti, et inter hos V. C. Petrus Kirſtenius. Conf. inſcriptio operum Venet. 1608. editorum, quam exhibet MERCKLINVS loc. cit. pag. 99.

s) Vid. MERCKLIN. l. c. HOTTINGER. l. c. p. 213. SPIZELIVS ſpecim. biblioth. vniu.

t) COLOMESIVS Gall. Orient. p. 229. edit. Fabr.

u) Specim. hiſt. Arab. p. 373.

inclaruit, vt inter Chriſtianos quoque eximia de eo eſſet opinio, eumque ſuo tempore parem non habuiſſe LEO AFER. *), cui eius notitiam debemus totam, affirmet. Is qua ratione Apuliae et Calabriae duci et Siciliae comiti Rogerio innotuerit, ita narrat: Siciliam ſibi, cuius rex a pontifice Anacleto adiecta Apulia et Calabria declaratus erat y), cum armorum vi ſubiicere tentaret Rogerius, vrbem quoque Mazzaram obſedit. Cuius incolae cum arcte incluſi ab eo premerentur, de deditione cogitare coeperunt. Vt igitur pacis conditiones obtinerent faciles, hunc potiſſimum philoſophum legatum ad Rogerium miſerunt. Qui cum ciuitatis nomine de conditionibus tractauiſſet, regi librum a ſe confectum obtulit, cui titulum fecerat *Nuſhat alabſar*, id eſt, *ſpatiatorium locorum*, vel potius *oculorum*, in quo docta tractatione geographiam omnem et veterem et ſui temporis expoſuerat. Cuius libri ſummam atque argumentum cum Rogerius intellexiſſet, in Latinum ſermonem transferri iuſſit. Quo lecto rex admiratus ea homini Muhammedano cognita fuiſſe et perſpecta, quae inter Chriſtianos ignorarentur, ſaltem de quibus nemo hactenus ſcripſiſſet, tanta Eſſeriphum complexus eſt gratia, vt et caſtrum ei aliquod donaret, et vt in aula ſua maneret, oblatis lautis conditionibus rogaret. Renuit tamen philoſophus, caſtroque dynaſtae cuidam magno auri pretio vendito in Mauritaniam abiit. Rogerius autem ſi fides eſt hiſtoriae Siculae ſcriptori Arabi Ibnu El Huſain, ad quem prouocat Leo, tanto amore hunc librum complexus eſt, vt e manibus vix deponeret; quod cum mirarentur amici, et, cur non Ptolomaeum, ſcriptorem multo doctiorem legeret, quaererent, illis Rogerius reſpondit: Ptolomaeum tantum de parte mundi, Eſſeriphum de toto mundo ſcripſiſſe. Obiit Eſſeriph A. C. MCXXI, an. Heg. DXVI, in vrbe Africana Ciuitat, relictis multis filiis, quorum poſteros ſuo quoque tempore Feſſae atque Tuneti inuentos fuiſſe, ſemperque de iſta familia aliquos rei medicae ſtuduiſſe Leo aſſerit. Caue vero hanc coſmographiam confundas cum geographia vel coſmographia Nubienſi ab homine Aegyptio Muhammed Ebn Muhammed Sheriffal Edriſſi conſcripta, quam ſimili fere modo Rogerio II. obtulit, quamque Latinam fecerunt GABRIEL SIONITA et IOANNES HESRONITA z), Maronitae. Is enim anno Heg. DXLVIII, librum ſuum tradidit Rogerio, dimidio fere ſeculo Eſchalli iunior, vt recte obſeruatum POCOCKIO a) et FABRICIO b). Lapſus eſt in hac homonymia confundenda magnus BOCHARTVS c).

§. XIX.

*) l. c. c. XIV. p. 278.

y) Qualis tunc facies Italiae fuit, bellis ſaeuis inter papas Innocentium II, et Anacletum II inualeſcentibus, cum illius partes ſequeretur imperator Lotharius, huius Rogerius, in hiſtoria eccleſiaſtica quaerendum. Videndus autem FRANC. PAGI in breuiar. Pontif. Roman. T. II. ad Sec. XII. p. 613. ſeqq. 645. ſeq. et LEO VRSVETANVS in chron. ſumm. Pontif. nuper a praeſtantiſſimo LAMIO T. II. deliciar. edito p. 1207. ſcriptoresque hiſtoriae Pontificiae et Schiſmatum alii.

z) Paris. 1619. 4.

a) Specim. hiſt. Arab. p. 372. ſeq.

b) Bibliograph. antiq. c. V. p. 129. 130.

c) Praef. ad hierozoicon.

Thograi. §. XIX. THOGRAI Perſa fuit Iſpahanenſis, vir in philoſophia, arte medica et praecipue chemica, poëtica, rhetorica et hiſtoria celebris, maxime vero carminis felicitate et elegantia commendatus. Qua artis praeſtantia haud parum res ſuas promouit. Cum enim ſcribendi peritia ſingularique artificio praeſtaret, (vnde quoque nomen ei Thograi haeſit [d], cum integro nomine Abu Iſmael Al-Hoſain Ebn Ali Alaſpahani eſſet) et ſe principi Malich Maſchud Ebn Muhammed Seliucki facto ſpecimine valde commendauiſſet, negotiis eius arcanis ſcripturaeque in curia admotus eſt, eo ſucceſſu, vt maius curiae officium, quod cum cancellarii vel magni quoque Vezirii et primarii conſiliarii munere coincidit, ei crederetur [e]. Quo axiomate auctus tantas teſte LEONE AFRICANO diuitias corraſit, vt aeſtimari vix poſſent, isque omnes alias in hac aula potentia et cenſu antecelleret. Tantum tamen a philoſophiae diſciplina atque actione abfuit, vt quo plus poſſideret, eo minus inde animum referret tantis theſauris contentum. Vnde cum plurima conſcriberet carmina, pleraque lamentis querulisque repleuit vocibus, et expoſtulando de iniuria temporis fatorum iniquitatem accuſauit. Eo vero tandem inſaniae delapſus eſt, vt alchemiae totum ſe traderet, ita, quod fortuna ipſi denegare viſa erat, artis auxilio praeſtiturus, vt infinitis theſauris abundaret. Quod funeſtum ei eſſe vidit dominus eius et prudenter monuit. Is enim cum die quodam ingreſſus eſſet tentorium Thograi, eumque rerum expeditioni deprehendiſſet intentum carmen reperit, quo haud obſcure animum praeſenti fortuna non contentum ſignificauit. Quo lecto monuit eum, vt, quae dicenda haberet, ad illa attenderet, ea enim ſe allaturum eſſe, de quorum veritate tempus eum conuicturum ſit. Nempe eſſe ſe dimidiae Aſiae dominum; illum autem quaſi ſecundum, proximum quippe a ſe: non deeſſe vtrique abundantiſſimam Dei gratiam, neque tamen ita expleri animum ſatiarique poſſe. Vereri itaque ſe vehementer, ne triſtiori tandem euentu puniantur, ſi ad altiorem gradum adſpirare perrexerint: nam non aliud ſperare petereque ſe poſſe, quam vt Dii efficiantur. Nec fefellit euentus vaticinium. Vix enim ſemeſtre effluxerat ſpatium, cum contra fratrem rebellaret princeps, monarchiam affectans. Quem cum magno exercitu aggreſſus eſſet Sultanus, captus is eſt et in carcerem ductus, ſociusque atque comes illi datus Thograi, vel ob diuitiarum vel ob eruditionis et ingenii inuidiam, vel quod factionis illius atque conſpirationis particeps haberetur. Illud certum immenſas diuitias, quas Thograi poſſidebat, effeciſſe, vt iuberetur alligari torquerique, ſicque coactum illum immenſos theſauros, quos habebat, confeſſum eſſe. Quo cognito Sultanus eum veſtibus exutum arbori alligare iuſſit, puero praecipiens, vt ſagittis eum confoderet. Quod cum ex regis mandato puer exſe-

d) Vid. POCOCK. ad carmen Thograi p. 4. nomen enim craſſam et implexam ſcripturam in diplomatibus adhiberi ſolitam indicat.

e) LEO l. c. c. XIII. p. 276.

exsequi susciperet, non ad orationem confugit, nec animam Deo commendauit Thograi, nec animo quoque defecit, sed tanta eius praesentia vsus est, vt morti proximus carmen occineret, quo morti generosum contemtum oppositit, seque sagittis ipsum obtulit. Qua animi ferocia commotus Sultanus, cum eum confossum interiisse comperisset, comburere corpus exanime tanquam impii et infamis haeretici iussit. Id quod factum a. Heg. DXV, A.C. circiter cIↃCXXI, in campis Marghoë, vt scribit LEO. Scripsit non commentarios tantum historicos *de rebus Asiae, Persidisque*, sed et *defloratione naturae in alchimia*, qua arcana naturae mysteria in transmutandis metallis se detexisse somniabat. Tum commentarium quoque in *rempublicam Platonis*, quo huic potissimum philosopho, raro inter Arabes exemplo laborem impendit. In carminibus autem, quae magno numero confecit, non laudes tantum principum et illustrium virorum, verum etiam argumenta moralia prosecutus est, ex quibus vnum ad nos peruenit, editum ab ED. POCOCKIO [f],

§. XX. Inter Saracenos Hispanos eminuere philosophiae et medicinae laude AVENZOAR et Auenpas, celeberrima in scholis medicorum Sec. XII et sequentium ad renouatas vsque literas nomina. Et prior quidem posterioris praeceptor Seuiliae, Chalifarum sede natus a parente Ibnu Zohar vocatus est, quod Latini in Auenzoar commutauerunt. Nobili eum genere ortum dicit LEO [g], et vbi philosophiae atque medicinae diligentem operam dedisset, seruiuisse rebelli Ibnu Habad eiusque filio, quo fugato eiectoque ministerio Moroccani regis Iosephi Ibnuttaspin, qui Iuceph Abentessephin RODERICO [h] dicitur, se dedit. Quamuis autem nunquam praemium ex sua arte vel a pauperibus vel ab artificibus accepisset, regum tamen principumque muneribus, quae non neglexit, ita ditatus est, vt plurimis facultatibus abundaret. Quibus tamen ita vsus est, vt non indigos tantum pecunia iuuaret, sed et inimicis eleemosynam erogaret. Dignus autem qui in Saracenicae philosophiae historia nominetur praecipue est propter discipulos, quos educauit, celeberrimos, inter quos praeter Auenpace fuit Auerroës, quemadmodum et filium eius Ibnu Zohar vel Zor cognomento Rasin in aula Mansoris pontificis regis Marochiani gratiosum fuisse, et in arte medendi ita excelluisse, vt ingentes inde ipsi diuitiae prouenirent, narrat LEO AFER [i]. Quamuis autem Auenzoar philosophici argumenti nihil scripsisse legatur, sed tantum medica edidisse plurima, quae et veteribus eximie laudata, eorumque auctor, illustris, admirabilis, eminentis etc. nomine Auerroë mactatus, et recentioribus, maxime Cel. *Auenzoar.*

f) Lucem primo vidit Lugd. Batau. 1629. Latina vero versione donauit, et cum erudita praefatione Oxon. 1661. 8. edidit EDVARDVS POCOCKIVS.

g) l. c. c. 16. p. 279. conf. NIC. ANTON. bibl. Hisp. vet. T. II. p. 252. PETR. CASTELLANVS vir. illustr. medicor. T. X. Antiqq. Graec. Gronou. aliique.

h) Hist. Arab. c. 48. p. m. 38.

i) c. 18. p. 281.

FREINDIO [k] probata, qui de medicina Auenzoar prolixe doctequę differit: illud tamen hoc loco non praetereundum, reuocasse medicum hunc Hispanum inter Arabes medicinam rationalem, et procul esse iussis hypothesibus incertis ad experientiam et rationem eiusque vsum, id est, philosophiam cuncta reduxisse. Obiit, teste LEONE [l] an. Heg. DLXIV annos natus XCII. FREINDIVS [m] CXXXV aetatis annum attigisse scribit, sine dubio narrantium errore deceptus, qui dum tempus eius definiri non posse, dicit, patet inde, eum Leonis libellum non vbique consuluisse: quem si adiisset, multa historiae huic addere potuisset haud ingrata futura.

§. XXI. Ex huius schola, vt dictum, prodiit Abubecr Muhammed Ebn Baiiah [n], Hispanus [o], ex quo vltimo nomine Latini corruptum nomen AVENPAS vel Auenpace formarunt. Dicitur alias Ebno'l Sayeg vel Ibnu Saigh. Antecessores habuisse Iudaeos, et in vrbe Mariae natum ait LEO AFRICANVS [p], qui inter celeberrimos medicos atque philosophos eum fuisse testatur. Illius artis praecepta ab Ibnu Zohar, huius a Maslama quodam philosopho Arabe didicit. Sed et mathematica tenuisse inde colligitur, quoniam in Euclidem commentatus est. Laudat LEO epistolas eius philosophicas atque theologicas, ad quas sine dubio ea quoque pertinet, quam B. CHRISTOPH. WOLFIVS [q], auctore Abubecher Ben Saig laudato, adducit in Hebraeam linguam a R. Chaiim Ben Iudae Aben Viuasch conuersam *de discessu siue abductione animae a rebus mundanis ad Deum*: ex qua colligitur, Auenpace ex eorum philosophorum Peripateticorum inter Arabes genere fuisse, qui mysticam quandam philosophiam affectantes ad enthusiasmum accesserunt, vt infra monebitur. Sed et commentario Aristotelem illustrauisse, itemque librum de causis dicitur [r]. Siue autem philosophia in causa fuerit, quae a communi theologiae Muhammedanae tramite discedere coëgit, siue inuidia eum presserit, illud certum, eum haereseos suspectum Cordubae, vbi Auerrois pater tunc iudex erat, in carcerem coniectum, at deprecantibus principibus viris ex eo iterum dimissum fuisse [s]. Parum enim conueniisse philosophis Muhammedanis cum lege Islamitica nec tam facile in concordiam ire hanc voluisse cum philosophia Graecorum, quam solebant theologi Muhammedanorum scholastici, supra iam obseruatum est, et credibile Ebnol Sayeg id etiam obseruauisse. Tales enim philosophos inter Muhammedanos fuisse, testis est ABVLFARAIVS [t], qui narrat: *Fuisse quosdam qui autumauerint, coniunctis philosophia Grae-*

k) Hist. med. P. II. p. 41. qui ex ipso Auenzoar obseruat, captiuum aliquando eum detentum maleque habitum fuisse a praefecto vrbis Seuiliae regio. Postea vero Hospitali praefectum, regiis ministeriis inseruiuisse.
l) loc. citat.
m) loc. cit.
n) POCOCK. specim. p. 386.
o) NIC. ANTON. l. c. T. II. p. 254. 255.
p) l. c. c. 15, p. 279.
q) Bibl. Hebr. P. I. p. 6.
r) Conf. GESNER. in biblioth. WOLF. l. c. pag. 17.
s) LEO l. c.
t) Apud POCOCK. specim. p. 385.

Graeca et lege Arabica ad perfectionem peruenire: compoſuerintque L epiſtolas de L ſapientiae ſpeciebus, addita LI, quae reliquorum capitum ſpecies in vnum collectas contineret, iuxta viam compendii et epitomes, et vocaſſe eas epiſtolas Echwanoſſapha, celatis interim nominibus ſuis. Hos diſcurſus affectus quidem mouiſſe, ſed ad metam neutiquam pertigiſſe, nec probationes et argumenta manifeſta exhibuiſſe. Noſtrum autem de iis pronunciaſſe: non eſſe hanc ſententiam cuiusquam ex antiquioribus, verum ſententiam Echwanoſſapha a veritate aberrantium, ſcriptorum Arabicorum verbis exponit POCOCKIVS. Ex quo patet, Ibnu Saigh improbauiſſe ſyncretiſticum theologorum inter Muhammedanos ſcholaſticorum ſtudium, et diſſenſum a veteribus placitis oſtendiſſe. Ex quo facile fieri potuit, vt premente theologorum inuidia haereſeos accuſatus fuerit. Annum obitus eius quidam in an. Heg. DXXV, alii in DXXXV ponunt. LEO an. Heg. DL obiiſſe dicit. Medio ſeculo Chriſtiano duodecimo vixiſſe certum.

§. XXII. Magnum quoque inter theologos Muhammedanos ob philoſophiam nomen conſecutus eſt ALGAZEL, vel quo integro nomine appellabatur, Abu Hamed Muhammed Ibn Muhammed Ibn Achmed Al-Gazali *): quiquod pro religione Muhammedana contra Chriſtianorum et Iudaeorum obiectiones pugnaſſet, *Haiatol Eslam*, id eſt, *demonſtratio Islamiſmi* vocatus *), interdum etiam a filio Abu Achmed dictus eſt itemque Zainoddin Al Tuſi. Erat enim Tuſius, ex celebri Aſiae vrbe Tus vel Tos oriundus. Patrem habuit mercatorem diuitiis affluentem, qui cum filium excellentiſſimis naturae dotibus ingenioque praeclariſſimo ornatum videret, ſtudiis eum dicauit. Quibus ita ſe ingurgitauit Al-Gazelius, vt et omnem encyclopaedíam teneret, et in philoſophiae atque theologiae iurisque Islamitici ſtudio nulli concederet, omniumque inde in ſe oculos conuerteret et in admirationem raperet. Latere itaque egregia Al-Gazelii eruditio ſummos quoque viros non potuit, et in cauſſa fuit, vt ad Bagdadenſe gymnaſium, (quod ſummum conſiliarium ſiue magnum Vezirium in hac metropoli maximis ſumtibus magnoque ſtudioſorum iuuenum confluxu excitauiſſe ſupra narrauimus) vocaretur, vt profeſſoris ibi publici munus ſubiret. Inuitatus largo ſtipendio Al-Gazelius cum Bagdadum veniſſet, munus lectione publica auſpicaturus, tanta eius apud omnes fuit exſpectatio, vt ipſe vrbis eius princeps, omnesque eius familiares, nobiles et magiſtratus ei obuiam procederent, et tota fere ciuitas in eius aduentum ex vrbe effunderetur. Conſcenſa autem cathedra cum primam lectionem habuiſſet, vniuerſus populus confluxit, et non nobiles tantum atque diui- *Al-Gazel.*

*) POCOCK. l. c. p. 371. et praef. ad philoſoph. autodidact.

*) IDEM porta Moſis c. VI. p. m. 112. Caue haec nomina inter ſe confundas, quod accidit HENDREICHIO in pandectis Brandenburgicis h. v. Al-Gazel autem vel Al-Gazuil idem eſt, ac iuſtitiarius. Conf. WOLF. bibl. Hebr. P. III. pag. 2.

tes ad nouum profeſſorem accurrerunt, eius ſapientiam audituri, quem tantis honoribus cumulauerant principes; ſed et opifices et plebs omnis relictis opificiis et tabernis cum filiis ad nouum gymnaſium conuolarunt, tantae eruditionis audituri miraculum. Quos cum attonitos dimiſiſſet omnes, tanta inde apud ſummos imosque auctoritas Al-Gazelio enata eſt, vt multoties ipſe conſiliarius ſummus lectionibus eius intereſſet. Ita vero non famam tantum atque exiſtimationem, ſed et facultates mire ſibi auxit Al-Gazelius, multos annos hoc munere ſumma cum laude defunctus. Nihil tamen cogitantibus omnibus inexpectatum conſilium ſuſcepit et executus eſt philoſophus. Poſito enim munere, quod hactenus cum laude geſſerat, erogatisque in pauperes facultatibus fere omnibus, quas docendo corraſerat, eremitaeque habitu induto Meccham iter religioſum ſuſcepit. Ex Arabia in Syriam, indeque in Aegyptum ſeceſſit, ibique Cairi primo mox Alexandriae commoratus eſt, vt Etartoſim, theologum inter Muhammedanos celeberrimum audiret. Tandem Bagdadum reuerſus eſt, ibique naturae debitum reddidit annos natus quinque ſupra quinquaginta, a. Heg. DV [y]. Nobilem vero Al-Gazelius locum occupat inter theologos Muhammedanos, ſectam enim Al-Aſſharienſem, cuius ſupra hiſtoriam tetigimus, nouis illuſtrauit luminibus, eiusque auctoritatem multum promouit: Islamiſmum autem magna eruditione tueri, et Chriſtianorum atque Iudaeorum tela retundere ſategit. Scripſit enim librum *de vnitate Dei* aduerſus Chriſtianos, quem defenſoris Islamiſmi cognomen ei peperiſſe recte coniicit POCOCKIVS [z]: licet veriſimile ſit, plura eiusmodi opera ſcripſiſſe Al-Gazelium. Meminit enim CHR. RAVIVS [a] *operis* eius *theologici diſputationes et quaeſtiones theologicas, dubias aut difficiles conſultationes reſoluendas conſcripti, quomodo Chriſtianis, Iudaeis, Magis quoque et Paganis et in genere omnibus in ſecta Muhammedica non viuentibus, reſpondendum, partim ex Al-Corano partim ex reſponſionibus Muhammedis aut ſequentium Chalifarum ſententiis* oſtendentis. Tantique facti ſunt hi Al-Gazelii libri, vt in compendium melioris vſus cauſſa mitterentur, quod ſuſcepiſſe Abu Tadli Ahmed Ebn Muſa, teſtatur POCOCKIVS [b]. Quamuis autem ſummus eſſet theologus, impedire tamen non potuit, vt non haereſeos inſimularetur, grauique afficeretur iniuria. Narrat enim LEO [c], teſte vſus Geuſi ſcriptore annalium Arabico: Poſt diſceſſum Al-Gazelii inuentum fuiſſe Bagdadi librum quendam eius, quem contra iuris Muslemitici interpretes ſcripſerat, in quo cum aliqua vituperauiſſet, licita legibus Islamiſmi, eum librum tantam ei conflaſſe inuidiam, vt per totum imperium Saracenicum combureretur. Libri vero titulum fuiſſe: *Reſur-*

y) Narrat haec omnia LEO l. c. c. 12. p. 274. ſeqq. annum hunc emortualem quoque figit POCOCK. l. c. p. 371.

z) Port. Moſis l. c.

a) Panegyr. II, p. 16. Cel. WOLFIVS tamen l. c. P. I. p. 6. eundem librum Rauium intelligere putat de vnitate Dei; ſed verba Rauii id non euincunt.

b) Specim. l. c.

c) loc. cit.

Resurrectio scientiarum legis. Addit his: incurrisse quoque reprehensionem aliorum, ob librum alium, cui titulum fecerat: *Defensio iusta*, quo libro recensuerit res ac regiones, quas Iudaei ac Christicolae habebant, et possidebant, qui non credidere Muhammedi. Ex quibus verbis coniicimus, concessisse eum quaedam, facilemque se in aliquibus praebuisse dissentientibus magis, quam ferre poterant animi theologorum zelo aestuantium. Excelluit praeterea carminis elegantia et felicitate, quam ad res morales adhibuisse, plurimaque huius generis, more gentis suae, scripsisse, testis est LEO [d]. Praecipue tamen inter philosophos nobile nomen consecutus est. Nam et librum conscripsit *de opinionibus philosophorum*, maxime in naturalibus et logicam, metaphysicam atque moralem philosophiam peculiaribus tractationibus illustrauit, quae ob auctoris celebritatem in Hebraeam linguam translatae sunt, de quibus librorum Al-Gazelii versionibus videndus est WOLFIVS [e]. Sectam enim Al-Asharitarum de Deo et operibus decretisque diuinis subtiliter philosophatam fuisse, supra iam diximus. Sed et alio nomine in philosophiae historia notandus est. Scripsit enim *destructionem philosophorum*, quo potissimum libro omnium philosophorum systemata euersum iuit, sine dubio, vt eo melius legi Islamiticae succurreret. Contra quos insultus philosophorum partes tuitus est Auerroës edito contra Al-Gazelii librum *destructorio destructorii*. De aliis eius libris videndi LEO AFER [f], HERBELOTIVS [g], aliique.

§. XXIII. Seculo dimidio hoc iunior est AVI IAAFAR IBN THOPHAIL, qui et Abubecr Ebn Thophail dicitur [h]. Natus est in regia Chalifarum sede Seuiliae, nobili genere ortus, quod inter exercitus Saracenicos ex Syria in Hispaniam descendit, et inter ministros Chalifarum Pontificumque [i] summos atque praecipuos, locum diu tuitum est. Sed euersa tandem illorum potestate multis rebellionibus, parens eius et muneribus et facultatibus priuatus est [k]. Thophail itaque filius cum videret, ex paternis fundis non haurire se posse, vnde emergeret, ad literarum studia animum applicuit, ratus, quem fortuna in aula negauerat, in Musarum castris se fatorum suorum euentum laudabiliorem esse deprehensurum. More itaque doctorum virorum inter Arabes arti medicae et philosophiae se tradidit, earumque mysteria tanta felicitate perquisiuit, vt non ignobilem inter philosophos sui temporis locum consequeretur. Cumque ex consuetudine nationis sua Aristotelicae philosophiae totus adhaereret, tanta eius in explicando obscuro et difficili philosopho ingenii acrimonia emicuit, vt et Auerroës et Maimonides ab eo philosophiae praecepta discere *Thophail.*

d) loc. cit.
e) loc. cit.
f) loc. cit.
g) Biblioth. Orient. p. 362.
h) PQCOCK. praef. ad phil. autodidact.
i) Vtrumque et Chalifae et pontificis nomen sibi principes Saracenorum, maxime Mauri vindicabant, quod non regionis tantum, sed et religionis arbitri essent. Vnde Al-Gazelius orthodoxam doctrinam etiam ex pronunciatis Chalifarum definiuit, vt supra dictum.
k) L. c. c. 17. p. 280. seq.

ſcere cunctati non fuerint, quod exemplum alii quoque multi poſtea ſecuti ſunt. Fuit iudicio ſatis acuto, ingenio pereleganti et in lectione veterum pro Arabis hominis conditione ſatis ſubacto, eo vero ex philoſophorum genere, qui Ariſtotelica philoſophia ad enthuſiaſmum quendam erigendum inter ſuos vſi ſunt. Id quod luculenter prodidit eleganti illa fabula de Hai Ebn Yockdahn, quem fingit aquarum inclementiae expoſitum et a cerua nutritum, ſine vllius hominis ſocietate ſolum relictum ita adoleuiſſe, vt ſola rationis luce connata vſus, tum ad rerum naturalium et ſupernaturalium, tum ad ipſius Dei animaeque immortalis cognitionem, felicitatemque in vnione cum Deo eiusque intuitione inueniendam peruenerit. Quam fabulam ita inſtruxit, vt, (quod in homine Arabe non valde mirandum) veriſimilitudinis quidem leges haud raro transgrederetur, ita tamen ſermonis elegantia atque narrationis iucunditate cuncta temperaret, vt inter ipſos Mauros magna inde enaſceretur libro huic auctoritas et exiſtimatio, quem nec ipſe Auerroës homo metaphyſicus laudare deſtitit. Eadem libri huius veneratio inter Iudaeos fuit, quibus Hebraeum exhibuit R. Moſes Narbonnenſis, cuius exemplum alii quoque, docente WOLFIO [l], ſecuti ſunt. Ereptusque eſt libellus elegans communi veterum librorum, praeſertim Arabicorum, naufragio, quod pulſis ex Hiſpania Mauris paſſi ſunt, et ad noſtra vsque tempora ſeruatus eſt. Quem cum accepiſſet, vir de Arabica literatura tot nominibus meritus, nec ſatis laudandus EDVARDVS POCOCKIVS, dignumque iudicaret, qui ab Arabicae eruditionis ſtudioſis cum ob argumenti grauitatem, tum ob dictionis ſuauitatem et elegantiam legeretur, filio cognomini paternaeque eruditionis in his literis haeredi vertendum et Arabica Latinaque veſte in lucem publicam producendum tradidit, ſicque erudita praefatione, qua de auctore et argumento libri more ſuo doctiſſime diſſerit, auctum Oxoniae [m] edidit, hoc ornatum titulo: *Philoſophus αὐτοδίδακτος, ſiue epiſtola, in qua oſtenditur, quomodo ex inferiorum contemplatione ad ſuperiorum notitiam mens aſcendere poſſit.* Magni hunc librum fecerat editor ob ſingularem dictionis nitorem et elegantiam; at et argumentum ipſum philoſophis praeſtantiſſimis ita placuit, vt noua editione opus eſſet [n], deque libro ipſo, vir ſummus G. G. LEIBNITIVS [o], pronuntiaret, ſe legiſſe ſumma cum iucunditate libellum elegantiſſimum, fateretur quoque, ex excellentiſſimo hoc libro clariſſime intelligi, Arabes philoſophos tanta ſublimitate de Deo cogitaſſe, quanta vnquam philoſophi Chriſtiani id fecerint. Maxime vero Britannis, ad eiusmodi argumenti genus natura procliuibus adeo haec fabula placuit, vt et Aſhwellus eam ex Latino Pocockii Anglicam faceret, et Quackerorum coetus, cui intuitiua iſta Thophaili cognitio mire arridebat, auctore vſus Georgio Keith, celebri illius miniſtro, eandem libro huic praeſtarent operam [p]. Qui tamen vterque cum

l) Bibl. Hebr. P. I. p. 14. ſeq.
m) 1671. 4. n) Oxon. 1700. 4. o) Leibniziana p. 30. 38.
p) Vid. Biblioth. vniuerſ. T. III. p. 77.

cum nimis ſuperſtitioſe Latinae verſioni inſtitiſſet, nec Arabicum πρωτότυπον conſulere potuiſſet, meliorem dare libri commendatiſſimi verſionem ex ipſa Arabica lingua confectam ſuſcepit SIMON OCKLEY, Cantabrigienſis profeſſor linguae Arabicae [q]. Sed et anno cIↃ IↃ CLXXII edita eſt verſio Bataua [r], et cIↃ IↃ CCXXVI Germanica, quam B. IO. GEORGIO PRITIO debemus, qui luculenter de hoc libro meritus eſt. Auicennae autem laborem eſſe perperam coniecit PETR. DAN. HVETIVS [s]. Plura ad eius hiſtoriam pertinentia dabunt, NIC. ANTONIVS [t] et IO. CHRISTOPH. WOLFIVS [u]. Obiit Thophail Seuiliae an. Heg. DLXXI, i. e. circa finem ſec. XII Chriſtiani.

§. XXIV. Omnium tamen philoſophorum medicorumque luminibus inter Arabes tenebras obieciſſe famamque eorum ſuperaſſe viſus eſt Thophaili diſcipulus AVERROES, inter Chriſtianos potiſſimum philoſophiae nomine ipſi fere Ariſtoteli, ſi non praelatus, certe aequatus. De cuius vita et hiſtoria optandum eſſet, vt ſcriptores de medicis illuſtribus Arabes, qui nondum editi ſunt, conſuli poſſent; quibus dum caremus, recurrendum potiſſimum ad LEONEM AFRICANVM [x], qui prolixe eius hiſtoriam enarrauit, quem plerique recentiores maxime NIC. ANTONIVS [y] et PETRVS BAYLE [z] ſecuti ſunt. Cuius tamen poſterioris in conſarcinandis recentiorum narratiunculis, non conſultis fontibus diligentiam non ſatis accuratam acerbe reprehendit Cl. FREINDIVS [w]. Integrum verumque eius nomen fuit Abul Walid Muhammed Ebn Achmed Ebn Muhammed Ebn Roshd [x], quae nomina more Arabum de filio, patre, auo, abauo intelligenda, varia illi apud Latinos pepererunt nomina. Abu Walid enim apud Leonem Abulguail dicitur, Ebn Roshd autem, corrupta nomina Aben Ruſchd, Ibn Ruſchad, Ibn Ruſid, Aben Ruſt, Auen Ruis, Ibn Rosdin et ſimilia peperere, ex varia nominis Arabici, quod gentilitium illi fuit, pronuntiatione oriunda. Auum enim illum habuiſſe, eodem nomine inſignitum, indeque ab Arabibus Ibn Rosdin Elfahidu, id eſt, Auerrois nepotem dici Leo obſeruat [z]. Natus eſt in celebri Saracenorum inter Hiſpanos ſede, Cordubae, nobili familia. Parentem habuit iudicem et caput facerdotum totius illius prouinciae, Baeticae et regni Valentiae: auum praeſtantiſſimum et celeberrimum iuris Muhammedani interpretem, ſecundum opinionem Malichi [a] atque theologum

Auerroës.

[q]) Integer titulus libri eſt: The improvement of human reaſon, exhibited in the life of Hai Ibn Iokdhan, writen in Arabik above 500 Years ago by Abu Iaafar Ebn Thophail. Lond. 1711. 8.
[r]) Repetita Roterod. 1701. 8.
[s]) De fab. Romanenſ. p. 12.
[t]) Bibl. Hiſp. vet. T. II. p. 252. [u]) l. c.
[x]) l. c. c. 20. p. 282. ſeqq.
[y]) l. c. T. II. p. 243.
[z]) Dict. T. I. art. Auerroës p. 384. ſeqq.
[w]) Hiſt. medic. P. II. p. 64. ſeqq.
[x]) POCOCK. ſpecim. p. 385. qui in his exprimendis nominibus accuratione reliquos vincit omnes.
[y]) Denotat filium recti. LEO l. c.
[z]) Parentem Ahmed, auum Muhammed, abauum Roshd vocatum fuiſſe, ſeries appellationum iſtarum docet. Hinc nepos Auerrois, id eſt pronepos Roshd.
[a]) Intelligi haec non poſſunt, niſi de ſectis, Iure-

logum magni nominis ſectae Al-Aſsharitarum addictum. Qui quo loco inter ſuos fuerit habitus; inde intelligi poteſt, quod poſt ſopitam regni illius rebellionem populo ſe Maroccano regi ſubiiciente, is legatus ad regem miſſus ſit, vt hanc illi regionem traderet; quem tanta gratia excepit, vt et omnia illa, quae pro ciuibus ſuis petebat annueret, et duos ei magiſtratus committeret, conſtituendo eum et ſupremum regni Cordubae iudicem, et caput ſacerdotum omnium, quo honore cumulatus in patriam reuerſus tanta ibi auctoritate populique amore vixit, vt eo decedente fato, filius Auerrois pater iudex et ſacerdos maximus communi ciuium ſuffragio, confirmante Maroccano rege, eligeretur, eo quod in iure Muhammedano legibusque patriis eſſet exercitatiſſimus. Hic cum filium praeclaris ingenii dotibus ornatum cerneret, et ipſe in legis iurisque Muhammedici cognitione inſtruxit, et optimis praeceptoribus erudiendum tradidit. Iuri itaque canonico ſatis innutritus ad theologiam adplicare eum animum

Iureconſultorum Muhammedanorum notitia praemittatur, quam ABVLFARAIVS Dyn. IX. p. 150. ſeqq. luculenter dedit, illuſtratus a POCOCKIO ſpecim. p. 293. ſeqq. Rem paucis ſic habe: Verſantur ſectae Muhammedanae vel circa radices, id eſt, noſtro loquendi modo, circa fundamenta fidei ſiue articulos fundamentales, vel circa ramos, id eſt, dogmata minus fundamentalia. Haec ſubiectum ſunt totius iuris ſcientiae inter Muhammedanos et concluſiones tantum legales dubias, et ſub diſquiſitionem cadentes reſpiciunt. Inde vero quatuor ſectae ortae ſunt: ſecta Maleci Ebn Anaſi, ſecta Muhammedis Ebn Edris Ashafienſis, ſecta Ahmedis Ebn Hanbali, et ſecta Abi Hanifa Alnooman Ebn Thabet. Fundamenta diſquiſitionis ſunt quatuor: 1. Liber Al-Corani, 2. Aſſonnah ſiue traditio, 3. Conſenſus, 4. Ratio. Quaeſtione itaque exiſtente aliqua legali noua, de licito et illicito primo Coranum adeunt, vbi ſi textum aliquem inuenerint, eius veſtigiis inſiſtunt, ſin minus, ad Sunnam ſiue traditionem prophetae confugiunt, vbi ſi dictum eius aliquod occurrat, quod huc faciat, in eius ſententiam deſcendunt: ſin minus, ad conſenſum ſociorum eius prouocant, quoniam illi orthodoxi cenſentur, vt in errorem conſpirare noluerint. Ibi itaque ſi inciderint in aliquid quod dubio ſuo affine fuerit, ad eius normam de quaeſtione ſua ſtatuunt; ſin minus, ad rationem confugiunt, quoniam infinitae exoriri quaeſtiones poſſunt: cum vero ratio neceſſarii ſit vſus, ſecundum eam de vnaquaque quaeſtione diſceptant. Eo tamen diſcrimine, vt Dauid Aſpahanienſis rationem penitus reiecerit, cui e contrario Abu Hanifa plurimum detulit, adeo vt non raro rationem manifeſtam teſtimoniis et ſententiis particularibus praeferret. Malec autem Shafei et Ebn Hanbali modo occurrat teſtimonium vel praeceptum, ad rationem ſiue manifeſtam ſiue obſcuram minime recurrerunt. Neque tamen ob hunc diſſenſum quisquam eorum erroris vel infidelitatis reus exiſtimatur. Inter hos iuris antiſtites Maleci ſumma fuit auctoritas. Natus is eſt a. H. 93, vel 95, denatus Medinae a. H. 178, cum nonageſimum annum vel octogeſimum quartum, vt nonnulli volunt, expleuiſſet. Qui, quanta diligentia et attentione in ſoluendis quaeſtionibus vſus fuerit, inde colligi poteſt, quod quaeſtionem ſoluturus ſumma cum grauitate lecto aſſidens ſe compoſuerit, neque libenter reſponſum dederit in via, aut ſtans, aut feſtinans; vnde et meditationem diuturnam diſcipulis vehementer commendauit, et quae ſoluere non poterat, nec ſolide ſatis diſcutere, ea ſe neſcire candide fatebatur. Quamuis autem a principe aliquando plagis caederetur, quod minus commode et ex voto eius reſpondiſſet, tantum tamen abeſt, vt ignominiam inde contraxerit, vt potius in maiori inde honore apud homines ipſosque imperantes fuerit. Cuius exemplum eſſe poteſt, quod in aula Rashidi ipſi accidit. Ab hoc enim Chalifa rogatus, vt domum ipſius adiret, filios ſuos informaturus, reſpondit: *Scientia aditur, non adit.* Ad quod Haron: *recte reſpondes;* iuſſitque extemplo filios ſuos templum adire vna cum ceteris, vt eum audirent. Dixiſſe etiam fertur, ſe nemine magiſtro vſum eſſe, qui non antequam moreretur, ad eum diſcendi cauſſa acceſſerit. Adeo vero ſcrupuloſa diſputatione excuſſit omnia, vt ſi Chalecan credendum, in fine vitae ad ſcepticiſmum inclinauerit. Fertur enim, cum aegrotaret, ac morti iam vicinus eſſet, amico cuidam, qui ipſum lacrymis perfuſum inueniſſet, rei cauſſam ſciſcitanti reſpondiſſe: „Quomodo non flerem? et cui magis quam mihi flere conuenit? Vtinam ob „vnumquodque dubium, quod ex animi ſententia ſolui, toť verberibus exceptus fuiſſem, „leuiores hoc pacto eſſent rationes meae, vtinam „nunquam ex ſententia mea de re aliqua ſtatuiſſem". Ex his ſuppleri poſſunt, quae de Maleco dixere BAYLE l. c. not R. et FABRIC. ad l. c. Leonis. Viros quosdam doctos ex hac ſecta nominat HOTTINGERVS hiſt. Orient. L. II. c. 6. p. 341.

animum iuſſit; quod exſecutus filius Assharitarum ſectae nomen dedit, vſus praeceptore Ibn Theophail, vt ſupra dictum. Qui cum more ſectae theologiam philoſophiae attemperauiſſet, Ariſtotelicae doctrinae praecepta ei tradidit, et haec cum doctrina Muhammedis, ſecundum conſuetudinem theologorum ſcholaſticorum iungere docuit [b]. Tum arti quoque ſalutari ſe addixit, praeceptorem nactus Ibnu Zohar, ſiue Auenzoar, parentem: itemque mathematicas artes, erudiente illum Ibnu Saig, quem libertatem debuiſſe Auerrois patri ſupra diximus. Quibus ſtudiis ita exculta eſt Auerrois eruditio, vt, decedente morte iudice et pontifice Cordubenſi, populi ſuffragiis Auerroës eligeretur. Qui vt eruditionem porro augeret, philoſophiae Ariſtotelicae cognitionem, quam didicerat, in vſum muneris conuertere, et cum theologia ac iurisprudentia Muhammedana coniungere ſtatuit. Quo factum eſt, vt longe lateque doctrinae eius fama percrebeſceret, adeo vt tandem voce populi iudex pontifexque Marocci totiusque Mauritaniae delectus regi Iacobo Al-Manſori [c] commendaretur, qui Auerroëm nobiliſſimo magiſtratui praefecit, ſeruata ſimul eiusdem muneris in Baetica auctoritate. Vocatus itaque in aulam Corduba relicta, conſtitutoque, qui vices eius expleret, Maroccum profectus eſt, collatoque muneri humeros ſubiiciens, per totum regnum iudices conſtituit, iuſtitiaeque normam praeſcripſit, ſicque ordinata iuris ſeruandi ratione Cordubam rediit, magna regis gratia ipſi confirmata et aucta. Quin non ipſe ſolum ea gratia vſus eſt, ſed et filii eius duo, bonis literis innutriti, quos ſecum Maroccum adduxerat. Horum iuniorem in ſcientiis, quae ab humanitate nomen ſortitae ſunt, itemque in arithmetica, aſtrologia et logica excelluiſſe, ait LEO [d], multisque polluiſſe virtutibus. Qui cum praeterea egregiae formae morumque eſſet admirabilium, ab amicis regis ita Al-Manſori commendatus eſt, vt dignitatem aliquam munusque illuſtre illi decerneret. Sed obſtitit parens, cauſſando: nullum anteceſſorum maiorumue ſuorum miniſterio huiusmodi ſe tradidiſſe, adeoque nec ſe nec ſuos ab hac conſuetudine deficere velle. Cum autem Al-Manſoris filius Auerrois filiorum conſuetudine vehementer gauderet, quique primus regi a conſiliis erat, minorem non ſine quadam animi contentione diligeret, et hunc aulae fauorem iuuenis ipſe ſequendo iter ſuſciperet, adeo id patri diſplicuit, vt cum morem voluntati ſuae ge-

 rere

b) Multus de his praeceptoribus Auerrois eſt LEO l. c. p. 283. qui et alios praeceptores et libros, qui illi explicati ſunt, enarrat.

c) Deuictis Luntiniis cum pontifices Almuachedini vel Almohadi A. C. 1040. ſeqq. toto regno Saracenorum Africano eſſent potiti, eruditio ab hac familia literarum amantiſſima valde adiuta eſt. Maxime vero in eo Iacobi Manſoris, qui tertius ex Almohadiorum familia, rex fuit, eminuit liberalitas: hunc enim ſuperbum gymnaſium Marocci excitauiſſe, et profeſſoribus doctiſſimis auxiſſe LEO AFRICANVS hiſt. Afric. L. II. p. 60. memorat. Hunc Al-Manſorem nec cum Aſiatico nec cum Hiſpanico confundendum eſſe, ſupra iam monuimus. Huic itaque regi commendatus fuit Auerroës. Errant itaque SYMRHOR. CAMPEGIVS de claris medicis, VOSSIVS de philoſ. p. 114. MERCKLINVS in Linden. renou. p. 94. et ſuo modo FREINDIVS l. c. p. 62. qui Auerroëm regis Memarolini archiatrum dicunt. Nam nec vnquam medici, ſed theologi et ICti munere Auerroës functus eſt, et Memarolinus non hominis, ſed dignitatis nomen eſt. Conf. BAYLE Dict. l. c. not. D.

d) l. c. p. 284.

rere is renuiſſet, mortem ei imprecaretur, quam etiam poſt decem menſes eueniſſe hiſtoricus teſtatur: remanente ſolo maiore filio, qui parentem ſecutus iudex fidei ſectaeque factus eſt [e]. Vidiſſe vero ſe hos duos filios Auerrois in aula Friderici II, auctor eſt AEGIDIVS ROMANVS [f], ex quo patet, non ab omni itinere Auerroëm filios arcuiſſe, ſed improbauiſſe tantum, quod aulae miniſteriis ſe mancipare cogitauerint. Ex dictis ſatis iam conſtat, quanta auctoritate apud ſummos imperantes valuerit Auerroës. Aſt quae aulae fortuna eſſe ſolet, exoriente, quam non praeuiderat, inuidiae tempeſtate, tota fere eius ſalus euerſa eſt. Dabimus hic quoque narrationem LEONIS [ff]. Nempe cum in aula plurimum poſſet, et magna eruditionis gloria Auerroës eniteret, ſumma ei principum doctorumque virorum Cordubae viuentium contracta eſt inimicitia et inuidia. Inter hos autem cum maxime praeceptor eius Ibn Zohar et filius, de quibus ſupra dictum, fuiſſent, quos philoſophiae notitia excelluiſſe monuimus, in id conſpirauerunt, vt haereſeos eum incuſarent: rati, et facile illud fore, cum ita Ariſtoteli inhaereret, vt vix poſſet eius doctrina cum lege Islamitica in concordiam redigi: et ſummo Auerroi exitio ceſſurum, eo quod religionis cuſtodiam munus ei, quod gerebat iniungeret. Vt itaque inſidias ipſi ſtruerent, adhibere familiares ſuos, filios ſeruosque, conſtituerunt, ſimulaturos, ſe philoſophiam ab Auerroë diſcere velle. Quos cum facile admiſiſſet philoſophus, vt erat moribus facillimis, incidit in retia, quae ſubdoli poſuerant. Illi enim, quae a fide Muhammedana receptisque theologorum opinionibus deuiabant, diligenter annotantes, notarium aduocarunt, vt publica fide haec Auerrois dogmata eſſe, aſſeueraret; hisque praeſidiis muniti Auerroëm haereſeos incuſarunt; vt vero grauior fieret accuſatio, multis corraſis teſtimoniis id euicturi, centum Auerrois diſcipulis perſuaſerunt, vt hoc notarii inſtrumento ſubſcriberent. Quam accuſationis ſuae teſſeram cum libello ad regem Al-Manſorem mittentes ita contra Auerroëm illum prouocarunt, vt vehementer indignaretur, philoſophum a lege defeciſſe. Eum itaque declaratum ἑτεροδοξον ad Iudaeos Cordubae habitantes relegauit, bonis eius facultatibusque omnibus fiſco addictis. Eo in loco diu commoratus eſt, tanta inuidia, vt cum diſcipulus eius Moſes Maimonides eum quantumpote iuuaret, ipſe inuidia perſequente, cogeretur aufugere, ne neceſſitate prodendi Auerroëm in amicitiae et grati animi leges peccaret, vt alibi LEONI [g] notatum. Quod ſi in vrbem ad templum precandi cauſſa Auerroës procederet, tantus eius contemtus tantaque inuidia fuit, vt a pueris lapidibus impeteretur. Quod cum ferre diutius non poſſet, Feſſam clam aufugit. Ibi cum per aliquot dies delituiſſet, tandem detectus et ab vrbis praetore in carcerem ductus eſt. Re ad regem Al-Manſorem perlata, cum quaereretur, quid de Auerroë ſtatuendum

e) Habuit etiam filias duas LEO l. c.
f) In Quodlibetis L. II. Qu. de vnitate intellectus.
ff) loc. cit.
g) c. XXVIII. p. 196.

dum esset, congregari ille theologorum atque iureconsultorum concilium iussit, pronuntiaturum, quid de eo decerni oporteret. Qua in consultatione diuersa quidem fuit consulentium sententia. Quidam enim haereseos infamia mortem commeritum esse pertinaciter contendebant. Peruicit tamen pars maior, censentium, inuidia odioque plenum apud plebem, et praecipue apud infideles fore, si e vita tolleretur; eo quod non haereticum sublatum esse, sed theologum, plerique iudicaturi sint, calumniam Africae theologis affricturi, quod causas quaerant, odio et inuidia duce sui commatis et dignitatis viros bene meritos iugulandi. Melius itaque errori scandaloque obuiam iri posse censebant, si ad palinodiam publicam adigeretur, et ad portam templi coram vniuerso populo erroris atque haereseos poenitentiam demonstraret. Quae sententia cum regi placuisset, iussit praetorem illam exsequi. Veneris itaque die, quem Muhammedanis sacrum esse constat, e carcere ad aedis sacrae portam ductus, et in sublimiori gradu nudato capite collocatus est, in cuius faciem exspuebat, quicunque templum ingrediebatur. Oratione perfecta accessere iudex cum pedissequis, itemque doctores cum notariis, et infelicem interrogarunt philosophum: Num haereseos eum poeniteret? Quod cum affirmauisset, absolutus est, et discessit sine poena, aliquot vero Fessae dies commoratus in legis studium incubuit, nempe vt ὀρθοδοξίας amorem et respiscentiae sinceritatem prae se ferret. Concedente tandem rege, vt domum redire liceret, in patriam reuersus est, ibique cum et facultatibus et libris omnibus priuatus esset, summa cum paupertate contemtuque apud omnes conflictatus est. Tandem deferuescente inuidia, fortuna paulo benignior arrisit, emendataque est Auerrois calamitas et sublata miseria. Cum enim, qui Auerroi successerat iudex, cum legum iuriumque satis esset peritus, nec in administranda iustitia fidus atque accuratus, grauesque inde populi querelae ad aures Al-Mansoris deferrentur, de restituendo Auerroë in locum suum cogitare coepit, recordatus, quam bene is populum Cordubensem rexisset. Cum autem id in homine haereseos nota infami sine doctorum et theologorum consensu rex facere non auderet, concilium generale conuocauit, et deliberandum ei proposuit, num saluis religione legibusque restitui in locum pristinum Auerroës posset? Quod cum plerique fieri posse affirmarent, nuntium rex Cordubam misit, Auerroëmque quantocyus Maroccum venire iussit, additis tabulis fidei sua manu signatis, quibus cognosceret, et certam ei regis gratiam esse, et restitutum iri in locum suum, pristinumque magistratum suscepturum. Quibus cognitis ad meliores sedes Maroccum cum familia properauit, ibique ad vitae finem commoratus est, quem habuit an. Heg. DCIII [h], vel vt alii [i], volunt DXCV sic vt mors eius in initia circiter seculi decimi tertii incidat. Valde laudatur Auerroës ob virtutes pulcherrimas. Quamuis enim obeso esset corpore, vixit tamen parce tenuique

 vsus

h) Ita Leo l. c. i) Oribasai et Yaseus apud Pocock. specim. loc. cit.

vſus cibo, ſemel de die tantum pranſus eſt, ſine coena, quod, licet peruigili ſtudio noctes quoque inſomnes duceret, vires non debilitauit, eo quod ſucculentis bonisque cibis vteretur. Tempus vero omne a negotiis vacuum literis, maxime philoſophiae tribuebat, adeo vt ne ſomno quidem parceret, noctesque totas peruigilaret, et ſi ſeuerioris argumenti eum cepiſſet taedium, ad reuocandam animi attentionem poëticos hiſtoricosque libros legeret. In exercenda vero muneris ratione et iuſtitia adminiſtranda, non rectum tantum ſed et prudentem atque pium ſe exhibuit: et quid philoſophia in ſubiugandis affectibus animi poſſit, luculentis patientiae, humanitatis et beneficentiae erga inimicos exemplis demonſtrauit. Quorum vnum et alterum dignum eſt, quod hic quoque ad accendendos ad aemulationem animos legatur. Nunquam, quamdiu iudex erat, in concilium deſcendit, in quo de criminali actione agebatur, nunquam ſententiam feralem dixit, ſed vicario triſtiſſimum commiſit negotium. Tanta autem eius erat patientia, vt cum aliquando inimici ſeruum ad eum ſubmitterent lectioni publicae intentum, isque Auerroi aliquid in aures ſuſurraret, ille nihil, mutata quidem facie, diceret, quam: *Sic, ſic;* adeo vt auditores crederent, ex parte heri ſui illum ſeruum ad Auerroëm aliquid detuliſſe. Ecce vero altera die is ipſe reuerſus veniam coram omnibus petiit, eo quod iniuriam illi in aurem dixiſſet. Quid ad haec Auerroës? indignatus, quod ſeruus patientiam hanc publicaſſet, pecuniam tamen ei tradidit, conſuluitque, ne id alteri faceret, quod ipſi impune feciſſet, ſicque emendatum poenitentemque non ſine patientiae ſuae laude dimiſit. Eadem liberalitate et benignitate erga alios inimicos vſus eſt. Cum enim ex matrimonio et muneris reditibus facultatibus ſatis polleret, ſtipem largiorem, praecipue iis qui doctrina culti eſſent, erogabat, ſiue amici eſſent, ſiue inimici. Quod cum amici aegre ferrent, improbarentque, quod hac ratione aduerſariis frigidam ſuffunderet, digna philoſopho ſententia reſpondit: *Vos certe miſeros, qui non intelligitis, liberalitatem eam non eſſe, quae parentibus et amicis largitur, ſed hoc illam demum nomine dignam eſſe, quae inimicos et maleuolos non negligit: Illud enim naturae, hoc virtutis eſt. Quod vero diſtribuo, nec ego nec praedeceſſores mei ex mercatura, vel ex arte armisue lucrati ſunt, ſed virtute acquiſiuerunt: eadem itaque ratione ea ipſa duce diſtribuenda ſunt. Certum autem exemplisque confirmatum reperiri, iſto modo et noua excitari beneficia, et conuerti inimicos in amicos.* Talem ſe vbique praeſtitit, philoſophum nempe humanitatis rationem, beneuolentiam, liberalitatem, morumque facilitatem cum philoſophia coniungentem. Vnde nec ſuperbia elatus eſt, nec honores ſibi filiisque affectauit, vt ſupra dictum. Sed nec aulae vanitatem nec ludum dilexit homo ad grauiora magisque ſeria totus intentus, quamuis moleſtam morum ſeueritatem vultusque Catonis fugeret, et humaniſſimus in conuerſatione eſſet, ſic vt placeret omnibus, et cum paribus iocaretur, vſus eam in rem ſen-

ten-

tentiis poëticis [k], quem morem Arabibus fuisse frequentissimum, ex plurimis, quae in *historia Saracenica* enarrantur, exemplis disci potest. Laudanda quoque est animi eius ἀδιαφορία tanto philosopho digna, quam durante persecutione, quam grauissimam perpessus est, ostendit. Referente enim Ibnu Ethabar a LEONE [l] adducto, cum interrogaretur, quo animo fuisset, durante persecutione: respondit: et grata fuisse et ingrata, quae accidissent: cumque non caperent interrogantes, qua ratione duo contrarii simul in eo affectus esse potuerint, addidit porro: gratum sibi fuisse, eo quod a turbis multis impedimentisque philosophiae fuerit liberatus, pondere curisque his sublatis, ingrata vero fuisse mendacia et calumnias, ac testes falsos: ideoque non redire se voluisse ad magistratus pristini munus, donec populus de illata sibi iniuria suaque innocentia fuisset conuictus. Talis itaque fuit Nostri animus, philosophiae nomine omnino dignus. Ei accesserat eruditio philosophica tanta, vt inter primos et potissimos philosophos sui temporis numeraretur. Cumque more maiorum Aristotelem presso pede sequeretur, eiusque libros prolixis commentariis illustraret, nomen inde commentatoris κατ' ἐξοχήν accepit, eoque apud scholasticos plerumque laudari solet. Enumerat hos commentarios, more suo, diligenter, IO. ALB. FABRICIVS [m], qui videndus: cumque ob praestantiam, qua apud Iudaeos Peripatetice philosophantes cluebant, in Hebraeam quoque linguam versi sint, multa etiam, quae eorum literariam historiam concernunt, a I. CHR. WOLFIO [n] adducta sunt: qui duumuiri ipsi adeundi sunt, cum his particulis historiae philosophiae literariae inhaerere instituti ratio non permittat. Non neglexit tamen Auerroës Platonem quoque, in cuius *rempublicam* commentarium conscripsisse, auctor est LEO, quem tamen paraphrasin magis continere quam expositionem, ex Latina versione a IAC. MANTINO medico edita [o], patet. Sed et omnium philosophorum causam egit eorumque systemata defendit conscripto aduersus Al-Gazelii iniurias et calumnias in philosophiam coniectas libro apologetico, cui titulum: *Happalath Hahappalah*, id est, *euersionem euersionis*, vel, quo nomine plerumque citari solet, *destructorium destructorii*, fecerat. Qui liber latine tanta barbarie et inscitia versus est, vt non versio sed destructio nominanda videatur POCOCKIO [p]. Eum vero inter scripta Auerrois esse optimum pronunciauit RAPINVS [q], quod tamen vix alio, quam comparato sensu et κατά τι intelligi posse videtur, nempe quatenus in hoc scripto vel meliores partes, quam in commentariis, secutus est, vel meliorem causam defendit. Non satis feli-

k) Composuerat ipse cantica multa, moralia, et amatoria; haec in senectute igne deleuit, rationem addens: hominem ex dictis iudicatum iri. Nugatum igitur pueriliter, nolle se stultitiam iuuentutis prodere. LEO l. c. p. 288.

l) l. c. p. 287

m) Bibl. Graec. Vol. II. p. 111. seqq. 114. 116. 121. 123. 135. 148. 153.

n) Bibl. Hebr. P. I. p. 18. seqq.

o) Venet. 1552. 4.

p) Ad portam Mosis p. m. 112. Versionis Hebraicae summam et capita habet BARTOLOCCIVS Bibl. Rabbin. T. I. p. 121.

q) Reflexions sur la philosophie p. 363. conf. REINESIVS ep. 5. et 15. ad Hosm.

feliciter enim eum in hoc argumento potuiſſe verſari, ſupina, quam vbique prodidit ignorantia philoſophiae Graecae ſatis euincit. Vt taceamus, quod recte P. BAYLE [r] monuit, non potuiſſe eum pro orthodoxia philoſophiae ſatis feliciter pugnare, qui fundamenta eius euertendo, abſurdo dogmati de aeternitate mundi tenaciter adhaeſiſſet. Sed et alia multa, vt erat philoſophiae cultor prorſus indefeſſus, ſcripſit, logica, phyſica, metaphyſica, ethica, politica, aſtronomica, rhetorica muſica, quorum catalogum exhibet NICOLAVS ANTONIVS [s], qui, ne nimii ſimus, ipſe adeundus eſt. Pleraque a Iudaeis in Hebraeum ſermonem conuerſa ſunt, quarum verſionum literariam hiſtoriam erudite et luculenter enarrauit deſideratiſſimus WOLFIVS [t]. Ex his potiſſimum translationibus Hebraicis verſiones Latinae confectae ſunt [u], eo quod Arabicorum codicum tanta in Europa ſit raritas, vt vix vnum inuenire poſſe dudum coniecerit magnus Scaliger. Infelici vero ſucceſſu inuitaque Minerua has verſiones deproperatas magis quam cum cura elaboratas fuiſſe et ipſa, quae in illis regnat barbaries euincit, et obſeruauit HVETIVS [x], cuius de illis narratio digna eſt, quae hic afferatur, cum quaedam ad hanc literariae hiſtoriae partem facientia contineat. Ita vero vir illuſtriſſimus: *Vix vllos Auerrois Arabicos codices in Europa reperiri poſſe putabat Scaliger, ſolamque conuerſionem ab Armegando Blaſii, Iacobo Mantino, Ioanne Franciſco Burana, Abrahamo de Balmis, Vitale Niſſo Calo Calonymo* [y], *Ioanne Bruyerino Campegio, aliisque adornatam in lucem veniſſe. Ego tamen his verſaui manibus Arabicum Auerrois librum, ex Oriente huc olim a Poſtello deuectum, quod miror Scaligerum fugiſſe, Poſtello olim amicitia et literaria conſuetudine coniunctum. Eo libro continentur in logicam, rhetoricam et poëticam commentaria, quae ad Iacobi Mantini et Abrahami de Balmis interpretationem a me expenſa fidem eorum et artem aperte mihi comprobarunt.* Eum tamen in hac verſione examinanda et laudanda iudicem vix competentem agnoſcas, eo quod ipſe vir cetera ſummus, non neget, ſe Arabicae linguae cognitione ſufficienti et accurata non fuiſſe inſtructum. Addi his poſſent interpretes alii Andreas Alpago editorque Operum Auerrois Auguſtinus Niphus aliique, ſi id ageremus. Praetereundum vero hoc loco, vbi de ſcriptis Auerrois philoſophicis agitur, non eſt, ſcripſiſſe Auerroëm librum quoque, *de poſſibilitate coniunctionis ſeu communicationis cum Deo*, ex quo coniecturam facit WOLFIVS [v], cum eo tempore celeberrima illa fabula de vita contemplatiua et ſolitaria Hai Ebn Yockdahn a Thophail compareret, de eadem etiam Auerroëm fuiſſe commentatum. Id quidem ſuo loco relinquimus, certum tamen eſſe putamus, Auerroëm inter illos philoſophos Arabes referendum fuiſſe, qui

r) loc. cit.
s) Bibl. Hiſp. vet. T. II. p. 240. ſeqq.
t) loc. cit.
u) Conf. RICH. SIMON ad Leon. Mutin. de cerem. Iud. p. 114.
x) De claris interpret. p. m. 229.
y) Calo et Calonymus idem nomen ſunt.
v) l. c. p. 16.

qui Peripatetico syſtemate vſi myſticam quandam vel enthuſiaſticam potius philoſophiam profeſſi ſunt, quales complures fuiſſe recte obſeruatum B. ABRAH. HINCKELMANNO [w], de quo tamen argumento alibi dicendum eſt. Illud omnium, qui de Auerroë ſcripſerunt conſenſu indubitatum eſt, non coeca tantum ſed inſana prorſus veneratione illum proſecutum fuiſſe Ariſtotelem. Cuius vt ſpecimen habeat Lector, et intelligat, quid auctoritatis praeiudicium ad inſaniam eiusmodi valeat, ecce ipſa Auerrois verba ex *praefatione in phyſica Ariſtotelis*, ab acutiſſimo MALLEBRANCHIO [x] adducta, qui luculentius inſignis eiusmodi Ἀριστοτελομανίας exemplum inuenire non potuit: *Compleuit ille, quia nullus eorum, qui ſecuti ſunt eum vsque ad hoc tempus, quod eſt mille et quingentorum annorum, quicquam addidit, nec inuenies in eius verbis errorem alicuius quantitatis, et talem eſſe virtutem in indiuiduo vno miraculoſum, et extraneum exiſtit. Et haec diſpoſitio cum in vno homine reperitur, dignus eſt eſſe diuinus magis quam humanus.* Et alibi *L. I. de generatione animalium* ita debacchatur: *Laudemus Deum, qui ſeparauit hunc virum ab aliis in perfectione, appropriauitque ei vltimam dignitatem humanam, quam non omnis homo poteſt in quacunque aetate attingere.* Nullibi vero magis quaſi furit, quam in *deſtructorio* [y], vbi haec habet: *Ariſtotelis doctrina eſt ſumma veritas, quoniam eius intellectus fuit finis humani intellectus, quare bene dicitur de illo, quod ipſe fuit creatus et datus nobis a diuina prouidentia, vt non ignoremus, poſſibilia ſciri.* Alia ineptientis Arabis verba breuitatis cauſſa intacta praetermittimus. Ex his vero, quo loco philoſophia Auerrois habenda ſit, vel coecus palpat, nec ignominia cumulaſſe Auerroëm illi cenſendi ſunt, qui inter mancipia Ariſtotelis, primo eum loco poſuerunt [z], vel eius Ἀριστοτελομανίαν indignabundi atro notarunt capillo. Inter quos maxime probamus I. LIPSII [a] pronunciatum, qui lymphatum fuiſſe Auerroëm in laudes Ariſtotelis recte iudicauit. Aſt, quod nos merito attonitos facit ſtuporeque circa Auerroëm replet, illud potiſſimum eſt, hominem hunc, Ariſtotelem vsque ad inſaniam depereuntem, ne voculam quidem Graecam intellexiſſe, ſed ex verſionibus malis, quas nec accuratas nec elegantes fuiſſe in ſequentibus oſtendemus, omnem ſuam philoſophiam Peripateticam hauſiſſe. Quod quamuis in laudem Auerrois dici poſſe contendat VOSSIVS [b], eo *quod Graece neſcius feliciter adeo mentem Ariſtotelis perſpexerit, quid non facturus, ſi linguam ſciſſet Graecam?* mallemus tamen doctiſſimo viro, ſed auctoritatis et antiquitatis praeiudicio nonnihil, impedito haec non excidiſſe; cum

w) In detectione fundamenti Bohem.
x) Recherche de la verité L. II. P. II. c. 7. p. m. 215. eadem iam attulerat I. LIPSIVS manud. ad phil. Stoic. L. I. diſſ. 4. p. m. 17.
y) L. I. diſſ. 3.
z) Vid. quae collegit THOM. POPEBLOVNT. cenſur. cel. auctor. p. 356. add. HEVMANN. act. philoſ. Vol. II. p. 716. Poecile T. III. L. II. p. 303. aliique paſſim.
a) loc. cit. b) De ſectis c. XVII. p. 93.

cum satis notum sit, difficillimum laborem esse etiam iis, qui Graecam literaturam intelligunt omnem, Aristotelem assequi, tantum abest, vt ex inconditis barbarisque Arabum versionibus tanta Aristotelicae philosophiae notitia tamque perfecta cognitio hauriri possit c. Subscribimus itaque LYDOVICO VIVI, viro in perspiciendis seculi sui, maxime in artibus et philosophia, morbis atque corruptelis acutissimo ita monenti: *Auerroëm philosophi de nostra schola, qui post eum scripsere, ita sunt amplexati, vt poene auctoritati Aristotelis adaequauerint; nec solum, qui longo post interuallo vixerunt, sed qui illius quoque aetate; quod factum est, et ignorantia meliorum, et admiratione mercimonii lingua et sensis peregrini: vt gratiam ei conciliaret apud primos nouitas, apud posteros vetustas, nomen est commentatoris nactus, homo qui Aristotelem enarrando nihil minus explicat, quam eum ipsum, quem suscepit declarandum. Sed nec potuisset declarare, etiamsi fuisset diuino ingenio, quum esset humano, et quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem afferebat, quo in Aristotele enarrando posset et probe instructus? non cognitionem veteris memoriae, non scientiam placitorum priscae disciplinae, et intelligentiam sectarum, quibus Aristoteles passim scatet: itaque videas eum pessime philosophos omnes antiquos citare, vt qui nullum vnquam legerit ignarus Graecitatis et Latinitatis, pro Ptolomaeo Ptholomaeum ponit, pro Protagora Pythagoram, pro Cratylo Democritum, libros Platonis ridiculis titulis inscribit, et ita de iis loquitur, vt caeco perspicuum sit, literam in eis legisse nullam. At quam confidenter audet pronuntiare, hoc aut illud ab eis dici, et quod impudentius est, non dici: quum solos viderit Alexandrum, Themistium et Nicolaum Damascenum, et hos, vt apparet versos in Arabicum peruersissime ac corruptissime. Aristotelem vero quomodo legit, non in sua origine purum et integrum, non in lacunam Latinam deriuatum, non enim potuit linguarum expers, sed de Latino* (verius de Syriaco) *in Arabicum transuasatum. In qua confusione ex Graecis bonis facta sunt Latina non bona, vt ille dicit, ex Latinis vero malis Arabica pessima.* Addit his exemplum luculentissimum versionis Auerroisticae ex *primo metaphysices libro*, vbi ita ARISTOTELES d. *Post iam enumeratas de philosophia sententias secuta est Platonis speculatio, in plerisque Pythagoricis accedens, sed quaedam habens propria praeter Italicam disciplinam. Nam a puero primum Cratylo dedit operam, et placitis Heracliti, quae a sensibilibus, quod in perpetuo essent fluxu scientiam*

c) Conferendus omnino, qui quaedam praeclare monet C. RHODIGINVS. antiqq. lect. L. III. c. 2. p. m. 73.

d) De cauſſ. corrupt. art. L. V. p. m. 167.

e) Graeca haec sunt: μετὰ δὲ τὰς εἰρημένας Φιλοσοφίας ἡ Πλάτωνος ἐγένετο πραγματεία, τὰ μὲν πολλὰ τοῖς Πυθαγορείοις, τούτοις ἀκολουθοῦσα, τὰ δὲ καὶ ἴδια παρὰ τὴν τῶν Ἰταλικῶν ἔχουσα Φιλοσοφίαν, ἐκ νεότε γὰρ συγγενόμενος πρῶτον Κρατύλῳ καὶ ταῖς Ἡρακλειτείοις δόξαις, ὡς ἀπάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων, καὶ ἐπὶ τούτοις περὶ αὐτῶν ὄντος, ταῦτα μὲν ὕστερον οὕτως ὑπέλαβεν, Σωκράτους δὲ περὶ τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου, περὶ δὲ τῆς ὅλης φύσεως οὐδέν. Praepoſtere quoque, quod miramur, haec verba conuertit Beſſario.

ſcientiam tollebant, cuius ad poſtremum quoque fuit opinionis: Quum Socrates circa moralia verſaretur, de natura autem vniuerſitatis nihil diceret. Haec ita diſtorquet interpres Arabs: *Et poſt hoc quod dictum fuit, de modis philoſophiae, inuenta fuit philoſophia Platonis, et ſequebatur illos in multitudine, in vnitatibus autem erat opinionis Italorum: et primus qui contigit poſt Democritum, fuit opinio Herculeorum, ſcilicet quod omnia entia ſunt ſemper in fluxu, et quod nulla in eis eſt ſcientia. Iſtas igitur opiniones ſecundum hos accepimus in poſtremo. Socrates autem loquutus fuit in moralibus et nihil dixit de natura.* Ita ille. Merito ad haec exclamat Viues: *quaeſo te, quis ſanae mentis eadem dicat eſſe haec et illa? Ariſtoteles ſi reuiuiſceret, intelligeret haec? aut poſſet vel coniecturis caſtigare? o homines valentiſſimis ſtomachis, qui haec deuorare potuerunt et cōncoquere.* Haec vero ex commentario Auerroiſtico prolixe exponit atque illuſtrat, et miſerrimum chaos, innumeris falſitatibus ψευδεγμηνείαις et erroribus refertum ita denudat, vt pateat, contrarios prorſus ſenſus Auerroëm Ariſtoteli ſuppoſuiſſe, nugasque pueriles, vel quod magis eſſe tale poteſt, lectori propinauiſſe. Quae cum longiora ſint, quam vt hic locum capiant, Lectorem rogamus, vt apud ipſum Viuem legat, certi, fore vt operae nunquam poeniteat, adeo luculenter et graphice Auerrois depingit inſcitiam et ignorantiam, qua Anaxagoram, Democritum, et Empedoclem entia mathematica principia rerum naturae feciſſe dicit, Pythagoricos Italicis opponit, Empedoclem et Democritum primos phyſicos fuiſſe pronuntiat, Anaxagoram Italicis iungit, formas cum numeris miſcet, Herculeorum ſectam fingit, et quae multa ſunt alia ne in pueris quidem ferenda. Quibus tandem hoc ἐπιφόνημα addit: *Rogo te Aben Rois, quid habebas, quo caperes hominum mentes, ſeu verius dementares? ceperunt nonnulli multos ſermonis gratia et orationis lenocinio, te nihil eſt horridius, incultius, obſcoenius, infantius. Alii tenuerunt quosdam cognitione veteris memoriae, tu, nec quo tempore vixeris, nec qua aetate natus ſis, nouiſti, non magis praeteritorum conſultus, quam in ſyluis et ſolitudine natus ac educatus etc.* Quae adeo deſcripſimus, vt Lectori luculento exemplo conſtaret, quid auctoritatis praeiudicium valeat, isque non indignetur nobis mirantibus, inuentos eſſe inter eruditos etiam poſt renatas literas (tenebris enim barbarorum ſeculorum ignoſci talia poſſunt) qui Auerroi inter commentatores Ariſtotelis locum ſatis conſpicuum fecerint. Ipſius autem Auerroiſticae philoſophiae ſpecimen in ſequentibus dabimus. Praeter theologiam, iurisprudentiam Muhammedanam et philoſophiam Ariſtotelicam etiam more ſeculi ſui, medicinam, vt ſupra dictum, excoluit, ſcriptisque huic quoque arti inſeruire ſtuduit. Cuius ſpecimen praeter ſcripta alia medica alibi memorata *f* eſt liber eius, *Colliget* dictus, ſeptem partibus conſtans, in

f) Mercklin. Linden. renou. P. I. p. 94.

quo iussu regis sui eorum, quae de re medica apud alios dicta sunt compendium exhibuit. Valde in hoc quoque libro artem salutarem ad philosophiam attemperauit, et tum ratione methodi, tum ratione praeceptionum plura immiscuit philosophiam Peripateticam redolentia, quam Arabum vlus. Quare ipse monuit, requirere lectionem scripti sui hominem in logicis et physicis non imperitum. In hoc vero libro more gentis suae Graecos magis compilat, quam proprios thesauros exponit, eumque, iudice, qui diligenter eius scopum excussit Cl. FREINDIO [ff], sibi finem constituit, vt Galenum cum Aristotele in concordiam redigat; quod an feliciter cesserit, nec ne? in historia medicinae Arabicae excutiendum est. Nos id hoc loco notamus, quamuis falsum sit, quod PETRVS PETITVS [g] asserit: eum nulla aegris remedia adhibuisse, quo nomine P. BAYLE [h] quoque cum Petito faciens vapulat FREINDIO [i]: illud tamen ex Leone certo constat, medicinae exercendae operam ex industria eum non posuisse, multo minus archiatrum vel Cordubensem vel Maroccanum fuisse [k], sed functum officio theologi et iurisconsulti: adeoque ignoscendum ei esse, quod ipse quoque Freindius agnoscit, quod plus in theoria quam praxi valuerit. Quamuis consiliis suis passim aegris adfuisse vel ex eo constet, quod ad experientiam, quam ipse fecerat, subinde prouocat. Obseruatum quoque non tantum SYMPHORIANO CAMPERIO [l] et P. PETITO [m], ad quos prouocat P. BAYLE [n], sed et COELIO RHODIGINO [o], I. C. SCALIGERO [p], MERCKLINO [q], QVENSTEDIO [r] aliisque infensissimo Auerroëm fuisse in Auicennam animo, sic vt nominare in libris suis eum vereatur, tacite autem quouis impugnet nomine. Et adiectae sunt fabulae: tantopere exarsisse inuidiam Auerrois in Auicennam, vt misere excruciatum, cum Cordubam venisset, rotae imponi iusserit [s]. Verum vt hoc vna Auicennae aetas integro seculo Auerrois tempore superior refutat, ita Cl. FREINDIO [ff] obseruatum, illud ipsa Auerrois scripta reiicere falsumque demonstrare, eo quod et saepius Auicennam cum laude nominet, et commentarium in eius cantica scripserit [t], et de Auicenna satis honorifice locutus fuerit, et tanto candore erga illum vsus fuerit, vt quae falsa videantur, eo sensu explicaret, quo veritatis speciem suscipere possint. Annon vero aliis in locis eum suggillet, quod Rhodigini et Scaligeri verba produnt, quos legisse Auerrois scripta nulli dubitamus, illi definient, quibus plus est temporis, otii atque patientiae ad euoluenda scripta nostro tempore plane inutilia. Grauiora tamen his omnibus sunt, quae de Auerrois impie-

ff) Hist. medicin. P. III. p. 64.
g) Obseru. miscell. L. II. c. 7. p. 99. 100.
h) loc. cit. not. D.
i) loc. cit.
k) Quod tamen somniat VOSSIVS de phil. cap. 14. p. 114.
l) De claris medic. apud GESNER. bibl. p. 100.
m) De Homeri Nepenthe p. 89.
n) loc. cit.
o) loc. cit.
p) De subtilit. Ex. LXI. p. m. 232.
q) loc. cit.
r) De patr. vir. illustr.
s) VOSSIVS loc. cit.
t) loc. cit.
t) LEO loc. cit.

impietate narrari ſolent. Dixiſſe enim dicitur: *Moriatur anima mea morte philoſophorum;* itemque religionem Chriſtianam eſſe impoſſibilem, Iudaicam puerilem, Muhammedanam porcinam [u]. His addunt alii, infenſiſſimo erga religionem Chriſtianam fuiſſe animo [x], negauiſſe exiſtentiam malorum daemonum, et quae his ſunt ſimilia impia multa. Cuius ſummae impudentiae ſpecimen allegatur a CLAVDIO BERIGARDO [y], quod contra tres legislatores Chriſtum, Moſem, et Mahometum ſcripſerit, dederitque materiam ſcriptori impio de tribus impoſtoribus. Fatemur tamen in his narratiunculis nobis ſubleſtam videri narrantium fidem, haec ſine teſte, ſine tabulis nobis obtrudentium; nec inuiti pollicem premimus Cl. FREINDIO [z], cui eiusmodi hiſtoriolae ſuſpectae ſunt. Illud tamen, ſi coniecturae locus eſt, non ſine veriſimilitudine ſuſpicari licet, Auerroëm philoſopho magis ſuo, quam legislatori vlli adhaerentem, in Mahummedana pariter ac Iudaica et Chriſtiana lege multa reieciſſe atque reprehendiſſe. Hoc enim tanta ſuperſtitione Ariſtotelem ſequentem, vt et mundum aeternum et intellectum vnum vniuerſalem extra hominem, et animam mortalem diceret, omnino decebat, exque Peripatetico ſequebatur ſyſtemate. Praeterea eum heterodoxiae ſuſpectum et conuictum inter Muhammedanos fuiſſe, ex Leone ſupra audiuimus. Credi itaque facile poteſt, non tam magnifice eum de his religionibus, quam de philoſophia Ariſtotelis ſenſiſſe, ſibique huius mortem exoptauiſſe, quem vnum omnibus melius ſapuiſſe ſtatuebat. Nihil enim in his eſt, quod non cum hiſtoria Auerrois conueniat. Aſt tam impudenter eum de Iudaico, Chriſtiano et Muhammedano legislatore pronuntiaſſe, eo minus probabile eſt, quo magis capitis periculo erat expertus, quam periculoſum eſſet contra religionem dominantem loqui, vel eos quoque legislatores inter impoſtores referre, quos ipſa lex Islamitica commendat et pro diuinis viris habet. Multo minus veriſimile eſt, eum talia ſcripſiſſe, cuius nec vola nec veſtigium fide ſatis dignum extat. De religione itaque Auerrois pronuntiaturi, idem ſentiendum eſſe putamus; quod de Peripatetica philoſophia alibi diximus, eiusque errores reteximus. Illis enim gnauiter adhaeſiſſe Auerroëm, famoſiſſima illa ſententia de intellectu vniuerſali, quae ſeculo decimo quarto et quinto ſectam Auerroiſticam peperit, et tanquam impietatis plena damnata fuit, ſatis probat. De ea vero hoc loco paucis adhuc agendum.

§. XXV. Quid intellectus vniuerſalis Auerrois ſibi velit, ex Peripatetica diſciplina exponendum eſt: ei enim ſoli et vni ſe tradidiſſe philoſophum Hiſpanum ſupra demonſtrauimus. Conſulenda itaque Ariſtotelis pſychologia, dogmataque illa, quae obſcure ſatis de intellectu hominis eiusque anima tradidit. Ea hic operoſe exponere eo minus neceſſe eſt, quo magis in explicatione ſyſtematis philoſophici Ariſtotelis in hac doctri- *Secta Auerroiſtica qualis fuerit?*

u) Vid. quos laudat BAYLE loc. cit. Menagiana T. IV. p. 378.

x) Ita iam Petrarcha apud BAYLE l. c. not. H.

y) Praef. circul. Piſan. p. 5.

z) l. c.

na enucleanda satis fuimus prolixi, et, nisi fallimur, luculenti. Pauca tamen ὡς ἐν συνόψει in lectoris gratiam enarrabimus. Nempe Aristoteles cum et Pythagoricorum castra expilauisset, et Platonis, quem praeceptorem habuerat, doctrinam verbo magis, quam re ipsa, reiecisset, more veterum, praesertim istius sectae inter animam siue ψυχὴν et intellectum siue νοῦν distinxit, haecque ab illis accepta seruauit quidem, sed more suo, vt noua viderentur, nouis quoque nominibus insigniuit. Cumque in scientia summam entium spiritualium perfectionem poneret, eamque in homine quoque quaereret, illi duplicem intellectum tribuit, patientem et agentem; illumque in anima hominis esse, et impressas notiones habere dixit, hunc aeternum, actiuum, immortalem, incorporeum esse, et mox in scientia mox in actione se demonstrare pronuntiauit. Cum autem formam hominis esse animam diceret, et hanc corruptibilem assereret, intellectum illum agentem ab actu corporis remouebat, eumque vnum et vniuersalem viuere quidem, et spiritualem ac immortalem homini adesse dixit, ad formas vero non pertinere statuit. Cum autem hoc loco intellectu agente homo intelligat, eum quidem hominem perficere, et tanquam locum formarum adesse tradidit, verum non eius naturae essentialiter adesse, sed hanc mentem extrinsecus in hominem descendere, cumque eo rationem hanc coelestem, aeternam, immortalem, actiuam communicari professus est[a]. Quae cum satis obscura essent, quamuis nihil noui afferant, sed veterem doctrinam supponant, mentem esse particulam diuinam, vel ex ipsa Dei essentia, vel ex anima mundi extrinsecus in hominem demissam, occasionem dedere de mente Aristotelis circa animam mentemque hominis disputandi, et imprimis quaerendi, vtrum intellectus hominis actiuus ad formam hominis informantem vel assistentem pertineat, eo quod docet, animam hominis esse mortalem, mentem siue intellectum immortalem? Accurate iam de hac quaestione disputauisse Alexandrum Aphrodisaeum, et hanc veram esse Aristotelis sententiam pronuntiauisse: mentem diuinam extrinsecus aduenientem per humanum corpus, velut instrumentum operari, atque ea ratione immortalem esse et incorruptibilem, *praecedente Tomo* ostendimus. Ex hoc vero dogmate exorta quaestio alia: num hic intellectus agens mens vna, vel intelligentia quaedam vna sit, qua omnes homines numerice participent? Nihil ea de re pronuntiasse Aristotelem, et dubiis passibus eum secutos fuisse interpretes sequiores post C. N. suo loco ostendimus: plerique in eo concordarunt, esse omnino vnum numero intellectum homini extrinsecus assistentem, vt vna solis luce omnes numero homines participant. At quae illa mens sit, quae intelligentia, an summa et praesidens siue Deus, an infima, de eo disceptatum. Quid probabiliter ea de quaestione Aristoteli tribuendum, quid Alexandreis, hoc loco non disputabimus; actum ea de re suo loco. Quid Arabibus pla-

a) Vid. de anima L. III. c. 4. p. 401. c. 8. p. 403. de generat. anim. L. II. c. 3. p. 819. ed. Cas.

placuerit, quid Auerroi, hic diſpiciendum eſt. Hi cum verſiones interpretum Ariſtotelicorum, Alexandri, Themiſtii, Simplicii aliorumque accepiſſent, facile in eam deſcenderunt ſententiam: intellectum agentem eſſe ſubſtantiam ſeparatam in homine, quam ſententiam Auicennae et Auempace placuiſſe, citatis eorum locis monuerunt CONIMBRICENSES [b]. Aſt cum non definirent, vnde haec forma hominis aſſiſtens et ſeparata homini extrinſecus adueniret, Auerroës vnum omnium hominum intellectum communem eſſe, ſeparatamque intelligentiam eamque infimam, ex qua omnes homines participent, ſtatuit. Accurate et luculenter hanc Auerrois opinionem explicuit COELIVS RHODIGINVS, cuius haec verba ſunt: „Auerroes eximius Ariſtotelis interpres „mentem hanc humanam, ſiue Ariſtotelico more agentem oollibeat intelle„ctum nuncupare, aeternam putat tam ex parte anteriore, quam ex parte po„ſteriore. Eſſe quoque mentium (intelligentiarum) infimam omnium, et „vnicam. Nam ſicuti coeleſtes globi ſinguli ſingulas habere mentes videntur, „ita et orbis hic inferior vnam, vt ipſe vult, habet, quae non huius hominis „ſit, vel illius, ſed humanae ſpeciei mens ſit et dicatur, vt ſpeciei vnicae „vnicus ſit intellectus in hoc orbe inferiori, vt plerique intelligunt, vbi„que totus. Compingi ſiquidem putat hominem ex corpore et ſenſiua „anima, nam intellectiuam excludit prorſus. Arbitratur tamen, inter „ſenſiuas animas quiddam haberi excellentius diſtansque a brutis pluri„mum hominum anima. Porro hominum quemque propria pollere anima, „ſed mortali. Cuius praeſtantior facultas vocetur vis cogitatrix, ſiue „vt dicitur Graecis, phantaſia. Ineſſe item concipit brutinis animis exi„ſtimatricem potentiam quandam, qua duce vtilia ſibi et diuerſa confe„ſtim inſtinctu naturae diſpiciant et appetant vel auerſentur. Differre „ab humana, quia non naturae ſequamur ductum, ſed ratione indagemus, „conſultemus, exſequamur: ita tamen, vt vniuerſalibus ſequeſtratis par„tibus tantum affigamur, inhaereamusque. Proinde rationem nuncu„pat particularem, intellectum vero rationem vniuerſalem. Et in cere„bri meditullio particularis eiusmodi rationis ſedem ſtruit, imaginatione „conſtituta proxime, et poſtmodum memoria. Nam ſenſum arbitratur „communem, qui ſenſuum quinque operationes aduocet in ſeſe, princi„pem locum ſibi vindicare, mox vt ſubſequatur imaginatio, earum cu„ſtos imaginum, quae in ſenſum communem coierant. Tertius facul„tati deſtinatur cogitatrici locus, quae diiudicet in imaginatione compo„ſita. Poſtremo eſt memoria theſaurus, quae proferuntur iudiciorum. „Cogitatrix igitur vis menti inprimis proxima eſt, adeo vt mens illi ad„ſit vbique, et intelligentiam ſuam per eius expleat adminiculum, dum „ſimulacra rerum in cogitatrice virtute lucentia mentem ad intelligen„dum mouent. Occaſionem praebet homo intellectui ad ſpeculandum, „vt coloratum lumen oculo ad videndum. Intellectio nullatenus in homi-

b) In L. II. de an. p. 1. q. 7. art. 1. p. 59. c) Antiqq. lect. L. III. c. 2. p. 73.

„homine eſt, ſed in mente ſola, quam cogitatio noſtra pulſet. Cogi„tatrix anima vnitur puero ſtatim, at multo poſt mens, quum ſimula„cra in cogitatione adeo ſunt pura, vt intellectum moueant.“ Habes hic, Lector breue pſychologiae Auerroiſticae compendium, quod ſatis Peripateticum eſſe, et Ariſtotelis ſyſtemati conuenire ex ſuo loco dictis eſt manifeſtum, viditque, qui accurate Ariſtotelis arcanos ſenſus rimatus eſt, CLAVDIVS BERIGARDVS [d]. Mirum itaque non eſt, Peripateticos multos, praecipue in Italia, ſeculis tribus, Auerrois tempora ſequentibus, et in his Thomam Anglicum, Achillinum Odonem, Iandunum, Zimaram Vicomercatum, quos CONIMBRICENSES [e] nominant, aliosque hanc pſychologiam Auerroiſticam tanto feruore defendiſſe, vt Leo X. P. R. peculiari bulla eam reiicere damnareque opus habuerit, qua de re ſuo loco infra ad haec tempora delapſis plura dicentur. Quas vero impietatis notas, quas abſurditates haec doctrina recludat, hoc loco expendi nec poteſt nec debet, videndi autem ANTONIVS SIRMONDVS [f] et PETRVS BAYLE [g]. Id nos, hiſtorici munere fungentes adiicimus dictis, valde impiam eam ſententiam viſam fuiſſe plerisque philoſophis, et non tantum animae humanae immortalitati inimicam, ſed et in ipſum Deum iniuriam, quem eſſe Auerrois intellectum vniuerſalem, ſicque Spinoziſmum quendam ſupponi, quidam ſuſpicati ſunt [h], quos tamen fruſtra eſſe, ex adductis facile intelligi poteſt, cum hic intellectus vniuerſalis non ſuprema, ſed infima intelligentia Auerroi ſit. Adeo vero haec eius opinio SCOTO [i] diſplicuit, vt dixerit, dignum eſſe Auerroëm, qui ob has ineptias ab hominum communione auerruncetur, alii vero hoc eius commentum monſtrum vocarint, quo nullum maius Arabum ſyluae genuerint. Ex his vero diiudicanda ſunt, quae pro Auerroë contra Baelium non ſine indignatione quadam attulit Cel. FREINDIVS [k]. Is enim cum monuiſſet, melius facturum fuiſſe criticum, ſi loco collectionum et compilationum ipſum auctorem conſuluiſſet; obſeruat, Auerroëm in vna diſſertationum ſuarum negare, quod anima ſit materialis et in alia diſerte affirmare, eſſe eam immortalem. Graui itaque obiurgatione collectores hiſtoriolarum arcanarum corripit, quod neglectis fontibus proxima quaeque corradentes in errores complures incidant. Non morabimur monitum, ſuo loco ſatis iuſtum, ſed dolemus, virum celeberrimum et doctiſſimum, ſed hiſtoriae medicae, quam philoſophicae peritiorem, iſtam Auerroiſticam doctrinam non ſatis intellexiſſe, adeoque praeter meritum Baelium reprehendiſſe acerbius. Id enim nemo Freindio negauerit, Auerroëm dixiſſe, animam, nempe illam ſuperiorem, mentemue ſiue intellectum aeternum, immaterialem, vniuerſalem eſſe. Verum hoc nihil facit ad iſtam animam homini propriam et formam eius conſtituentem vel informantem; ſed ad extrinſecam

d) l. c. e) loc. cit. b) Vid. BVDDEVS de atheiſmo c. VII. §. 2.
f) De immortal. animae adu. Pomponat. p. 368. i) In IV. D. 43. q. 2. vid. Conimbric. l. c. p. 60.
g) loc. cit. not. E. k) loc. cit.

cam, omnibus communem et vnam pertinet. Quam cum tot Auerrois affeclae affirmauerint, merito miramur, virum eruditiſſimum in eo videre potuiſſe diſſenſum, de quo tamen nemo dubitat, ſed nec quaeſtio quoque eſt. In eo enim impietatem Auerrois recte notauit Baelius, quod id, quod immortale homini et immateriale dicitur, non eſſentialiter et formaliter itemque numerice ineſſe homini, ſed extrinſecus eius particulam cum illo communicari Arabs docuerit. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Iam in viam et ad philoſophos Arabes redeundum.

§. XXVI. Inclaruit porro inter Saracenos NOIMODDINVS, cuius memoriam conſeruauit ABVLFARAIVS [i], qui eum in veteri diſciplina fuiſſe verſatiſſimum, et eruditionis philoſophicae laude celeberrimum teſtatur. Erat Nachiawaënſis, et in patria iam philoſophiae operam dederat. Sed vt animi theſauros augeret, ad literarium iter ſe accinxit, et in Romanorum (id eſt Graecorum, Romano imperatori parentium) ditiones peruenit, quibus locis cum augendae eruditionis occaſiones fauentiſſimas eſſet nactus, tantopere doctrinam, qua pollebat, perfecit, vt dignus haberetur, qui ſummis dignitatibus admoueretur. Quae licet externo ſplendore fulgerent, animum tamen altiora appetentem eo minus ſatiare potuerunt, quo magis praefecturarum tumultus eum a philoſophiae ſtudio auocabant, et illud impediebant. Moleſtias itaque has pertaeſus, depoſitis honoribus et muneribus in Syriam profectus eſt, et Halebi ſubſtitit. Quo loco cum turbam et puluerem multitudinis negotioſae iterum reformidaret, hominum conſuetudini ſe ſubduxit, conductaque domo quadam, qua habitaret, ſolus remanſit, nec quemquam adiit, et huic vitae inſtituto ad mortis vsque horam inhaeſit. Propendit valde ad opinionem eorum, qui animarum migrationem ſtatuebant. Ait Abulfaraius, ſcripſiſſe eum ſtricturas in logicalia libri Esharato indiciorum Auicennae, huncque eum philoſophum explicauiſſe. Refutaſſe etiam atque emendauiſſe Al-Aphdal Alchowanium, oſtendendo, deceptum eſſe illum in iis, quae in libro Al-Caſſib dixerat de iis, quae ad conuerſionem propoſitionis contradictoriae ſpectant, et ſubiectum extraneum et verum: et quod neget concluſionem minoris poſſibilis in figura prima, et conuerſionem negatiuae vniuerſalis neceſſariae in ſui ſimilem, aliaque eiusmodi.

Noimoddinus.

§. XXVII. Laudat etiam magnopere LEO AFRICANVS [ii] inter philoſophos Arabes IBNVEL-CHATIB RASI, celeberrimae famae philoſophum et theologum, et praecipuum ſuae aetatis praedicatorem. Aſt confuſae ſunt Leonis memoriae, ſic vt dubitandum non ſit, quin mancus ſit eius textus vel corruptus. Ille haec narrat: Erat Rai vrbe oriundus, tantamque in philoſophia, medicina, theologia et iuris-

Ibn El Chatib Raſi.

i) Dynaſt. IX. p. 340. 341. ii) l. c. c. 22. p. 389. ſeqq.

iurisprudentia Muhammedana ſibi cognitionem parauerat, vt quemcunque in locum perueniſſet, et ſummo applauſu, et magnificis muneribus exciperetur, quorum tamen potiorem partem, paucis ſibi famulisque, quos alebat, tribus ſeruatis, inter pauperes diſtribuebat. Qua fama et felicitate in magnam apud theologos Bagdadenſes incurrit inuidiam. Qui argumento ab odio ducto cum haereſeos infamia eum notauiſſent, eo rem perduxerunt, vt in carcerem duceretur, diuque in eo detineſetur. Et forte ibi periiſſet, niſi princeps inſtituto cum theologis Bagdadenſibus colloquio initaque diſputatione ipſe rei veritatem explorare conſtituiſſet. Ibi cum eius ὀρθοδοξία excelleret, obmuteſcentibus aduerſariis libertati reſtitutus, magnisque muneribus affectus eſt. Ceſſit tamen inuidiae, quam non quieturam eſſe, donec nouas inſidias ſtruxiſſet, probe viderat, et relicto Bagdado Cairum ſe contulit. Ibi ad aures eius peruenit celeberrima fama, qua inter Mauritanos celebrabatur Auerrois eruditio [m], cuius cognoſcendi audiendique cum incredibili deſiderio flagraret, ad eum properauit, conſcenſaque Alexandriae naui in Hiſpaniam foluere conſtituit. Aſt cognito, quod haereſeos infamiam ſibi contraxerit, ab itinere deſtitit, gnarus, quanto id periculo fieri deberet, et quanta res ſit, diſplicuiſſe vel leui ſuſpicione theologis. Rediit itaque ad priſtinas ſedes, dilato itinere, quod tamen poſtea in Mauritaniam ſuſcepit, quamuis hic in proſopographia huius philoſophi quaedam apud Leonem deſint, ſine quibus eius hiſtoria non ſatis cohaeret. Ex fragmentis tamen adhuc extantibus colligitur, Ibnu El-Chatib in Mauritaniam et Hiſpaniam tandem deſcendiſſe, et cum rege Abu Habdilla, cum frater conſobrinus eius, rex Haſis, contra illum inſurrexiſſet, Granata confugiſſe Feſſam, ibique recitato elegantiſſimo carmine cum audientiam ei rex feciſſet, ita miſeriam fataque ſiniſtra heri ſui depinxiſſe, vt non tantum clementer eum reciperet, ſed leuare quoque miſeriam conſtitueret, exercitumque cum eo in Hiſpaniam mitteret, vt terrae eius rebelli ereptae ipſi reſtituerentur. Nec euentu hoc felici cariuiſſe, Leo auctor eſt. Cum enim in Hiſpaniam traieciſſent, ſponte ad domini legitimi obſequium redierunt vrbes et regiones fere omnes, ita vt ſedem regiam rex recuperaret, pulſo hoſte, qui in Caſtiliam ſeceſſerat. Quod cum praecipue philoſophi interceſſioni acceptum referendum eſſet, magnam illi gratiam apud regem parauiſſe, omnino veriſimile eſt. Verum fortunam hanc aulae, more ſolito, ſecuta eſt maxima inuidia. Cum enim Feſſa Granatam cum rex vocaſſet, et cum familia adeſſe iuſſiſſet, renuit ille. Feſſaeque, dimiſſis regis nuntiis remanſit, quod indigne rex tulit, magnopere illi iratus. Quem vero cum ſatis prouide ſibi cauentem capere non poſſet, decipere ſtatuit, blandisque verbis in aulam Granatenſem inultauit,

m) Parum ſciuiſſe Saracenos orientales de occidentalibus ſiue Mauris, et ſcripta horum philoſophorum ad illos non peruenisſe, licet his Aſiaticorum quorundam ſcriptorum volumina innotuerint, in cauſſa vero fuiſſe magnam, quae inter vtramque gentem viguit inimicitiam, poſt factum ſchiſma pulchre obſeruat FREINDIVS hiſt. med. P. II. 60.

uit, et tandem comparentem muneribus et dignitatibus auxit, inimicis eius regis auribus inhaerentibus, easque quotidie vellicantibus, vt hominem ſibi minime fidum tolleret. Rex itaque diutius commorandum non eſſe ratus, in carcerem eum duci, et bona eius fiſco addici, iuſſit. Homo vero callidus cum id praeſenſiſſet, regis theſauros, ad quos aditus ipſi patebat, inuaſit, et corraſis quaecunque poterat, pretioſioribus Feſſam aufugit, quo loco amicos ſibi ſumma familiaritate iunxerat eo tempore, cum ibi cum rege exule eſſet moratus. Quod ita in rabiem egit Granatenſem principem, vt quendam ex familia regis Feſſani, quem captiuum apud ſe patruus tenuerat, ſed qui elapſus fuga Granatam ſeceſſerat, exercitu inſtrueret, et contra Feſſanos mitteret, pactus, vt, ſi regno potiretur ſuo, Ibnu Chatib ipſi viuum traderet. Qui cum victoria potius, interfecto patruo Feſſanum regnum occupauiſſet, cognita victoria rex Granatenſis legatum miſit, gratulatum de reſtituto throno, poſtulatumque vt philoſophum traderet. Captus itaque Ibn Chatib et in Hiſpaniam miſſus eſt. Vbi cum equuleo ſubiiceretur, tormentorum cruciatu adactus, quae ſuſtuliſſet, confeſſus eſt, et tandem reſtituit. Quamuis autem rex Feſſanus pactus eſſet, vt illi ob eruditionis claritatem parceretur, nec interficeretur, nocte tamen quadam ſuffocatus periit. Cuius perditae fidei excuſationem vt haberet apud principem Feſſanum rex Granatenſis, inſtrumentum confici iuſſit, cui centum viri docti ſubſcripſere, teſtati, Ibnu Chatib non tantum ob furta in regis theſauros commiſſa, ſed praecipue ob haereſin mortem commeruiſſe. Qua in re licet fraudem ſuſpicaretur rex Feſſanus, attamen ex conſilio iureconſultorum et theologorum intellexit, nihil hac in re ſuſcipi contrarium poſſe, eo quod legi conuenienter eſſet interemtus. Sepultus tamen eſt El-Chatib extra portam, aſt ſequenti nocte ex tumulo eiectus, maleque habitus truncatusque repertus eſt, ſine dubio inuidia aduerſariorum ne poſt triſtia fata ceſſante. Factum id eſt an. Heg. DCCLXXVII, ait Leo. Sed multa, vti iam dictum, in hac hiſtoria ſunt non ἄδηλα tantum, ſed et male cohaerentia, et ſe inuicem euertentia. Nam initio huius capitis ait Leo, reuerſum Ibnu Chatib Bagdadum ibique veneno a Mathaſila aduerſario ſectae Al-Aſhariticae propinato periiſſe, et poſt mortem ob inuenta carmina heterodoxa a populo e ſepulchro eiectum eſſe. Auerrois quoque audiendi gratia in Mauritaniam properauiſſe dixerat: at illum Marocci an. Heg. DCIII, adeoque CLXXIV annis prius obiiſſe ipſe Leo ſupra retulit. In fine quoque Feſſae interemtum ait, quem in aulam Granatenſem dolo vocatum periiſſe dixerat. Aut itaque duo philoſophi homonymi inter ſe diſtinguendi ſunt, ſtatuendumque, male conſarcinaſſe Leonis interpretem fragmenta inter ſe diuerſa, iſta homonymia deceptum, vel referentium narrationibus deceptum Leonem iudicium ad reiiciendas fabulas non attuliſſe dicendum eſt. Ex recenſione vero ſcriptorum eius intelligitur, eum non theologiam et Al-Coranum tantum, verum etiam Ariſtotelem,

et metaphyſicam Auicennae commentariis illuſtrauiſſe, quin et *decretum abſconditum magiae et Cabbalae* reliquiſſe. Dignum vero memoratu eſt, poſt mortem inuenta fuiſſe eius carmina quaedam, quibus ſignificabatur, mundum eſſe aeternum animamque mortalem, quae magnam ei conflauerint inuidiam. Ex eo enim recte colligitur, Auerrois veſtigiis, quin ipſius quoque Ariſtotelis eum gnauiter inſtitiſſe. Maxime vero inter ſuos commendatus eſt, (modo cum iſto philoſopho Perſa idem ſit Granatenſis) tum ob elegantiam dictionis in proſa, in qua ſimilem nullum inter ſcribas publicos ipſosque cancellarios habuerat, tum ob felicitatem in pangendo carmine. Illi enim ſupra modum gratiam et iucunditatem ſummam adfuiſſe, adeo vt a Cairi principe et curia orientali titulum nomenque acciperet: *lingua fidis*, isque nihil a domino ſcripto peteret, quod non accepiſſet, LEO refert. Quin nec hoc omittendum, tum in philoſophico, tum in theologico argumento corda ſenſusque hominum eum tetigiſſe. Scripſiſſe autem praeter illa, et collectionem epiſtolarum publicarum, librum quoque medicum, in quo conſilia medicorum omnia collegerat, medicorumque tandem recentiorum medicamina expoſuerat. LEO quoque teſtatur [n], qui et aliorum librorum hiſtoricorum ab eo conſcriptorum meminit, quibus non inhaeremus.

Etoſi. §. XXVIII. Nomen quoque haud incelebre conſecutus eſt philoſophiae nomine EL MVHAIED ETOSI, cuius notitiam LEONI AFRO [o] quoque debemus. Etoſi a patria Tos dicitur, in qua nobili loco et non exiguo cenſu vixit. Cum autem Holacus Tartarorum imperator iſtam vrbem vi expugnauiſſet, diuitias in vrbis direptione amiſit omnes. Aſt acquiſiuerat ſibi Muhaied theſauros, quos illi eripere hoſti non licuit, eruditionem puta et imprimis philoſophiam, quae cum alia deeſſent, ipſi auxilio fuit. Erat autem Holacus ille, qui an. Heg. DCLXIV e viuis exceſſit, teſte ABVLFARAIO [p], *vir ſapiens, manſuetus, intellectu et ſcientia praeditus, ſapientum et doctorum amans.* Hic itaque cum de eruditione Muhaiedi plura audiuiſſet, eum ſibi praeceptorem delegit, a quo philoſophiam diſceret. Quo loco ille conſtitutus ita fidem moresque Holaco probauit, vt eum legatum ad Chalifam Bagdadenſem mitteret. Qui cum contemtim haberetur a principe Saracenorum, exercitu heri ſui in hos fines introducto, oſtendit cornua ſe ſuosque, quod ei ridendo exprobrauit Chalifa, habere, quibus aduerſarii impeterentur. Et care ſtetit Saraceno iocus leuis et irriſio philoſophi. Poſt trium enim menſium obſidionem vrbs capta, et octingenta hominum millia interfecta, Chalifa captus et cum familiaribus equorum vrgulis miſere enecatus periit, eo quod philoſophi huius irriſione grauiſſimam ſibi ignominiam factam eſſe imperator Tartarorum cenſebat. Summo enim loco habebat philoſophos virosque doctos, ratus, aliquot pennas

n) Ibid. adiici itaque poteſt medicis Arabibus a FREINDIO l. c. enarratis.

o) c. 21. p. 288. ſeqq.

p) l. c. p. 355.

pennas ſufficere magis, quam centum millia equorum armatorum. Contaminauit tamen haec clades valde memoriam Etoſaei apud Muhammedanos. Commentatus eſt in Logicam Razis, et metaphyſicam Auicennae. Obiit in ciuitate Samrahand in Aſia, an. Heg. DCLXXIX, ex quo patet, XV annis eum, quam Holacum, vixiſſe longius.

§. XXIX. Reuocat Tartarorum mentio nobis in memoriam philoſophum praeſtantiſſimum, ſub eorum imperio ſec. XIII florentem NASIRODDINVM, cuius integrum plenumque nomen fuit Choiah vel Chowaiah Naſiroddin Altuſi, eo quod ipſe quoque Tuſius eſſet, ex vrbe Tus oriundus. Nomen autem Choiah vel Chowaiah, idem dicit, quod apud nos magiſter vel dominus. Natus eſt, teſte Abulfeda apud POCOCKIVM [q] an. Heg. DXCVII, et ita melioribus diſciplinis omnique eruditione ornatus enituit, vt ſapientem omni ſcientiarum genere clarum appellet Abulfaraius. Praecipue autem in philoſophia artibusque et ſcientiis, quae ad μαθήματα referri ſolent, excelluit, et hoc poſteriori nomine immortalem ſibi gloriam peperit. Teſte enim ABVLFARAIO [r] obſeruationes aſtronomicas in vrbe Maraga fecit, et ad eum propter obſeruationes faciendas magna geometrarum praeſtantiſſimorum multitudo conuenit. Erant quoque ſub eius arbitrio omnes ſcholarum reditus in omnibus, quae ſub imperio Mogulenſium erant, regionibus. Hinc enati illi libri mathematici praeſtantiſſimi. Conſcripſit enim, teſte ABVLFARAIO commentarium in Euclidem, et Al-Mageſtum, id eſt, ſyſtema geometricum et aſtronomicum. Meminit etiam tabularum aſtronomicarum in ſcriptarum Ilechano Tartarorum regi a Naſiroddino Tuſio HOTTINGERVS [s]. Teſte vero Gregorio libros quoque multos logicos, phyſicos et metaphyſicos ſcripſit, quo pertinet *commentarius* eius *in demonſtrationes philoſophicas Ibn-Sina*; HOTTINGERO [t] memoratus: Magni autem facta eſſe haec ſcripta inter Arabes, Tartaros et Turcas, inde colligere licet, quod Ibn Ahmed Aſpahenſis haud ignobilis philoſophus, in diſſertationes metaphyſicas Naſiroddini Tuſii commentarium ſcripſerit [u]. Maxime vero laudatur propter librum moralem, Perſica lingua ſcriptum, ſumma, qua fieri potuit, elegantia, in quo, teſte ABVLFARAIO [x], omnia Platonis et Ariſtotelis dicta de ſapientia practica collegit, ſententias veterum confirmauit, recentiorum dubia et obiectiones, quas in ſcriptis ſuis attulerunt, ſoluit. Tanto itaque philoſopho ſcholis Mogulenſibus praefecto, facile intelligi poteſt, eas valde creuiſſe, et ſcientiarum incrementa inter ipſos quoque Tartaros promota fuiſſe. Qui licet armis vbique ſaeuirent, literarum tamen ſtudia non neglexerunt, nec more Saracenorum primorum ſcholas exciderunt, ſed et viris doctis honorem habuerunt, et literas, praecipue philoſophiam et ſcientias mathematicas

Naſiroddinus.

q) Specim. hiſt. Arab. p. 359.
r) Dyn. IX. p. 358.
s) Biblioth. orient. c. 2. p. 251.
t) l. c. p. 218.
u) Ibid. p. 246.
x) l. c.

promouerunt: cuius rei exempla in Holaço et Ilechano Tartarorum imperatoribus iam adduximus. Narrat etiam ABVLFARAIVS [y]: Kublai Kanni Tartarorum principem amauisse viros doctos, sapientes et religiosos, cuiuscunque tandem sectae aut gentis fuissent. Immo nec ipsum Tamerlanem a doctis viris abhorruisse, sed eorum consortio delectatum fuisse memoria proditum est. Cuius nepotis Vlug Beig, magni Mogolis tabulae astronomicae hodie quoque non sine admiratione leguntur. Succesſere Turcarum arma literis inimica, licet nonnulli principes literis fauere videri voluerint: de quibus tamen hoc loco dicere nihil attinet, legendi autem CONRINGIVS [z], GVNDLINGIVS [a], et HEVMANNVS [b].

Alii philosophi Arabes.

§. XXX. Praeter hos philosophos, quorum inter Arabes post Muhammedis tempora celeberrima fama fuit, fuisse quam plurimos alios secundae tertiaeque magnitudinis, vel ex vna HOTTINGERI *Bibliotheca Orientali* disci potest. Ast hos recensere omnes nec libet, nec licet, nec omnium satis copiosa et sufficiens hodie extat memoria. Dabimus tamen quorundam recensum breuem, et per lancem quasi saturam.

Matthaeus Ebn Yunes.

Nempe eminuit praeter laudatos seculo Christiano decimo MATTHAEVS EBN YVNES, quem in academiis Asiaticis studiorum causſa versatum philosophiam egregie didicisse, artis vero dialecticae fuisse peritissimum, eamque explicantem saepius eundem sermonem repetiisse, cum ipsi propositum esset, docere, et, vt intelligeretur, efficere, testatur

Afribi.

ABVLFARAIVS [c]. Alfarabio coaeuus fuit AFRIHI, inter logicos sui temporis fere princeps, vt EIDEM [d] narratum. Celebratus porro circa

Muhammed Al-Baziani.

eadem tempora MVHAMMED AL-BAZIANI, quem dialecticis quoque scriptis inclaruisse, GREGORIVS [e] scribit. Praecipue vero ex

Bachillani.

hoc seculo BACHILLANI nomen notandum est, de quo LEO [f], narrat: parentibus natum obscuris et ignobilibus, cum ingenium ei valde acre contigisset, magna diligentia et accurata temporis ratione adhibita philosophiae operam dedisse, et post eam theologiae atque iurisprudentiae Muhammedanae vacauisse, eaque eruditione meruisse, vt iudex ciuitatis Bagdadensis eligeretur, et a Sultano Bagdadensi ad Romanorum imperatorem (Constantinum Romani iunioris filium) legatus mitteretur: imperatorem vero eum clementer habuisse, et cum gratiae demonstratione excepisse, rogantem, vt literarium certamen cum theologis suis iniret, et de placitis religionis cum Graecis disputaret. Factum id esse, ait historicus Afer constituta die coram imperatore, patriarcha, archiepiscopis et episcopis cum pompa apparatuque superbo, et per totum diem disputationem fuisse protractam: non tamen perfici potuisse, eo quod morbo corriperetur Bachillani, qui eum coëgerit reditum maturare in patriam.

Sectae

y) l. c. p. 351.
z) Antiqq. Acad. suppl. XX. p. 851.
a) Hist. phil. mor. p. 30.
b) Poecil. T. III. L. II. p. 304.
c) Dynast. IX. p. 200.
d) p. 209. e) p. 223. f) c. 7. p. 267. seq.

Sectae vero Aſsharitarum cum eſſet deditus, de eius theologia iudicium ex ſupra dictis fieri poteſt. Obiit, relictis ſcriptis theologicis et polemicis quamplurimis XCVIII annos natus, an. Heg. CDV. Seculo Chriſtiano vndecimo floruit ABVLFARAIVS Erakenſis, de quo GREGORIVS [g] refert, viginti annos fuiſſe cultorem metaphyſices, plurimosque habuiſſe diſcipulos. Tum ABVL-CHAIS, quem in logicis, phyſicis et metaphyſicis ſcholas inſtituiſſe IDEM [h] refert: EBN MALCA medicus celeberrimus, et doctrinae veteris apprime peritus, quem conceptibus ſubtiliſſimis res egregie explicuiſſe, librumque dialecticum titulo *Al-Motabar*, praefixo edidiſſe, et a Iudaeis ad Muhammedanos tranſiiſſe, ABVLFARAIVS [i] quoque narrat. Is et EBNO'L HOSAN ſecuri inter philoſophos ornamentum dicit [k], et ABV'L HELMVM quendam fama inclaruiſſe, et concurrentibus ad eum ſtudioſis magno in pretio habitum fuiſſe tradit: [l], et MOGREBINVM [m] laudat, medicum et philoſophum praeclariſſimum. LEO [n] autem IBNV EL-BAITAR extollit, natum Malagae philoſophum et medicum praeſtantiſſimum, et praecipue rei herbariae cognitione clarum. Eius enim acquirendae cauſſa ex patria profectus, per celebriores Africae atque Aſiae regiones fere omnes vsque ad Indos eſt progreſſus, reuerſusque Cairi conſedit, vbi cum Saladino celeberrimo Aegyptiorum Arabum Chalifae innotuiſſet, receptus ab eo, vt ſanitati eius inſeruiret, magno in honore habitus eſt. Eo vero extincto reuerſus in Hiſpaniam, praeſtantiſſimum ibi librum *de viribus herbarum*, item alium *de venenis et metallis*, et tandem *de animalibus* ſecundum ordinem literarum tribus voluminibus compoſuit; fatis concedens Malagae an. Heg. DXCIV. Seculo Chriſtiano decimo tertio ABDOSSALAMVS EBN IINGIDVST AL-FABALI Bagdadenſis, eo potiſſimum nomine celebratus eſt, quod veteris eruditionis eſſet callentiſſimus. Quem ab inuidia ita preſſum ait ABVLFARAIVS [o], vt in ſuſpicionem heterodoxiae adductus, libros ſuos viderit igne deletos, licet plerique philoſophici argumenti fuerint. Obiit is an. Heg. DLXXXIX. Eodem AVCTORE [p] *Yahya Ebn Said* vir fuit inſigniter doctus in veterum ſcientiis, linguae Arabicae peritia, et poëtica: artem vero medicam exercendo quaeſtum fecit, et ſexaginta ſermonibus, quos compoſuit, famae celebritatem promeruit. Iisdem fere temporibus SAËD EBN HEBATOLLA inter Arabes innotuit, magnaque apud principem ſuum gratia floruit [q], nam et philoſophiam, et artem medicam perfecte callebat. Eius σύγχρονος fuit MVHAMMED TVSIVS, cuius ſcripta metaphyſica digna viſa ſunt Ebn Ahmed Iſpahanenſi, vt commentario ea illuſtraret [r]. Hoc porro ſeculo inter Arabes philoſophantes notandi ſunt MASISI, melior medicus quam philoſophus,

Abulfaraïus. *Abul-Chais.* *Ebn-Malca.* *Ebno'l Hoſan.* *Abu'lHelmus.* *Mogrebinus.* *Ibnu El-Baitar.* *Abdoſſalamus.* *Saëd Ebn Hebatolla.* *Muhammed Tuſius.* *Maſiſi.*

g) l. c. p. 233. h) p. 260. i) p. 261. k) Dyn. IX. p. 296.
l) p. 247. m) p. 268. n) l. c. c. 19. p. 281. o) Ibid. p) Ib. p. 297.
q) p. 259. r) HOTTINGER. bibl. orient. c. 2. p. 246.

Ioseph. phus, vtramque tamen scientiam edoctus: YVSEPH, philosophiae cultor strenuus [s]; HASNVM, et IACKVB Hierosolymis natus, vbi philosophiae operam dedit apud Theodorum philosophum Antiochenum [ß]: tum cuius *Phacroddinus.* supra iam facta est mentio AL-EMAM PHACRODDIN, theologus celeberrimus, quem Razis dialecticam ceterasque philosophiae partes magno applausu docuisse testis est historicus Malatiensis [t]. Seculo porro *Noimoddinus.* XIV, NOIMVS quoque, siue NOIMODDIN KAZVINENSIS logicae peritia inclaruit, quem auctorem fuisse libri *Al-Ain* dicti, scribit *Ettphtheseni.* ABVLFARAIVS [u]. Seculum vero XV produxit ETTPHTHESENI, natum in prouincia Taphthasan, Chorozanae parte, vnde nomen habuit. Eum nobilem philosophum et theologum ex secta Asharitarum fuisse, testatur LEO [x], postea vero Tamerlanis seruitio se dedentem consiliarii maioris, quem magnum Vezirium vocare solent, muneri praefectum, scribit, et iudicem quoque exercituum imperatoris huius Tartarorum fuisse relictum in Persia, cum is in Aegyptum solueret. Eo absente autem cum rebellasset cum reliquis Asiae prouinciarum principibus atque praefectis, captum et per quatuor annos in carcere detentum obiisse an. Heg. DCCCXV. Theologicis autem, historicis, et iuridicis scriptis editis, immo commentario quoque in logicam Aristotelis edito in- *Abul-Hasar.* claruit. Tribus post annis, teste eodem AFRO [y], obiit ABVLHASAN IBNV HAIDOR, natus Fessae, medicinae, philosophiae et astrologiae notitia innotescens, quem principibus Fessanis a tuenda valetudine fuisse, et opera multa composuisse, medica, gnomonica, astrolo- *Abu-Bahar.* gica, logica dicit. Paulo post floruit inter Mauros ABV BAHAR IBNV CHALSON Granatensis, philosophus, medicus et astrologus apud omnes gratiosus, carminis quoque elegantia et morum iucunditate celebris, ideoque in aulis Mauritaniae principum commendatissimus, titulisque atque muneribus eximie ornatus [z]. Sic et, incertum quo tempore, vixere: *Abdalla Muhammed Abubeker Ben Muhammed Taurisi*, qui in loca quaedam obscuriora Maimonidis commentatus est [a], et *Abu Chamed*, qui in Aristotelem commentarium scripsit [b]. Alios minoris momenti, quos nominauit HOTTINGERI [c] industria, tacemus.

Astronomi & mathematici Saracenici. §. XXXI. Non omittendi plane in hac philosophorum Arabicorum recensione sunt astronomi et mathematici aliquot celeberrimi, qui scriptis potissimum mathematicis immortalem sibi pepererunt memoriam, eo quod non solius matheseos, sed omnis praeterea philosophiae mysteria simul perdiscere Arabibus solenne fuit. Pertinet tamen plena de iis tractatio et historia ad mathematicarum disciplinarum annales, vnde paucis tantum

s) ABVLFAR. p. 316.
ß) Ibid. t) p. 317.
u) p. 358. x) c. 23. p. 292.
y) c. 24. p. 293.
z) c. 25. p. 295.

a) Vid. NESSEL. catal. msc. or. bibl. Vindob. p. 151. n. 59.
b) Vid. NIC. ANTON. bibl. Hisp. vet. T. II. p. 237.
c) Potiores ex eo supra adduximus.

tantum et ſummatim eos enumerabimus. Inter illos vero eminet ABV EL MAASAR, vel quo nomine plerumque laudari ſolet Albu Maſar, vel Abumaſar, vel etiam Aboaſſar, cuius autem integrum nomen fuit *Abu Maſiar Giafar Muhammed Ben Omar Balachius*, eo quod ex vrbe Balach Bactriana eſſet oriundus. Maxima fuit viri huius in ſiderali ſcientia fama atque exiſtimatio, eo quod et libris vtiliſſimis et inuentis egregiis emineret. Tanta autem ſuperſtitione regulis aſtrologicis addictus erat, vt in libro, *de magnis coniunctionibus et annorum reuolutionibus*, Latine quoque verſo [d], temere ſtatuat, religionum quoque fata ex ſideribus pendere, earumque incrementa atque decrementa coniunctionibus Planetarum deberi; Iudaicam ex coniunctione Iouis et Martis, Aegyptiacam ex coniunctione Solis et Iouis, Turcicam ex coniunctione Iouis et Veneris, Chriſtianam ex coniunctione Iouis et Mercurii ortam eſſe. Quod quamuis temerarium et puerile ſit, ignoſcendum tamen eo magis eſt mathematico Arabi, ex gentis ſuae conſuetudine a pueritia huic praeiudicio innutrito, quo magis inter Chriſtianos quoque eiusmodi deliramenta non deſiderari, Cardani aliorumque exempla comprobant. Meruit vero de mathematicis diſciplinis et libris aliis a VOSSIO [e] aliisque [f] recenſitis, et inſigni augmento *Al-Mageſti*, ſcripſit tamen contra eum librum *de mundo* Aben Eſra [g]. Vixit autem, non ſeculo Chriſtiano decimo, quod viſum IOSEPHO BLANCANO [h], ſed ſeculo nono medio. Obiiſſe enim an. Heg. CCLXXII, id eſt A. C. DCCCLXXXV, Ibn Chalican in *vitis illuſtrium Arabum* apud IO. SELDENVM [i] teſtatur. Abu Maaſarum excipit ALBATEGNIVS, vel quo nomine etiam laudari ſolet *Muhammed Aractenſis*, tabulis imprimis aſtronomicis, quibus frequenter vſi ſunt Arabes, itemque egregiis obſeruationibus circa ſolem, lunam, ſtellas fixas, et obliquitatem Zodiaci celebris. Vixit is Chalifatum Syriae, vbi Aractae degebat Albategnius, tenente Arade Billa Abu Hali Ben Mucla, qui primus elegantioris apud Arabes ſcribendi generis auctor extitit, et Eutychio Alexandrino ſiue Ibnu Patrik coaeuus fuit, circa an. Heg. CCC et ſequentes, vt notatum SELDENO [k]. Nec minor gloria eſt AL-FRAGANI, vel quo integro nomine gaudebat *Ahmed Ebn Cothaci Alfergani*, cuius *elementa aſtronomica* debemus IACOBO GOLIO. Alferganus is dictus eſt, a Fergana vrbe ac prouincia Sogdianae, et non in aſtronomia tantum, ſed in arithmeticis quoque excelluit [l]. Al-Mamonis eum temporibus floruiſſe coniicit Golius. Iunior his aetate eſt, ſeculoque duodecimo vixit ALCHABITIVS, *iſagoge ad magiſterium iudi-*

Abu El-Maaſar ſ. Albu Maſar.

Albategnius.

Alfraganus.

Alchabitius.

d) Aug. Vind. 1489.
e) De ſcient. math. c. XXXV. §. 4. p 173.
f) SPIZEL. ſpecim. biblioth. vniuerſ. HENDREICH Pandect. Brandenburg. qui tamen Abu Maſarem Balachium et Abuchuiſar temere diſtinguit.
g) Vid. WOLF. bibl. Hebr. P. I. p. 4.
h) In chronol. medica p. 56.
i) Orig. Alexandr. praef. p. 17. k) l. c.
l) Vid. GOLIVS praef. HENDREICH. l. c. p. 113. VOSSIVS c. XXXV. p. 174. HERBELOT. bibl. orient. p. 340.

iudiciorum aſtrorum, vel ad ſcrutanda ſtellarum magiſteria, aliisque ſcriptis mathematicis celebris [m], ſed et GEBER huc pertinet commentatione in μεγάλην σύνταξιν notus, qua Ptolomaeum emendare aggreſſus, ſi vero Nicolao Copernico fides, eum calumniatus eſt. Addi his poſſunt minoris famae alii, Albohazen Haly, Aldilazith, Alpatragius, Zeel vel Zahel Bebiz, Arzahel Meſſallah, Bethem Hali Rodoham pluresque huius generis alii, de quibus poſt VOSSIVM conſulendus eſt HERBELOTIVS [n] aliique.

Geber.

Alii.

Iudaei Arabes inter Saracenos philoſophantes.

§. XXXII. Philoſophatos fuiſſe inter Arabes non Muhammedanos modo, verum etiam aliarum religionum homines ex ſupra narratis conſtat. Chriſtianos enim Arabes haud ſegniter in philoſophiam incubuiſſe exemplis Meſue, Honaini, Koſtae aliorumque ſupra probauimus, hoſque Arabibus anteſignanos fuiſſe, verſionibus ſuis et exemplo, vt philoſophiam poſtliminio reuocarent, euicimus. Aſt Iudaeorum quoque nationem, quae magnam partem Arabibus permixta fuit, eadem via inceſſiſſe, ex illis notum eſt, quae *Tomo praecedente* de philoſophia Iudaeorum diximus, vnumque Maimonidis exemplum rem ſatis illuſtrat. Laudat imprimis LEO AFRICANVS [o] Iſaac Ben Erram, Emram Ben Iſaac, Abraham Ibnu Sahul, Aaron Ben Senton, quorum hoc potiſſimum loco mentio facienda eſt, eo quod fide quidem ac religione Iudaei, vitae vero conditione Arabes fuerint. ISAAC BEN ERRAM Damaſcenus fuit, et philoſophiae artique ſalutari operam dedit, vnde Africae proregi Zaide ad tuendam valetudinem fidem obſtrinxit. Habuit collegam medicum Chriſtianum a quo ſaepenumero in conſiliis ſalutem heri concernentibus diſſentit. Qui cum aegrotante domino ſemper ei contradiceret, aegrum Iſaac dereliquit, cauſſamque roganti domino reſpondit: Diſſenſum medicorum duorum de vno aegro peiorem eſſe febri tertiana. Obiit an. Heg. CLXXXIII, in vrbe Cairauan. EMRAM vero Toletanus fuit, philoſophiae, medicinae et aſtrologiae peritiſſimus, ſimulque Hiſpaniarum regi ab epiſtolis Arabicis: quo in munere cum plurima ſummi momenti eius fidei crederentur, ſuperbe et imprudenter ſe geſſit grauis belli auctor, quo tamen ipſe an. Heg. CCCLXXXVII Seuiliae extinctus eſt. ABRAHAM IBNV SAHAL Seuilienſis fuit, Cordubae vero habitauit eo tempore, quo Auerroës iudicem ibi agebat. Philoſophiae, medicinae et aſtrologiae cum eſſet peritiſſimus, ſuperauit tamen omnes carminis elegantia et dulcedine. Cum autem canticorum eius argumentum contribulibus ſuis non placeret, fruſtra vero illi hunc dehortarentur, rem ad Auerroëm detulerunt, eumque tanquam iuuentutis corruptorem accuſauerunt. Is hominis imprudentiam indignatus ſeuere verſus ne ſcriberet, prohibuit. Quod tamen nec ille omiſit, nec impedire Auerroës potuit,

Isaac Ben Erram.

Emram.

Abraham Ibnu Sahal.

m) VOSSIVS l. c. p. 109. 354. 369. BAYLE Dict. T. II. art. Alchibitius. HENDREICH. l. c. p. 92. WOLF. l. c. p. 195.

n) ll. cc.

o) c. 26. 27. 29. 30. p. 294. ſeqq.

potuit, cum tanta auiditate eius carmina legerentur, vt cariſſime vaenirent. Obiit ex veneno propinato an. Heg. DCXLIII Cordubae. AARON vero BEN SENTON ex Iudaeorum Feſſanorum nobiliſſimis fuit, et ſimiliter philoſophiae, medicinae et aſtrologiae cognitione inclaruit. Iuuenis regi Abdallae inſeruiuit, et ei a conſiliis fuit, qui eum Feſſanae quoque ciuitati praefecit. Quod cum, ſublato priore vrbis moderatore valde diſpliceret Feſſanis, qui per ſeptennium eius imperium moleſtiſſime ferebant, rege abſente rebellarunt, Iudaeosque interfecerunt, idemque in caſtris factum, Haron autem trucidatus eſt, rege quoque in iſto tumultu iugulato. Factum id an. Heg. DCCCLXXII, ſeculo Chriſtiano decimo quinto medio.

Aaron Ben Senton.

CAPVT SECVNDVM.

DE NATVRA ET INDOLE PHILOSOPHIAE SARACENICAE.

§. I.

Enarrata philoſophorum inter Arabes poſt C. N. celeberrimorum, ipſiusque fatorum philoſophiae hiſtoria, iam de natura quoque, indole atque conſtitutione philoſophiae Saracenicae diſpiciendum eſt. Et eius quidem faciem, ex illis, quae in antecedente capite fuſe delineauimus, facile colliget, qui pauliſper ad eam hiſtoriam attenderit. Curatius tamen expendenda ſunt omnia, propiusque intuendus vultus philoſophiae Saracenicae, vt ex ipſis eius lineamentis quaſi de indole interna iudicari, et qualis ratio philoſophandi in hac gente inualuerit, quid laudandum in ea, quid vituperandum ſit, intelligi queat. Hoc enim demum modo philoſophiae hiſtoriam ad veram philoſophantium vtilitatem adhibendi viam ingrediemur. Sequemur autem idem inſtitutum, quod per omnes temporum quorumcunque ſectas nos tenuiſſe nondum poenitet, vt generalibus quibusdam obſeruationibus, quibus arcanae rationes Saracenicae philoſophiae recluduntur, praemiſſis, tum demum de ſingulis philoſophiae inter Saracenos cultae partibus diſpiciamus, et quam hactenus praemiſimus, philoſophiae Arabicae hiſtoriam ad id adhibeamus, vt cauſſae pateant, cur hoc praecipue modo, quo deſcripſimus, vel in ſequentibus quoque ſumus delineaturi philoſophia apud hunc populum exculta ſit.

Argumentum generale tractationis.

§. II. Nempe I. ex antecedentibus repetendum eſt, ſtatum ignorantiae, quem nationi ſuae ante Islamiſmi tempora Arabes Muhammedani tribuere ſolent, non ad ſolam religionis ſuperſtitionem pertinere, quo tamen ſenſu primario intelligendos eos eſſe, ſupra conceſſimus; ſed et vi-

Obſeruationes generales de P. S. I. Philoſophia ante Islamiſmum nulla.

tae rationem ātque conditionem gentis agreſtis eam fuiſſe, vt nec eruditio magnopere nec philoſophia excoli potuerit. Homines enim vel ex agri gregisque prouentibus victitantes et per omnes fere ſuarum regionum terras palantes, vel ex mercatura tantum quaeſtum facere cupientes eruditioni exiguum pretium ſtatuere poſſe, quilibet, qui praeiudicio occupatus haud eſt, intelligit. Quamuis autem linguae ſuae elegantiam et proſa oratione et ligata eos ſtudio non contemnendo excoluiſſe, itemque ad ſiderum rationes attendiſſe ſupra demonſtrauerimus, nihil tamen inde exſculpi poteſt, quod pro philoſophiae cultura inter Arabes ante Islamiſmi tempora militet. Nam in his ſtudiorum generibus vel neceſſitati ſuae, (quod in ſiderum obſeruationibus ad intelligendas et praenoſcendas tempeſtates contigit) conſuluerunt vel vanitati, laudem in eloquentia et nitore ſermonis patrii quaerentes, vbi tamen nec meditationis nec ratiocinationis ratio vlla habita, nec veſtigium philoſophiae vllum admiſſum eſt. Id quod ſupra luculento Abulfaraii teſtimonio confirmauimus, quod hic repetere opus haud eſt. Aſt haec diligenter notanda ſunt, praemuniendusque hac veritate hiſtorica animus, ne inſulſo praeiudicio: apud Arabes ante Muhammedis tempora philoſophiam quandam viguiſſe, occupetur, ſicque impediatur, veras rationes philoſophiae Saracenicae perſpicere, quae, abiectis iſtis nubibus et nebulis quibus acies oculorum, in pernoſcendis veris Saracenicae philoſophiae circumſtantiis ſuffunditur, dominatam fuiſſe nationi huic irrationalem ſuperſtitionem, euincunt. Quae licet aliquam philoſophiam ſupponere videatur, tantum tamen abeſt, vt hoc nomen ſibi vendicet, vt potius Arabes in id ante Islamiſmum coniuraſſe videantur, vt omnis rationis vſus, pauliſper melior et accuratior, nefanda hac ſuperſtitione euerteretur. Quod verum eſſe, ſi non aliis exemplis euinci poſſet, vna Zabiorum ſuperſtitio, quos praecipuam religionis philoſophicae ſpeciem ante Muhammedis tempora, immo ab antiquiſſimo aeuo habuiſſe nonnulli voluere, ſatis demonſtrat. Nam vt falſum eſſe, quicquid de ſectae huius idololatricae inter Arabes antiquitate poſt Maimonidem Hottingerus, Spencerus aliique, Arabicorum quorundam ſcriptorum auctoritate decepti dixerunt [a], *Tomo primo* luculenter demonſtrauimus, ita dubitatione caret, hos homines, ſecundo vel tertio poſt reparatam humani generis ſalutem ſeculo, coiuiſſe, et ex veteri Perſarum religione, cultuque ſiderum admiſſis variarum ſectarum, ex quibus confluxerant, ſomniis ſibi religionem conſarcinaſſe, nulli rei minus, quam rationi et philoſophiae, conſentaneam, eamque vsque ad Muhammedis tempora viguiſſe, immo poſt receptum per omnes terras Orientis Islamiſmum non prorſus intercidiſſe, ſed ſeruaſſe quodammodo inſtituta priſtina. Non negamus tamen confluxiſſe in Sabianiſmum dogmata quaedam, a ſectis philoſophicis deſumta. Suo enim loco

Zabiorum ſecta.

a) Vid. SPENCER. de leg. Hebr. rit. L. II. p. 277. ſeqq. HOTTINGER. hiſt. orient. L. I. c. 8. p. 162. ſeqq. POCOCK. Specim. p. 138.

loco manifeſtum fecimus, veterum Perſarum ceterorumque Orientis populorum philoſophiam de diuinis, itemque Gnoſticorum, quin et Orientalis philoſophiae inter aſſeclas Zoroaſtris placita ſyluam quandam adiectis Iudaiſmi, Chriſtianiſmi, Cabbaliſtarumque et Aegyptiorum fragmentis ſectae huic exhibuiſſe [b]. Quod tamen tantum abeſt vt philoſophicam eam religionem fuiſſe euincat, vt potius euerſam eſſe ſomniis inſanis et inepte cohaerentibus rationem omnem dicendum ſit, quamuis ex his placitis philoſophiae barbaricae ad iſta tempora vel ſeruatis vel auctis et reformatis coaluerit. Quae negaturum eſſe neminem, qui ipſam Zabiorum hiſtoriam animo non praeoccupato conſiderauerit, merito confidimus. Non omittenda tamen eſt in Arabicae philoſophiae conſideratione atque hiſtoria Zabiorum religio, licet, quam miſera fuerit gentis ineptientis delirantisque conditio luculento exemplo doceat, eo quod haud ignobili ſpecimine oſtendat, pſeudo-philoſophiam eſſe deteſtabilis et puerilis ſuperſtitionis parentem. Qui itaque ante Islamiſmi tempora philoſophiam inter Arabes cultam eſſe pertinaciter contendunt, admitti aliter non poſſunt, niſi quatenus praeter aniles fabulas et ſomnia hominum fanaticorum, quibus poſt nati Seruatoris aetatem in Orientis regionibus ſcaturiuerunt, omnia, pſeudo-philoſophia quaedam huic quoque Arabum ſectae materiam ſuppeditauit. Diligenter enim tum ad hiſtoriam, tum ad placita Zabiorum attendentibus palam fit, philoſophiam Orientalem, cuius hiſtoriam et praecipua capita in *antecedentis Tomi* fine enarrauimus, quaeque philoſophiam Aegyptiacam, quin et adiuncta philoſophia Pythagorico-Platonica, Cabbaliſticam et Eclecticam genuit, ad excitandum Zabianiſmum concurriſſe, hominesque illos, qui inepti monſtri conditores fuerunt, vel in Perſia, vel quod magis nobis veriſimile videtur, in Aegypto iſtas philoſophiae Orientalis traditiones accepiſſe. Quemadmodum enim illa in vniendis hominibus cum ſummo Deo per emanationes, ſpiritus, angelos etc. tanquam mediatores tota occupata fuit, ita et Zabii iſtis virtutibus ſpiritualibus totum ſuum cultum inaedificaſſe conſtat. Qua de re conſuli velimus locum memorabilem ABVLFARAII, ſupra [c] in vita Thabet Ebn Korra, ex Zabiorum ſecta philoſophi allatum, vbi Zabianiſmi ſumma capita paucis complexus eſt, et ipſe iam monuit: *Dicta eorum affinia eſſe dictis philoſophorum*, intelligendi vero Orientales vel Aegyptiaci, qui poſt C. N. per Syriae, Perſiae et Arabiae regiones magno numero ſe diffuderant. Addimus, vt Lectori de veritate huius rei conſtet, memorabilem Shareſtanii locum Zabiorum hypotheſes ita exponentis [d]: *Nempe fundamentum totius religionis*, vel ſuperſtitionis potius, *eſſe: quod ſubſtantiis ſpiritualibus innitantur, ſicut orthodoxi innituntur hominibus corpore praeditis; id eſt, quod ſubſtantiarum ſpiritualium, angelorum virtutumque diuinarum miniſterio ea praeſtari putent, quae Muhammedani a prophetis.* Ex

 quibus

b) Fatetur id ipſe SPENCERVS l. c. p. 280. c) c. l. §. 12. d) Apud POCOCK. l. c. p. 139.

quibus conſtat, ad opus iſtud mediatorium apud Deum, et communicationem inter eum hominesque conſtituendam, Zabiorum ſectam cuncta retuliſſe. Duas autem eorum ſectas eſſe tradit, nempe ſacellorum cultores, et ſimulacrorum cultores, communi illo fundamento nixos: opus habere homines mediatoribus, qui inter ipſos et Deum medii intercedant. Hoc fungi officio ſubſtantias ſpirituales puras, quae oculis ſubiectae non ſunt; eſſe deinde opus aliis inter eos et ſubſtantias iſtas inuiſibiles mediatoribus viſu perceptibilibus: tales illos ſacella, hos ſimulacra ſibi ſtatuere. Sacellorum cultores ſacella vocare ſeptem planetarum corpora, ea enim eſſe ſpiritualium ſeu intelligentiarum habitacula, quae eodem loco illis ſint, quo animabus noſtris corpora. Eſſeque ea corpora viuentia, rationalia, ab intelligentiis animata. Planetarum igitur domos et manſiones, ortus et occaſus et coniunctiones iuxta figuras conuenientes et diſcrepantes ſecundum naturas eorum diſpoſitas eos obſeruare, dies noctes et horas illis diuidere, formas, figuras, perſonas, regiones illis aſſignare, atque ita ſigilla, incantamenta, et orationes conficere. E. g. ſi die Saturni, qui huic planetae tribuitur, hora prima induti eius ſigillo quod iuxta figuram et operam ipſi propriam confectum ſit, ac veſtibus ipſi peculiaribus ab illo, precum formulis illi proprie conuenientibus, quid viſum fuerit, expetierint ex illis, quae ab ipſius effectu et influxu dependeant, exauditum iri Zabios ſtatuere, atque ipſius beneficio vota ſua conſecuturos. Eodem modo cum ceteris planetis agi, quos dominos et Deos vocauerint, Deum autem verum dominum dominorum: atque ita ad ſpiritualia ſeu intelligentias mediatoribus vſos fuiſſe eorum ſacellis, ad Deum, intelligentiis ſpiritualibus. Ex praedictorum obſeruatione telesmata conficiendi, praeſtigias item atque incantationes adhibendi, ſigilla et figuras conflandi, aliaque eiusmodi, quae ad mira perpetranda ſtellarum vi ac virtute valere autument, fabricandi rationem tradidiſſe. Eandem ob cauſſam et ſimulacrorum cultores ſimulacra, quae mediatorum vice inter ipſos et ſpiritualia fungantur, conficere: et, cur planetarum ſacellis, vt iſti, contenti non ſint, hanc rationem aſſignare, quod illa ſaepe ab oculis continua ortus et occaſus viciſſitudine, ſubducta lateant, cum mediatore ſemper viſibili ipſis opus ſit. Simulacra itaque ſubſtituenda, quibus mediantibus ad ſacella accedant, vt ſacellorum ope ad intelligentias, intelligentiam ad Deum ſupremum. Simulacra igitur iuxta figuram vnicuique e ſeptem illis ſacellis propriam conflaſſe, e metallo eidem peculiari, obſeruatis inſuper dierum, horarum, graduum, minutorum, aliarumque, quas ad influxus benigniores eliciendos valere putant aſtrologi, circumſtantiarum momentis, et adhibitis quae antea dicta ſunt, ſigillis, indumentis, ſuffitibus, orationibus, incantamentis etc. ei, cuius ſibi gratiam conciliare ſtuduerint, ſideri maxime gratis. Simulacra iſta Deorum appellaſſe vicarios reſpectu Deorum iſtorum coeleſtium, inter quos et homines mediatorum officio

fungi

fungi ea crediderint. Haec Shareſtanius, quibus conſentiunt, quae habet MAIMONIDES [e], cuius tamen locum *Tomo primo* iam adductum, hic non repetemus: Eſſe in hoc Zabiorum ſyſtemate antiquae ſuperſtitionis Chaldaicae ſemina et principia quaedam, quod ABVLFARAIVS [f] contendit, non negamus: et accepiſſe ab iſta doctrina: planetarum vel ſtellarum etiam fixarum domicilia habere in ſe incolas intelligentias diuinas, indeque influxum praeſtare in res mundi ſublunares, quae totum fere Orientem peruagata eſt, Zabios iſtam de ſacellis et ſimulacris opinionem puerilem et ineptientem veriſimile putamus. Acute enim obſeruatum R. IOSEPH ALBO [g]: *Veteres omnes hoc abſurdum putaſſe, vt requieſceret ſpiritus Dei ſuper hominem, adeo vt virtute altiſſimi prophetaret, et futura praediceret; ideoque gentes antiquas ſimulacra, ſuffitus et oblationes ſtellis feciſſe, ut ita elicerent ſpiritualitatem cuiusuis ſtellae, quo ſe demitteret in ſimulacrum aliquod, vt eo mediante ſpiritus ſtellae iſtius, qui in corpore ſtellae habitat, ſuper hominem, qui eſt corporea ſubſtantia, reſideret, adeo vt praediceret futura virtute ſpiritus ſtellae iſtius influentis in hominem iſtum.* Aſt quae de mediatoribus virtutibus diuinis, intelligentiis atque angelis inter dominum dominorum et homines, de eorum officio, natura diuina et origine, effectu, diſtributione per regiones, perſonas, ſtatuas, influxu in ſublunaria, effectu ad purgandos animos, et ſimilia habent, ita comparata ſunt, vt palpari queat, ea potiſſimum ex fontibus philoſophiae Orientalis, praecipue prout in Aegypto modificata et hypotheſibus Pythagorico-Platonicis temperata eſt, hauſta fuiſſe. Nam iſtius philoſophiae proram puppimque fuiſſe aeonas, virtutes, intelligentias ex Deo Deorum progreſſas, earumque mediatorium inter homines Deumque ſupremum officium totum fere vſum illius ſyſtematis fuiſſe complexum, ſuo loco luculentis rationibus confecimus, demonſtrauimusque, ipſos Eclecticos ab hac ſententia adeo non receſſiſſe, vt tota potius eorum theologia ad hoc ipſum collineet. Notum etiam ex philoſophiae Orientalis, Aegyptiacae et Eclecticae delineatione eſt, ſtatuiſſe eos: has virtutes, emanationes et intelligentias ad inferiora demitti, et praefici horum angelorum ſpirituumue ex Deo Deorum promanantium partem claſſemque certam regionibus, vrbibus, ſyluis, templis, ſtatuis easque irradiare influxu diuino: praeſtantiores vero eas virtutes et intelligentias habitare in ſideribus, et corpora iſta coeleſtia domicilia praeſtare, et influxum recipere ab iis, qui inhabitant ſpiritibus, eo quod arcto cum ipſis vinculo connectantur. Luculentis etiam non Platonicorum tantum recentiorum, verum etiam Aegyptiorum, Gnoſticorum, reliquarumque ſectarum, quae ex Orientali philoſophia ſuo modo exortae ſunt, vel noua lumina atque dogmata receperunt, doctrinis et aſſertionibus conſtat, admiſiſſe eos eiusmodi magiam, amuleta confeciſſe, talismanes, iynges, ſimulacra magica

e) Mor. nebhoch. L. III. c. 29. f) l. c. g) de fund. fidei L. III. c. 8.

magica et similia construxisse, vt operationem virtutum diuinarum et supra coelestium in sublunaria elicerent prouocarentque. Et hac quidem ratione labenti ruinamque minanti superstitioni, tempore exorientis Euangelii solis infernalem genium humeros suppositisse, fuisseque innumeros impostores ex variis sectis prodeuntes, qui huic systemati adhaeserint, suo quoque loco ex testimoniis veterum euictum est. Quae cum ita se habeant, dubitandum vix est, quin ex his philosophiae Orientalis et Aegyptiacae propaginibus Zabianismus ex parte prouenerit, praesertim cum ipsi, qui pro eius antiquitate tantopere pugnauerunt, Hottingerus, Spencerus aliique concedant, fuisse Zabianismum colluuiem gentilismi Asiatici et Aegyptiaci. Mirifice vero reliquis etiam circumstantiis Zabiorum confirmamur in ea opinione, ex his lacunis eos sua praecipua hausisse. Philosophos enim Orientales, Aegyptiacos, Gnosticos, Eclecticos ceteramque impuri gregis turbam ad conciliandam nugis suis et impietati auctoritatem libros multos antiquissimis philosophis et vatibus suppositisse, multa ad Hebraeae gentis prophetas, quaedam ad gentilium heroes togatos Zoroastrem, Hermetem et similes retulisse, inuictis supra rationibus demonstrauimus. Nec alii mores fuere Zabiorum, vt Maimonidis, ipsorumque Arabum scriptorum fide constat; ii nempe libros vetustissimae aetatis comminiscebantur, et ad patriarchas praecipue Hebraeorum referebant, sicque vanissima religionis ineptae commenta auctoritatibus iis, quas nec Iudaei, nec Christiani, nec Muhammedani refugiebant, probare confirmareque connitebantur. Quos foetus supposititios et adulterinos vtrum ipsi excogitauerint, an ex sectarum istarum, quae ex Orientali et Aegyptiaca philosophia, progressae sunt, assectis acceperint, dici accurate definirique non potest, obstante ipsorum Arabum, et ex eorum culpa, doctorum quoque virorum recentiori aetate de antiquitate Zabiorum praeiudicio; quod ineptum esse demonstrauimus, et *Tomo primo*, de philosophia Arabum tractantes, iugulauimus. Coniicimus tamen, Iudaeos Aegyptiacos, maxime eos, qui philosophiae Aegyptiacae ad Orientalis placita reformatae nomen dedere, et Cabbalisticam quoque philosophiam commenti sunt, itemque, qui ex iisdem lacunis sua hauserunt, iisdemque parentibus prognati sunt, haereticos philosophicos, qui generali Gnosticorum nomine comprehendebantur, ad Zabiorum sectam hos foetus adulterinos detulisse. Eam enim sectam circa illa tempora origines suas habuisse, quibus illae haereses maxime in Oriente viguerunt, suo loco *Tomo primo*, verisimilibus rationibus confecimus. Habitauisse autem Iudaeos et haereticos atque schismaticos Christianos, inter Arabes ante Muhammedem, et populum libri vocatos fuisse, supra ex Abulfaraii testimonio manifestum fecimus. Vix etiam alia causa afferri potest fabularum de patriarchis Adamo, Setho, Enocho, Noacho aliisque a Zabiis receptarum. Accedit his, quod erudite SPENCERVS [h], obser-

h) loc. cit.

obſeruat: ſub exſpirantis Iudaiſmi tempora artium magicarum et infamium opinionum magiſtros ex hac gente libros haud paucos illuſtrium virorum nomina prae ſe ferentes, in vulgus emiſiſſe. Non negamus tamen, haereticos Chriſti nomen profeſſos, ſed iſtis artibus ſibi auctoritatem conciliantes, talia quoque ad Zabios deferre potuiſſe. Sed addenda his plura non ſunt, eo quod *Tomo primo* ſatis prolixe de Zabianiſmo actum, quae hic ex parte repetenda colluſtrandaque fuere, vt qualis philoſophiae facies inter Arabes ante conditam legem Islamiticam fuerit, conſtaret, intelligerentque Lectores, adeo nihil ſanae rationis leges ſpirans inter Arabes fuiſſe, vt illa quoque, quae ex ſectis philoſophicis orta ſunt, ad meram putidamque ſuperſtitionem pueris etiam reformidandam exſibilandamue adhibita fuerint [i]. Nec quaerenda quoque vel poſtulanda ab Arabibus meliora ſunt, cum vitae inſtitutorumque ratio ſupra allata ea fuerit, quae meditationem philoſophicam minime admittebat. Nam cum gregibus per agros palari, loca herbida, vmbroſa, riuos fontesque ſectari, agrum colere, vitae paſtoritiae ſe dedere, et palmis, frugibusque aliis et pecorum cura victum et quaeſtum quaerere adeo inimicum eſt otio philoſophico et literario, vt mirandum eſſet, fuiſſe inter Arabes quosdam aſtrologiae ſtudioſos, niſi conſtaret, ob deligendas gregibus ſuis tempeſtates commodas ad ſiderum curſus, poſitiones, ortus et occaſus eos reſpexiſſe, nec in his fuiſſe aliquid quod philoſophiam ſaperet, vt ſupra obſeruatum. Prodit id tota Arabum religio cultusque diuinus, adeo irrationalis et deteſtabilis, vt ne micam quidem rationis philoſophicae huic genti adfuiſſe ex eo recte colligatur, et Muhammedes, homo ignobilis et illiteratus eius abominatione adductus condendae nouae religionis inde materiam atque occaſionem ſumſerit. Qua de re, vt conuincamur, ea tantum legere oportet, quae de Arabum idololatria cultuque irrationali ex ſcriptoribus Arabibus adduxit POCOCKIVS [k], ex iis enim luce meridiana clarius patebit, aſtrorum cultum inſanum prorſus atque abſurdum potiorem eius partem conſtituiſſe, reliqua idololatriam turpiſſimam exhibuiſſe, idolis ſine dubio memoriam magnorum in hac gente virorum conſeruantibus. Quae quam longiſſime ab omni ingenio philoſophico ſint remota, vel coecus palpat. Obtigiſſe etiam Arabibus ingenia vel craſſo ſub aëre nata, vel quod malumus, gentis, educationis, exemplorumque prauitate corrupta et ſitu atque ſqualore obducta, ex eo patet, quod teſte ABVLFARAIO [l] reſurrectionem credentes, came-

i) Ex his de eorum iudicari poteſt opinione, qui Zabianos errores ex philoſophia Ariſtotelica deriuant, vid. BEAVSOB. Hiſt. des Manich. P. I. L. I. c. 2. p. 27. Sunt quaedam illi affinia e. g. coelum eſſe elementum quintum. Aſt illa ex Lyceo quidem deſumta, verum non a Zabiis, ſed ab illis philoſophis, qui Aegyptiaca philoſophumena ſequebantur, quales fuere Eclectici et Gnoſtici, quos quaedam ex ſyncretiſmo ipſis tantopere adamato ab Ariſtotele accepiſſe, notum eſt.

k) loc. cit. p. 91.

l) loc. cit.

camelum ſuper ſepulchrum demortui mactarent, rati, ipſum, cum ad iudicium reſurrexerit, equitaturum, at qui hoc fieri non curauerit, peditem futurum: quidam autem mundum fortuito ortum eademque ratione ſponte collapſurum eſſe contenderent, de quibus ineptiis omne iudicium philoſophicum Arabibus denegantibus conſulendus eſt, ne nimis prolixi ſimus, POCOCKIVS m). Qui vbi monet, fuiſſe inter Arabes ante Muhammedem, qui μετεμψύχωσιν admiſerint, ſtatuentes, animam defuncti in auem quandam Hamah dictam migrare, quam opinionem vetuerit Muhammedes ſuis: nihil affert, quod pro afferenda quadam hypotheſi philoſophica apud Arabes militet. Dubitari enim ob rationes antecedentes non poteſt, quin nullis haec opinio rationibus philoſophicis ſuperſtructa fuerit: dogma enim de transmigratione animarum exotericum eſt, et totum fere terrarum orbem veterem occupauit, vbi tamen philoſophos fruſtra requiſiueris. Putandum itaque non eſt, quod ii faciunt, quibus omnis mundi anguli philoſophorum pleni ſunt, Pythagoram, Zamolxin vel alium quendam philoſophum, quos inter Arabes vixiſſe, vetus traditio commenta eſt, illud dogma ad Arabes retuliſſe. Ceterum non negamus, non omnia Arabum ingenia, veterno ignorantiae corrupta, obtorpuiſſe, ſed fuiſſe quoque inter eos concedimus ingenia amoeniora, elegantiam morum et doctrinae affectantia. Verum nihil hoc ad philoſophiam inter eos afferendam facit. Supra enim ipſorum ſcriptorum Arabicorum fide demonſtrauimus, eiusmodi ingenia elegantiora, linguae patriae culturae, eloquentiae cuidam naturali, et ab omnibus artis regulis deſtitutae, et pangendis carminibus vacauiſſe, et in his quidem ſubinde morales ſententias haud inconcinnas protuliſſe, at quae non ex philoſophiae meditatione, ſed ex naturalis luminis, cuiuis hominis connati dictamine erant deſumtae. Quae ſi philoſophos Arabes efficiunt, totus fere mundus philoſophorum albo inſcribendus eſt.

II. Muhammed cum lege ſua ἀφιλόσοφος.

§. III. II. Haec Arabum conditio fuit, cum Muhammedes, Koraishitarum, inter quos viuebat, vel religionis vel conſuetudinis pertaeſus, nouamque legem meditans, ſurgeret, idque ſibi conſtitueret, vt gentem ſuam ab ignorantia liberaret. Quod laudandum omnino fuiſſet, ſi hoc opus ſuſcepiſſet philoſophus, ſaltem homo ingenio a philoſophiae praeceptis non alieno praeditus. At omnia alia eueniebant, nec philoſophia Islamismi introductione vel tantillum promota, immo ſi dicendum, quod res eſt, multo magis impedita eſt. Nam et Muhammedes homo erat illiteratus et ab omni eruditionis cultura remotus, et homines ſibi iunxerat συνέργους, impoſturae et impudentibus mendaciis, quam veritatibus philoſophicis cognoſcendis diſſeminandisque aptiores. Mirum itaque non eſt legem nouum prophetam condidiſſe, mortisque metu ſuis obſeruandam iniunxiſſe, in qua omnia magis alia, quam philoſophiam, inuenias.

m) p. 134. 135.

inuenias. Eo enim collineauit artificum illius legis impudentiſſimorum ſcopus, vt excogitata tali religione, quae hominum ſub Muhammede confluentium indoli et ingenio reſponderet, partes, quas ſemel ſuſceperat, tueretur, et non gladio tantum, et armorum vi, quibus nouam legem fulciebat, ſed religionis quoque vinculo et opinione miſſionis diuinitus acceptae ſibi deuinciret. Quod cum philoſophia duce fieri nec poſſet, nec qua ratione ſuſcipiendum eſſet homo, vt ipſe faſſus eſt, ἰδιώτης intelligeret, quique in conſarcinanda noua fidei regula ei auxiliatrices manus iunxerant, homo Iudaeus et Neſtorianus ab iſtis quoque praeſidiis eſſent imparatiſſimi, facili inductione colligi poteſt, nihil, quod philoſophiam ſpiret, in Al-Coranum fluxiſſe. Obſtabant etiam mira illa opinionum ex gentiliſmo, Iudaiſmo et Chriſtianiſmo ſurreptarum colluuies et ſyncretiſmus ineptiſſimus, et fabulae ex vulgo petitae et ducendae magis naſo plebi, quam erudiendis ingeniis aptae, quibus inter lucem et tenebras paciſci auctores nouae legis conabantur. Nihil autem impoſtoris ingenium magis prodit, et quam longe a philoſophia remotus fuerit, manifeſtat, quam notiones plebeiae, craſſae, imaginationis non emendatae nec ratione directae opus; quibus dum ſenſibus et plebis praeiudiciis fauebat, omnem fere philoſophiam enecauit. Qua de re ad teſtem prouocamus ipſum Al-Coranum, in quo non modo Deus hominum more introducitur, et membra ei humana tribuuntur, hoc enim ἀνθρωποπαθῶς ſacra quoque oracula facere conſtat, ſed et corporali craſſoque modo explicatur, adeo vt ipſe Muhammedes ſe iactauerit ſenſiſſe digitum contrectantis Dei frigidum. Et intercedit his quidem eruditiſſimus HADRIANVS RELANDVS *), qui tolerabiliorem nobis Muhammedaniſmi faciem depicturus, inter alia et hoc contendit, falli eos, qui dicunt: Muhammedanos Deum credere corporeum. Natum enim putat hunc errorem ex male intellecta voce aliqua Arabica, quae *Sur. CXII.* extat, qua Deus ὁλόφυρος, id eſt ſolidus, qui nullam habet inanitatem dicitur, eamque vocem aeternitatem vel ſufficientiam quoque indicare. Vnde teſtimoniis theologorum Muhammedanorum probat, Deum ab iis ſpiritum credi, et ab omni figura, ſpecie externa, colore, loco, tempore, ſimilitudine, et proprietatibus corporalibus mutationis, alterationis, motus localis, diuiſionis, laboris, et ſimilium remoueri. Facile hoc concedimus viro eruditiſſimo, laudamusque inſtitutum eius, meliores et magis philoſophicas theologorum Muhammedanorum notiones et praecepta oſtendendi. Dabimus in ſequentibus ſimilia ex aliis quoque theologiae Muhammedicae fontibus. Sed vellemus, diſtinxiſſet vir cetera doctiſſimus, et in orientali literatura ſumma cum laude verſatus tempora Muhammedis et Omniadum a temporibus Abbaſidarum, quibus theologia Muhammedana ad philoſophiae regulas emendata eſt. Sectas enim Muhammedanas quasdam et praecipue Aſsharitarum atque Motazalorum mire in eiciendis

*) De relig. Muhammedica L. II. §. 3. p. 142. ſeqq.

ciendis notionibus popularibus introducendisque conceptibus philoſophicis in philoſophiam deſudaſſe, ſupra iam monuimus. Quod ne ſola coniectura dixiſſe videamur, quamuis in ea nihil ſit, quod non circumſtantiae ſuadeant, et ſemper euenerit, vbi philoſophi ad religionem acceſſerunt, dabimus tamen locum ABVLFARAII [o], ad quem ſupra iam ex parte prouocauimus, qui prorſus luculentus eſt, remque extra controuerſiam ponit, philoſophos Muhammedanos probe intellexiſſe, legem Islamiticam ex philoſophia niſi emendetur, conſtare non poſſe. Scribit enim: *Coetus doctorum Baſorae ſubſiſtentium dixiſſe: Religionem pollutam eſſe et mixtam erroribus, nec ablui ac mundari poſſe niſi philoſophiae ope: aſſerentes, vbi coniuncta fuerit philoſophia Graecanica et religio Arabica, tum demum conſecuturam perfectionem.* Non ignorant Muhammedanae religionis hiſtoriam ſcrutati, Motazalorum primo ſectam, illa durius dicta demum ſubtilius ventilauiſſe, et in dubium ea vocaſſe, de quibus initio naſcentis Islamiſmi nemo dubitauerat, indeque varias ſententias eſſe ortas, quarum aliquae verba, prout ſonant intellexerint, aliae nec a prophetae ſui verbis recedere auſi, nec tamen corporis ſimilitudinem Deo tribuere volentes dixerint: nouimus dictante intellectu, nullam creaturam Deo, nec Deum vlli rei creatae ſimilem eſſe, verum non nouimus ſignificationem verborum, quae idem de vtrisque affirmare videntur, neque nobis incumbere putamus, vt haec explicemus, ſufficit vt credamus et certo ſtatuamus: non eſſe illi conſorem, nec illi quid ſimile, qua ratione nodum, quem ſoluere nequiuere ſecuerunt Maleci Ebn Ans diſcipuli, cum aliae ſectae comparate tantum et per ſimilitudinem intelligendas eas phraſes eſſe ſtatuerint, quod imprimis Ahmed Ebn Hanbali et Dauidis Aſpahanienſis diſcipuli fecerunt, ex quorum partibus cum et Al-Aſsharitarum ſecta ſteterit, dubium non eſt, allata a Relando teſtimonia hiſce ſectis philoſophicis deberi. Quae cum Abbaſidarum ſiue Haſchemidarum tempore demum inualuerint, apparet inde, naſcentis et adoleſcentis Muhammedaniſmi tempore philoſophicas has notiones non exortas fuiſſe, recteque non Muhammedanis quidem omnibus, at primi tamen ſeculi hominibus ipſique Muhammedi tribui, quod Deo corporis ideam ſatis craſſam affricuerint. Nec ignotum eſſe potuit doctiſſimo viro, quod luculenter et prolixe poſt Abulfaraium POCOCKIVS [p] demonſtrauit, fuiſſe inter theologos Muhammedanos ſectam Al-Moshabbehiorum et Al-Ceramiorum, qui, teſte Shareſtanio, dixerint: illam quem colerent, eſſe figuram membris et partibus ſiue ſpiritualibus, ſiue corporeis conſtantem cui competat motus localis et deſcenſus et aſcenſus: deque Domino ſuo affirmari poſſe, ipſum palpari poſſe

o) Dyn. IX. p. 218.

p) l. c. p. 826. Dignus, qui hic conferatur eſt locus Algazelii a laudato viro adductus ad Port. Moſis diſſ. VII. p. 1296. ſeqq. qui rei huic lucem ſatis claram accendit, expendique ab omnibus illis ea merentur, quae vir eruditiſſimus de craſſis Muhammedanorum erroribus diſſerit, qui tam rationalem horum religionem nobis depingunt. Optimos enim ſcriptores Arabes conſuluerat Pocockius.

posse et manu prehendi, et Muhammedanos sinceros eum amplecti tum in hoc mundo tum in futuro: referri etiam Dauidis Al-Iawarienſis ſententiam: Deum ipſum corpus et carnem et ſanguinem et partes et membra habere, ita tamen, vt ſit corpus non vt corpora alia, etc. nec ſimilis ſit vlli e rebus creatis. Plura ex Shareſtanio hanc in rem affert laudatiſſimus Pocockius, qui et hoc obſeruat, cautiores, quamuis abſurditatem doctrinae Corani viderint, abſtinuiſſe tamen ab explicatione philoſophica, ne auctoritati pſeudo-prophetae obſtarent, ſed faſſos tantum eſſe, ſe ea non intelligere, ſed credere tamen domino ſuo, eius vero ſcientiam Deo permittere. Quae ſatis produnt, vidiſſe prudentiores inter Muhammedanos ineptias Magiſtri ſui, at religione impeditos nihil in contrarium mutire auſos fuiſſe, adeoque non fieri iniuriam Muhammedi homini agreſtes notiones et paſtoritios ſenſus ſequenti, ſi, quod verba legis nouae ſonant ei tribuatur, quamuis certum ſit, plerosque Muhammedanorum hodie ab his ineptiis liberos pronuntiandos eſſe; id quod introductae inter eos philoſophiae beneficium fuiſſe, eſt manifeſtiſſimum. Quibus omnibus rite ponderatis, facile conſenſuros omnes confidimus, nihil afferre potuiſſe nouum prophetam legemque eius ad philoſophiae culturam, ſed coeco potius, quem imperabat, aſſenſu legis ad illiteratas notiones conſtructae miras praeiudiciorum nebulas hominibus obieciſſe, ſicque diu philoſophiae ſtudium impediuiſſe, cui nihil magis obſtare, quam auctoritatis praeiudicium, intelligunt, quotquot, quid ſit philoſophia, norunt. Quae ſanae philoſophiae impedimenta multum auxit violentus ille propagandi nouam religionem modus, quem tenuit Muhammedes, ſecutique ſunt ſumma diligentia ſectatores et ſucceſſores. Cum enim rationibus veritatisque fulgore hominum oculi ſtringi conuincique animi, et ad recipienda noua dogmata impelli non potuiſſent, arma ſumta gladioque et ſanguine confirmata roborataque Muhammedana religio. Cuius cum exempla plurima contineat Saracenica hiſtoria, quae bella, caedes, vimque armorum a Chalifis praecipue ex Ommiadarum familia [q], quae Islamiſmum potiſſimum propagauit adhibitam enarrat, in re nota prolixiores nos eſſe opus haud eſt. Iungendum his omnibus eſt interdictum Muhammedis, quo a literarum et philoſophiae ſtudio ſuos auocauit. Cum enim facile praeuideret homo non de ſtipite natus, vix conſiſtere poſſe prima iſta noui ſtatus atque reipublicae, quam condere coeperat rudimenta, et tenuia quaſi ſtamina, ſi de legis traditae auctoritate atque veritate diſputare liceret, cumque nullo fere labore intelligeret vix diuinae originis opinionem eam tueri poſſe, ſi accurate cuncta examini ſubiiciantur, vno quaſi ictu omnia praeciſurus, tantopere diuinam Al-Corani originem extulit, vt de verbo hoc diuino vel cogitatione vna dubitare nefas morte expiandum duceret. Quod conſilium inter homines ex plebis colluuie confluentes illi tanta felicitate ſucceſſit, vt Muhammeda-

q) Immo ipſum Al-Mamonem hoc feciſſe ſcribit EL MACINVS Hiſt. Sarac. L. II. c. 8. p. 238.

ni essent certissimi, quaecunque in Al-Corano continerentur, ex ipsa Dei sapientia profluxisse, tantaeque perfectionis esse, vt summam rerum omnium scitu necessariarum contineant, et cetera tuto negligi possint. Quod ridiculum praeiudicium exitium attulisse bibliothecis Alexandrinis supra fuse narrauimus. Immo tantas radices hoc praeiudicium apud Muhammedanorum quosdam egit, vt affererent, Al-Coranum increatum Dei verbum esse, de qua theologorum inter Arabes Muhammedanos Scholasticorum controuersia plura legenda occurrunt apud POCOCKIVM r. Quae omnia, quam inimicus fuerit philosophiae Islamismus, inuictis, nili egregie fallimur, rationibus demonstrant.

III. Philosophia sub Abbasidis demum introducta sed infeliciter.

§. IV. III. Emendauit paulisper dura haec, quae philosophiam inter Saracenos premebant, fata diuina prouidentia, ex quo Ommiadum familiae circa finem seculi Muhammedani primi in regimine successerunt Haschemidae siue Abbasidae, et principum horum fauore primum quidem ex Christianis literati viri artesque et philosophiam edocti inter Arabes admitterentur, mox horum exemplo ipsi Saraceni principum suorum hortatu, praemiis, exemploque illecti cateruatim ad literarum studia et philosophiam proruerent. Quod eo magis fieri potuit, quo magis et Islamismus eo tempore satis iam virium acceperat, ita vt continuis pro eo confirmando stabiliendoque bellis opus haud esset, sicque tranquilliora pacis otia, philosophiae natalibus et infantiae prorsus necessaria restituerentur; et deferbuerat insanum illud pseudo-prophetae, eiecto omnis rationis vsu, studium stultumque praeiudicium, quo a literarum et philosophiae consideratione arcebantur. Ast dolendum, id non eo euenisse emolumento et incremento philosophiae, quod sperare iubebat tantus principum, praecipue Al-Mamonis fauor. Non enim ita intellectus emendatus, et a praeiudiciis liberatus est animus, vel iugulum superstitionis petitum, sed philosophia potius ei ancillari coacta et in seruitutem Islamismi redacta est irreparabili veritatis damno. Cuius caussa potissimum ab ipsis illis principibus deriuanda est, qui philosophiae inter Arabes introductae conditores auctoresque fuerunt. Illi enim cum religionis suae praeceptis totique superstitioni Muhammedanae tenaciter adhaererent, et de Al-Corano ne latum quidem vnguem discederent, ratio inde facile iniri potest, cur philosophia superstitionem non eiecerit. Nam non patiebantur illi, qui summae rerum praeerant, vt aliter philosophia, pulsa ignorantia, caput extolleret, quam vt salua maneret atque integra, cui adhaerebant, religio. Idque vel Al-Mamonis principis cetera laudatissimi exemplum, studiumque pro conseruanda prophetae lege supra iam in partes vocatum probat. Nec alia fuit ratio Chalifarum reliquorum, literarum patrocinio illustrium, omnes enim superstitioni legis suae fuere addictissimi, ita vt Rashidus magnis sumtibus peregrinationes sacram Meccam et Medinam institueret, vnde bellator peregrinans dictus est; Ahmed Ebn

r) p. 220.

Ebn Tilun eleemoſynis in iſtis peregrinationibus ſuperbiret, Al-Manſor idem inſtitutum ſequeretur, Motawakelus ipſe concionaretur et precationes publicas haberet [s], templa ſiue Mesghidas vbiuis erigeret, et armorum vi ad legem Islamiticam homines compelleret, quod imprimis de Mutaſimo Billa narratur. Tales cum fuerint philoſophiae ſtatores et vindices, an credibile eſt, philoſophiam auſam eſſe, ſuperſtitioni bellum indicere, et oculos aperire hominibus? Quamuis itaque philoſophiae aditus pateret, ad emendandum tamen intellectum ſubiugandamque ſuperſtitionem adhibita haud eſt, ſed manſit eadem Muhammedanae theologiae facies, qualem formauerat conditor, eo tantum diſcrimine, vt illi, qui philoſophiae praeſidiis ad theologiam acceſſere, noüas ſubtilitates excogitarent, quibus, plebeiis legis Islamiticae notionibus emendatis, paulo comtior et ornatior eius vultus appareret, ſicque contra obiectiones Chriſtianorum et Iudaeorum feliciori euentu poſſet defendi. Ex quo ſtudio emendandi religionem Muhammedanam explicandique philoſophico magis ſenſu ortas eſſe ſcholaſticas theologorum ſectas ſupra diximus, oſtendimusque multas inde diſputationes Scholaſticorum Occidentis diſquiſitionibus ſimillimas inde eſſe exortas. Cuius praecipue rei originem POCOCKIVS [t] ad Waſel Ebn Ata Al-Hoſani Baſrienſem, eiusque comitem Al-Amri, qui auctores ſectae Motazalorum fuere, refert, quos ſectam condidiſſe ſcholaſticam diſquiſitioni et ſpeculationi vacantem Al-Gazelii teſtimonio nouimus. Neque magnopere putandum eſt, hanc emendatae religionis, vel theologiae potius Muhammedanae ad philoſophiae regulas curam ipſa philoſophiae incrementa inter Arabes promouiſſe, contrarium enim euenisſe, paulo curatius ad hiſtoriam theologiae Muhammedicae attendentibus erit apertiſſimum. Nam progenuit nouum hoc philoſophantis theologiae Muhammedanae ſtudium duplex malum euertendae philoſophiae ſaniori aptiſſimum. Nempe in eos fines a quibusdam philoſophia adhibita eſt, vt eius praeſidio dogmata abſurdiſſima atque inepta colore aliquo commendarentur, vel inepto ſyncretiſmo, cum melioribus doctrinis ita coniungerentur, vt habere Muhammedis quoque legem, quibus ceteris religionibus ipſiusque philoſophiae praeceptis probatis et admiſſis concineret, appareret. Quem ſibi philoſophiae vſum praefixiſſe ex Motazalitarum ſecta Ahmed Ebn Hayed, virum valde ineptientem ingeniique vt videtur parum conſtantis aut ſobrii, teſtes ſunt Abulfaraius, Al-Schareſtanius, Al-Mawakef aliique Arabes POCOCKIO [u] laudati. Is enim relictis partibus, quas ſecutus fuerat, prioribus, nouam ſibi ſectam, nouarum poſt lectos philoſophorum libros opinionum acceſſione condidit, et cum Chriſtianis Chriſtum corpus proprie induiſſe, foreque in vltimo die iudicem, verbum eſſe incarnatum, docuit, aſt et hoc ſtatuit: creaturis duos eſſe creatores, quorum vnus aeternus ſit, alter nouus,

Adhibita philoſophia ad incruſtandum et pingendum Islamiſmum.

Origo theologiae ſcholaſticae Muhammedanae.

s) Vid. ELMACINVS l. c. paſſim L. II. c. 6. p. 118. 120. c. 16. p. 173. 151. 162. 143. 182. conf. EVTYCH. annal. T. II. p. 375. 400. 472. 407. 420.

t) p. 213.

u) p. 218. 219.

nouus, qui ſit Chriſtus. Adduntque laudati ſcriptores: vt doctrinam nouam conflaret, miſcuiſſe inter ſe ſententias eorum qui metempſychoſin adſtruunt (quod Arabes ante conditum Islamiſmum feciſſe ſupra monuimus) et Philoſophorum, et Al-Motazalorum, et in quaſcunque incideret, nec ſacra Chriſtianorum dogmata intemerata reliquiſſe. Alterum damnum priori grauius fuit atque deterius. Cum enim legis Islamiticae litera cum philoſophicis notionibus non conſpiraret, et vt aliqualis tamen inter eam et philoſophiam nuper tanto cum applauſu introductam concordia excogitaretur, mille diſputationibus anfractuoſis atque incertis, et in vtramque partem ſe vertentibus de rebus ad theologiam pertinentibus ita decertatum eſt, vt quo ſubtiliores afferrentur rationes, eo incertior inde intellectus recederet. At maximo id philoſophiae damno euenit. Aut enim tardiora ingenia, quae ſublimitatem notionum abſtractarum et diſtinctionum, rationes item pro et contra allatas non aſſequebantur, eo adducta ſunt, vt contemtis iſtis nugis atque ſpeculationibus, quae nihil certi definiebant, et ſuſpenſum tenebant animum, in religionis dominantis, quamuis irrationalis, placitis, acquieſcerent: aut quae acutius videbant, quibusque de meliore luto praecordia finxerat Titan vel ad ſcepticiſmum, vel in atheiſmum ſeducta ſunt, in quas ſyrtes incidiſſe, ſicque naufragium feciſſe multos ambiguum hoc et incertum philoſophandi genus ſecutos hiſtoria teſtatur. Neque cauſſam eius rei perquirentibus magnopere mirandum eſt, ita accidiſſe, aliter enim euenire vix potuit. Nam cum viderent ingenia et meliora atque acutiora, et candidiora, multa ineſſe legi Islamiticae ad literam acceptae abſurda et ſanae rationis homini non ferenda, probeque intelligerent, modum eius propagandae eſſe malitioſum et peruerſum, atque ratione vtentes dedecere, exemplis autem multis diſcerent, ex ineptis dogmatibus mores quoque peruerſos, turpes et irrationales ſequi: ex altera vero parte attentis intuerentur oculis, theologos ex ingenio legem explicare, et pro lubitu nouos ei ſenſus affingere, ſectas porro ex hac diſputationum innumerarum intemperie ortas eſſe plurimas, easque tanto inter ſe diſſenſu et argumentorum ambiguitate digladiari, vt in ſeptuaginta trium ſectarum numero dignoſci nequeat, quae veros ſenſus ſequeretur, facile fuit ad ſcepticiſmum primo, tum ad naturaliſmum, tandemque ad atheiſmum prolabi. Nec obſtat, quod Relandum nobis opponere, ſupra monuimus, meliorem et rationi magis congruentem eſſe Muhammedanorum theologiam, adeoque non habere, quod magnopere ingenium philoſophicum offendat. Vt enim taceamus, non ſola vnius articuli praecepta conſideranda, ſed totum Muhammedicae religionis ſyſtema expendendum eiusque nexum vimque omnem conſiderandam eſſe, quae melius dicta quaſi abſorbentur, et corrumpuntur; illud maxime notandum, vnius alteriusque ſectae vel theologi, qui deſipere et pueriliter ineptire deſiit, effata nondum euincere, totius turbae theologorum Muhammedanorum eandem

dem fuiſſe ſententiam, qui ab Al-Corano ne latum vnguem diſcedere voluerunt. Supra enim adductis ipſis Arabum verbis demonſtrauimus, multos inter eos, cum Al-Corani literam, licet eius abſurditate valde coacti, deſerere non auderent, ad Scepticiſmum, tanquam ſacram anchoram confugiſſe, et maluiſſe ignorantiam ſuam accuſare, quam fateri, in philoſophicos ſenſus detorquenda eſſe legis ſuae dicta. Id quod eorum potiſſimum cauſſa notandum eſt, qui neſcio quam rationalem Muhammedanae religionis faciem nobis commendant. Qui ferri poſſent, ſi accurate definirent, quo ſenſu, quo fine ſcopoque talia et a quibus potiſſimum dicantur, et ſi adiicerent, quae in contrarium ab aliis Muhammedanorum ſectis dicuntur; non vero picta et comta hac Muhammediſmi facie vterentur ad deprimendam religionis Chriſtianae praeſtantiam. Quo potiſſimum ſcopo BOVLAINVILLIERIVM [x] in hiſtoria Muhammedis enucleanda deſudaſſe, aliosque eius veſtigiis inſiſtere nuper indignatus eſt praeſtantiſſimus MOSHEMIVS [y]. Qui viri doctiſſimi, ſi pauliſper gloriae illi renunciarent, quam ex comtis et excuſatis heterodoxorum doctrinis, exque tacita religionis Chriſtianae inſultatione apud eos ſperant, qui ſe ſolos acie iudicii prae reliquis pollere, et praeiudicia religionis exuiſſe gloriantur, ſi non ex trium quatuorue ſcriptorum Arabicorum, vel vnius alteriuſue ſectae placitis, ſed ex innumero ſectarum ſeptuaginta, et quod excurrit, diſſenſu theologiae Muhammedanae ſyſtema aliquod conſtruerent, ſi maledicta et αἱρεσιοποιίας, controuerſiasque innumeras inter Muhammedanos theologos feruentes conſiderarent, ſi cogitarent, tria eſſe Muhammedanae theologiae principia legem, traditionem et rationem, et ad hanc demum recurrere licere, ſi priora principia plane nihil definiuiſſent, inde vero innumera et credendi et viuendi dogmata eſſe exorta, ſique tandem ad naſcentis et adoleſcentis Muhammedaniſmi hiſtoriam, ad conditoris circumſtantias non fabula quadam Romanenſi veſtitas, ſed ſcriptoribus fide dignis traditas exactam recurrerent, definerent certe, ea in ſanctiſſimae religionis opprobrium extollere, quae laude iſta digna non ſunt, nec negarent, Muhammedanam religionem tam facili via ad Atheiſmum ducere, quam Chriſtianam. Quamuis enim proh dolor, inter Chriſtianos non deſint, qui ad hanc impietatem deficiunt, quibus frigidam ſuffundunt intempeſtiui Muhammedis laudatores, hominum tamen id vitium eſt, non vero religionis Chriſtianae, quam euertendae impietati eſſe aptiſſimam, nemo temere negauerit, qui eius indolem propius nouit, et cum hominum vitiis non confundit. Aſt Muhammedanam legem ſi eo ſenſu accipiamus, quo conditor accepit, non vero eo, quem philoſophi poſtea quidam affricuerunt, naturali quadam via prudentiores, et a craſſis iſtis notionibus abhorrentes ad

Muhammedana theologia an philoſophiae conformis?

Muhammediſmus an ad atheiſmum ducere poſſit?

x) Vie de Mahomet; conf. quae habet Biblioth. Angloiſe T. I. P. II. art. 10. p. 360.

y) Ethic. Chriſt. T. I. c. 2. p. 519. ſeqq.

ad Atheiſmum ducere poſſe, ea euincunt, quae ſupra iam demonſtrauimus, et vel ſolae fraudes atque impoſturae, fabulaeque inſulſae, vocationis diuinae ſibi mendaci arrogantia tributae falſitas, modus propagandi violentus, et quae alia ſunt a philoſophiae praeceptis ipſaque ratione aliena innuunt. In has enim vbi inciderunt difficultates ingenia acutiora, nihil magis fieri potuit, quam vt decepta omni prorſus religioni atque pietati bellum indicerent. Certe Muhammedis hiſtoria ipſa teſtis adduci poteſt, inter eius aſſeclas non defuiſſe, qui ad Atheiſmum declinauerint. Et ipſum quidem Muhammedem pollicem impietati huic preſſiſſe, quod nonnullis viſum eſt[a], valde dubium[b], vel falſum potius eſt. Quamuis enim lex eius, prout ab ipſo profecta eſt, nonnulla theologiae naturalis capita laedat, ideo tamen inter apertos numinis hoſtes referendus eo minus eſt, quo magis vnius Numinis exiſtentiam pro fundamentali totius legis ſuae dogmate poſuit, Zindikaeosque reſurrectionem mortuorum negantes igni ferroque, teſtibus ſcriptoribus Arabicis[c], perſecutus eſt. Aſt inter ſucceſſores eius polluiſſe ſe quosdam hac ſcabie vel vnius Abu Muslimi, in Saracenica hiſtoria non ignoti, et belli facinoribus ſub primo Chalifa ex Abbaſidarum gente inclyti, exemplum probat, quem Zindekaeorum ſectae adhaeſiſſe HERBELOTIVS[d] ex ſcriptore Arabe Ben Schunah obſeruat, qui et hoc addit, ſectam iſtam animarum transmigrationem ſtatuiſſe, quam intelligendam eſſe, ſub ſectae ſucceſſionis nomine ELMACINO[e] memoratae, veriſimile eſt, eo quod illum huius ſectae auctorem faciat ſcriptor Arabs vterque. Quae animarum quidem migratio vel ſucceſſio potius perſonae vnius in alterius perſonam nihil commune habere videtur cum impietate in ſummum Numen, ſi vero ea admittatur explicatio, quam PETRO DE LA VALLE[f] debemus, quique huius ſectae homines ſe ſuo adhuc tempore in Oriente inueniſſe, *Ehl Eltahkik, homines veritatis vel certitudinis* dictos, aſſerit, ab impietate Zindekaeorum ſectam, cuius ille dux praecipuus fuit, remotam non fuiſſe, ſtatuendum eſt. Secundum eum enim auctorem, haec non animae eſt ex vno corpore, in aliud, transmigratio, ſed mutatio potius perſonae vnius in aliam per elementorum transpoſitionem. Hane enim eorum ſententiam eſſe ait: non dari Deum alium, niſi elementa quatuor, nec animam eſſe ſpiritualem immortalemque, ſed ex quatuor elementis conflatam, et in iſta elementorum vnione animam vitamque quaerendam eſſe: ea vero ſoluta ſolui quoque et in priorem materiam redire elementa illa, ex qua prodierant; eamque Deum eſſe, ex qua prodierint omnia, et in quem omnia redeant. Digna hoc nomine viſa eſt, ſecta Zindekaeorum cum duce Abu Muslimo, quam inter Spinoziſtas ante Spinozam referat

Athei Muhammedani. Zindekaei.

a) Vid. quos nominat REIMMANNVS hiſtor. atheiſmi p. 530.

b) loc. cit.

c) L. II. c. 3. p. 100.

d) Apud BAYLE Dict. T. I. art. Abu Muslimus Not. A. p. 38.

e) ELMACIN. L. II. c. 4. p. 107. conf. HOTTINGER. hiſt. orient. L. I. c. 8. p. 169 L. II. c. 6. p. 359. HERBELOT. Bibl. Orient. p. 929.

ferat P. BAYLE *e*, qui ex BESPIERIO *f* quoque Erpenium corrigit, qui verba Elmacini vertere debuiſſet: *Sectam eorum, qui credunt μετεμψύχωσιν reſolutionis*, non vero, *ſectam ſucceſſionis deſcendentis*. Quod tamen ferri, niſi fallimur, poteſt, ſi intelligatur talis ſucceſſio deſcendens, qua Muhammedis perſona in aliam perſonam iſta elementorum reſolutione et compoſitione tranſiiſſe, et ad ſucceſſores deſcendiſſe dicatur. Id enim ſucceſſionis ordo vult, ab Elmacino memoratus, niſi plane illa ſecta politica magis, quam theologica fuerit. Illud tamen veriſimile, Zindekaeos ob impietatem potiſſimum, inter haereticos numeratos, et ob *μετενσωμάτωσιν* magis Stoicam, quam *μετεμψύχωσιν* Pythagoricam Atheorum catalogo adſcriptos fuiſſe. Illius ſuſpicionem facit, quod communi opinione, licet falſa, pro Sadducaeis habiti ſint, quos eo tempore Atheiſmi infamia laborauiſſe notum eſt: huius, quod in vrbe Haſſem ita inſaniuiſſe dicantur, cum crederent Muhammedis perſonam ſucceſſionis ordine in Al-Manſorem deſcendiſſe, vt eum ſimili, quo Muhammedis templum Meccanum, honoratur, modo extollere, inuito et renitente Chalifa, auſi fuerint. Qua de re videnda, quae pluribus narrat IACOBVS BASNAGIVS *g*. His addenda POCOCKII *h* obſeruatio, qui ex ſcholiaſte Al-Corani notat, Zindeckaeos eſſe eos, qui vel duo principia adſtruunt, lucem et tenebras, vel qui vitam futuram et Dei dominium non credunt, aut qui infidelitatem celant, fidem prae ſe ferentes. Ex quo loco patet, Zindekaeorum nomen in genere quidem vſurpari pro quouis haeretico et impio, fuiſſe autem, nomen quoque Atheorum, Deum eiusque dominium tollentium, adeoque inter Muhammedanos huius impietatis alumnos fuiſſe repertos. Quorum albo illam Dialecticorum ſiue Loquentium ſectam, de qua ſupra dictum, et in ſequentibus quoque dicetur, adſcribit quoque TRIBBECHOVIVS *i*, eo quod negando prouidentiam diuinam omnia qualitatibus et cauſſis rerum naturalium perpetuis tribuat, multa de intellectuali quidem perfectione dictans, ſed alia de iis tradit MAIMONIDES *k*, quem non ſatis diligenter et attente inſpexiſſe videtur Tribbechouius. Moſes enim Aegyptius hoc illis tribuit: nullum accidens vltra momentum durare, ſed quam primum creatur, rurſus interire, Deumque ſtatim aliud creare, eiusdem ſpeciei, et hoc extincto rurſum aliud, et ſic conſequenter fieri in omnibus accidentibus, quorum ſpeciem Deus velit conſeruare. Haec enim aperte non Dei tantum exiſtentiam, ſed influxum quoque ſpecialem in res omnes ſupponunt. Eximendi itaque ex hac claſſe ſunt: vixiſſe vero inter Muhammedanos homines alios, omnem Numinis reuerentiam contemnentes, ſummaeque impietatis patronos vel vnius

e) loc. cit.

f) Remarques ſur l'etat de l'empire Ottoman p. 665.

g) Hiſt. des Iuifs L. II. c. 15. §. 19. p. 367. conf. ELMAC. L. II. c. 4. p. 107. HERBELOT, p. 552. 929.

h) Ad Port. Moſis c. VII. p. m. 215.

i) Hiſtor. natural. §. 19. p. 7.

k) Mor. Nebhoch. P. I, c. 71.

Hakemi, Aegyptiorum tyranni exemplum comprobat. Narrat enim ELMACINVS [l], *eum tyrannidis, quam exercebat, metu eo ſtultos quosdam adegiſſe, vt deitatem ei adſcriberent, et quotiescunque eum vidiſſent, clamarent: O Deus noſter viuere faciens et mori: repertosque fuiſſe ſedecim millia confitentium, eum eſſe Deum, inque eo concurriſſe Atheiſmum et inſaniam.* Sed et Dararianа inter Muhammedanos ſecta huic catalogo adiicienda eſt, de qua idem quoque ELMACINVS [m] narrat: an. Heg. CDVIII [n] veniſſe in Aegyptum pſeudo-prophetam quendam barbarum, cui nomen fuerit Muhamedi Ibn Iſmaël et cognomen Dararaeo. Hunc in miniſterium ſe dediſſe Hakemi, qui ei benefecerit et gratificatus fuerit. Auctorem autem fuiſſe populo vt crederet Hakemum eſſe Deum, qui vniuerſum creaſſet, atque hanc eum haereſin manifeſtaſſe et diuulgaſſe, probante et remunerante inſaniam Hakemo. Populum autem hanc confeſſionem improbauiſſe, illumque in curru Hakemi fuiſſe interfectum. Poſt Dararaeum iſtum alium quendam prodiiſſe pſeudo-prophetam barbarum nomine Hamza f. Ahmed Alhadis: hunc ad Dararaei opinionem populum reuocauiſſe, et paſſim doctores haereſeos ſuae conſtituiſſe, omnem praedicantes licentiam, ſublatis pietatis operibus prorſus omnibus. Populum vero multum illectum ei adhaeſiſſe, principe haec promouente ſicque publicum quoque cultum omiſſum fuiſſe, indignantibus Moslemis. Ex his quidem conſtat, Atheiſmum practicum magis quam theoreticum et philoſophicum ab iſtis impoſtoribus diſſeminatum fuiſſe; at reuelant ea quoque, quo deuenire res potuerit, nullum verum et rationale cultus diuini fundamentum ponente lege Islamitica. Fuiſſe autem Dharianos quoque aliquos a Dararianis diuerſos, qui in Atheorum caſtris militauerint ABVLFARAIVS [o] innuere videtur ſcribens: *Sapientes, qui in rerum principia inquirunt, diſtribuuntur in Dharianos, phyſicos et theologos. Dhariani ſecta ſunt antiquorum, qui nullum mundi conditorem aut rectorem agnoſcunt, aut mundum non fuiſſe ex ſe, nec a creatore conditum. Phyſici illi ſunt, qui naturarum actiones et paſſiones, et quaenam a mutuis earum actionibus oriantur animalia ac plantae perpendentes, et in proprietates plantarum et compoſitionem membrorum in animantibus inquirentes gloriam quidem Deo tribuerunt, et creaturis ipſius affirmarunt ipſum potentem, ſapientem et magnum eſſe, niſi quod animam vna cum corpore interire, nec illi ſuperſtitem manere aſſeruerint. Diuini vero ſunt e Graecorum ſapientibus poſteriores, quales Socrates, Platonis magiſter, et Plato Ariſtotelis: Ariſtoteles autem has ſcientias in ordinem redegit.* Verum caue de ſecta quadam Arabica haec cum Ecchellenſi intelligas; id enim vult hiſtoricus: inter vetuſtiſſimos philoſophos Dharianos vocari, qui eiusmodi Atheiſmum profeſſi fuerint, quos phyſicis et theologis Graecorum opponit. Et hactenus quidem dicta integras ſocieta-

Dararianі.

l) L. III. c. 6. p. 260.
m) p. 264.
n) Perperam in hiſt. atheiſmi Reimmanniana l. c. ponitur an. 386.
o) Apud POCOCK. l. c. p. 240.

ſocietates inter Muhammedanos ab impietate prope abfuiſſe, ſatis loquuntur; ſed et homines ſingulares multos inuentos fuiſſe, qui in eadem retia inciderint, eo facilius credi poteſt, quo facilius eſt, a dogmatibus Peripateticis, de motore ſummo ſupremae ſphaerae affixo, de prouidentia ad ſublunaria ſe non extendente, de vniuerſali intellectu in omnibus hominibus vno, de aeternitate mundi, de mortalitate animae, et quae alia ſunt ſtrata via ad euertendos veros de Numine ſenſus ducentia, ad Atheiſmum delabi. Quaecunque itaque ſuo loco de Ariſtotelis Atheiſmo dicta ſunt, huc pertinent, cum Ariſtotelis ſyſtema Arabes, quantum ex eo intellexerunt, fideliter ſecuti ſint. Ex quibus iudicari poteſt, quid de Atheiſmo Alfarabii, Auicennae, Raſiaei, aliorumque philoſophorum Saracenicorum, quos produxit REIMMANNVS [p], iudicandum ſit. Illi enim omnes aperto Marte in Ariſtotelis caſtris militauerunt. Nemo tamen magis Atheiſmi infamia inter Arabes philoſophos infamis eſt, quam Auerroës, de quo loca et querelas doctorum virorum collegit Cl. REIMMANNVS [q]. Nam et fidem philoſophorum, Chriſtianae, Iudaicae et Muhammedanae praetuliſſe, et intellectu agente vniuerſali aſſerto in Spinozae partes deſcendiſſe plerisque viſus eſt. De quibus tamen accuſationibus cum ſupra in eius vita, quantum ſatis, dictum ſit, repetere ea hoc loco nobis opus haud eſt, id vnum monentibus, quaecunque de Atheiſmo Auerrois dicuntur, ex genuina ſignificatione ſyſtematis phyſiologici Ariſtotelis, cui inhaerebat Auerroës, deriuanda diiudicandaque eſſe. Sunt et alii inter Arabes impietatis ſuſpecti, interque eos poëta celeberrimus Abul Ola Morrarienſis [r], eo quod reditum hominum in hanc vitam negauerit, docueritque: filii generationem eiusque in mundum hunc productionem peccatum in ipſum eſſe, quod accidentibus et malis exponatur. Verum videtur poëta et philoſophus auſterus, qui philoſophiam apud Indos didicit, eorumque inſtituta ſecutus a carnis, ouorum et lactis vſu abſtinuit, nec dolorem animali cuidam inferre voluit, ex odio materiae haec dixiſſe, adeoque felicitatem ad ſolam mentem, corruptionem et interitum ad materiam reuocauiſſe. Quae neceſſario reuiuiſcentis carnis ſpem adimunt, Atheiſmum tamen non inuoluunt. Recentiorem Athei Turcici Muhammed Effendi, igne excruciati hiſtoriam tacemus, de qua videndi praeter GOD. ARNOLDVM [s] auctores laudati REIMMANNO [t]: haec enim ſufficiunt, vt euincant, nec impietatis lolia in hoc agro ſuperſtitionis fegete pleno deſiderari.

§ V. IV. Nihil vero miſeram philoſophandi rationem, quae ex inconſulto illo philoſophiae cum lege Muhammedana ſyncretiſmo exorta eſt, luculentius detegit, quam ſecta Loquentium, ſiue Meddabberim, quos Rationaliſtas vel Dialecticos recte dici ſupra euicimus, eorumque philoſophandi rationes depinximus. Quaecunque enim hunc in finem com-

IV. Secta Loquentium ſpecimen philoſophiae Saracenicae, et introducti Scepticiſmi.

p) l. c. p. 535. q) p. 537. r) Hist. haer. et eccleſ. T. II. L. XVII. c. 16. §. 14. p. 577. s) Pococx. l. c. t) loc. cit.

commenti ſunt, ſiue diſputandi diſquirendique rationem ſpectes, ſiue principia admiſſa, meram incertitudinem inuehunt, ſic vt neſcias, quo fundamento ponenda ſit cognitio. Id ex locis illis, quos de huius ſectae conditione, dogmatibus, modoque diſputandi ſupra §. IX. adduximus, adeo manifeſtum eſſe putamus, vt ſuperuacaneum exiſtimemus, multa eam in rem dicere. Et vt verum quidem fateamur, multa eaque ſubtiliſſima ex Graecorum ſcholis ſurripuerunt, et non modo dialecticam illam contentioſam theologiae atque philoſophiae adaptarunt, ſed et phyſicas rationes ex his fontibus hauſerunt, aſt tam infelici ſidere, vt, quae certae cognitionis principia Graeci poſuerunt, ipſi ad ſtabiliendum roborandumque Scepticiſmum, omnis philoſophiae euerſorem, adhiberent. Id quod praeter alia, ſupra dicta, doctrinae eorum naturalis principia explicant, a MAIMONIDE *) relata, qui docet: *Statuiſſe eos, originem mundi ex atomis deriuandam eſſe, particulis minimis inter ſe counitis; eſſe vero has atomos ſibi inuicem ſimillimas, nec aliud eſſe generationem, quam atomorum combinationem: rationem hinc deriuandam eſſe, cur dixerint, nihil generari, nihilque interire vel mori, ſed componi tantum, coniungique ex atomis omnia motuque vitam accipere, et intereuntia diſſolui disiungique.* Habuiſſe eos haec principia phyſica ex Democriti ſchola dubitandum vix eſt, aſt adulterata fuiſſe, et ita attemperata, vt Scepticiſmo, artique iſti veſanae in vtramque partem diſputandi inſeruirent, eo minus dubium eſt, quo magis his principiis eas aſſertiones iunxerunt, quae mire ſcopum ſectae promouerunt, et incertitudine repleuerunt omnia. Adiiciebant enim: *Atomos has, cum ab omni aeternitate eſſe non potuerint, perpetuo creari a Deo, nouasque pro eius placito et voluntate produci, vel etiam, prout illi viſum fuerit, corrumpi et tolli. Eſſe quoque cuiuis particulae corporis viuentis vitam, vel ſentientis ſenſum etc.* qua hypotheſi ſemel introducta, cum neſcio quae entia imaginaria, viua ſibi et ſentientia fingerent, eaque in momenta produci et annihilari affirmarent, omnis certitudo phyſica ſublata eſt. Qua via ſemel inita facile fuit, etiam abſurdiſſima quaeque conciliare cum ſanis et defendere, eo quod in momenta quaeuis eſſentiae rerum a Deo mutentur, et non ſola atomorum diſpoſitio, qualitatesque et modificationes rerum alterationem patiantur, ſed ipſa ſtamina naturae in horas fere a Deo vel annihilentur vel creentur. Ita vero et veterum doctrinam fuiſſe corruptam, et ſenſuum fidem ſuppreſſam, et miſerum incertiſſimarum hypotheſium, cum ortu ſuo iterum occidentium chaos enatum, is recte comprehendet, qui veram philoſophandi rationem intelligit. Id quod eo clarius eluceſcit, ſi, quod ſupra quoque monuimus, repetatur, hanc, quam illi introduxerunt, Al-Calam, ſiue theologiam ſcholaſticam ſuppoſuiſſe magis hypotheſes precarias, easque ratiunculis anxie conquiſitis confirmaſſe, quam ex natura rerum fuiſſe philoſophatam. Quomodo hypotheſeos auctoritatisque praeiudicium omnem rationis vſum euertiſſe, res ipſa loquitur.

§. VI.

*) Mor. Nebhoch. P. I. c. 73. p. 149.

§. VI. V. Quod de vna ſecta, quae maximam philoſophiae accuratius excultae ſpeciem habuit, dictum, id de omnibus eo magis tenendum eſt, quo magis a philoſophia recedebant, et in eo plus laborabant, vt philoſophiam cum lege ſua conciliarent, quam vt legem Islamiticam cum philoſophia in concordiam redigerent. Non morabimur in praeſentia eas ſectas, quae ad ramos, id eſt, dogmata minus fundamentalia, mores, iusque naturale et ciuile pertinent: licet in iis quoque ſectis vnam tantum Abu Hanifae ad principia philoſophica et rationis dictamina primaria reſpexiſſe, ceteras Maleci, Schafei et Ebn Hanbali poſt Al-Coranum et Sunnam, ſiue traditionem legemque Muhammedis oralem, conſenſui et teſtimonio orthodoxorum plus detuliſſe, quam rationibus philoſophicis ſupra in vita Auerrois obſeruatum ſit: vnde ſequitur, ius illud Muhammedanum ſaepe iuri naturali contradixiſſe, certe in quaeſtionibus ambiguis non philoſophiam, ſed traditionem hominum ab omni rationis emendatae atque philoſophicae vſu longiſſime remotorum conſultam fuiſſe. Praecipue heic loci ad eas ſectas reſpiciendum eſt, quae fundamenta ipſa fidei, vel, vt loquuntur Arabes, radices tangunt, et monente ABVLFARAIO *) ſubiectum ſunt theologiae Scholaſticae ſiue philoſophicae. Eae enim philoſophiam quidem ad difficillimum argumentum nempe doctrinam de eſſentia, natura atque attributis diuinis enucleandam exponendamque adhibuerunt, cum vero Ariſtotelicis notionibus regulisque vterentur, quae nuſpiam magis, quam in metaphyſica et theologia incertae ſunt, vagae et indeterminatae, neceſſario magna inde philoſophici luminis obſcuritas et confuſio oriri debuit, idque eo magis, quo magis vnum horum theologorum Scholaſticorum ſtudium in eo vertebatur, vt rationibus et deciſionibus philoſophicis legis Islamiticae decreta explicarentur, confirmarenturque. Ita namque equis gryphes iungebantur, et philoſophia conceptibus vſu abſtractis atque axiomatibus praeciſionem mentis ſummam poſtulantibus vno ire iugo cogebatur cum lege plebeias et ſenſibus tantum claras et aſſuetas notiones ſuggerente. Ex quo haud difficili argumentatione attentus quilibet colliget, omnem hanc metaphyſicam valde fuiſſe corruptam, neminique mirum videbitur, tantopere theologos Muhammedanos in tam graui dogmate fluctuaſſe, tantisque ſententiarum diuortiis de Deo praecepiſſe: praeſertim cum non reuelationis tantum lumen contemnerent, ſed et limites non poneret extra ſphaeram progredienti orbitamque deferenti rationi animi modeſtia anguſtiae intellectus humani in infinito illo deitatis oceano ſibi conſcia. Dignum argumentum hoc eſſet, quod pleniori tractatione exponeretur, cum non ignobilem theologiae philoſophicae inter Muhammedanos cultae partem conſtituat. Obſtant autem inſtituti noſtri limites, qui tam late diuagari in hoc campo prohibent. Illi itaque conſulendi ſunt, qui de placitis theologiae Muhammedanae ex inſtituto commentati ſunt Io. HEN-

*) loc. cit.

V. Sectae Muhammedicae philoſophiam euerterunt corruperuntque.

HENRICVS HOTTINGERVS [y], EDVARDVS POCOCKIVS [z], IO. ERNESTVS GERHARDVS [a], HADRIANVS RELANDVS [b] aliique. Non tamen ſuperſedebimus, ſummam eius rei heic adducere, vt de veritate obſeruationis ſupra poſitae conſtet, et genuina facies philoſophiae Muhammedanae inter Arabes cultae Lectori manifeſta fiat. Nempe ita ſe res habet: cum populares ſibi notiones finxiſſet legis Islamiticae conditor, homo ἰδιώτης et ex plebe natus, plebisque is conceptibus nouam doctrinam attemperauiſſet, mature viderunt acutiores, ex quo philoſophia inter Arabes recepta fuit, ſaluam eſſe non poſſe legislatoris noui auctoritatem, niſi ad ſaniores notiones ea omnia exigerentur explicarenturque, quae de Deo eiusque attributis et operibus in Al-Corano dicta ſunt. In hoc enim valde premebantur obiectionibus Chriſtianorum et Iudaeorum, qui plebeiam hanc illis legislatoris noui theologiam valde exprobrabant. Cum itaque philoſophiam, quam vnice nouerant, Peripateticam adhibuiſſent, mirum ſibi laborem in excutiendo hoc argumento impoſuerunt, praecipue vbi diſſenſionum finis non eſſet, nec facile iniretur in hoc argumento inter diſſidentes ſectas concordia. Dabimus eius rei ſpecimen paulo infra, vbi ſummam theologiae Muhammedanicae exhibebimus. In praeſentia ſufficiet vno at luculento exemplo doctrinae de decretis prouidentiae diuinae concurſuque Dei ad actiones hominum rem illuſtrare. Ad hunc enim ſcopulum, vt inter Iudaeos et Chriſtianos, ita inter Muhammedanos quoque ſumma haud raro ingenia naufragium paſſa ſunt, et in varias opiniones Deo haud ſatis dignas abierunt. Tres tamen earum claſſes conſtitui poſſunt, de quibus acerrimis inter ſe telis et inimicis ſignis theologi Muhammedani congreſſi ſunt. Prima claſſis Motazalorum fuit, quorum doctrinam ita exponit SHARESTANIVS [c]: „Creatorem eſſe ſapientem et iuſtum, nec attribuendum illi malum et iniquitatem; nec fieri poſſe, vt velit ille in ſeruo „contrarium illius, quod iubet, aut ſtatuat ſuper hominibus aliquid, „deinde ob illud eos remuneretur: ſed hominem agentem eſſe in bono „et malo, fide et infidelitate, obedientia et rebellione, et remunerari „ipſum ob actionem ſuam; dominum autem poteſtatem illi ad haec omnia „facienda conceſſiſſe. Actiones itaque hominum conſiſtere in motibus, et quiete et ſtudio, et ſpeculatione et ſcientia, et fieri non poſſe, „vt dicatur homini, fac, cum faciendi poteſtatem non habeat; quin „immo ſentire eum in ſeipſo potentiam et actionem, et quicunque hoc „negauerit, negare illud, quod neceſſario in ſe habeat.“ Intelligent paulo attentiores ad haec verba Arabis, originem mali moralis, quod in actionibus hominum reperitur, eos induxiſſe, vt ita ſtatuerent, cum id

Specimen theologiae philoſophicae inter Muhammedanos, de decretis Dei.

Motazalorum ſententia.

y) Hiſtor. Oriental.
z) In ſpecim. locis citatis.
a) Pec. diſſ. de theol. Muhammedica.
b) Libris duobus: de religione Muhammedica: Traiecti ad Rhen. 1717. 8.
c) Apud POCOCKIVM l. c. p. 241. ſeqq. qui ſumma fide conſultos a ſe ſcriptores Arabes αὐτολεξεὶ adducit. Add. laudatos HOTTINGERO l. c. L. II. c. 6.

id magnopere refugerent, ne Deus mali iſtius auctor haberetur. Quare a quibusdam, qui has partes ſecuti ſunt, affirmatum: Deo non attribuendam potentiam circa malum et rebelliones, nec dicendum eſſe, cadere haec ſub potentiam creatoris; aliis e contrario, ne potentiae diuinae limites poſuiſſe viderentur, ſtatuentibus: poſſe illum quidem facere, non autem facere quia turpe eſt: Mozar autem quidam monachus ex hac ſecta non erubuit profiteri, poſſe Deum mentiri et iniuriam facere, et ſi ita fecerit futurum dominum iniquum et mendacem. Quos homines τὸ φυσικὸν ab ἠθικῷ in actione hominis non diſtinxiſſe, et ad illud ſolum reſpicientes, incauta phraſi totam actionem etiam moralem Deo tribuiſſe in aprico eſt. Alii e contrario dum hanc Scyllam euitare ſatagunt in Charybdin inciderunt. Refert enim idem ſcriptor Arabs de Al-Nôdhamianis, quae ſecta propago fuit ſectae Motazaliticae, dixiſſe „eos: „Non eſſe potentiam Deo faciendi ſeruis ſuis in mundo, quod non „ipſis commodum ſit, nec augendi in altero mundo, vel diminuendi „praemium aut poenam eorum, qui in paradiſo ſunt, vel in inferno: „non enim poſſe amotionem Dei in malis et ſceleribus perfici, niſi ipſe „potentia ſua, quoad ea ſpolietur.“ Alii alias ſubtilitates excogitauerunt; e. g. Hashamiani, referente eodem, docuerunt: „Nullatenus ad„mittendum eſſe, vt dicatur: Deum creaſſe infidelem; infidelem enim „complexum quid eſſe, ex infidelitate et homine, Deum autem infideli„tatem non creare.“ Secunda opinio eſt Al-Iabariorum rigidiorum, inter quos Al-Iahamiani eminent, quorum auctor circa finem ſeculi Muhammedani primi floruit, qui, narrante porro Shareſtanio, ita praeci„piunt: „Non poſſe hominem rem aliquam facere, neque attribui ipſi „debere, quod potentia praeditus ſit, ſed illum coactum producere opera „ſua, cum non ſit ipſi potentia, nec voluntas, nec electio, creare autem „Deum in ipſo actiones, vti creat eas in rebus inanimatis; et attribui „ipſi opera per metaphoram, vt cum attribuuntur inanimatis, ſicut di„citur: fructum facit arbor, et currit aqua, et mouetur lapis etc. Eſſe „etiam praemium et poenam ex iis, quae ex neceſſitate proueniunt, im„mo cum ſtatuatur coactio ſeu neceſſitas, eſſe etiam mandatorum impo„ſitionem ex neceſſitate.“ Fundamentum itaque ſententiae huius alteri ex diametro oppoſitae hoc eſt, non dari proprie actionem niſi in Deo, cetera occaſiones tantum eſſe, quod ſyſtema cauſſarum occaſionalium ſectatoribus quibusdam Carteſii ſubminiſtrauiſſe, notum eſt, nouum vero Mallebranchii et aſſeclarum inuentum non eſſe, ſed diu receptum fuiſſe inter Muhammedanos, ex hoc loco conſtat. Diſerte enim ita Al-Iahmiani apud Ebnol Kaſſam ſcriptorem Arabem: *Nullam eſſe omnino homini potentiam, neque operantem neque acquirentem; ſed eſſe eum eodem gradu quo inanimata.* Ex quibus id quoque conſectarium conſtituerunt: futurum, vt paradiſus et ignis infernalis euaneſcant, poſtquam ingreſſi fuerint in eos, qui iis digni, donec tandem non maneat exiſtens

Al-Iabariorum doctrina.

quicquam, praeter Deum. Quod dogma non inter Muhammedanos tantum ſed et inter gentiles philoſophos et Chriſtianos Abſolutiſmum (ſit venia verbo) genuiſſe, Stoicae et Origenianae hypotheſes euincunt. Vnde coniicimus, ex philoſophia potiſſimum Aegyptiaca, quae eo tempore nondum omnis eſſe deſierat, inter Muhammedanos hanc opinionem irrepſiſſe. Quamuis phythologia quoque Peripatetica eiusmodi commenta parere apta ſit, cum ſupremus motor neceſſaria eſſentiae ſuae conſequentia ita in intelligentias inferiores influat, vt motum et actionem omnem recipiant. Quibus ſi adiiciatur: infimam intelligentiam eſſe intellectum illum actiuum et vniuerſalem, ex quo homines omnes participant, quique actionum humanarum conſilio et ratione conſtantium verus auctor eſt, neceſſario inde ſequitur, actiones quoque humanas per influxum illum ſummi, primique motoris in infimam intelligentiam, huiusque in hominem neceſſarium ita edi, vt cuncta illi motui vniuerſi neceſſario reſpondeant, atque ita poſt vniuerſalem illius motus reuolutionem ad priſtina primordia omnia redeant. Tertiam ſententiam excogitarunt ex Al-Iabariis moderatiores, quales Al-Naiariani et Al-Dariani: illos enim tradidiſſe ſcribit Shareſtanius: „Eſſe Deum illum, „qui creet opera hominum tam bona quam mala, tam honeſta quam „turpia, hominem autem ea acquirere. Eſt autem acquiſitio iſta potentiae, quae in homine eſt, nouae impreſſio in actionem, vnde Casban „dicitur, quod actionem ſibi iſtam homo acquirat, influxuque ſuo in „operationem eius ſuam faciat.“ Ex quibus intelligimus, voluiſſe huius ſententiae patronos, temperamentum ponere inter Dei potentiam abſolutam, influxumque in actiones hominum, et inter libertatem atque actiuam hominis potentiam, at ne ſic quidem ſatis pie de Deo ſtatuiſſe, et vna manu deſtruxiſſe, quod altera exſtruxerant. Vidit has difficultates Al-Aſshari, quem inter praecipuos Muhammedanorum theologos numerandum eſſe, et ſubtilius reliquis praecepiſſe, ſupra in eius vita diximus, monuimusque eius ſyſtema orthodoxum haberi; vnde noua viam ingreſſus docuit: „Voluntatem Dei vnam, aeternamque eſſe, „quae ſe omnibus applicet, quae vult ex operibus ipſius propriis, et operibus ſeruorum ſuorum, eo reſpectu, quo ſunt ab eo creata, non eo, „quo ſunt ab ipſis acquiſita, ideoque velle omnia, et quod boni in illis „eſt, et quod mali, et quod commodi, et quod incommodi, et ſicut „velit et nouerit, velle a ſeruis quod nouerit, iuſſiſſeque calamum ea „deſcribere in tabula apud ipſum repoſita, atque hoc eſſe iudicium eius, „et aeternum eius conſilium et decretum, quod non mutetur atque varietur.“ Agnoſcit itaque Al-Aſshari potentiam aliquam in homine, ſed eam vim nullam habere ad imminuenda decreta fatorumque ordinem diuinum aſſerit: nec noui quid produci ab homine, ſed ſibi tantum applicari ſtatuit. Quae clarius explicant verba Sharol Mawafek, non ignobilis inter Arabes ſcriptoris, qui hanc orthodoxorum Muhammedanorum

Al-Naiariorum opinio.

Al-Aſsharitarum placita.

rum ſententiam explicat: *Quod actiones hominum, quae electioni ſubiectae ſunt, cadant ſub ſolam Dei potentiam, nec ſit ipſorum potentiae in illas impreſſio: ſed ita res ordinare conſueuerit Deus, vt exiſtere faciat in homine potentiam et electionem, et cum nullum ſit impedimentum, exiſtere faciat actionem, quae potentiae eius ſubiicitur, cum illis coniunctam, quae actio hominis creata ſit a Deo, in medium prolata ac acquiſita ab homine. Per acquiſitionem autem actionis intelligenda coniunctio eius cum potentia et voluntate ipſius, ita interim, vt nulla ſit ibi impreſſio vel influxus in eius exiſtentiam, niſi quod ſubiectum eius ſit homo.* Quae cum nondum ſatis actionem phyſicam et moralem inter ſe diſtinguant, en modificatam Alaſsharienſis ſententiam: facta hominum omnia euenire potentia Dei, ita vt ſint ab ipſo creata, nec vllam eſſe omnino potentiae hominis impreſſionem in illud, quod poteſtati ſuae ſubiectum eſt, ſed tum potentiam, tum quod ſub potentiam cadit euenire potentia Dei. Ali Kadi Abu Becr enim, ſeparato diligentius τῷ φυσικῷ a τῷ ἠθικῷ facti ſtatuit ſubſtantiam euenire potentia Dei, at vt id factum fiat morale v. g. obedientia vel transgreſſio. id facere epitheta, ſeu conditiones et affectiones facti, quae eueniant potentia hominis. Qua diſtinctione adhibita putant reuera Deo omnem actionem tribui, ſalua tamen libertate humana, quae, cum Deus hoc ordine res fluere faciat, vt admiſſa hac actione et applicata ad animum, ſequatur inde moralitas actionis, ſuae tamen actionis bonae vel malae auctor eſt. Senſerunt ipſi theologi Muhammedani, infinitis ita ſe implicari labyrinthis, et exitum non patere, vnde tandem faſſi ſunt, caute maiores praecepiſſe, ne ſollicite nimis in decretorum diuinorum viam inquireretur: eamque formulam, dicis quaſi cauſſa excogitarunt: *Nec coactio, nec libera permiſſio, ſed res media procedit via:* nempe creatis a Deo omnibus etiam potentia et voluntate in homine, mediantibus tamen in quibusdam interuenientibusque cauſſis et mediis, quae non quidem requirantur per ſe ipſa ad productionem effectorum quae Deus creauerit, ſed quod hunc ordinem Deus conſtituerit, quo ingrediantur facta hominum ſub electionem cadentia, quae homini adſcribuntur creata a Deo, hominis autem poteſtati ſubiecta, vt ſcilicet ingrederentur in operis productionem. Haec Muhammedanorum de concurſu Dei ad actiones hominum philoſophia eſt, quam ſpinoſam et fluctuantem, obſcuram quoque et incertam eſſe non quidem miramur, cum hominis non ſit, in hoc oceano fundum attingere, ſemperque ad hunc ſcopulum offenderint philoſophi, ſed exponenda tamen paulo plenius fuit, cum vt ſpecimen haberet Lector philoſophiae ad theologiam applicatae, praecipue cum ſcriptores illi Arabici plerique ἀνέκδοτοι ſint, et Pocockii, qui haec ex illis excerpſit, liber ſit rariſſimus et paucis obuius, tum vt haberent, qui Muhammedanam religionem propter ſimplicitatem Chriſtianae praeferendam eſſe contendunt, vnde intelligant, difficilibus diſputationibus et incertis hypotheſibus eam aeque fertilem fuiſſe, inque eo Chriſtianae

religioni poſtponendam, quod id, quod in hac ineptientis et nouaturientis ingenii humani vitium fuit, in illa ex legis ſuae inepta indole occaſionem ſumſit.

VI. Fata philoſophiae inter Chriſtianos triſtem euentum philoſophiae Saracenicae peperunt.

§. VII. VI. Ipſa porro philoſophiae fata, quae inter Chriſtianos eo tempore habuit, quo ad Saracenos migrauit, in cauſſa fuerunt, vt non iis efflorescceret in hac gente ſucceſſibus, quos tantum nationis ſtudium et applicatio promittebat. Nempe ſeculo Muhammedano ſecundo, Chriſtiano octauo et nono, primum inter Bagdadenſes coepiſſe philoſophiam Graecanicam, et vnam quidem Ariſtotelis excoli, ſupra probatum dedimus. Eo vero tempore valde a natiua facie degeneraſſe philoſophiam Peripateticam, ex eius hiſtoria poſt C. N. *Tomo ſecundo* fuſe enarrata conſtat: repetendumque inde eſt, philoſophiam Alexandrinam inepto, quem vbique intendebat ſyncretiſmo inter Academiam et Lyceum inſtituto, Ariſtotelis decreta valde adulterauiſſe, eamque quidem a Peripateticis quibusdam, lectis Alexandri, et ſcholae eius diſcipulorum commentariis vtcunque conſeruatam eſſe, multum tamen a priſtino nitore amiſiſſe, et fuiſſe Peripateticos, quorum ſumma tum eſſet celebritas, homines Alexandrino iſto ſyncretiſmo infectos: e. g. Porphyrium, Themiſtium, Simplicium et his ſimiles. Hi autem, cum intercidiſſet Sec. VII, collapſo gentiliſmo ſecta Eclectica, ſoli legebantur, ſicque Ariſtoteles quidem triumphabat fere ſolus, paucis quibusdam priſtinam Alexandrinorum viam ſequentibus, vt in *ſequenti Libro* ex inſtituto docebimus; aſt nec natiua eius facies comparebat amplius, nec ex ipſo Ariſtotele hauriebatur, ſed ex iunioribus commentatoribus, qui multa admiſcuerant, de quibus Ariſtoteles nunquam cogitauit. Id quod praecipue in metaphyſica et theologia eueniſſe, accurate ſuo loco demonſtrabimus. Nec multum iuuit homines hos, quod tandem ipſius Ariſtotelis ſcripta in Arabicam linguam verſa legendi copiam nacti fuerint. Vt enim taceamus, quod infra probabimus, iſtas verſiones fuiſſe ineptas, ex ſcriptorum Ariſtotelicorum hiſtoria ſuo loco enarrata notum eſt, absque veteris philoſophiae notitia non intelligi poſſe philoſophum obſcurum et abſtractas vagasque notiones plerumque adhibentem. Cui dicendi generi cum non aſſuefacti eſſent Arabes, ſed more gentium Orientalium dictionem ſequerentur imaginationem ſenſusque mouentem, veteris autem philoſophiae notitiam habuiſſent nullam, impoſſibile fuit his hominibus, difficillimi philoſophi ſcripta legere, et compulit eos neceſſitas, vt recentiores commentatores conſulerent, idque haberent pro Ariſtotelico, quod illi ſuggererent. Id quod luculenter probat enarrationis operum Ariſtotelicorum a MVHAMMEDE EBN ISAAC datae recenſus apud HOTTINGERVM [d], qui non alios nobis Ariſtotelicos exhibet, quam Iamblichum, Porphyrium, Themiſtium, Ammonium, Ioannem Philoponum, Damaſcenum, et ex veteribus γνησίως ſecundum Ariſtotelem philoſophantibus

d) Biblioth. Orient. c. II. p. 219.

tibus ſolum Theophraſtum, et poſt hunc Alexandrum Aphrodiſaeum. Quibus omnibus rite ponderatis, fatebuntur, quotquot praeiudicio occupati non ſunt, non fidendum Arabibus in definienda Ariſtotelis mente, falſumque eſt, quod VOSSIVS [e] affirmat: *Saepe longe ſagacius eos mentem Ariſtotelis perſpexiſſe, quam Scholaſticos ſiue Latinos.* Ex ſequentis enim libri tractatione diſpaleſcet, eadem infelicitate vtrosque in explicando Ariſtotele fuiſſe verſatos, eo quod Latini Arabes magis quam Graecos Interpretes ſequerentur.

§. VIII. VII. Nec obiici his poteſt: habuiſſe tamen Arabes verſiones Scriptorum Ariſtotelis et ſequacium ab hominibus Graecae litteraturae innutritis profectas et a Chriſtianis Graece doctis Syriaca primum lingua, mox Arabica expreſſas: eos quoque qui inter Arabes ipſos talia ſuſceperunt, ad Graecos Romano imperatori parentes profectos ibi Graecanicam philoſophiam didiciſſe, vt ſupra exemplis aliquot probatum eſt. Et profecto ſi ad hoc negotium ſe accinxiſſent homines accurata linguae vtriusque notitia inſtructi, ſi veram et genuinam mentem philoſophorum Graecorum fuiſſent aſſecuti, ſi veteris philoſophiae cognitionem habuiſſent, ſi alium quoque, quam Ariſtotelem, philoſophum clariorem et facilior[illegible]n intellectu elegiſſent, non haberemus forte magnopere, de quo quereremur. Verum omnia alia eueniſſe dudum virorum doctorum querela [f] fuit, et temporum iſtorum circumſtantiae ſatis euincunt. Coeperat enim iam tum barbaries inter Graecos, et philoſophiae ſtudia ita euiluerant, vt poſt Ioannem Philoponum et Damaſcenum nemo fere inter Graecos fuerit, qui ingruentibus ignorantiae tenebris ſe opponeret, et duobus fere ſeculis philoſophia tantum non extincta iaceret [g]. Quae cum imperante Michaële atque Barda caput iterum attollere inciperet, genuit quidem viros quosdam doctos interque eos Leonem philoſophum, qui iisdem fere temporibus, quibus Al-Mamon philoſophiam inter Arabes introduxit, floruit, qui Peripatetice philoſophari coeperunt, a quibus edocti nonnulli in Syriam, Perſiamque conceſſerunt, et Chalifarum Saracenicorum patrocinio vſi philoſophiam in ea gente publicarunt: aſt non inſtructos ſatis viribus fuiſſe Graecos iſtos, vt Ariſtotelicam philoſophiam, ab Alexandrinis miſere corruptam ſuae luci nitorique reſtituerent, ex ipſorum ſcriptis ſatis eluceſcit, cum veteris potiſſimum diſciplinae, ad quam omnibus fere paginis reſpicit Ariſtoteles, eſſent imperiti: eaque eſſet philoſophi breuis et acuti at obſcuri, et difficilis interpretatio, vt ipſis, qui poſt C. N. in eo ſaxo voluendo deſudarunt philoſophis Peripateticis omnibus fere ſubſidiis inſtructis labor ille ſaepe infeliciter ſuccederet,

VII. Verſiones philoſophicorum ſcriptorum ineptae.

e) Praef. ad theol. gentil. cui ſuccinet HOTTINGER. Hiſt. eccleſ. Sec. XII. p. 199. Vtrumque ſine dubio, amor literarum Arabicarum induxit, vt hoc ſe praeiudicio occoecari paterentur.

f) V. CONRING. Antiqq. Acad. Suppl. XXIII. p. 856. HORNIVS hiſt. philoſ. L. V. c. 10. p. 292. RHODIGIN. antiq. lect. L. III. c. 2. VIVES de corrupt. art. cauſſis L. V. p. 170. AD. TRIBBECHOV. de Dd. ſchol. c. III. p. 120. MORHOF. Polyhiſt. lit. T. II. L. I. p. 120.

g) Conf. FR. PATRICIVS diſcuſſ. Perip. T. I. L. X. p. 143. vbi habes loca ZONARAE huc facientia.

cederet, vt ſuo loco probatum; tantum abeſt, vt tot impedimentis obſtantibus impediti medii aeui Graeculi huic oneri ferendo pares fuerint. Eos autem magiſtros nacti erant Meſue, Honain aliique, qui in his verſionibus conficiendis occupati erant, eos igitur imparatos ſatis fuiſſe ad verſiones accurate conficiendas commentariorum Peripateticorum, nemo non intelligit. Aſt hi fontes ſunt, ex quibus verſiones Arabicae profluxerunt. Quae ſaepe numero non ex originali textu Graeco ſed ex Syriacis, interdum etiam paulo ſerius ex Hebraicis verſionibus confectae ſunt. Inde euenit, vt ab archetyporum ſuorum mente toties deficerent, et nec fidelitatem, nec veritatem textus exhiberent, multa adiicerent, de quibus Graeci non cogitauerant, multa, quae non intelligebant, omitterent, interpolarent plurima, et ſic miſera facie philoſophorum ſcripta ſiſterent. Quod, poſt Auicennam, verſionum, quae Auerroëm auctorem habent, fatum fuiſſe, luculento exemplo ſupra in eius vita oſtendimus. Vidit id nobile virorum doctiſſimorum par, vterque in diiudicandis verſionibus Arabicis aptiſſimus iudex PETRVS DANIEL HVETIVS [h] et EVSEBIVS RENAVDOTIVS [i]. Quorum ille de verſionibus Arabicis pronuntiauit: *In eodem laxitatis, infidelitatis, luxuriae, laſciuiae vitio pene verſari vniuerſas. Quum enim denſiſſima caligo ingenuas artes inſediſſet, quo tempore gens ea florere coepit, parum eam vidiſſe in literis, et quum Graecorum veterum ſcripta fere omnia, ne ab ipſis quidem recentioribus Graecis, nedum ab alienigenis ſatis intellecta vernacula lingua popularibus ſuis exponenda ſuſcepiſſent, ineptiſſimis ea interpretationibus contaminaſſe, detractis multis, plurimis adiectis, inuerſis fere omnibus et interpolatis.* Id quod poſtea, facta inductione de plerisque verſionibus Arabicis obſeruat. Renaudotius autem, vt ipſe erat Orientalis literaturae callentiſſimus, accurate exiguum pretium verſionum iſtarum Syriacarum atque Arabicarum ſingulari *epiſtola ad Andream Dacierium* demonſtrauit, obſeruauitque, illas in rebus tritis et vulgatiſſimis multoties impegiſſe, ſaepius etiam et grauius lapſas eſſe in aliis adeo difficillimis, vt ipſi etiam Graeci debuerint ſingularibus lexicis ea explicare. Id de Syriacis quoque valere, licet eo tempore factae ſint, quibus Graeca lingua notior et vernacula adhuc eſſet: cum e contrario maxima pars Arabicarum compoſita fuerit ſub ſtirpe ſecunda Chalifarum, qui Muhammedi ſucceſſerunt, qua aetate Graeca lingua non fuerit, niſi eruditorum in prouinciis, quibus illi imperabant. Accedere, quod pleraeque illae verſiones, exceptis paucis quibusdam, non ex Graecis ſed ex Syriacis libris et interpretationibus profluxerint, eo quod Bagdadi, vbi pleraeque confectae ſunt, Syriaca lingua eſſet vernacula: quamuis Honainus Graeca quoque conſuluiſſet. Eue-

h) De claris interpret. L. II. p. m. 198. Vol. I. p. 812. conf. FREIND. Hiſt. medic. P. II. p. 10.

i) Epiſt. ad Dacier. de exiguo pretio verſionum Arabicarum in FABRICII Bibl. Graec.

Eueniſſe autem, vt philoſophi, medici et librarii illorum temporum Latini editiones frequenter ad alias, quaecunque in manus incidiſſent, corrigerent, rationem vero transferendi adeo miſeram et corruptam adhiberent, vt plane intelligi non poſſent. Et ita quidem verſiones eas fuiſſe interpretum iſtorum ſiue ignorantia ſiue negligentia corruptas, vt vix intelligi poſſint. Id quod quidem mirandum non ſit, cum interpretationes iſtae Latinae ab imperitis hominibus ſuſceptae ex malis fontibus, nempe infelicibus verſionibus Arabicis profluxerint, et ita quidem, vt Arabica ipſa non adhiberentur, ſed Hebraica etc. Quod ideo hoc loco adiicimus, quia infelices hae verſiones Latinae interpretationum Arabicarum de ſcriptis philoſophorum Graecorum tempore exorientis philoſophiae Scholaſticae plerumque conſulebantur, erantque magiſtrae philoſophiae Occidentalis, de cuius fatis ex hoc vno ſpecimine facile iudicari poteſt. Quae omnia ſi vno tandem faſce comprehendamus, euidentibus argumentis nos conuincunt, non potuiſſe ex turbidis his lacunis philoſophiae purum quid ad Arabes dimanare; praeſertim cum ipſorum philoſophi non quidem ingenio, ſaepe tamen iudicio, certe linguarum eruditarum, veteris doctrinae aliorumque, quae huc facere ſolent auxiliorum copia non eſſent inſtructi. Qui ſi a religionis capiſtro et ſectariae philoſophiae iugo fuiſſent immunes, pulchra forte multa, nixi meditatione et experientia praeſtitiſſent, quemadmodum in ſcientiis mathematicis laudabilem operam poſuerunt, et egregia multa conſignauerunt: at his impediti difficultatibus nihil praeclari praeſtare potuerunt, nec ea enitere potuit philoſophiae facies, quam conatus cetera laudabiles promittebant.

§. IX. VIII. Ex his vero infelicitas eorum temporum intelligi poteſt. Expulſa enim in Orientis Occidentisque regionibus fere omnibus philoſophia, cum barbaries vbique inualeſceret, regnauit miſera haec philoſophia inter ſolos Arabes, pulſaque ex Chriſtianorum ditionibus in Saracenicas terras profugit. Quae cum poſtliminio in Chriſtianas ſcholas reuocari ex Arabum gymnaſiis coepiſſet, cogitari facile poteſt, quo habitu deformi et a natiuo vultu prorſus deficiente ad Occidentales regiones reducta et inter Chriſtianos introducta ſit. Hi enim aut in ſcholis Saracenorum diſcebant, aut eorum verſionibus vtebantur, ſicque et philoſophandi modum illum contentioſum, et inſanum Ariſtotelis amorem, et quaeſtionum inutilium et curioſarum aceruos, et quae alia ſunt Scholaſticae philoſophiae vitia acceperunt, vt ex iis manifeſtum fiet, quae ſequenti libro de origine fatisque philoſophiae Scholaſticae differemus. Hoc vero loco ideo notandum eſt, vt praeiudicium illud tollatur, quod tot viros cetera doctos et acutos decepit, vt crederent Arabicam philoſophiam ſua praeſtantia ſe commendauiſſe, cuius contrarium hactenus demonſtrauimus. Cui praeiudicio frigidam potiſſimum, obſeruante

VIII. Damna philoſophiae inde emergentia inter Chriſtianos.

RENAV-

RENAVDOTIO [k], suffudit Salmasii auctoritas, qui frequenter ad Arabicos libros prouocauit, quamuis eos non satis intelligeret. Hodie certe, vbi et Graeca legere ipsa licet, et iugum philosophiae sectariae excussum est, secure philosophi Arabici negliguntur, eorumque scripta atque philosophia contemnuntur, vel solius historiae philosophicae caussa consuluntur: praecipue cum non nisi Peripatetica satis corrupta propinent.

IX. Conditio philosophiae Saracenicae.

§. X. IX. Facile his omnibus praemissis est, veram philosophiae inter Saracenos Arabesue cultae faciem depingere. Qui enim Aristotelicae philosophiae vultus nouit, hosque peregrinis coloribus naeuisque multis deturpatos esse, ex antecedendis didicit, ille de Saracenorum philosophia iudicium facere facillimo labore poterit. Qualis enim totius philosophiae conditio fuit, talem et partes habuisse singulas, recte ex dictis colligitur. Logicam eos excoluisse, ex scriptorum inter Arabes philosophicorum catalogo apud HOTTINGERVM [l] videre est. Ast non aliam viguisse rationalem philosophiam, quam quae ab Aristotele tradita est, ex recensione scriptorum logicorum, Aristotelicam encyclopaediam illustrantium, quam Muhammed Ebn Isaac dedit, liquet, qua discimus in omnia Logicae Peripateticae capita commentatos fuisse Arabes, eiusque compendia scripsisse quamplurimos. Quae itaque de logica Aristotelis alibi dicta sunt, heic quoque loci repetenda sunt. Idem de reliquis philosophiae partibus dicendum, quas simile Arabum studium meruisse, dicta recensio librorum philosophicorum inter Arabes euincit. Nec in iis, quae Aristotele duce non potuere discere omnia, magnopere Arabum merita depraedicanda sunt, nempe in philosophia naturali, arte medica et mathematica, quamuis vsque ad renatas literas contraria sententia plerisque eruditis insederit. Cum enim proprio vti ingenio non auderent, sed pecorum instar sub iugo philosophiae sectariae ire, quam vt homines libere meditari et philosophari, mallent, contigit, vt nec eruditos satis duces nacti, nec eorum mentem satis assecuti misere in singula fere momenta laberentur. Quaecunque enim laude aliqua digna apud eos inueniuntur, ea omnia debentur Graecis, et iis aut aperto indicio aut clandestino furto surrepta sunt, vltra vero progredi et adiicere nouae terrae aliquid fundis veteribus ausi non sunt, ea vero quae a Graecis acceperunt, saepe numero corruperunt, explicueruntque satis infeliciter. Id quod nullo luculentiori indicio constat, quam iis, quae ad naturalem philosophiam pertinent. Ita e. c. in herbarum simpliciumque cognitione adeo angusta fuit eorum eruditio vt licet Dioscoridem haud malum ducem sibi delegissent, inque eo sibi vindicando non contemnendum laborem ponerent, eum tamen saepe numero male interpretarentur, sensumque atque mentem libri non assequerentur, sic vt fidem vix habeant oculis suis lectores, eum esse Dioscoridis

k) l. c. Forte et Scaligeri, Arabicae linguae notitia gloriantis, exemplum huc referri potest.

l) Bibliothec. Orient. c. II. p. 218. seqq.

dis librum, quem tam male habuit Arabum induſtria. Id quod in aliis quoque ſimilis commatis ſcriptis euenit, dudumque obſeruatum viris doctis m), confudiſſe eos plantarum nomina, et pluſcula iis manſiſſe ignota, etiam vulgaria, et quotidie obuia, quae mediocri attentione adhibita facile intelligere potuiſſent. Neque in reliquis philoſophiae naturalis capitibus felicioribus ſucceſſibus vſi ſunt, in quibus ne minimum quidem notatu dignum obſeruationibus Ariſtotelis adiecerunt, tanta autem ſententiae fluctuantis incertitudine de iis differuerunt, vt pateat, parum vidiſſe eos, quid in fundo ſit: mirum itaque non eſt errores Ariſtotelis omnes in philoſophia naturali eos recepiſſe. Quam cum ad artem medicam adhibuiſſent, et in ea tamen Hippocratem atque Galenum mordicus ſequendum ſtatuiſſent, quibus cum phyſiologiae Peripateticae male conuenire conſtat, non potuere non inepta quoque multa et ἀσύχατα admittere, nec aliunde deriuandas eſſe putamus fictiones illas vanas, et ſpeculationes proprias, vt ſubtiles et abſtractas, ita inutiles et praeter rem allatas, quas in ſcriptis Medicorum inter Arabes philoſophantium reperiri pulchre notauit Cel. FREINDIVS n). Quod ad metaphyſicam attinet, non negamus, Arabes quosdam ſatis ſubtiliter fuiſſe de rebus naturam transſcendentibus philoſophatos, et interdum mentem Ariſtotelis ſatis feliciter fuiſſe aſſecutos; quod imprimis Auerroi contigiſſe, ſupra obſeruauimus. Verum ne ſic quidem cauſſam videmus, philoſophiam Saracenicam magnifice depraedicandi. Nam vt taceamus, fuiſſe alios, quibus non aeque feliciter res proceſſit, omnes ſane errores metaphyſicae Ariſtotelicae, quantumuis peſtilentes ſimul receperunt, adeo vt aeternitatem quoque mundi Auerroës non reſpueret: in quibusdam diſertius venenum, quod latenter Stagirita ſparſit, prodiderunt, et quae ille ambigue propoſuit, et problematice tantum ſuis lectoribus propinauit, affirmando et pro principiis admittendo candide profeſſi ſunt, ſicque manifeſtiori audacia impios philoſophi errores ſuos fecerunt. Id quod intellectus ille actiuus vniuerſalis Auerrois luculento exemplo probat, de quo ita ambigue Ariſtoteles differuit, vt, qui eum ſecuti ſunt, Peripatetici Chriſtiani innumeri haud contemnendas rationes inuenerint, negandi, eum genuinam Ariſtotelis mentem referre. Arabs autem iſte, licet noſſet, fidei ſuae cui nomen dederat, articulos fundamentales iſto dogmate euerti, maluit tamen metaphyſicam Ariſtotelis ſuperſtitioſe ſequi, quam magiſtrum deferendo religioni adhaerere. Sed praeterea notandum quoque, metaphyſicam Ariſtotelis notionibus et praeciſionibus mentalibus totam conſtantem occaſionem dediſſe Arabibus mira ſibi entia imaginaria, conceptus vagos et indefinitos, vocesque nihili concipiendi, quae bellaria cum in menſis theologicis appoſuiſſent, et diſtinctiones, regulas atque axiomata ea metaphyſica ad theologiam explicandam

m) Vid. FREIND. hiſt. med. P. II. p. 14. n) loc. cit. p. 15.

dam adhibuiſſent, deteſtabilis illa theologiae Scholaſticae Muhammedanae, ſiue Al-Calam facies enata eſt, quam omnem veritatem ſuffocaſſe ſupra obſeruauimus. Philoſophiam vero moralem duplici ratione excoluerunt; quidam enim Peripateticum ſyſtema ſecuti, ad ciuilem magis honeſtatem et virtutem quandam politicam, quam ad philoſophicam reſpexerunt, qualia ſcripta aliquot Arabum recenſet HOTTINGERVS *), qui etiam IBN HAVASEN CVSIIRAE *dictorum et reſponſorum moralium librum ad collegium ſophorum ſcriptum* adducit, ex quo titulo colligimus, de rebus moralibus diligenter in conſeſſibus atque academiis ſuis diſputauiſſe Arabes. Qui cum Stagiritam expreſſerint, idem de iis iudicandum eſt, quod de illo ſtatuendum eſſe ſuo loco oſtendimus. Alii metaphyſicam iunxere morali philoſophiae, doctrinaque Ariſtotelis de ſummo bono et prima cauſſa ſuppoſita, ethicam quandam myſticam, ipſi Ariſtoteli ignotam commenti ſunt, qua ſuppoſito influxu ſummi motoris in inferiora, et per vltimam intelligentiam in hominis animum, hunc illi iungi eſſentiali quadam vnione, eumque videre ſtatuerunt, ſicque verum enthuſiaſmum profeſſi ſunt. Cuius luculentum exemplum fabula Hai Ebn Yockdan eſt, quem ad hunc gradum philoſophiae beneficio euectum eſſe finxit Thophail, eius fabulae artifex. Fatemur tamen, ſuſpicari nos, hos ethicos philoſophos haec non ex Ariſtotele ipſo vel Ariſtotelicis γνησίως talibus, ſed ex Alexandrinorum philoſophorum fontibus hauſiſſe, quos talia praecepiſſe ex ſyſtemate Alexandrino ſuſe *Tomo ſecundo* a nobis delineato notum eſt. Cum enim viderent, hos philoſophos, e. g. Iamblichum, Porphyrium, Themiſtium, Simplicium etc. quorum commentarios in Ariſtotelem legebant et interpretabantur, inter Peripateticos non ſine laude enumerari, facile in eam opinionem delapſi ſunt, Ariſtotelicum eſſe, quicquid eiusmodi homines praeceperint. Quaecunque autem ethicae huius myſticae cauſſa et origo fuit, illud certum, inter Arabes multos huic generi de moribus philoſophandi adhaeſiſſe, vt virtutem ſummam ad intuitiuam quandam Dei viſionem et amorem inde ortum eſſentialem retuliſſe. Quo philoſophandi genere inclaruerunt Ibn Ahmed Buſirides Aegyptius, *poëmatibus myſticis*, Omaris Ibn Phared *opuſculis allegoricis de amore Dei*, Olwanus *commentario in poëma magnum*, Ibn Phared Aegyptius *de amore Dei*; Ibn Arabi *notis in poëma myſticum Buſiridis Aegyptii* aliique †). Maior tamen pars in virtutum morumque praeceptis tradendis exoterice verſati ſunt, moreque Orientali et praecipue gentis ſuae per apologos, parabolas, ſimilitudines, ſententias, paraeneſes de rebus ad mores ſpectantibus praeceperunt: cuius rationis philoſophandi ſpecimen luculentum eſt *roſarium* illud *Perſicum* celeberrimum, de quo infra ex inſtituto dicemus. Quantum autem iſta quidem diligentia de morali philoſophia meruerint, eorum eſto iudicium, qui exempla infra afferenda oculo attento perluſtraue-

*) Bibl. Orient. c. II. p. 259. †) Conf. HOTTINGER, l. c. p. 263.

ſtrauerint. Reſtant ſcientiae mathematicae ab Arabibus haud ſegni induſtria excultae. De quorum in illas meritis hic quidem ex inſtituto agendi locus haud eſt, nec negandum, magis ſobrios in iis excolendis ſe Arabes praeſtitiſſe, quam in philoſophia: at praetereundum tamen haud eſt, nihil noui eos Graecorum obſeruationibus adieciſſe, in multis eos vehementer deprauaſſe. Teſtem volumus Euclidem, cuius verſionem Arabicam nobis dedit cura Sixti V, pontificis Romani, in qua ordinem et methodum, qua celeberrimus geometra excelluit, adeo euerſum videas, vt probe intelligi queat, illam ſimplicem atque naturalem ratiocinandi legem, quam Euclides adhibuit, parum interpreti fuiſſe notam, et malum ſe diſcipulis praeceptorem exhibuiſſe. Idem de verſionibus ſphaerae Theodoſii et planiſphaerii Ptolomaei obſeruarunt viri docti q), qui in iis fidem, accurationem et eruditionem magnopere deſiderarunt. Neque valde de aſtronomia Arabum ſtudio promota gloriandum eſt, quamuis magni in ea viri quidam ſupra memorati praedicentur. Nam et in ea quoque fere nihil, vel pauca tantum quaedam acceſſerunt Graecorum obſeruationibus, vt ex Arabica verſione Almageſti Ptolomaici conſtat, et luculento atque memorabili exemplo numeri ſtellarum fixarum demonſtrauit Cl. FREINDIVS r), qui, ne nimii ſimus, ipſe videndus eſt. Vnius aſtrologiae gloriam Arabibus concedendam eſſe fatemur, in qua noſtrae aetatis philoſophos ſi non ſuperaſſe, certe aequaſſe cenſendi ſunt. Multa enim de planetarum aſtrorumque influentiis in ſublunaria, praecipue in hominem ſubtiliter, et, vt ſunt ingenia Orientalium circa hanc artem vaniſſima, magna confidentia praeceperunt; quibus etiam pleraeque, quae poſt renatas quoque literas paſſim inter viros doctos repertae ſunt, reliquiae debentur. Quod vtrum gloriae cedat Arabum philoſophantium nationi, prudenti ſobrioque lectori pronuntiandum iudicandumque permittimus. Ex quibus omnibus, paucis tantum ſtrictimque, vt inſtitutum noſtrum poſtulat, expoſitis, ſole meridiano clarius liquere arbitramur, parum felicia habuiſſe philoſophiam inter Chriſtianos exulem, et ad Arabes profugam fata, nec laeta ſatis illi ſurrexiſſe ſidera; eo quod ſeruilis ingeniorum, ſub armis imperantium ad mentis libertatem ſe erigere non audentium conditio omnem veram natiuamque philoſophiae ſanae indolem euerterit, et praeiudicium auctoritatis obſtiterit, quo minus in rerum diuinarum humanarumque cognitione proficerent. Id quod probe hic monendum notandumque fuit, ne praepoſterae philoſophiae Arabicae laudes in transuerſum nos agant, vtque praeiudicium hoc tandem aliquando totum deleatur.

§. XI. Quamuis autem haec omnia ita ſe habeant, non tamen id ita intelligendum eſt, ac ſi defuiſſent Arabibus viri magni et ingenia excelſa, vel de philoſophia omni ita male meruiſſent, vt in eius hiſtoria exigua

Iudicium de Arabum in philoſophiam meritis.

q) Conf. FREIND. l. c. p. 12. ſeqq. r) l. c. p. 11.

exigua vel plane nulla eorum debeat esse memoria. Non hoc volumus, qui libenter fatemur, in tanta ingeniorum paupertate, et eruditionis nocte, quae tum totum pene terrarum orbem oppresserat, laudandam esse Arabum industriam, quae stellae alicuius instar fulsit: meliusque fuisse aliqua tamen philosophia, licet manca multisque naeuis turgente vti, quam nulla. Sed quae copiose adduximus, eo pertinent, vt veram aetatis cuiusuis indolem modumque, quem in philosophando tenuit, noscamus, et intelligamus, quid verae sanaeque philosophiae profuerit, quid nocuerit, quae impedimenta fuerint, quo minus laetioribus successibus gauisa fuerit. Ita vero et nostrorum temporum felicitas pernoscitur, quibus non veteres duces sine lumine coecoque impetu et obsequio sequi, sed propriis oculis incedere licet, et quibus in tantis philosophiae incrementis innumera rerum omnium cognitioni accessit perfectio, quam si cum Arabum philosophia comparamus, luscos eos fuisse fatebimur, parumque habuisse, quo in philosophia excellerent, concedemus. Adiicimus, ne soli sententiam dixisse, et sine calculo, videamur, verba magni CONRINGII [s], aequissimum de meritis Arabum in philosophiam ceterasque artes sententiam ferentis. *Scripta*, ait, *Arabum, quae Latine sunt versa arguunt pleraque ingenium et iudicium auctorum suorum pereximia, non quidem si dictionem, sed si res, quae tractantur spectare velis, et docendi methodicam rationem. Quemadmodum autem illi ipsi scriptores ingenue eruditionis suae principes magistros agnoscunt Graecos priscos, ita licet etiam fortasse citra inuidiam et obtrectationis suspicionem profiteri, longo interuallo omnem Arabicae doctrinae laudem infra Graecorum illorum merita subsistere; parum certe, idque in perpaucis, isti Graecae sapientiae veteri ab Arabibus illis accessisse: ac proinde, quoniam Graeca hodie redierunt in manus nostras, non etiam esse, quamobrem Arabica haec nondum versa anxie amplius desideremus.* Paria praecipiunt LVD. VIVES [t], RENAVDOTIVS [u], FREINDIVS [x] aliisque, supra ex parte iam adducti.

Philosophia Saracenica in specie considerata.

§. XII. His praemissis, ordo iam postulat hactenus in nobis obseruatus, vt quid Arabes in singulis philosophiae partibus statuerint, explicemus. Verum supersedere nos hoc labore posse, haud obscure intelliget Lector, considerando, philosophiam Arabum totam fuisse Peripateticam, et non modo nihil noui illi addidisse, verum neque vllum eius errorem emendauisse. Quaecunque itaque de philosophiae Aristotelicae placitis suo loco dicta sunt, ea huc quoque pertinent, praecipue si ad ea simul diligenter attendatur, quae §. antecedente monuimus. Vt tamen habeat Lector curiosus vnde litim extinguat, et vt ipse philosophumenων Arabicorum faciem noscat, delineabimus ex scriptoribus Arabicis

s) Antiqq. Academ. Suppl. XXIII. p. 257.
t) De cauſſis corrupt. art. L. V. p. m. 169. seqq.
u) Memoires de literature de l'academie des inscriptions T. I. diss. I. p. 16. et in epistola supra laudata apud FABRIC. Bibl. Gr. Vol. I. p. 816.
x) loc. cit.

cis placita philoſophorum Muhammedanorum, de theologia naturali, deque doctrina de Deo, ſpiritibus, anima eiusque ſtatu et conditione poſt mortem, tum de rebus quoque naturalibus, et ſubiiciemus philoſophiae moralis, Orientali methodo concinnatae compendium. Ita enim manu quaſi ducetur Lector, ad veros philoſophiae Arabicae vultus cominus intuendos.

§. XIII. Poſt rationalem philoſophiam, in qua Saraceni Ariſtotelis categorias, ſyllogiſmum, analyticam, topica et elenchos ſophiſticos explicuerunt, quaeque ſatis nota eſt, et ſine Lectoris nauſea heic loci repeti non poteſt, ſumma diligentia philoſophi Saracenorum Muhammedanam legem amplexi, in theologia naturali, doctrinaque de Deo verſati ſunt, fatendumque eſt, ex quo philoſophia inter Arabes recepta fuit, ingenia acutiora deſertis commodeue explicatis Al-Corani notionibus plebeiis de Deo, ſubtilius Deoque dignius philoſophatos fuiſſe. Vbi tamen ex antecedentibus repetendum eſt, diuerſas fuiſſe diuerſarum ſectarum explicationes et opiniones, quae vel magis vel minus ad philoſophiae normam exactae fuerunt. Has vero hoc loco recenſere omnes, nec inſtitutum patitur, nec Lectoris patientia dignum eſt: et in hiſtoria potius critica religionis Muhammedicae, quam hodie adhuc deſideramus, explicari debet. Exponemus itaque orthodoxam tantum Muhammedanorum philoſophorum et theologorum de Deo rebusque diuinis et ſpiritualibus ſententiam, quam in ſecta Al-Aſsharitarum vigere, ex ſupra dictis conſtat. Eam vero ex duobus potiſſimum fontibus hauriendi occaſionem nobis dedere viri doctiſſimi et de literatura Arabica immortaliter meriti EDVARDVS POCOCKIVS et HADRIANVS RELANDVS. Ille enim praeſtantiſſimo *Specimini hiſtoriae Arabum* [y] inſeruit ALGAZELII *interpretationem confeſſionis fidei orthodoxorum*, Arabicis et Latinis literis expreſſam: Hic Anonymi *Compendium theologiae Muhammedicae* Arabice et Latine libro *de religione Muhammedica* [z] praemiſit, doctoque commentario illuſtrauit. In quo tamen virum elegantiſſimae eruditionis magnaeque in his literis doctrinae, non reſpexiſſe ad loca Arabicorum theologorum in Pocockio adductorum, et diuerſas ſectarum opiniones raro notaſſe, ſed quae tolerabiliora et ſaniora tantum ſunt adduxiſſe, omiſſis theologorum Muhammedanorum ineptiis et diſſidiis merito miramur. Dabimus itaque Algazelii verba, quae de Deo praecipiunt, cum multo luculentius quam Anonymus Relandi de Deo philoſophentur; hunc tamen non negligemus, vt pateat Lectori, quae orthodoxa Muhammedanorum philoſophia de Deo ſit. Reliqua vero quae haec compendia de legatis Dei, de peregrinationibus religioſis, de lotionibus, precibus, eleemoſynis, ieiuniis, de libris diuinis etc. habent, cum ad hunc quidem locum non pertineant, in praeſentia omittemus, ſuo loco ea non praetermiſuri, quae hiſtoriae philoſophicae circa haec capita lu-

Theologia naturalis Saracenorum de Deo.

y) p. 274.

z) Vltraiecti 1717. 8. auctius edito.

cem aliquam foenerari apta ſunt. Haec itaque de Deo ſtatuit, duce Algazelio philoſophia vel theologia potius Muhammedana:

I. Deus omnia condidit, et reſtituit, facitque quodcunque voluerit, qui poſſidet thronum glorioſum et robur eximium.

II. Deus eſt, quod ad eſſentiam ſuam, vnus, cui non eſt conſors, ſingularis, cui non eſt par, vniformis, cui non eſt contrarius, ſeparatus, cui non eſt ſimilis, antiquus, cui non fuit primum, aeternus, cui non fuit initium, perpetuo durans, cui non eſt vltimum, ſempiternus, cui non eſt finis, perſiſtens, qui eſſe non definit, permanens, qui non deficit, quique nec vnquam ceſſauit, nec vnquam ceſſaturus eſt ornari attributis glorioſis.

III. Deus non ſubiacet decreto vt finiatur praeciſis terminis, vel deſectis finibus, ſed eſt primus et vltimus, qui intus eſt et extra.

IV. Dominus ſupra omnia excelſus non eſt corpus forma praeditum; neque ſubſtantia terminis circumſcripta, aut menſura definita, neque ſimilis eſt corporibus, qua vel menſurabilia ſunt, vel diuiſibilia. Ex hac aſſertione clarum eſt, orthodoxam Muhammedanorum fidem in eo quam maxime ſibi cauere, ne Deum faciat corporeum. Vnde Anonymus quoque RELANDI [a] a Deo figuram, ſpeciem externam, colorem, locum, tempus, ſimilitudinem, aequalitatem, imaginem, mutationem, motum paſſiuum et localem, et diuiſionem remouet, qua de re videnda quae ſupra §. III. attulimus. Ex his itaque locis concedendum omnino doctiſſimo philologo Traiectino [b], orthodoxam Muhammedanorum fidem Deum non facere corporeum, nec tam foede in philoſophiam peccare. Aſt addendum hoc quoque, quod Relandus omiſit, aliam videri fuiſſe ſententiam legislatoris Muhammedis, aliamque opinionem ſectas alias tenere, qui non erubeſcunt Deo corporis ſimilitudinem tribuere, eo quod a litera Al-Corani recedere non audent, quorum loca ſupra adduximus. Adeoque non ex toto culpari poſſe ex Chriſtianis illos, qui hunc errorem Muhammedanorum legi exprobrarunt. Poſt introductam enim philoſophiam demum Muhammedanos theologos eius opera ita doctrinam de Deo emendauiſſe, ex ſupra dictis eſt manifeſtiſſimum.

V. Deus neque ſubſtantia eſt, neque exiſtunt in eo ſubſtantiae, neque eſt accidens, neque exiſtunt in eo accidentia, ſed nec ſimilis eſt cuipiam eorum quae exiſtunt, nec ſimile eſt ei quippiam. Probe intelligenda haec ſunt, eo quod primo intuitu Dei ſubſtantiam aeternam, et dependentiam ſubſtantiarum omnium ab eo, tanquam ſubſtantia prima, neceſſaria et aeterna, tollere videntur. Nempe Ariſtotelicis praeceptis metaphyſicis vſi ſunt theologi Muhammedani: Hinc cum vidiſſent, Ariſtotelem ſubſtantiae notionem in praeciſione metaphyſica Deo tantum tribuiſſe, et ab omnibus ſubſtantiis, quae accidenti opponi poſſunt, remouiſſe,

a) p. 9. 10. b) L. II. §. 3. p. 142. ſeqq. vbi auctores affert Chriſtianos, qui hoc Muhammedanis exprobrant.

mouiſſe, cautius locuturi, ipſius ſubſtantiae notionem a Deo ſuſtulerunt, eminentiorem ideam Deum decere, opinati [c]. Non negant itaque aeternam Dei exiſtentiam, naturamque per ſe ſubſiſtentem, ſed ita abſtractione metaphyſica eam extollunt, vt ſupra omnem ſubſtantiam collocent, quam cum in ſe finitatem aliquam comprehendere, et accidens ei opponi crederent, remouerunt etiam exiſtentiam ſubſtantiarum a Deo, non quod ab eo non dependeant, ortumque et naturam habeant, ſed quod formaliter ei non inſint tanquam ſubiecto. Ita quidem eos intelligendos eſſe, vt ſubſtantiam cui opponitur accidens, ab ente neceſſario et per ſe exiſtente diſtinguant, locus ſatis luculentus ab ABRAHAMO ECHELLENSI [d] adductus probat, in quo ita inter alia de ſubſtantia et accidenti auctor Arabs philoſophatur: *Omne quod eſt, exiſtit vel per ſe, et neceſſario, id autem Deus eſt, vel non exiſtit per ſe et neceſſario. Illud quod non inuoluit neceſſariam exiſtentiam, in duas partes diuiditur, ſubſtantiam et accidens. Subſtantia eſt, quod non indiget ſubiecto cui inſit. Accidens eſt, quod ſubiecto indiget. Subſtantia diuiditur in ſpecies duas, abſtractam, quales ſunt intelligentiae et animae, et concretam, quo nomine intelligitur materia et forma.* Habes hic Lector logicas et metaphyſicas Ariſtotelis notiones terminosque ad theologiam Muhammedicam applicatos, ex quibus intelligitur, quam ſubtiles mentis abſtractiones hi homines ſecuti fuerint, manifeſtum vero fit, philoſophia demum Ariſtotelica inter Saracenos introducta, talia a philoſophis decreta fuiſſe, de quibus Muhammedes eo minus cogitare potuit, quo magis haec ſacra nunquam attigit, a notionibus philoſophicis imparatiſſimus. Id quod obſeruationes ſupra poſitas mire confirmat.

VI. Deus non terminatur quantitate, nec comprehenditur terminis, nec circumſcribitur ſitus differentiis, nec coeli eum ambiunt, cum ipſe throno inſideat, modo quem ipſe deſcripſerit, et ſenſu quem ipſe voluerit, ſeſſione quae, procul abeſt, vt in eo notet contactum, vel inſidentiam, vel ſitum localem, vel exiſtentiam in altero, vel motum localem, ita vt non ſuſtineat eum thronus, ſed ipſe thronus, et quod ſuper ipſum eſt, ſuſtineantur bonitate potentiae eius, ſubiecta comprehenſioni manus eius, ipſe autem ſit ſupra thronum et ſupra res omnes, vsque ad terminos terrae, ita tamen ſupra, vt nihilo interim throno et coelo propinquior euadat, cum gradibus infinitis elatus ſit ſupra thronum, non minus quam elatus eſt ſupra terram [e].

VII. Interim tamen omnem rem prope eſt, imo propior hominibus, quam venae ipſorum iugulares, ac omni rei teſtis adſtat, cum propinqui-

c) Id multis philoſophis ex Platonis philoſophia ſolenne fuiſſe, obſeruauit IAC. THOMASIVS in origin. hiſt. philoſoph. et eccleſ. §. 18. p. 22. Ita etiam SCALIGER. de ſubtil. Ex. 365. ſect. 6. p. m. 1125. De entis autem ſignificatione Ariſtotelica eiusque a Platonica differentia videndus PATRIC. diſcuſſ. Perip. T. III. L. 4. p. 317.

d) In ſynopſi propoſitorum ſapientiae Arabum philoſophorum, Paris 1641. edita p. 5. & ap. RELANDVM l. c. p. 147.

e) Aliter ſecta Hanbalitarum, quorum tamen auctorem excuſat Algazel apud POCOCK. ad Port. Moſis p. m. 227.

pinquitas, eius non ſit ſimilis propinquitati corporum, vti nec ſimilis eſt eſſentia ipſius eſſentiae corporum.

VIII. Non exiſtit ipſe in re aliqua, neque in ipſo res aliqua exiſtit. Hoc ex explicatione ☉. V. lucem capit, cauendumque, ne Muhammedanis philoſophis hunc errorem imputemus, poſſe aliquid exiſtere, quod non Deum cauſſam habeat exiſtentiae ſuae. Hoc enim non affirmant, et hac theſi volunt, ſed innuunt tantum, exiſtere nihil in Deo, tanquam in ſubiecto. Hoc enim ſi admitterent, dicendum eſſet, in Deo eſſe accidentia, quippe quae exiſtunt in ſubiecto, id quod ſimplicitati eſſentiae diuinae repugnat.

IX. Superior porro Deus eſt, quam vt contineat eum locus, et ſanctior, quam vt eum terminet tempus, cum fuerit, antequam creata eſſent et tempus et locus, eoque modo ſe iam habeat, quo ſemper habuit.

X. Diſtinctus eſt Deus a creaturis ſuis per attributa ſua, neque eſt in eſſentia ipſius praeter ipſum, neque in alio, praeter ipſum eſſentia eius. Ita quidem Algazelius ſectaque Al-Aſhari, quae omnium ſubtiliſſime de Deo philoſophata eſt. Aliter tamen ſectae aliae, heterodoxiae tamen non ſuſpectae. Nam Anonymus RELANDI [f] paulo aliter: *Ipſi ſunt attributa aeterna in eſſentia eius in aeternum et aeternum, ſine ſeparatione aut mutatione, et illa non ſunt ipſe, nec tamen diuerſa ab ipſo.* Scilicet in eo conueniebant plerique, qui philoſophice de Deo diſputabant, eſſe in Deo eam eſſentiae vnitatem et ſimplicitatem, vt nihil admittat compoſiti. Aſt, quomodo in relatione ad concipiendi modum in intellectu humano attributa diuina conſideranda ſint, de eo vehementer diſſidebant, eo quod diuerſas notiones ſequerentur. Et inter Motazalitas quidem, teſte ABVLFARAIO [g] in eo in vniuerſum conuenit, (licet in aliis ipſi in partes abeant) attributa aeterna ab eſſentia creatoris amouenda eſſe, ſic vt non tantum Chriſtianam trinitatem perſonarum diuinarum refugiant, ſed et ſint inter eos, qui dicant, Deum per eſſentiam ſuam quidem ſcire, ſed non per ſcientiam, et eodem modo potentem eſſe, et viuere; ſint, qui contrarium dicant, ſcire per ſcientiam quae ipſius eſſentia eius ſit. Primi attributa omnino reiiciunt, ſecundi attributa afferunt, quae ſint ipſa eſſentia. Quod vt clarius intelligatur, audienda eſt Al-Shareſtanii explicatio a POCOCKIO [h] adducta, qui *hanc ſectam*, ait, *in eo conſpirare, hocque confiteri: Deum eſſe aeternum, et aeternitatem attributum eſſentiae eius maxime proprium eſſe, reiicere itaque eos attributa aeterna, dicentes: Deum omniſcium eſſe per eſſentiam ſuam, i. e. per ſe, potentem per eſſentiam ſuam, viuentem per eſſentiam ſuam, non per ſcientiam, potentiam et vitam, quae ſint attributa aeterna et ſignificatus in ipſo ſubſi-*

f) In Comp. Theol. Muham. p. 11. g) Dyn. IX. p. 115. h) Specim. p. 114.

ſubſiſtentes: quoniam ſi cum ipſo participarent attributa in aeternitate, quae attributum maxime proprium eſt, participarent etiam in diuinitate. Idem habet MAIMONIDES [i]. Diſtinguunt itaque mira ſubtilitate inter ſcientiam Dei per eſſentiam et per omniſcientiam: eo quod prius eſſe putant negationem attributi ſeu proprietatis, poſterius affirmationem attributi, quod ipſum ſit eſſentia. Quanquam nec in eo ſatis conueniunt an attributum vel conceptu vel re exiſtentia eſſentiae ſit poſterius? Conqueretur Lector, laruas ſibi atque ſpectra metaphyſica enarrari, et cum lemuribus hos philoſophos colluctatos fuiſſe. Nec negamus nos, ita ſe rem habere et homines hos, ſupra intellectus humani vires ad infinitae Deitatis abyſſum progreſſos, cum viderent, ſimpliciſſimam Dei vnitatem non admittere compoſitionem vllam, vellentque tamen, ea quae non niſi diſtinctis notionibus et per partes ob finitos intellectus terminos concipimus, accurate definire, neſciuiſſe, quomodo ex hoc labyrintho ſit eluctandum, adeoque ad vacuos et ſine mente ſonos, et diſtinctiones reuera nihil clari certique afferentes, confugiſſe. Sed afferenda tamen haec ſunt hoc loco, tum vt ratio diſſenſus inter theologos Muhammedanos pateat, tum vt videant, qui cuncta plana, ſimplicia et egregia eſſe in religione Muhammedana clamant et ob eam rem myſteriis Chriſtianorum eam praeferunt, non habere eos, quod tam magnifice iactent. Nec ſimpliciora aliarum ſectarum de attributis diuinis placita, quae poſt lectos philoſophorum libros, auctoribus Waſeli ſectatoribus doctrinam hanc nondum maturam perficere conati ſunt. Nam Hambdani Abi Hodail aſſeclae, Hodailiani ab eo dicti, aliter referente eodem Shareſtanio [k] pronuntiarunt: ſcil. *Deum ſcire per ſcientiam, et ſcientiam eſſe eſſentiam eius, potentem eſſe per potentiam, et potentiam eſſe eſſentiam eius, et ſic porro; rationem deſumentes a philoſophis affirmantibus: eſſentiam Dei vnam eſſe, in qua nulla ſit omnino multiplicitas, attributa autem non eſſe ſignificata poſt eſſentiam,* (i. e. acceſſoria eſſentiae eius), *ſubſiſtentia in eſſentia eius, ſed ea ipſam eſſe eſſentiam.* Ex huius itaque ſectae opinione attributa diuina modi ſunt eſſentiae diuinae, vnde obiectum illis, admittere eos τὸ multum Chriſtianorum in vno. Sephatii porro, vt ABVLFARAIVS [l] docet, Motazalitis contrarii ponebant in Deo attributa aeterna, ſcientiae, potentiae, vitae et eiusmodi alia, qua in re plerosque theologos Muhammedanos, qui ante introductam philoſophiam ſcripſere, duces habuere, apud quos ignota fuit diſtinctio inter attributa eſſentiae et operationis, quique de vtrisque vno eodemque modo loquebantur. Statuebant inſuper aliam adhuc attributorum claſſem, quae attributa declaratiua, id eſt, declarationi narrationique inſeruientia vocabant, qualia, manus, facies et ſimilia, quorum nullam afferebant explicationem, ſed ad ſolam Al-Corani legem

i) Mor. Nebhoch. P. I. c. 57. k) loc. cit. l) loc. cit.

legem prouocabant, quam vt tueretur contra Al-Motazalos, haec praecipue secta exorta esse videtur, quae inde *Sephatiorum*, id est, *attributorum assertorum*, dicta est. Qui tamen cum ignorarent, qua ratione similitudo inter Deum et creaturas iniri, asserique posset, ita tamen vt salua maneret eius simplicitas et spiritualis essentia, more controuersiarum fere omnium, quae de rebus intellectus humani sphaeram transscendentibus agitantur, ad voces nihili confugerunt, asserentes: *Nouimus, dictante intellectu, nullam creaturam Deo, nec Deum vlli creaturae similem esse, verum non nouimus significationem verborum, quae idem de vtrisque affirmare videntur, neque nobis incumbere putamus, vt haec explicemus, sufficit, vt credamus, et certo statuamus, non esse illi consortem, nec illi quid simile.* In qua haeresi fuisse Malec Ebn Ans supra iam narrauimus. Plura non addemus, ne Lectori, tricarum eiusmodi pertaeso taedium creemus. Haec enim sufficiunt, vt intelligamus, vepretis et dumetis plenam esse theologiam Muhammedanam, nec philosophiae vsum effecisse, vt clarius et distinctius de Deo philosopharentur, sed e contrario in numerorum bellorum metaphysicorum foecundissimam extitisse parentem. Iam ad confessionem Algazelii reuertimur e diuerticulo, ad quod nos Anonymus Relandi deduxit, sine lumine ab editore dimissus. Reliqua iam erunt planiora.

XI. Deus propter sanctitatem, i. e. perfectionem suam immunis est a mutatione et motu locali, neque inhaerent in ipso accidentia, neque accidunt ipsi contingentia, verum est ipse per omnia secula, quod ad attributa gloriae suae, ab omni dissolutionis periculo immunis, et quod ad attributa perfectionis suae, nulla perfectionis additione indiget.

XII. Notum est, quod Deus existat, apprehensione intellectus, et oculorum visione, qua gaudent sancti et beati in domo aeterna seculoque futuro, ita vt perfectum reddat gaudium ipsorum intuitu faciei eius glorioſae.

XIII. Deus est viuens, potens, fortis, omnibus praeualens, cui non contingit defectus et impotentia, quem non occupat dormitatio aut somnus, aut nec accidit ei interitus aut mors.

XIV. Eius est imperium et regnum et potentia et robur, dominium et victoria, et creatio et mandatum.

XV. Dei dextra complicati sunt coeli, eiusque manus comprehensioni subiectae omnes creaturae, qui excellentiam suam declarauit, creando et condendo et vnitatem suam, dando existentiam et originem, qui homines et eorum opera creauit, et demensa iis et fines determinauit.

XVI. Manum eius non fugit, quicquid possibile est, et ab eius potentia non longe absunt rerum conuersiones, nec possunt numerari

rari ea, quae ſub potentiam eius cadunt, nec terminari, quae ſub ſcientiam.

XVII. Scit Deus omnia ſcibilia, comprehendit, quicquid euenit a finibus terrarum vſque ad coelum ſupremum, ita vt non longe ab eius ſcientia abſit vel quod pondere inſtar ſit formiculae, tam in terra quam in coelo, verum cognitum habeat motum atomi cuiuslibet in aëre vacuo, et perſpiciat ſecretum et tegat, et cernat conceptus mentis, et cogitationum impetus, et ſecretorum abdita, ſcientia antiqua, aeterna, quae ab omni aeternitate eius attributum fuerit, non ſcientia noua, quae eſſentiae eius aduentitia ſit inhaeſione aut translatione.

XVIII. Vult Deus ea quae ſunt, et diſponit ea, quae de nouo proueniunt, neque obuenit in imperio eius parum aut multum, paruum aut magnum, bonum aut malum, fides aut infidelitas, ſcientia aut ignorantia, affecutio aut fruſtratio, incrementum aut decrementum obedientia aut rebellio, niſi eius determinato conſilio, et decreto, et ſententia et voluntate. Satis ſupra de hoc Abſolutiſmo ſiue Fataliſmo theologorum Muhammedanorum diximus, notauimusque eos, qui paulo moderatius de decretis diuinis praeceperunt, vel in contrariam potius partem abeuntes, libertati humanae nimium tribuerunt. Praeualuit tamen ſemper haec abſolutae voluntatis diuinae aſſertio [m], influxusque prouidentiae inoluctabilis, quem hodieque inter Muhammedanos florere, conſtat. Nec aliter Anonymus RELANDI [n] ſtatuens: *Deum excelſum decreuiſſe res et modos earum, ita vt nihil contingat in mundo, ſiue quod attinet ad rerum ſtatus, ſiue operationes, ſiue bonum, ſiue malum, ſiue obſequium, ſiue obedientiam, ſiue fidem, ſiue infidelitatem, etc. quod non ſit contentum in decreto Dei et ordinatione, voluntate et iudicio eius.* Viderunt probe ita irreconciliabilem eſſe mali moralis indolem et originem cum ſanctitate et bonitate diuina: Vt itaque cuneum huic nodo quaererent, iterum ad inanem nihilque ſignificantem diſtinctionem metaphyſicam confugerunt, ita praecipientes: *Bonum et obedientiam et fidem Deum ita decreuiſſe, vt illa ordinet, et velit, ſubſintque decreto, ſalutari directioni, beneplacito et imperio ſuo. Malum e contrario et inobedientiam et infidelitatem decreuiſſe quidem Deum, ordinare et velle, et decernere, ſed tamen ſine ſalutari ſua directione, aut beneplacito vel imperio ſuo, ſed in ſeductione et indignatione ſua et prohibitione.* Quae cum valde dura et ab impietate prope remota viderent, proteſtati quidem ſunt, *velle Deum bonum ita vt placeat, velle malum vt diſpliceat; et contrarium ſentientem infidelem eſſe:* Aſt iugulaſſe hos homines ſe ipſos ex aſſerta illimitata Dei potentia et voluntate patet, qua id vult, quod poteſt, et poteſt, quod vult. Ex quibus iam quaeſtio dirimenda, num

m) Exemplum Muazudaulae, Halebi principis ſatis curioſum ea de re affert HOTTINGERVS Hiſt. eccleſ. Sec. XI. pag. 458. quem vide.

n) p. 63.

Deus a Muhammedanis theologis philoſophisque auctor mali ſtatuatur? Quam negandam eſſe operoſe contendit RELANDVS o). Qui an nodum ſoluerit et fortius ligauerit, theologis expendendum relinquimus, id vnum obſeruantes, ipſum virum doctum concedere, tradi in Corano: *Deum hominem in errorem deducere.* Id enim ſufficit, vt intelligatur, quam malis ſequelis Fataliſmus Muhammedanus ſubiectus ſit, quamuis concedendum eſſe putemus, Muhammedanos theologos et philoſophos vim fluentium inde aſſertionum non videre, nec Deum vnquam mali auctorem facere. Confirmabunt datam Abſolutiſmi Muhammedani delineationem ſequentia Algazelii aſſerta:

XIX. Quicquid Deus vult, id eſt, et quicquid non vult, non eſt, nec voluntatem eius fugit nictus oculi, nec impetus aliquis cogitationis.

XX. Ipſe eſt, qui rebus initium dedit, quique primo condidit, et reſtituturus eſt (id eſt reſuſcitaturus p) et efficit, quicquid vult, adeo vt non ſit, qui ſententiam eius reuocet, nec qui decreto eius moram iniiciat, nec ſuffugium ſit vllum homini, ne rebellis in eum reperiatur, praeter auxilium et miſericordiam eius, nec potentia homini ad obſequium ipſi praeſtandum, niſi ab amore et voluntate eius; quod ſi ſimul congregentur homines et daemones et angeli, vt vel vnam atomum moueant, aut quieſcere faciant absque voluntate et placito ipſius, non poſſunt id facere.

XXI. Voluntas Dei ſubſiſtit in eſſentia eius inter cetera eius attributa, nec vllum vnquam fuit tempus, quo non ipſi attributa fuerit, quod ſcilicet ab aeterno voluerit, vt temporibus, quae ipſe illis praeſtituerat, exiſterent res, quae demum temporibus ſuis extiterunt, prout ipſe ab aeterno voluit, nec citius nec ſerius, ſed conuenienter ſcientiae et voluntati ipſius, ſine mutatione aut alteratione ſucceſſionis rerum, non noua cogitationum ordinatione, aut temporis expectatione, ideoque non diſtinetur re aliqua, quo minus aliis vacet.

XXII. Eſt Deus audiens et videns, ita vt non procul abſit ab auditu eius audibile quicquam, quamuis occultum ſit, nec a viſu eius viſibile, etſi minutulum ſit, non obſtruit enim auditum eius diſtantia, nec repellunt viſum eius tenebrae, ſed videt ſine pupilla et palpebris, et audit ſine meatu aut aure, ſicut cognoſcit ſine corde, et molitur ſine membro et creat ſine inſtrumento, nihil enim eſt in eo ſimile creaturis.

XXIII. Praeterea loquitur, imperat, prohibet, promittit, minatur, ſermone aeterno, antiquo, qui ſubſiſtit in eſſentia eius, nec ſimilis eſt ſermoni creaturarum, qui non conſiſtit voce, quae oriatur e commotione aëris, et colliſione corporum, neque literis quae conficiuntur concurſu labiorum, aut motione linguae, et eſt lex, Al-Coranus, Euangelium

o) l. c. L. II. §. 4. p. 150. ſeqq. p) Phraſis ex Corano petita Sur. VI. c. 30.

lium et Pſalterium libri demiſſi ab ipſo ſuper apoſtolos ſuos. Etiam circa hanc aſſertionem valde diſputatum eſt inter theologos Muhammedanos, quid de verbo Dei ſcripto quale Al-Coranum habent, ſentiendum ſit, cum nec cogitationem nec ſermonem ab eſſentia diuina ſeparare, nec legem ſcriptam auctoritate diuina priuare auderent. Et Motazalorum quidem ſententia haec, referente Shareſtanio, fuit: *Verbum Dei eſſe de nouo, et eſſe creatum in ſubiecto, ac literis et voce conſtare, cuius exemplar in libris ſcriptum ſit, ad eius imitationem, eumque exprimendum, et in ſubiecto exiſtere, accidens eſſe, et in tempore perire.* Hodailiani vero diſtincte magis pronuntiantes verbum Dei eſſe partim non in ſubiecto, vt dictum eius in creatione: fiat; partim eſſe in ſubiecto, vt mandatum et prohibitio, narratio et interrogatio etc. Quibus omnibus ὀρθοδοξώτεροι ſe oppoſuerunt, cum Algazelio ſtatuentes: *Verbum Dei nec voce et literis conſiſtere, nec creatum et in ſubiecto eſſe concedere.* Aſt pugnare hos philoſophos cum vmbris et de vocibus diſceptare, quilibet deprehendet, qui attenderit, obſeruaueritque, illos de verbo προφορικῷ hos de verbo ἐνδιαθέτῳ, vt vocibus in ſcholis theologorum vſitatis rem declaremus, loqui, et ita inani controuerſia cogitationes Dei, quae eius menti inſunt, cum ſignis earum, vocibus nempe et literis, quibus interna voluntas et cogitatio Dei ad homines defertur, certisque ſubiectis applicatur, confundi[q]. Et ex hac quoque θέσει quaeſtio exorta eſt, an Al-Coranus creatus ſit, nec ne[r], de qua acerrime et non ſine puluere et ſanguine decertatum eſt, de qua tamen hoc loco dicere noſtra non intereſt, quae vero in hiſtoria theologiae Muhammedicae explicari ſolet.

XXIV. Nihil exiſtit, praeter Deum, niſi quod ipſius opere producitur, et fluit a iuſtitia eius modo optimo praeſtantiſſimo, perfectiſſimo.

XXV. Deus eſt ſapiens in operibus ſuis, iuſtus in decretis ſuis, nec poteſt affingi Deo iniuſtitia, cum non reperiat, ad alium quod praeter ſe pertineat, vt ipſi res alienas adminiſtrare pro iniuſtitia imputetur. Patet ex hac quoque theſi iuſtitiam Dei ad voluntatem eius, voluntatem ad potentiam reſtringi, quo ſemel admiſſo, nec aequitatis, nec ſapientiae, nec bonitatis ratio influxum habet atque relationem ad iuſtitiam, ſed ſola potentia. Id quod eo vsque vrgebat Al-Aſshari, vt diceret: *Deum regnare in eo, quod creauit vniuerſo, ita vt faciat, quicquid velit, et ſtatuat, quicquid libeat; quodſi omnes ſimul creaturas in paradiſum immitteret, nulla in hoc foret iniquitas, vel omnes in ignem coniiceret, nulla hic eſſet iniuſtitia, cum iniuſtitia ſit, vt quis res adminiſtrandas*

 ſuſci-

q) Conf. RELAND. l. c. p. 13. POCOCK. Specim. p. 217.

r) Anathema affirmanti dixit Muhammedes, neganti Al-Mozdar, vid. POCOCK. l. c. p. 220. Calamitates ex hac controuerſia publicas exortas eſſe hiſtorici referunt, eo quod ex Abbaſidis Chalifae quidam Al-Matazalorum ſententiam amplexi ad Al-Corani nouitatem confitendam alios mortis et grauiſſimarum poenarum metu adigerent, donec tandem quaeſtionem hanc omitti iuberet Motawaccelus ſublata poena. Idque ſine dubio volunt verba ELMACINI Hiſt. Sarac. L. II: c. 10. p. 155. Cum Chalifatum adeptus eſſet, ſuſtulit tentationem, et ordinatus eſt mundus.

ſuſcipiat, vbi ius non habet, aut res in loco ſuo non ponit; at cum ille ſit rerum dominus abſolutus, affingi non poſſe ei iniquitatem, neque attribui ei iuſtitiam. Alia eius loca ſimilia apud Shareſtanium occurrentia affert POCOCKIVS [s], qui videndus. Ex his fluit, in gratia Dei et praemio benignitatem, in cruciatu et poena iuſtitiam eſſe, nec quaeri ab illo: cur ita fecerit. Nempe ſufficere putant abſolutam Dei potentiam cum voluntate et perfectione eius coniunctam.

XXVI. Omnia, vno Deo excepto, genii, homines, diaboli, angeli, coelum, terra, animalia, plantae, ſubſtantia, accidens, intelligibile, ſenſibile de nouo orta ſunt, eaque ipſe creauit potentia ſua poſt priuationem meram, et in lucem produxit, cum nihil omnino eſſent, et ab aeterno extiterit ille ſolus.

XXVII. De nouo produxit Deus creaturas ad demonſtrandam manifeſtandamque potentiam ſuam, et voluntatem ſuam praecedentem, et verbum ſuum, quod ab aeterno verum fuit, confirmanda, non quod iis indigeret. Declarauit etiam gloriam ſuam creando, condendo atque imperando, non ex debito, et gratiam praeſtando et benefaciendo non ex neceſſitate, vtpote cui ſit benignitas et beneficentia et gratia, et beneficiorum imputatio, cum ipſi poteſtas ſit effundendi ſuper homines varias poenarum ſpecies, eosque diuerſis dolorum morborumque generibus afficiendi, quod ſi faceret, iuſtitia id foret, non malum et iniuria.

XXVIII. Remuneratur autem ſuos cultores propter obedientiam, ratione promiſſi et beneficentiae, non ratione meriti et neceſſitatis, cum non ſit, ad quod praeſtandum ipſe teneatur, nec fingi poſſit in ipſo iniuſtitia, neque obſtringatur ipſe cuipiam.

Hactenus Algazelius, qui his alia ſubiungit de fide prophetae praeſtanda, quae huc non pertinent. Paria in ſcriptis orthodoxorum Muhammedanorum paſſim occurrunt, et eleganter ab Anonymo RELANDI in compendio referuntur, quae cum eruditus libellus in omnium manibus ſit, non exſcribimus.

De angelis et anima humana.

§. XIV. Poſt Deum de angelis quoque animabusque hominum earumque fato ſtatuque poſt mortem in theologia naturali Muhammedanorum theologorum et philoſophorum quaedam exponenda ſunt. De angelis, auctore Anonymo RELANDI [t] ita praecipiunt:

I. Angeli Deo excelſo ſunt ſerui, puri a peccatis, Deo propinqui, qui obſequium praeſtant iuſſis eius, nec ei vnquam ſunt immorigeri.

II. Sunt angeli (genii potius) corpora ſubtilia, ſancta, creata ex luce, nec edunt, nec bibunt, nec dormiunt, nec inter illos mares et foeminae ſunt, nec iis appetitus carnalis eſt, nec pater aut mater.

III. Differentibus formis angeli ſunt praediti, et negotia ſibi propria obeunt. Quidam ſtant, quidam ſunt corpore deorſum inclinato, aut ſedentes

s) Specim. p. 252. t) c. 2. p. 13.

ſedentes, aut fronte demiſſa adorantes[w], alii Dei laudes et hymnos concinunt, vel eum laudant et extollunt, aut veniam peccatorum a Deo pro hominibus rogant etc.

IV. Neceſſarium eſt, in angelos credere, quamuis aliquis ignoret nomina et ſpecies eorum: et amore illos complecti eſt ex neceſſitate fidei, et odiſſe illos infidelitas eſt.

V. Qui vel ſexuum diſcrimen in angelis ponit, vel in eos non credit, nec eos amat; infidelis eſt. Nihil hic de angelis tutelaribus; quos tamen Muhammedani theologi ſtatuunt, eosque poſt preces reuerenter ſalutant. Multa in his Muhammedanos accepiſſe a Iudaeis veriſimile eſt: quaedam haereticorum ſomniis ſunt oppoſita. Intelligentiae vero Ariſtotelicae a philoſophis his angelis applicatae videntur, eo quod locus Algazelii ſupra adductus ſuadet, intelligentias has theologos philoſophantes a geniis diſcreuiſſe. Aliquoties enim geniorum, angelorum et diabolorum diſtinctis nominibus meminit, at ſubſtantias quoque intelligibiles memorat; cum genii vel corporeae naturae eſſe, vel ſaltem corpore ſubtiliſſimo amicti ab iis credantur[x]. Quod confirmat Al-Iannabius a Pocockio[y] adductus, cuius haec verba ſunt: *Creauit Deus angelos et genios ex eodem genere; ex ipſis qui mundus, angelus dicitur, qui malignus diabolus, qui medii ſtatus, genius.* Vnde genii Al-Damirio *corpora ſunt aërea, quae varias induere formas pro lubitu poſſent, ratione, intellectu et ardua quaelibet praeſtandi potentia praedita.* Sub hoc geniorum nomine diabolum quoque ipſiusque exercitus comprehendunt.

VI. Animae hominum immortales ſunt. Recte improbat Relandvs[z] Polydori Vergilii aſſertum, Muhammedem credidiſſe, animos non manere poſt corpora. Contrarium enim in Al-Corano et in tota theologia Muhammedica ſtatuitur, vbi infinita de ſtatu animorum poſt mortem garriuntur. Addimus nos dictis a laudato viro elegans carmen Arabis poëtae Abil Ola Moaruienſis, licet is Zindeciſmi a quibusdam accuſatus fuerit[a]:

Creati ſunt homines aeternitati, et fallitur
Secta, quae exiſtimat eos natos interitui,
Siquidem transferentur a loco operum
Ad locum miſeriae aut felicitatis,
Decubitus mortis ſomnus eſt, quo requieſcit corpus,
Et vita futura quaſi reſuſcitatio e ſomno.

Fuiſſe tamen inter Muhammedanos quosdam, quibus animae vel ſpiritus nihil aliud ſunt, quam accidentia, quae moriente corpore intereunt, Al-Shareſtanii fide, Al-Aſsharitarum quibusdam id tribuentis refert auctor libri Arabici *Cenzil Aſrar*, id eſt, theſauri ſecretorum, a Pocockio[b] adductus, qui tamen ipſe notat, valde ſe de eo dubitare, cum apud

w) Varios hos geſtus ipſi Muhammedani inter precandum adhibent, vid. Reland. l. c. p. 87.
x) Idem p. 15. not. c.
y) Ad Portam Moſis p. m. 274.
z) l. c. L. II. p. 225.
a) Pocock. l. c. p. 226. b) loc. cit.

apud ſectam iſtam obtineat doctrina: non interire ſpiritus, ſed ſuperſtites manere. Quod recte ab eo moneri inde intelligitur, quia ſecta haec orthodoxam Muhammedanorum doctrinam ſeruaſſe dicitur. At ſtatuiſſe hoc quoque Muhammedanos, obſeruat RELANDVS [c]: animas hominum non futuras ſine corporibus, idque ita intelligere, poſt mortem, aut verius, poſt examen ſepulchri, animam in aliud corpus purum et a Deo creatum hunc in finem tranſire, in quo manſura ſit, tanquam in receptaculo ipſi a Deo deſtinato, vsque ad reſurrectionem vniuerſalem, quando anima reditura ſit in corpus priſtinum. Putare enim eos, animae naturam non pati vt agat ſine corpore.

VII. Vbi homo ſepulchro mandatus fuit, a duobus angelis exploratoribus, ſpecie horrenda Moncar et Nacir examinatur de fide, et ſi recte reſpondet, molliter quieſcere iubetur, ſi ſiniſtre, grauibus malleorum ferreorum ictibus cruciatur [d]. Celebris illa poena, ſcrutiniumque ſepulchri apud Muhammedanos, quamuis expreſſis Al-Corani verbis non contineatur. Nam qui Sonnam, id eſt traditionem ſequuntur, hoc ſcrutinium vnanimi feruore admittunt, vnde examen quoque et poenam ſepulchri inter fidei dogmata retulit Anonymus RELANDI [e]. Accepit autem traditionem hanc Muhammedes a Iudaeis, quorum חבוט הקבר i. e. fuſtigatio ſepulchri, vt et examen angeli mortis eadem fere ſomnia exprimit, quae narrata leguntur ab EISENMENGERO [f], qui videndus. Ea vero cum ex gentiliſmo originem habuerint, vt docte obſeruatum IACOBO WINDETO [g], colligimus inde, fabulas has gentiles, maxime in Oriente ſolennes ad hoc dogma ſtabiliendum multum contuliſſe. Non tamen examen ſepulchri omnes Muhammedani ſtatuunt, ſed Motazalitae negant: nihil enim definiuit lex Islamitica, nihil ratio.

VIII. Animae e corpore eductae manu angeli mortis, Azariel, ſi fidelis fuerit, duo occurrunt angeli, qui ipſam ad coelum deducant, vt proprius ipſi locus, pro meritorum gradu et ratione tribuatur, nempe vel prophetarum, vel martyrum, vel vulgus fidelium. Multa de his Muhammedanis ſomniis febricitantium ſimilia garriunt, quae tamen cum Graecorum et Iudaeorum, praecipue Cabbaliſtarum dogmatibus de ſtatu animarum poſt mortem comparanda ſunt, vt fontes detegantur, ex quibus ea hauſit Muhammedes.

IX. Animae poſt mortem deſcendunt in Al-Barzach. Eſt autem Al-Barzach explicantibus Grammaticis Arabum doctiſſimis Alzauhario et Al-Firuzabadio [h] id quod inter hunc mundum et futurum intercedit a tempore mortis vsque ad reſurrectionem. Ex quo patet Al-Barzach eſſe locum ſpiritibus a corpore ſeparatis poſt mortem deſtinatum, ſiue boni fuerint,

c) Comp. Theol. Muh. loc. cit.
d) Algazel. l. c. POCOCK. Specim. p. 286. Port. Moſ. p. 130. RELAND. l. c.
e) p. 28.
f) Iudaiſm. detect. P. I. c. 19. p. 873. BVXTORF. Lex. Talm. h. v. POCOCK. Port. Moſ. p. 231.
g) De vita functorum ſtatu, L. I. Sect. 6.
h) POCOCK. l. c. p. 236.

rint, siue mali. Nec aliud vult, nisi quod Hebraeorum שאול Graecorum ἅιδης, a quibus sine dubio ad Muhammedem transiit. Vnde more quoque Graecorum Al-Barzach dicitur de sepulchro, aliisque rebus, quae animae contingunt inter mortis et resurrectionis tempus. In quo dogmate licet more suo plebeias traditiones et Orientalia somnia secutus fuerit Muhammedes, inuenerunt tamen philosophi Muhammedani, quo philosophicum illis sensum tribuerent, quem a Graecis, maxime ab Eclecticis mutuati sunt. Testem damus Auicennam, qui *animas*, ait, *quae sunt perfectae habitibus speculatiuis, sed non sunt innocentes et innoxiae, virtuosae in operationibus moralibus, esse in Berzach, quod est medium inter ipsam felicitatem et inter denudationem ipsarum, et completam expolitionem et liberationem ipsarum a qualitatibus corporeis, et habitibus malis impressis a corpore, prohibentibus ne adueniat huiusmodi animabus felicitas absolute.* Diuersum vero locum in hac ἅιδου commoratione fidelibus et infidelibus assignant, multasque fabulas poëtarum somniis de campis Elysiis similes afferunt, quae, cum ad institutum nostrum non pertineant, apud POCOCKIVM [i] aliosque legi possunt. Nos id vnum obseruamus, pleraque haec Iudaeorum, Cabbalistarum, philosophorum Orientalium et Aegyptiacorum commentis esse affinia et similia, dubiumque non esse, ex turbidis his lacunis dogmata haec fuisse hausta.

X. Datur resurrectio non spiritualis tantum siue animae, sed et corporis [k]. Resurrectionem spiritualem esse volunt animae eo, vnde descendit reditum, quam singulari libro tuetur Auicenna, et philosophi quidam alii: Corporis est, pristini corporis resuscitatio, quam expressis verbis lex Islamitica asserit. Eam rationibus quoque philosophicis assertum iuere Scholastici inter Muhammedanos, ratione petita, tum a subiecti, tum a causae efficientis natura, cum et illud restitutionis illius capax sit, et haec potentia gaudeat, quae et his et maioribus praestandis sufficiat. Cum autem rationibus quoque hac in re philosophicis vti vellent, in varias difficultates et retia inciderunt, ex quibus extricare se non tam facile licebat. Nempe cum potissimum obiiceretur, posse fieri, vt quis ab alio deuoratus fuerit, quo facto necesse sit transiisse partem corporis comesi in corpus comedentis, et hoc in casu non dici posse, in quo corpore pars illa resuscitanda sit? non habuere quomodo nodum soluerent, sed secuerunt eum, asserentes [l]: Partes in corporibus resuscitandis non vniuersum omnes reuicturas, sed radicales tantum, quae ab initio vsque ad finem permanent, quaeque reuera hominem constituunt, eas vero excrementorum rationem habere, quae sine vllo illius, qui comedit, damno, priori domino restitui possunt. Quas subtilitates mire exagitauit

i) Port. Mos. p. 237. seq. k) POCOCK. l. c. 241. Specimin. p. 291. Anonymus RELANDI c. 6. p. 47.
l) POCOCK. Port. Mos. p. 242.

uit Auicenna, exemploque sunt luculento simplicitatem eam religioni Muhammedanae non ineſſe, nec carere eam ita tricis, ac nonnulli iactant. Pulchrius breuiusque ipſe Muhammedes de poſſibilitate reſurrectionis, ad quaeſtionem: *Quis oſſa vitae reſtituet cum putredine conſumta fuerint*, reſpondere iubet: *Ille, qui primo illis eſſe dedit* Habent similia alia philoſophi Muhammedani, de quibus adhibitis axiomatibus philoſophicis acriter inter ſe diſputant, e. g. an Deus corpora penitus ad nihilum redigat, vel diſſoluat ipſam corporum compagem ac denuo inſtauret etc. quibus breuitatis cauſſa non immoramur, legendus autem, qui docte in hoc argumento exponendo verſatus eſt POCOCKIVS [m].

XI. Congregaturus eſt Deus omnipotens in die reſurrectionis, tum qui prius, tum qui poſterius vixerunt, tam homines, quam genios, et cetera animantium genera in locum, quo ſiſtendi ſunt reſuſcitati, vt diſcrimen inter ipſos ponat, et paradiſum fidelibus et obedientibus, gehennam inobedientibus addicat [n]. Multa iterum de loco, modo, et conditione reſuſcitandorum et iudicandorum effutiunt, auctore ſuo digna, quae hic afferre, ob rationem operis huius non licet: pleraque ex allegoriis Orientalium populorum contexta ſunt, quae κατὰ τὸ ἐντὸν obtruſit impoſtor ſuis: ex quibus patet, ne micam quidem ſalis illis ineſſe; quae cum ex philoſophia coloribus melioribus pingere non poſſent philoſophi, maluerunt omne philoſophiae examen declinare, et haec ſimpliciter credenda commendare, quam fateri abſurditatem, et ineptas nugas relinquere. Quod ne ex inuidia dixiſſe videamur, vel oneraſſe religionem Muhammedanam odio illis dicamur, qui ſana et pulchra tantum non omnia in ea vident, ecce verba magni inter eos philoſophi Algazelii in confeſſione fidei ſupra memorata: *Neceſſarium eſt hominibus vt credant ipſi in iis, quae retulit propheta de mundo, et vita futura, cum non accepta ſit ipſi fides hominis, donec certo perſuaſus ſit de iis quae nuntiauit poſt mortem futura.* Non ignoramus philoſophos, cum haec ſatis abſurde dici viderent, varias interpretationes molliores excogitauiſſe; aſt hos non haberi pro orthodoxis, iterum Algazelio teſte, nouimus, qui memorabili loco ita differit: *Motazalitae cruciatum ſepulchralem, et libram et pontem Alſerat, ceteraque quae ad mundum futurum ſpectant, aliter interpretati ſunt; interim tamen confeſſi corporum reſurrectionem, et paradiſum et ſub eo comprehendi cibum, potum, venerem et voluptates ſimiles ſenſibiles; nec non ignem, qui et comprehendat corpus ſenſibile adurens, quod cutim vrat, et adipem colliquet; ſed et hos hactenus progreſſos ſuperantes philoſophi aliter expoſuerunt omnia, quae de mundo futuro tradita ſunt, ea de poenis intelligibilibus ſpiritualibus intelligi iubentes et voluptatibus intellectu percipiendis; negantes etiam corporum reſurrectionem, animarum tantum perpetuitatem aſſerentes, ipſasque vel cruciandas vel laetitia afficiendas, poenis*

m) Port. Moſ. p. 242. n) Ibid. Anonym. RELANDI ibid.

poenis et voluptatibus, quae ſenſu non percipiantur atque hi ſunt, qui modum excedunt. Vides improbari philoſophorum acumina, et orthodoxos literae, quamuis abſurdae inhaerere. Quid ad haec Algazelius, ipſe philoſophi et theologi perſonam ſuſtinens? En quaeſo dignam tanti viri acumine ſententiam: *Mediocritatis terminus inter laxiorem iſtam, et Hanbalianorum iuſto ſtrictiorem interpretandi rationem ſubtilis eſt et profundus, quem non vident, niſi qui Deum habentes propitium, res diuino lumine, non auditu, percipiunt, deinde vbi ipſis retecta fuerint abdita rerum myſteria, prout reuera ſe habent, ad ea, quae auditu edocti ſunt, et verba traditione accepta animum aduertentes, ea quae vero lumine perceperunt, ſtatuminant, quae aliter ſe habent; interpretantur. Quod ſi quis harum rerum cognitionem auditu ſimplici hauſerit, in qua haud firmiter ipſi conſiſtat pes, nec locum, vbi eum figat, aliquem deſignatum habeat, ſatius ipſi eſt, vt iis, quae auditu ſimplici percipiet contentus ſit, prout fecit Ahmed Ebn Hanbali.* Ecce vero quomodo poſt carecta latet aſtutus philoſophus, et ad aſyla ignorantiae confugit, ne neceſſe habeat craſſas iſtas Al-Corani notiones damnare, et philoſophiae victoriam concedere. Ex hoc itaque liquet, prudentiores ea, quae de ſtatu animarum poſt mortem Muhammedes vulgariter nugatus fuerat, philoſophia duce, emolliuiſſe, et ſaniori explicuiſſe ſenſu, at diſplicuiſſe id orthodoxis theologis, nec Muhammedanae religioni tribuendum per ſe eſſe. Abit itaque a regnante inter Muhammedes affectas opinione. Auicennae explicatio, quam hic quoque apponemus, vt, quid viſum ſit philoſophis Muhammedanis, lector intelligat. Ita vero ille, ex interpretatione Bellunenſis: *Si anima fuerit beata poſt ſeparationem, tunc imaginatur ſecundum formam laudabilem vel delectabilem, in formis ſenſationum, et in forma ſecundum quam vere cognoſcit veram beatitudinem. Et dixerunt, quod haec ſit poena ſepulturae, et praemium vel delectatio in ea. Et dixerunt, quod mundus ſecundus ſit exitus ab indumento iſtarum qualitatum corporis: et quod indumentum animae ex iſtis diſpoſitionibus ſit ſepultura animae. Dixerunt etiam, quod non eſt mirum, quod imaginetur formas laudabiles, et appareant ei in fine eius ante mundum ſecundum, ſcilicet in hora mortis, et poſt eam omnes diſpoſitiones connumeratae in libris prophetae, ſc. diſpoſitiones paradiſi, et mulieres et aliae delectationes, quae currunt hoc curſu.* Haec Auicenna quidem, aſt reprobatus ab aliis, qui Islamiticae legis obſeruantiores fuerunt. Et recte quidem, ſi de ſcopo menteque pſeudo-prophetae iudicandum, cui non alius finis fuit, quam turbae temere coëunti, et plebeias notiones ſequenti legem accommodare ſuam. Ex his de illis quoque ſententia ferenda, quae de paradiſo et gehenna tradunt, in quibus ne mica quidem ſalis ineſt, nec veſtigium vllum philoſophiae apparet. Non perdemus tempus harum nugarum recenſione,

ſed remittimus Lectorem ad POCOCKIVM o), ipſis Muhammedanorum verbis cuncta enarrantem, ne obiici poſſit, inuidioſius haec allegorice dicta illis imputari, et ſaniora comprehendere Muhammedaniſmum. Vnum non praeteribimus, durationem videlicet poenarum infernalium, de qua Algazel ita credere ſuos iubet:

XII. Exituri ſunt tandem illi, qui vnum Deum confeſſi fuerint ex igne, poſtquam poenas delictorum luerint, adeo vt ex Dei gratia non permanſurus ſit in gehenna quispiam, qui vnum Deum confiteatur p). Ex hoc quoque aut a philoſophis orientalibus, vel haereticis potius ex illis ortis, aut a Iudaeis deſumtum, qui ſimilia tradunt.

Phyſica et metaphyſica Saracenica.

§. XV. Sequitur phyſica Arabum, de qua ex antecedentibus iudicium fieri poteſt. Secuta enim in hac quoque eſt philoſophorum illorum induſtria Ariſtotelem, ita tamen, vt ad placita Muhammedis ſubinde reſpicerent. Quamuis autem ex ſyſtemate Lycei phyſico, quale illud *Tomo primo* deſcripſimus, colligi ſine labore poſſit, qualis fuerit Arabum doctrina naturalis, ſequemur tamen ordinem viamque quam ingreſſi ſumus in hac quoque philoſophiae parte, ſcriptoremque Arabem philoſophum aliquem ducem eligemus, quo ad placitorum philoſophiae naturalis Saracenicae hiſtoriam propius penetrare liceat. Non vero occurrit nobis inter Arabes, quos quidem hodie habemus typis editos, melior ſcriptor, quam Abu Iaafar Ebn Thophail, cuius hiſtoriam ſupra ſtrictim enarrauimus, quemque eleganti et ingenioſa fictione fabulae Mileſia de homine vel expoſito vel ſponte nato Hai Ebn Yockdan, praeſtantiora philoſophiae Saracenicae capita fuiſſe complexum ſupra diximus. In eo enim narrationis ſuae compendio iucundo et luculento modo oſtendit, qua via ad naturalem et Dei et animae ſuae, et rerum phyſicarum atque metaphyſicarum notitiam hominem duce congenita rationis luce peruenire poſſe Saraceni philoſophi crediderint. Vnde merito toti fabulae vel epiſtolae, vt inſcriptio habet, Thophaili hunc titulum praefixit eruditiſſimus editor: *philoſophus autodidactus*. Quamuis autem fabulae huiusmodi leges migrauiſſe auctorem ſupra iam monuerimus, cum fictionis audacia omnem veriſimilitudinem more gentis ſuae neglexiſſe ſit apertiſſimum q), et ipſa αὐτοψία doceat, ineptum ad hoc ſcribendi genus auctorem hominem hunc ad ſyſtematicam ideam philoſophi Ariſtotelici, cui ſummam ſapientiam tribuebant Saraceni, totum refinxiſſe; eo tamen ipſo nobis non de artis fingendi, ſed de philoſophiae hiſtoria ſollicitis apprime vtilis eſt. Nam placita non modo phyſica et metaphyſica Arabum inde diſcimus, verum totius etiam ſyſtematis nexum ſuo modo colligimus. Quin immo digna ex illis quoque φιλοσοφεμένοις obſeruatione erudimur, qua ratione myſtica illa et fanatica philoſophia, quae Orientem patriam

o) Port. Moſ. loc. cit.

p) Ibid. p. 230. Specim. p. 276. Anonymus RELANDI l. c. qui cum p. 199. quantum pote Muhammedanos excuſet, ex his iudicari poteſt.

q) Vid. HVET. de fabul. Romanenſ. p. 21.

patriam habuit cum Peripateticiſmo vno ſub iugo ire coacta ſit. Vtemur autem verſione POCOCKII Latina[r], non neglectis tamen Anglica a SIMONE OCKLEY et Germanica a B. Io. GEORG. PRITIO curata.

§. XVI. Priusquam autem potiora philoſophi αὐτοδιδάκτα placita, coelitus, ſi ſuperis placet, cum eo communicata, enarremus, omnino monendus eſt Lector, nihil fere in toto eius ſyſtemate reperiri, quod non vel Ariſtotelicum ſit, vel ſaltem ex phyſiologia Peripatetica fluat. Quod equidem mirandum non eſt, cum ex hiſtoria philoſophiae Saracenicae hactenus enarrata ſit manifeſtiſſimum, hanc vnam philoſophandi rationem, quam Stagirites tenuit, licet in haud paucis corruptam, inter Arabes regnauiſſe: hoc vero loco ideo obſeruandum eſt, ne alios Arabi ſcriptori affingamus ſenſus, quam quos Lycei praecepta poſtulant[s]. Qua de re vt conuincamur, ecce ſyllogen dogmatum Peripateticorum in hac fabula contentorum, quae dubitare nos non ſinit, Thophailum Ariſtotelem ducem elegiſſe. Nempe ſtatuit mere Peripatetice: eſſe quatuor qualitates, humidum et ſiccum, calidum et frigidum, et ex harum commixtione oriri res omnes. Eſſe tres animae facultates vegetatiuam, ſenſitiuam, et rationalem. Tria quoque conſtitui principia, priuationem, formam et materiam, haecque duo poſteriora ad eſſentiam rei pertinere: oriri omnia et exiſtere ex potentia: naturam rerum eſſentialem conſtare ex materia et forma: formamque dare eſſe materiae reique: motum eſſe actum potentiae quatenus eſt potentia: non dari proceſſum motus in infinitum, ſed ſubſiſtendum eſſe in primo motore. Fontem porro omnis motus, ſiue motorem primum eſſe immobilem, vnum, aeternum, indiuiſibilem, et ab omni quantitate et materia remotum. Eſſe quoque corpora alia ſimplicia, alia compoſita, et illa quidem motum habere aut circularem aut rectum: indeque quatuor tantum elementa eſſe. Eſſe coelum ſimplex, absque generatione et corruptione, et in circulo moueri. Nullum corpus eſſe infinitum, ideoque nec mundum infini-

Peripateticiſmus phyſicae Saracenicae.

r) Edit. Oxon. 1700. recuſa.

s) Habere ſe ait auctor haec myſteria cognitionis intuitiuae et contemplatiuae ex philoſophia Orientali in praef. p. 3. vnde de hac philoſophia enthuſiaſtica p. 13. iactat: „Non putandum eſſe, „philoſophiam, quae ad ipſos peruenerit, in libris „Ariſtotelis et Abu Naſri, et in libro Alshebha „abſoluere hunc ſcopum, neque quenquam ex „Andaloſenis (Hiſpanis) ſcripſiſſe de eo aliquid, „quod ſufficere poſſit, eo quod Hiſpani ad diſciplinas tantum mathematicas reſpexerint, et qui „poſt eos venerunt, logicae intenti fuerint, ad „ſcopum hunc non peruenientes. Cum autem „ſucceſſerint illis perſpicaciores inter quos acutiſſimus fuerit Abubecr Ebn Alſayeg, (de quo „ſupra diximus) libros eorum imperfectos manſiſſe. Porro Alsheich Abu Ali in libro Alſepha, i. e. ſufficientiae, diſerte dicere, ſe compoſuiſſe eum ſecundum doctrinam Peripateticorum, illum autem, qui veritatem voluerit, cui „nihil ſubeſt obſcuri inſpicere debere librum „ipſius de philoſophia Almoshrakia, i. e. Orientali. Eum enim qui ad exteriorem verborum „Ariſtotelis ſonum tantum reſpiciat, neglecto interiori et occulto eorum ſenſu minime perduci „ad iſtam perfectionem. Habuiſſe etiam Algazelium praeter libros exotericos, arcanos quosdam huc pertinentes nec cum aliis communicatos ſicque in aliis quoque philoſophis obtigiſſe etc.“ Ex quo loco maxime memorabili patet, hanc Enthuſiaſmi doctrinam Arabes quosdam ab Orientalibus accepiſſe, et tum demum phyſiologiae Peripateticae attemperauiſſe. Quod vt probat fanaticum illud philoſophiae Orientalis genus etiam Arabibus innotuiſſe, ita docet quoque, eam in Ariſtotelicos ſenſus fuiſſe mutatam, vt ex annotato paralleliſmo patet. Hinc haec quoque particula ſuo modo ad hiſtoriam philoſophiae Orientalis pertinet.

tum esse posse: esse tamen aeternum. Item inesse corporibus coelestibus, quintam aliquam naturam siue elementum, esseque coelo figuram sphaericam: et quo propinquior sphaera siue orbis coelestis supremo, cui primus motor adest, fuerit, tanto perfectiorem esse, tantoque celerius moueri. Esse elementa corpora simplicia, in quae alia corpora composita resoluantur: iis autem inesse duas qualitates, leuitatem et grauitatem, illamque sursum, hanc deorsum ferri. Contraria sibi esse elementa ratione grauitatis et leuitatis, inuicem commutari corpora; praeesse animam vegetatiuam vegetationi, sensitiuam sensibus, rationalem rationi; esse duplicem intellectum agentem et patientem: illum aeternum, immortalem, impatibilem, actiuum, et ab omni corporis commercio remotum esse. Esse vero eum vel theoreticum vel practicum. Mortem esse extinctionem caloris naturalis, vitae vero caussam aequilibrium humidi vitalis cum calore naturali. Entia tantum esse, quae ex materia formaque componantur: hincque substantias compositas tantum definiri posse. Non posse generari materiam et formam. Esse etiam potentias alias cum ratione, alias sine ratione. In rebus, quae mutationem non patiantur, falli neminem posse; vnum et idem opponi multis; dari tria substantiarum genera, quae interire possint, vt plantae et bruta, quae non intereant, vt coelum, et quae aeternae et immobiles sint. Dari aeternas substantias, eo quod detur motus aeternus, easque immateriales esse et ab aeterno mouere se actu debere. Imprimere motum reliquis intelligentiis motorem primum; non esse obnoxiam mutationi caussam motus primam, esseque id quod supremum atque necessario existat, rerum omnium primam et necessariam caussam Deumque. Esse Deum ens aeternum, immobile, insensibile, indiuisibile, infinitaeque virtutis, fruique aeterna et perfecta vitae beatitate eamque vitam in intuitione atque contemplatione sui perfectissime consistere. Sub hac vero prima caussa alias esse substantias sphaerarum motrices, hasque esse spiritus atque numina etc. Haec et alia huius generis multoties in hac fabula Milesia occurrunt, quae γνησίως Peripatetica esse, norunt, qui physiologiam Aristotelis a limine salutarunt. Quae si cum tota illa Nostri narratione comparantur, patebit, philosophum autodidactum Enthusiasmum philosophiae Orientalis, fanaticumque illum, quem sibi constituit in intuitiua Dei cognitione, finem ad systema Aristotelis transtulisse, soccumque adaptasse cothurno. Id quod primo quidem intuitu mirum alicui atque παράδοξον videri queat, propius tamen inspectum adeo peregrinum non videbitur cogitanti, Platonicos recentiores eodem fere modo hunc Enthusiasmum in intuitiua Dei cognitione constituentes non Platonico tantum et Orientali, sed etiam Aristotelico systemati mire inter se confusa locum feciisse. Quod qua ratione factum sit et physiologica dogmata toto coelo inter se diuersa atque dissonantia in vnum conspirare finem coacta sint, in historia philosophiae Alexandrinae *Tomo secundo* enarrata pro-

ta prolixe satis expositum est, nec ob breuitatis studium hoc loco repeti potest, conferri vero omnino debet, si mysticam hanc Saracenorum philosophiam Peripateticismo copulatam intelligere velimus.

Fanaticismus philosophiae Peripateticae Saracenorum.

Neque tantopere abhorrent ab hoc fanaticae philosophiae fine scopoque dogmata metaphysica et physiologica Aristotelis, quam prima fronte videntur. Cum enim intellectus actiuus ex illa intelligentiarum diuinarum catena atque syrmate sit vltima earum quae a prima causa dependent, ille vero omnibus hominibus extrinsecus adsit, facile inde deduci potest, quomodo iste intellectus ad intuitionem DEI reducendus sit. Mouere enim sphaeras inferiores, vel intelligentias potius illis regendis affixas primum motorem appetitione et desiderio, ipse dixit Aristoteles, vt, suo loco probatum. Dum itaque intellectus hominis particula et illius diuini intellectus, necessario ad causam primam appetendam mouetur, nec aliter iste motus nisi intellectione conficitur, si Stagiritam audis. Quae genuina fundamenta sunt Enthusiasmi Peripatetici, quae effecerunt, vt toties inter affectas Aristotelis apud Arabes et Christianos inuenti sint, qui vna cum Peripatetica philosophia mysticae quoque theologiae adhaeserunt. Qua de re scriptores historiae theologiae mysticae consulendi sunt [t], et in his, qui acute vidit IACOBVS THOMASIVS [u] adeundus est. Ex his autem intelligitur, crassas Muhammedis cogitationes et deliria occasionem dedisse ingeniis profundioribus et philosophantibus, de diuinis digniori aliquo modo cogitandi, et ineptam illam vulgaris religionis traditionem clanculum reiiciendi. Satis luculenter ad id digitum intendit Thophail monens [x], *sectam Hanificam et legem Mohammedicam vetare homines in eam se immittere, et monuisse, vt ab ea sibi cauerent, ideoque summos viros hanc contemplantium philosophiam ipsumque statum visionis et gustus clanculum habuisse, et inter arcana dogmata retulisse.* Quae vt satis docent, ea quae apud Muhammedanos magis philosophice dicuntur, non legis Islamiticae auctori, ipsique religioni ab homine ἰδιώτῃ profectae tribuenda esse, vt aliquoties monuimus; ita philosophiam de vulgi superstitione in ingeniis excelsioribus triumphum egisse comprobant, et a communi Muhammedanorum turba philosophos hos segregant. Qua de re ipsa Thophaili praefatio luculento testatur commentario. Ceterum cum ad hunc Enthusiasmum totam philosophiam suam iste αὐτοδίδακτος retulerit, causa ex eo patet, cur, qui inspirationes inter Britannos iactant, libro huic tantopere fauerint, curque iis, qui mysticam theologiam sectantur, placuerit. Semper enim hunc Veneris pullum suos amatores reperisse, historia philosophica testis est omni exceptione maior. Et haec quidem introductionis loco ad hunc libellum dicta sufficiant, ne cramben bis ponere

t) Videndi quos laudat IO. CHR. WOLFIVS bibl. Hebraeae P. I. p. 14. not. (i)

u) De definit. Sapientiae s. origin. hist. philosophicae.

x) loc. cit. p. 15.

nere neceſſe habeamus. Iam ipſum audiemus philoſophum ſponte natum, et ſine praeceptore doctum, ita praecipientem:

Thophaili phyſici et metaphyſica.

§. XVII. I. Poſſibile eſt, vt in regione ſub linea aequinoctiali ſita propter aëris maxime ſalutaris et temperati indolem absque matre aut patre naſcantur homines, ita ipſam diſponente luminis ſupremi, quod ſuper ipſam oritur, influxu.

II. Fieri poteſt iſta generatio ſpontanea, luto quodam annorum temporumque proceſſu eo vsque fermenteſcente, donec in ipſo conſpirent calidum et frigidum, humidum et ſiccum, temperatura aequali et viribus pari.

III. Luti huius vbi magna eſt maſſa, partes quaedam aequalitate temperaturae alias ſuperant, ſuntque generationi mixti aptiores, et temperatura gaudent maxime perfecta inſtar humanae.

IV. Agitata itaque materia exoriuntur quaſi bullae prae ſumma eius maſſae viſcoſitate, acceditque in medio eius viſcoſum quiddam cum exigua admodum bulla diſtincta in duas partes tenui velo diſcretas, ſubtili et aërio corpore plena, aequiſſima, quae ei conuenit, temperaturae.

V. Huic corpori coniungit ſe ſpiritus iuſſu Dei excelſi infuſus, et tam arcte adhaerens, vt vix poſſit aut ſenſu aut intellectu ſeparari.

VI. Spiritus hic perpetuo a Deo effluit, et lucem ſolis imitatur, quae continue in mundum influit.

VII. Spiritus iſte, qui eſt ex mandato Dei, ſemper creaturis omnibus infunditur, ſunt tamen ex illis, in quibus nullum ipſius apparet veſtigium ob debitae diſpoſitionis in iis defectum. Huiuscemodi ſunt inanimata, quibus non ineſt vita, quaedam iterum ſunt, in quibus veſtigium eius aliquod apparet, veluti plantarum aliquae ſpecies: quaedam denique ſunt, in quibus conſpicua admodum eſt eius impreſſio, et haec ſunt varia animalium genera.

VIII. Recipiunt quaedam animalia potiore modo ſpiritum illum, quia ſpiritui illi ſimilia ſunt, et ſecundum ipſius imaginem formantur. Talis ſpeciatim eſt homo.

IX. Quod ſi adeo in illo valeat forma haec, vt prae ea quaſi in nihilum redigantur omnes aliae formae, eaque ſola ſuperſit, adeo vt gloria lucis eius exurat quaecunque apprehendit, haec perfectioni proxima eſt. Hoc autem non accidit niſi in prophetis.

X. Vbi receptaculo illi ſe coniunxit ſpiritus iſte, ceterae facultates omnes ſe ei ſubiiciunt, atque obſequium praebent, ex mandato Dei ipſi omnes ſubiectae.

XI. E regione iſtius receptaculi ſurgit alia bulla in tria receptacula diuiſa, inter quae tenues ſunt partitiones et peruii meatus, repletaque

ſunt

ſunt corpore aërio ab eo non diſſimili, quo repletum fuit primum receptaculum, niſi quod tenuius eſt illud.

XII. In tribus hisce ventriculis ex vno diuiſis ſitae ſunt aliquae earum facultatum, quae illi ſubditae ſunt, iisque commiſſa eſt illarum cuſtodia atque tutela, vtque deferrent, quicquid ibi oriretur ſiue magni ſiue parui ad ſpiritum primum in primo receptaculo ſitum.

XIII. Etiam e regione huius receptaculi a parte oppoſita receptaculo ſecundo orta eſt tertia bulla, aërio etiam corpore repleta, ſed quod duobus prioribus craſſius eſt, et in hoc receptaculo ſitae ſunt quaedam aliae ex facultatibus inferioribus, quibus conſeruandis et ſuſtinendis deſtinatum eſt.

XIV. Mutuo haec receptacula indigent auxilio et primo quidem duobus reliquis opus eſt ob ipſorum obſequium et famulatum, duobus aliis veluti principe opus eſt, qui imperet.

XV. Vtrumque tamen horum reſpectu membrorum, quae poſtea formata ſunt, tanquam princeps eſt, non ſubditus.

XVI. Primum autem vi illius ſpiritus, qui ipſi coniunctus eſt, ipſiusque flagrantis ardoris in conicam ignis figuram euadit, atque adeo denſum illud corpus, quod ipſum ambiebat, eiusdem figurae euadit, fitque ſolida caro craſſo operimento induta ad ipſius conſeruationem. Totum hoc membrum cor dicitur.

XVII. Iam vero reſpectu diſſolutionis ac diſpendii humoris, quod calorem conſequitur, neceſſarium erat aliquod, quod ipſi ſuſtentando et alendo inſeruiret, et perpetuo reſtauraret, quicquid de eo abſumeretur, neceſſe etiam erat, vt tangeretur ſenſu illius, quod ſibi conueniens eſſet, idque ad ſe attraheret, nec non ſenſu eius, quod ipſi contrarium eſſet, illudque a ſe repelleret.

XVIII. Huic fini inſeruiendo duo alia membra ſubſtituta ſunt, vna cum facultatibus inde oriundis. Et illud quidem, quod rebus ad ſenſum pertinentibus praeſidet, cerebrum eſt, quod de alimento ſtatueret, iecur. Vtroque opus eſt, primo (corde), vt ipſis calore ſuo ſuppetias ferret, et facultatibus, quae ipſis peculiares erant ab ipſo oriundis.

XIX. Horum omnium gratia intertexti ſunt inter ea varii meatus et tranſitus, quorum alii aliis latiores ſunt, prout rei neceſſitas poſtulat. Atque ita exiſtunt arteriae et venae.

XX. Et ſic porro tota corporis ſtructura atque omnia membra efformantur, vt ſolet embryo in vtero formari eiusque membra perfici, donec referat embryonem ex vtero iam proditum.

XXI. Ita homine perfecto et formata ſcinduntur tegumenta illius maſſae luti, velut in dolore partus, et reſiduum luti aridum factum diſrumpitur y). Haec eſt illa generationis, quam vocant, ſpontaneae hiſtoria,

y) Haec a pag. 27. ad 43. fuſe narrantur.

ria, quam exiſtere poſſe dudum ſibi perſuaſit Ariſtoteles cum aſſeclis, quorum de formatione quoque embryonis hypotheſes Thophail accurate expreſſit. Non ſe quidem iſta ſtatuere affirmat, ſed quosdam ita praecipere tradit, et opinionem iſtorum hominum narrat, alios fingens, referre, hunc Hai Ebn Yockdan fluctibus ventisque expoſitum beneficio fluxus maris in inſulam iſtam delatum, et refluxu maris accidente in aridо relictum eſſe. Patet tamen ex ipſius auctoris narratione, plerosque ſui temporis philoſophos hanc generationem ſpontaneam habuiſſe pro poſſibili, dudumque obſeruatum viris doctis, iam ante Thophailum eandem opinionem inter Arabes inualuiſſe, et Auicennam inter primos fere fuiſſe, qui ei calculum adiecerit [z]. Quod permouiſſe videtur viros doctos nonnullos, et inter hos eruditiſſimum HVETIVM [a], vt primam fabulae huius inuentionem ad Auicennam retulerint, quos tamen falli recte monitum B. Io. CHRISTOPH. WOLFIO [b], quamquam vix negari poſſe videtur, Thophailum argumentum ipſum non inueniſſe, ſed ab aliis rudi adumbratum penicillo elaborandum ornandumque ſuſcepiſſe. Illud dubio caret, Auerroëm Thophailo σύγχρονον eiusque diſcipulum, epiſtolam eiusdem argumenti ſcripſiſſe, *de coniunctione cum Deo*, et ex ea forte cauſſa, fabulam hanc de Hai Ebn Yockdan ad hunc quoque auctorem a quibusdam referri [c]. Ex quo colligimus, in eodem luto haeſiſſe Auerroëm, qui in hac quidem generationis ſpontaneae opinione vna cum gentilibus ſuis nihil noui attulit. Plerique enim philoſophi, quibus ignota erat creationis hiſtoria, ad hunc lapidem offenderunt, quem in tanta rerum naturalium luce quosdam hodie quoque non prorſus euitare multo magis miramur. Certe inter veteres philoſophos Ionicos plerosque generationem ad caloris et frigoris temperaturam, aërisque concretionem et rarefactionem retuliſſe, et Heraclitum [d], Ariſtotelemque [e] idem diu ante Arabes ita praecepiſſe, hiſtoria philoſophica teſtatur. Quin nec Stoicorum rationes ſeminales aliud volunt, nec aliter praecepit Epicurus, cui eadem humani generis origo placuit [f]. Quae veterum Graecorum hypotheſis vt miram dictis a Thophailo lucem conciliat, ita quo canali ad Arabes ea opinio dimanauerit, palam facit. Quam inepta vero et indigna philoſopho ea hypotheſis ſit, meliori loco non habenda, quam totus iſte homo fabularis Arabis philoſophi, hoc loco demonſtrari nec poteſt, nec debet, cum a noſtro inſtituto alienum id ſit. Ceterum cum ſpiritum hominis rationalem partem eſſe iſtius diuini Spiritus, qui ex Deo effluens inferioribus omnibus eius recipiendi capacibus ſe inſinuet, philoſophus Arabs aſſerat, patet inde luculenter, eum eodem prorſus ſenſu de intellectu hominis actiuo ex intellectu vniuerſali exor-

to

z) Videnda, quae monuit POCOCKIVS in praef.
a) l. c. p. 21. cui alii praeiuere, laudati POCOCKIO l. c.
b) l. c. p. 15.
c) Vid. WOLF. l. c. p. 20.
d) Vid. GATAKER. ad Antonin. L. IV. §. 46. p. 167.
e) De generat. anim. L. II. c. 11. T. I. p. 846.
f) LVCRET. L. I. v. 799.

to fuiſſe philoſophatum, quo Auerroës potiſſimum eum ſtatuit. Ita vero dum ſpiritum hunc omnibus rebus ineſſe, eumque ex primo motore effluere dicit, clarius ea proloquitur, quae obſcurius muſſitauit Ariſtoteles, ita vero impium hoc dogma prodit ſuisque coloribus pingit, vt, ex quo fonte totus ille, quem vrget, Enthuſiaſmus, ſurrexerit, clariſſime pateat. Cum enim ſpiritus hominis ex Deo effluxerit, vi ſyſtematis emanatiui eum ad Deum fontem ſuum reuerti oportet, eique intime et eſſentialiter coniungi. Et ex his, qui naſum habent, nec philoſophiam ſobriam omnem eiurarunt, nobis non monentibus iudicabunt, quod pretium toti huic fabulae ſtatuendum ſit. Verum haec obiter. Iam porro philoſophi autodidacti audienda eſt hiſtoria.

XXII. Cum, quod ferae a natura acceperunt, auxilio et defenſione homo naturaliter careat, neceſſitate compellitur, vt de veſtitu aliisque quae ſibi vſui eſſe poſſunt, diſpiciat. Prolixe id proſequitur Thophail, puerumque biennem vel triennem iis nobis meditationibus occupatum depingit [g], quas in viro adulto et philoſophicae meditationis non ignaro vix reperias. Hacque ratione vbique fingendi leges migrat. Sed haec homini ad illas nullo modo attendenti condonanda ſunt, heicque ea ſemel monuiſſe ſufficiat.

XXIII. Cum homo manus habeat, quibus ferae carent, intelligit inde vires ſuas, feras longe exſuperantes [h].

XXIV. Omnes ſenſus certis impedimentis exponuntur externis, quibus eorum operationes ſufflaminantur, eaque ad recte conſtituendum eorum vſum prius remouenda ſunt [i].

XXV. Ceſſantibus omnibus ſenſuum operationibus motuque cum nullum externum vitium aut impedimentum adeſt, cauſſae in membro aliquo a viſu amoto atque in interiori corporis parte recondito, ſine cuius ope nullum membrum exterius ſuo munere fungi poteſt, ſed damnum per vniuerſa membra diffundit, quaerenda eſt. Et hoc quidem membrum cor eſt [k].

XXVI. Mortuo animali cum ceſſant ſenſuum operationes, nihil tamen in eius figura partibusque poſt mortem inuenitur, quod obſtaculum afferat, easque operationes impediat, colligitur inde, aliud quiddam abeſſe, quod cauſſa operationum ſenſuum corporisque prius fuerit [l].

XXVII. Cum videmus, illud quod in corpore habitauit, diſceſſiſſe, idque, illo adhuc integro, reliquiſſe, probabile eſt, idem ad ipſum non rediturum poſtquam ei contigit deſtrui ac lacerari. Totum vero hoc corpus merito contemptibile videtur, ac nullius pretii, reſpectu illius rei, quae illud inuoluit et poſtea reliquit; eo quod inſtrumentum tantum fuit illius, quae actiones atque operationes edidit [m].

g) In philoſ. autodid. p. 44.
b) p. 47.
i) p. 50. 51.
k) p. 51.
l) p. 58.
m) p. 59.

XXVIII. Sepeliendum tamen corpus in terra eſt.

XXIX. Ignis res eſt omnium maxime admiratione digna et in pretio habenda [n].

XXX. Cum ignis validiſſimas habeat vires, effectusque edat optimos, recte inde colligitur, id quod in corde hominis eſt, eiusque operationes edit, eiusdem eſſe generis, et naturae, idque confirmat calor, qui in animalibus omnibus viuentibus oſtenditur, frigusque quod poſt mortem contingit continuum, ſummus etiam calor, qui in viuentis pectore ſentitur [o].

XXXI. Humidus ille calidusque vapor in corde, qui animali motum dedit, illas operationes edit, et vera earum cauſſa eſt, vitamque efficit.

XXXII. Omne peculiare animal, licet multa ſint ipſius membra, variique ſenſus motusque, vnum tamen eſt, reſpectu ſpiritus illius, qui ab vno centro originem ducit, vndeque diſtributio eius in alia membra ortum habet, omnia autem membra ei ſubſeruiunt, vel ab eo inſtruuntur [p].

XXXIII. Vnus tantum eſt ſpiritus animalis, cuius ope membra ſuas operationes edunt, quorum nullum munus ſuum poteſt peragere, niſi ope eius quod ad illud a ſpiritu illo deriuatur per meatus, qui arteriae dicuntur, ita vt quoties aut abrumpuntur iſti meatus aut obſtruuntur, ceſſet illius membri actio [q].

XXXIV. Hae autem arteriae ſpiritum illum e ventriculis cerebri deriuant, cerebrum a corde recipit.

XXXV. Magna ſpiritus eſt in cerebro copia, quia illud locus eſt, in quo varie diſtribuuntur multae ipſius partitiones.

XXXVI. Quod ſi membrum aliquod quocunque pacto ſpiritu hoc priuetur, ceſſat ipſius actio, fitque inſtar inſtrumenti abiecti, quo nemo vtitur et prorſus inutile eſt.

XXXVII. Si vero ſpiritus omnino e corpore diſceſſerit, aut ratione quauis abſumatur, vel diſſoluatur, ſimul totum corpus motu priuatur, et ad ſtatum mortis redigitur.

XXXVIII. Rebus omnibus cum homine comparatis, apparet, earum qualitates ex parte cum hominis qualitatibus congruere, et ex parte differre, et illius reſpectu, in quo conueniunt, vnum eſſe, reſpectu vero illius, in quo diſcrepant, varia eſſe atque multa [r].

XXXIX. Itaque in rerum inſpicientes proprietates, quibus inuicem diſtinguuntur, videmus tam varias illas et multifarias eſſe, vt numerum excedant, et tam late ſe diffundere rerum naturam, vt comprehendi nequeat.

XL. Quamuis membra omnia multa ſint, et vnumquodque eorum in partes plurimas diuidi poſſit, ita tamen inuicem connexa ſunt, vt nullum

n) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 63. o) p. 64. p) p. 67. q) p. 68. r) p. 72.

nullum ſit inter ea vllatenus diſcrimen, atque vnius rationem habeant, neque illa inter ſe differant, niſi reſpectu diuerſitatis actionum, diuerſitas autem illa eſt ex cauſſa eius quod ipſi peruenit a vi ſpiritus animalis.

XLI. Spiritus hic vnius eſt eſſentia, isque ipſe vera ratio eſſentiae eſt, cetera vero membra omnia quaſi inſtrumenta ſunt.

XLII. Eadem ratione omnes animalium ſpecies vnum ſunt hoc contemplandi modo, et omnia vnius ſpeciei indiuidua inuicem ſimilia, tam quoad partes exteriores, quam interiores, apprehenſiones, motus et inclinationes, nec inter ſe differunt, niſi in paucis quibusdam rebus, reſpectu earum in quibus congruunt. Ex quo recte infertur: ſpiritum illum, qui in tota illa ſpecie eſt, rem vnam eſſe, nec aliter differre, niſi quod in varia corda diſtribuatur, adeo vt, ſi fieri poſſet, vt totum illius, quod iam in cordibus iſtis diſſipatur, colligi poſſet, et in vno vaſe poni, totum illud vna res foret, cui tantum reſpectu quodam multiplicitas accidat *).

XLIII. Tota itaque ſpecies vna eſt, et indiuiduorum multiplicitas eſt inſtar membrorum multiplicium, quae vnam tantum perſonam conſtituunt.

XLIV. Omnes porro animalium ſpecies in hoc congruunt, quod ſenſum habent, et nutriuntur, et ſponte ſua ſe mouent, quocunque volunt. Quae actiones ſpiritus animalis propriae ſunt, alia vero, quibus poſt hanc conuenientiam animalia diſcrepant, non ſunt admodum propria ſpiritui animali.

XLV. Ex hac conſideratione patet, ſpiritum animalem, qui in toto animalium genere eſt, eſſe reuera vnum, licet ipſi inſit diſcrimen aliquod paruum, quod vni magis ſpeciei quam alteri proprium eſſet. Totum itaque animalium genus vnum eſt.

XLVI. Eadem eſt quoque plantarum ratio, quarum variae ſpecies contemplantes videmus indiuidua cuiuscunque ſpeciei eſſe inuicem ſimilia, quoad ramos, folia, fructus et actiones, atque adeo omnes eius reſpectu vnum quid eſſe, nempe reſpectu conuenientiae, quae videtur in actionibus nutritionis et incrementi †).

XLVII. Vno quoque mentis conceptu totum animalium genus et plantarum coniungentes, videmus omnia in eo conuenire, quod nutritionem et incrementum admittant, niſi quod animalia plantas ſuperent, et in hoc excellant, quod ſentiant et apprehendant, cui tamen ſimile plantis quoque ineſt. Inde nobis conſtare poteſt; et plantas et animalia vnum quid eſſe, reſpectu rei vnius, quae vtrisque communis eſt, quae vero in eorum vno magis perfecta eſt, in altero vero impedimento aliquo cohibita.

XLVIII. Corpora quae neque ſenſum habent, neque nutritionem, neque incrementum, cuiuscemodi ſunt lapides, terra, aqua, aër et ignis,

*) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 75. †) p. 76.

quaeque dimenſionem habent, ſc. longitudinem, latitudinem et profunditatem, aliter inter ſe non differunt, quam quod alia ſint colorata, alia absque colore, alia calida, alia frigida etc. poſſunt etiam calida frigeſcere, et frigida incaleſcere, aqua in vapores conuerti, exque vaporibus generari aqua, et quaecunque comburuntur, in cineres, flammam et fumum conuerti, fumus vero terrae ſubſtantiae in fornice lapideo fieri ſimilis. Ex quibus apparet, haec quoque omnia reuera eſſe vnum aliquid, licet aliquo reſpectu illis contigerit multiplicitas [u].

XLIX. Cum itaque actiones rerum omnium, tantum ratione organorum differant, actionesque illae non ſint eſſentiales, ſed aliunde ab alia quadam re deriuentur, ita vt, ſi pari modo ad alia iſta corpora deferrentur, eſſent illa huic ſimilia; eſſentiam actionibus nudatam conſideranti patebit, illam non aliud eſſe, quam corpus eiusdem cum his generis: et omnia corpora vnum quid eſſe, tam quae in ſe vitam habent, quam quae non habent; tam quae mouentur, quam quae quieſcunt, niſi quod quaedam actiones procedant ratione organorum.

L. Hoc modo inferri debet, totam creaturarum fabricam vnam eſſe, quas primo intuitu multas eſſe putamus, absque numero aut fine [x].

LI. Vnicuique corporum naturalium vna ex his qualitas ineſt, vt vel ſurſum tendat, velut fumus, flamma et aër, aut in contrariam illi partem deorſum moueatur, vt aqua, terra etc.

LII. Nullum autem ex omnibus iſtis corporibus ab vtroque horum motuum liberum eſt, nec quieſcit, niſi cum obſtat impedimentum aliquod, quod ipſi viam interrumpit.

LIII. Conueniunt autem grauitas et leuitas corporibus non qua talibus, ſed competunt notioni corporeitati ſuperadditae: quia ſi pertinerent ad corpus quatenus corpus, nullum reperiretur corpus, cui non ineſſet vtraque earum qualitatum; reperimus autem graue leuitatis omnis expers, et leue aliquod cui nulla ineſt grauitas: et haec duo procul dubio duo corpora ſunt, quorum vtrique notio aliqua ineſt, qua ab altero diſtinguitur corporeitati ſuperaddita, qua alterum ab altero diuerſum fit, quae ſi non adeſſent, forent res vna omni reſpectu [y].

LIV. Eſſentia itaque vtriusque horum ex duabus notionibus eſt compoſita, quarum altera ea eſt, in qua ambo conueniunt: nempe notio corporeitatis, altera, qua inuicem differunt, quaeque notioni corporeitatis coniungitur, nempe graue vel leue.

LV. Vera itaque ratio eſſentiae vniuscuiusque compoſita eſt ex notione corporeitatis et re quadam illa corporeitati ſuperaddita, ſicque cognoſcuntur formae corporum ſecundum diuerſitatem ſuam.

LVI. Hae formae ſenſu non percipiuntur, ſed modo aliquo ſpeculationis intellectualis [z].

LVII.

u) Thorn. in philoſ. autodid. p. 79. x) p. 80. y) p. 83. z) p. 84.

LVII. Spiritus animalis, cuius ſedes eſt cor, neceſſario notionem aliquam corporeitati ſuae ſuperadditam habet, qua idoneus eſt, ad mira haec opera praeſtanda e variis ſenſationum modis, variisque apprehendendi motionibus, et variis etiam motuum ſpeciebus, eſtque notio illa ipſius forma et differentia, qua ab aliis corporibus diſtinguitur, et haec eſt anima ſenſitiua ſiue animalis. Sicque res quae plantis vicem caloris radicalis in animalibus ſupplet, eſt quiddam ipſis proprium, quod eſt ipſarum forma, nempe anima vegetatiua. Ita omnibus etiam corporibus animatorum aliquid proprium eſt, cuius vi vnumquodque eorum actionem ſibi propriam peragit; veluti varios motuum modos et qualitatum ſenſibilium ſpecies, eaque res cuiusque eorum forma eſt, quae naturae nomine indigitatur.

LVIII. Quae itaque corporeitati notio ſuperinduitur atque adpingitur ea eſt, quae animae nomine exprimitur [a].

LIX. Vniuerſa corporum multitudo in forma aliqua conuenit, vnde actio aliqua aut plures procedunt: quaedam autem iſtius multitudinis pars, licet cum omnibus in ea forma conueniat, inſuper aliam formam habet iſti ſuperadditam, a qua actiones quaedam emanant: iſtius quoque partis claſſis aliqua licet cum parte iſta in prima et ſecunda forma conueniat, tertia forma aliqua ab illis diſtinguitur, vnde emanant actiones quaedam: e. g. omnia corpora terreſtria et grauia multitudinem vnam conſtituunt, quae in eadem forma conueniunt, a qua profluit motio deorſum, quamdiu nihil impedit, quo minus deſcendant, et cum vi aliqua ſurſum moueantur, deinde ſibi permittantur, formae ſuae vi tendunt deorſum: huius autem generis pars aliqua, veluti plantae et animalia, licet cum praecedenti multitudine in ea forma conueniat, aliam inſuper formam habet, a qua fluunt nutritio et accretio, quae oriuntur a forma, quae vocatur, anima vegetatiua. Huius autem partis quaedam et ſpeciatim animalia, licet cum parte illa formam primam et ſecundam communem habeant, tertiam tamen formam ſuperadditam habent, a qua proueniunt ſenſatio et motus localis.

LX. Omnis porro ſpecies peculiaris animalium proprietatem aliquam habet, qua ab aliis ſpeciebus ſeparatur, atque ab iis diſtinguitur, et diuerſa fit, eaque a forma aliqua iſti propria profluit, quae ſuperaddita eſt notioni formae illius, quae cum aliis animalibus illi communis eſt [b].

LXI. Haec ſenſibilia corpora, quae ſunt in mundo generationis et corruptionis, compoſita ſunt alia ex pluribus, alia ex paucioribus notionibus, notioni corporis ſuperadditis.

LXII. Aqua eſt res haud multae compoſitionis ob paucitatem actionum, quae ab ipſius forma proueniunt; idem etiam de igne et aëre valet. Terrae vero partes aliae ſimpliciores ſunt aliis.

LXIII.

a) THOPRAIL in philoſ. autodid. p. 87. b) p. 88.

LXIII. Cum quatuor ista alia in alia conuertantur, vnum aliquod esse debet, ex quo omnia participant, idque est notio corporeitatis.

LXIV. Oportet autem vt vacua sit res illa notionibus istis, quibus quatuor haec mutuo a se distinguuntur, et neque sursum moueatur neque deorsum, neque calida sit, neque frigida, neque humida, neque sicca, quia nulla harum qualitatum omnibus corporibus communis est, ideoque non pertinet ad corpus, quatenus corpus est [c].

LXV. Inquirentibus itaque in adiunctum aliquod, quod omnibus corporibus tam inanimatis, quam animatis sit commune, nullum occurrit aliud praeter notionem extensionis ad tres dimensiones, quae in omnibus reperitur. Ea igitur pertinet ad corpus, quatenus est corpus.

LXVI. Sensui autem se non offert corporis alicuius existentia, quae vnum hoc adiunctum habet, ita vt non habeat notionem aliquam extensioni praedictae superadditam, sed sit prorsus vacua aliis formis.

LXVII. Vltra hanc extensionem autem est alia notio, quae illud est, in quo existit ista extensio, cum haec extensio non possit per se subsistere, adeoque extensionis et corporis notiones inter se differunt.

LXVIII. Corpus itaque reuera ex duabus notionibus constat et compositum est, nempe corporeitate et extensione, nec corpus aliquod intelligi potest, nisi ex duabus hisce notionibus compositum [d] et conflatum, neque earum vna sine altera subsistere potest. Illa itaque materia haec forma est: illa in eodem statu permanet, haec mutari potest et successiue varias figuras induere.

LXIX. Aqua, si in eo statu permittitur, quem ipsius forma exigit, apparet in ea frigus sensibile et propensio ad deorsum mouendum, quae duae actiones ita ex ea procedunt, vt vbi ipsam deserunt, prorsus auferatur formae ratio, et formae aqueae ratio ex isto corpore discedat, cum inde emanarent actiones, quibus proprium erat, ab alia forma oriri, et de nouo oriatur forma alia, quae ipsi prius non inerat, atque ab ea profluant actiones, e quarum natura non est, vt inde procedant, quamdiu priori forma informata est [e].

LXX. Necesse autem est omni, quod de nouo producitur, producente, atque inde concluditur debere quoque existente effectu, effectorem existere siue causam efficientem.

LXXI. Essentia formarum talis est corporis dispositio, a qua actiones eius proueniunt, siue aptitudo ad istos motus producendos [f].

LXXII. Actiones, quae a corporibus procedunt, non sunt reuera ipsarum, sed causae efficientis, quae per istas actiones attributa illa produxit, quae illis tribuuntur. Recte hoc intelligendum est, ex mente philosophi αὐτοδιδάκτου, non enim causam tantum efficientem requirit, vt potentia formae deducatur in actum, sed ad vnum illum effectorem causam-

c) THOPH. in philos. autodid. p. 91.

d) Vrget hoc argumentum aduersus Cartesianos corpus cum extensione confundentes, et maiori id luce et perspicuitate donat Io. LOCKIVS de intell. humano L. II. c. 13. §. 11. p. m. 186. seqq.

e) p. 95.

f) p. 96.

cauſſamque rerum omnium agentem vnicam, Deum reſpicit, illique ſoli actiones corporum omnium immediate tribuit. Prouocat enim ad textum Al-Corani, vbi dicitur: *Vos non interemiſtis eos, ſed Deus interemit, et tu non proiecisti, ſed Deus proiecit.* Ex quo loco clarum eſt, ſyſtema cauſſarum occaſionalium non inuentum eſſe nudius tertius a diſcipulis Carteſii excogitatum ad prouocandum ex machina Deum, ſed iam Arabes propter Enthuſiaſmi ſui praeſidium inter genuina Peripateticae ſcholae praecepta illi locum feciſſe. Id quod eo minus mirandum, cum fatalis illa rerum omnium ſeries, quam conſtituiſſe Muhammedem in antecedentibus diximus, ſua quaſi ſponte hoc ſyſtema progignat. Id quod cum Ariſtotele eo magis conciliari potuit, quo magis inter intelligentiam eius ſupremam atque infimam, mediantibus reliquis intelligentiis ſphaerarum praeſidibus intercedit catena fatalis atque ſubordinatus influxus, quo formae illae rebus omnibus materialibus imprimuntur in mundo ſublunari.

LXXIII. Coelum omnesque in illo ſtellae ſunt corpora, quae extenduntur ſecundum tres dimenſiones longitudinis, latitudinis, profunditatis g).

LXXIV. Haec autem corpora infinita eſſe non poſſunt: Corporis enim infiniti notio abſurda eſt. Corpus enim coeleſte certe finitum eſt ex illa parte, quae nobis proxima eſt, et ſenſibus noſtris obuia, teſte viſu noſtro: ex illa vero parte, quae huic opponitur, itidem impoſſibile eſt, vt extendatur in infinitum, quia ſi concipiamus duas lineas ab hac parte, quae terminatur, incipientes, quae in corporis profunditate ſecundum ipſius extenſionem in infinitum procedant; deinde ſupponamus, alteri duarum harum linearum magnam partem abſcindi ex illa parte, cuius extremitas finita eſt, et tum ſumatur de ea, quod ſupereſt, atque extremi eius, in qua facta eſt abſciſſio iſta, applicetur extremitati illius, cui nihil abſciſſum eſt, et linea illa, cui aliquid abſciſſum eſt, parallela ponatur lineae illi, cui nihil abſciſſum eſt, procedente ſimul cum ipſis intellectu ad illam partem, quae infinita eſſe dicitur; reperiemus vel duas lineas in infinitum extendi, et ita neutram earum breuiorem eſſe, quod eſt abſurdum; vel ſi intra eius progreſſum interrumpatur, et ſimul cum ea extendi deſinat, fore finitam, et cum reddatur ei pars illa abſciſſa, quae finita erat, totam eſſe finitam, atque adeo in quocunque corpore illae lineae deſignari poſſunt, illud eſſe finitum. Corpus itaque coeli finitum eſt.

LXXV. Cum autem corpora coeleſtia motu circulari moueantur, vt clariſſime intelligitur in ſphaera recta, ſequitur inde coelum eſſe figurae ſphaericae.

LXXVI.

g) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 99.

LXXVI. Patet id etiam ex eo, quia corpora coeleſtia et orientia, et cum coeli medium tenent, et occidentia in eadem magnitudinis proportione apparent, cum alias vel propinquiora vel remotiora eſſent, et magnitudine apparenti differrent [h].

LXXVII. Motus corporum coeleſtium non niſi in pluribus ſphaeris eſt, omnibus in vna contentis, quae ſuprema eſt, eaque quae ceteras omnes ab Oriente in Occidentem mouet ſpatio diei et noctis.

LXXVIII. Orbis coeleſtis vniuerſim, et quicquid continet, eſt tanquam vna res ex partibus inuicem coniunctis compoſita, omniaque corpora, veluti terra, aqua, aër, plantae, animalia ceteraque eiusmodi omnia in ea ſunt contenta, nec extra illius limites egrediuntur, totumque illius indiuiduum aliquod animal quam proxime refert, et ſtellae in eo micantes ſenſibus animalis reſpondent, et diuerſae in eo ſphaerae inuicem contiguae animalis membra referunt, et quod in eo eſt de mundo generationis et corruptionis, refert illa, quae ſunt in ventre animalis, vti varia excrementa atque humores, ex quibus ſaepe etiam in eo generantur animalia, veluti in maiori mundo generantur [i].

LXXIX. Vtrum vero mundus res ſit, quae de nouo orta eſt, poſtquam non fuerat, et ex priuatione in exiſtentiam emerſerit? aut ſit res, quae nunquam non olim extiterit, et quam nullo modo praeceſſerit priuatio, ita diſputari poteſt, vt neutra harum ſententiarum alteri praeponderet [k]. Fuſe hic de aeternitate mundi et ſubtiliter diſputat philoſophus Arabs, et quae pro ea, atque quae contra eam afferri queant rationes acute enumerat, quae tamen eius φιλοσοφούμενα hoc loco repetere omnia locus et inſtitutum noſtrum non patiuntur. Hinc ὡς ἐν συνόψει monemus, contra mundi aeternitatem id potiſſimum vrgere Thophailum: aeternitatem mundi iisdem premi difficultatibus, quibus cingi infinitatem eius ſupra monuerat. Illud quoque, quod accidentibus de nouo productis non eſſet vacuum, ipſum etiam de nouo productum eſſe debere, ſiquidem non poſſit eis prius dici, adeoque nouum ſimul eſſe neceſſe ſit. Pro mundi vero aeternitate id potiſſimum afferre philoſophum Arabem, productionem alicuius rei vel ipſius mundi nouam, poſtquam non extitiſſet, non intelligi poſſe, niſi ſupponatur tempus, quod illud praecederet, tempus autem cum in mundo ſit, ab eo ſeparari et ante eum poni non poſſe. Non poſſe quoque afferri rationem, cum effector mundi eum neceſſario producere debuerit, cur non prius produxerit? cum nec interna mutationis illius cauſſa, nec externa, quae non fuit, afferri poſſit. Haec philoſophum ſuum Hai diu multum ponderaſſe, nec de eo aliquid certi ſtatuiſſe ait. Ex quo loco patet, Arabem ancipiti illo problemate, quod Ocellus Lucanus iam affirmauit, et ab eo mutuum accepit Ariſtoteles, miros vero in ſenſus deprauarunt Eclectici ſiue Ariſtotelico-Platonici,

h) Thophail in philoſ. autodid. p. 163. i) p. 104. k) p. 107. ſeqq.

Platonici, in priſtinos ſenſus propendentibus Peripateticis γνησιωτέροις, confuſum, non auſum fuiſſe ſententiam ferre. Ex vna enim parte Muhammedana obſtabat religio, quae creationem mundi ſtatuit; ex altera parte pugnabat philoſophia Peripatetica, cuius phyſiologia tota aeternitati mundi innititur. Prudenter autem a quaeſtione hac dirimenda abſtinuit, ne aut crabrones irritaret, quod ante ſe philoſophis nonnullis apud gentem ſuam euenisſe nouerat, aut in philoſophiam peccaſſe videretur. Idque eo facilius ab eo fieri potuit, quod in meditationis ſuae via ad creatorem ſiue motorem primum, quem inquirebat, peruenire ſe poſſe videbat, licet intactam hanc quaeſtionem relinqueret.

LXXX. Quaecunque autem huius problematis pars admittatur, eadem tamen conſequuntur, nempe vel mundum non potuiſſe vi ſua in exiſtentiam prodire, ſed neceſſario requirere cauſſam efficientem, quae ipſum in actum produceret, illum autem effectorem a nullo ſenſuum percipi poſſe, eo quod corpus eſſe non poſſit, quia ad mundum non pertinet: hincque etiam corporis ei qualitates et extenſionem tribui non poſſe, et in mundum poteſtatem eum habere: vel ſi mundus aeternus eſt, motum quoque eius aeternum eſſe, et absque termino, quoad principium, cum nulla quies praecederet, vnde ſumat initium: omnem autem motum aliquod mouens poſtulare, illudque mundo ineſſe non poſſe, quia finitum eſſet, neque ineſſe corpori alicui externo, eſſeque igitur aliquid a corporibus abſtractum, et quod nullis corporeis adiunctis deſcribi queat[l].

LXXXI. Exiſtentia totius mundi eſt reſpectu diſpoſitionis ſuae ad motum huius motoris, qui vacuus eſt omni materia omnibusque corporeis adiunctis, abſtractus ab omni, quod poſſit ſenſus apprehendere, aut ad quod viam inuenire poſſit imaginatio, et cum effector ſit motuum coeli, ita vt ab omni differentia, innouatione, et ceſſatione immunes ſint, procul dubio penes ipſum eſt in illos poteſtas, illeque eorum notitiam habet. Adeoque neceſſario motor aeternus exiſtit, ſiue mundus aeternus ſit, ſiue minus.

LXXXII. Cum materiae omnis corporis forma aliqua opus ſit, quod non poſſit, niſi per eam, ſubſiſtere, neque realiter exiſtere absque ea, forma vero nullam reuera exiſtentiam habeat, niſi ab agente hoc voluntario, patet inde exiſtentia omnia agente hoc indigere ad exiſtentiam ſuam, et non eſſe cuipiam eorum ſubſiſtentiam, niſi ipſius ope, ac proinde illud ipſorum cauſſam eſſe, et ipſam illius cauſſatum, eo quod cauſſa efficiente opus habeant, a qua quoad eſſentiam ſuam dependeant, vt neque permanere poſſint, niſi illud permaneat, neque exiſtere, niſi illud exiſtat, neque ab aeterno eſſe, niſi illud ſit aeternum, illud autem ipſis non indigere, ſed ab iis liberum eſſe. Eſt enim eius potentia et virtus infinita, quae autem ab eo dependent, finita ſunt[m].

l) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 110. 111. m) p. 112.

LXXXIII. Quaecunque itaque ſunt, et mundus, et quae in eo ſunt, ipſius opus ſunt et creatio. Suntque ipſo natura poſteriora, licet tempore poſteriora non ſint. Totus enim mundus ab hac cauſſa efficiente absque tempore efficitur et creatur, cuius mandatum eſt, cum rem fieri velit, vt dicat ei: eſto, et eſt n).

LXXXIV. Cum haec cauſſae efficientis opera intuemur, reſpectu habito ad eius potentiam, et cum admiratione tam rari artificii, tam accuratae ſapientiae, et ſubtiliſſimae ſcientiae, et conſpicua ſunt nobis etiam ex pauciſſimis eorum, quae exiſtunt, multo magis ex pluribus ea ſapientiae veſtigia, et miranda opificii quibus ſumma admiratione afficimur: certiores inde ſimus, omnia non niſi ab agente libero profluere, quod ſummae perfectionis ſit, immo ſupra omnem perfectionem, cui ne atomi quidem pondus ignotum ſit, ſiue in coelis ſiue in terra, nec quicquid eo aut minus ſit aut maius o).

LXXXV. Cum animalia membris aptiſſimis gaudeant, eaque in vſus adhibere ſuos norint, edocta ab hoc effectore, recte inde colligitur, eſſe eum omnium munificentiſſimum et maxime miſericordem.

LXXXVI. Porro cum quicquid formae aliquid aut praeſtantiae, aut perfectionis aut potentiae habet, illud acceperit ab influxu illius agentis liberi, et ab illius exiſtentia et operatione; ſequitur inde quoque illud, quod ipſi natura ſua ineſt, eo maius eſſe, perfectius atque abſolutius, pulchrius, illuſtrius et diuturnius, nullamque eſſe proportionem inter ea, quae in ipſo ſunt, et quae in aliis.

LXXXVII. Omnia porro perfectionis attributa ei inſunt, et ab eo procedunt, immunisque eſt, et ſeparatus ab omni defectus genere, eo quod priuatio in eo eſſe nequeat, qui eſt ens ſimplex, in ſe neceſſariae exiſtentiae, qui exiſtentiam dat omni quod exiſtit, et praeter quem nulla eſt exiſtentia, ille autem eſt exiſtentia, abſoluta perfectio, pulchritudo, ſplendor, cognitio, atque vt habet Coranus: *Ille, Ille, et omnia pereunt praeter eum.*

LXXXVIII. Tam digna eſt huius cauſſae agentis conſideratio, vt merito impediat hominem, quo minus alia cogitet praeter ipſum, et conſpectis veſtigiis operationis eius ille transferat ad opificem cogitationes ſuas, ipſiusque animus ab inferiori mundo ſenſibili penitus abſtractus ſuperiori intellectuali mundo penitus ſit addictus p).

LXXXIX. Senſus nihil apprehendunt praeter corpus, aut quod corpori ineſt; ens vero hoc neceſſariae exiſtentiae immune eſt ab omnibus adiunctis corporeis quocunque reſpectu, nec vlla eſt ratio eum apprehendendi, niſi per id, quod non eſt corpus, neque facultas corpori inhaerens, neque aliquo modo a corpore dependens. Cum itaque illud per eſſentiam noſtram comprehendamus, et firma eius ſit nobis notitia, conſpi-

n) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 113. o) p. 115. p) p. 116.

conſpicuum inde nobis eſt, eſſentiam noſtram comprehendentem illud eſſe incorporeum quid, cui nulla corporis adiuncta conueniant, et quicquid corporeitatis apprehendimus ab exteriore noſtri parte, non eſſe veram rationem eſſentiae noſtrae *q*.

XC. Corruptio et diſſolutio ſunt ex adiunctis corporum, fiuntque formam vnam exuendo, et induendo aliam; illius itaque corruptio ſupponi nulla poteſt, quod non eſt corpus, neque corpore ad ſubſiſtentiam ſuam opus habet, ſed prorſus a corporeis rebus ſeparatur. Anima itaque immortalis eſt, et corrumpi non poteſt *r*.

XCI. Omnes facultates apprehenſiuae aliquando potentia apprehendunt, aliquando actu. Et ſi facultatum harum aliqua nunquam actu apprehenderit, quamdiu potentia tantum apprehenſiua fuerit, non appetit peculiare aliquid apprehendere, quia nullam adhuc illius notitiam habet: quod ſi aliquando actu apprehenderit, et fiat poſtea potentia tantum apprehenſiua, quamdiu in potentia manet, cupit actu apprehendere, quia erga illud obiectum propendet. Et quanto perfectius, ſplendidius et pulchrius eſt iſtud, quod apprehenditur, ſemper maior eius erit appetitio, et maior ex ipſius deſiderio dolor. Si igitur datur aliquid, cuius perfectioni nullus eſt terminus, nec pulchritudini et ſplendori finis, ſed omnis perfectio et ſplendor ab eo procedit, qui illius rei priuatur apprehenſione, poſtquam illius notitiam habuit, infinito dolore afficietur, ſicut qui illud perpetuo apprehendit, inde non interruptam voluptatem, perpetuam felicitatem gaudiumque infinitum percipiet *s*.

XCII. Cum autem enti illi neceſſario exiſtenti omnia perfectionis attributa conueniant, id autem, quod illud ens apprehendit, nec corporeum ſit nec corruptibile, ideo apprehenſioni iſti haec eſſentia idonea ſola eſt.

XCIII. Eſſentia itaque iſta, cum corpus morte exuit, ante cum corpore vteretur, aut nunquam nouit hoc ens neceſſario exiſtens, nec ipſi coniuncta fuit, nec quicquam de eo audiuit: atque hic homo cum e corpore excefferit, enti illi non coniungitur, nec eius deſiderio laborat, ſed in ſtatum brutorum degenerat, eo quod omnes facultates corporeae, intereunte corpore ceſſant, nec ea appetunt, ad quae facultates illae ferri ſolent, neque erga illa propendent, neque ob ipſorum abſentiam dolore afficiuntur vllo *t*.

XCIV. Aut illa, antequam corpus exuiſſet, cognouit hoc ens ſummum, quantae perfectionis, magnitudinis, dominii, potentiaeque eſſet, mentis vero ſuae affectus ſecuta dum ſe ab illo auertit, a morte occupatur, et tum viſione illa priuatur, ipſius vero deſiderio laborat, ideoque permanet in cruciatu diuturno, atque infinito dolore afficitur, ſiue poſt longum taedium ex dolore illo liberanda ſit, et ad viſionem eam, quam ap-

 petebat,

q) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 119. *r*) p. 120. *s*) p. 123. *t*) p. 124.

petebat, perducenda; ſiue in iisdem cruciatibus in aeternum permanſura ſit, prout in vita ſua ad vtrumque horum eſſet diſpoſita, dum in ſtatu corporis eſſet.

XCV. Aut iſta eſſentia, antequam corpus exueret, ens illud exiſtens neceſſario nouit, et ſe totis illi viribus addixit, cogitationesque ſuas continue defixas habuit in ipſius gloriam, formam et ſplendorem, nec ab eo ſe auertit, donec ipſam occuparet mors, dum eſſet in ſtatu intuitiuo eiusque actu; haec cum e corpore exierit, permanet in perpetua voluptate, et continua felicitate atque gaudio ob continuatam viſionem entis illius neceſſario exiſtentis, et viſionis iſtius integritatem ab omni impuritate et mixtura, et ab ea receſſura ſenſibilia illa, in quae intentae fuerant corporeae iſtae facultates, quae reſpectu ad illum ſtatum cruciatus ſunt et mala et impedimenta. Probe conſideranda eſt harum aſſertionum ternio, luculentum enim exemplum praebet, qua ratione philoſophi Muhammedani, vanam ineptamque futurae felicitatis deſcriptionem, quam ad vulgi ſpem atque notionem attemperatam promiſit Muhammedes, emendauerint, et cum philoſophia in concordiam redegerint. Quamuis in hoc Thophaili ratiocinio ſit ἀναπόλουθον, quod cum placitis theologiae Muhammedicae conciliari nequit. Ait enim, in perpetuo cruciatu, animam quae Dei viſione aliquando potita ſed auerſa eſt ab eo, cum a morte e corpore iuberetur exire, torqueri, permanſuramque interdum in eo in aeternum. At ſi Muhammediſmi praecepta conſulimus, illis tantum hoc accidit, qui Deum negant, et nunquam eum agnouerunt. Talia plura in hoc commentario philoſophico obſeruare liceret, niſi breuitatis ſtudium nos cogeret, ea Lectoris attentioni et iudicio permittere, contentos vno exemplo hoc eum monuiſſe.

XCVI. Omnia animalium genera praeter hominem in acquirendis ſibi alimentis occupantur, et explendis corporis deſideriis detenti, ad exitum vsque e vita detinentur: quod manifeſtum facit, ea ens illud ſummum non cognoſcere, nec ipſius deſiderio teneri, vel ipſius notitiam ſibi acquirere, idque cum de animalibus ſtatuendum ſit, aequius eſt, vt de plantis ſtatuatur *. Et hic quoque ſine cenſura non dimittendus eſt philoſophus Arabs: non vrgebimus, ſupponere eum, non vero probare ſtatum illum animalium brutum, ſed concedemus, quod non abſurde poſtulat: ipſe ſibi contradicit, et ex principiis ſupra poſitis totius ratiocinii nexus ſubrui poteſt. Dixerat enim ſupra aſſertione ſexta: ſpiritum diuinum cuius particeps homo factus eſt, omnibus creaturis infundi, et tantum veſtigia eius non apparere ob debitae diſpoſitionis in iis defectum, in quibusdam conſpicuam admodum eſſe eius impreſſionem et haec eſſe varia animalium genera. Haec itaque ſi ſpiritus diuinitus impreſſi veſtigia produnt, idque puer fere iam obſeruauit Hai Ebn Yokdan, cur non adultus

*) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 127.

adultus et omnibus philoſophiae myſteriis diuinitus initiatus idem in animalibus vidit, eaque bruta ratione nullum impreſſionis illius ſignum edere dixit? Verum ſaepius hac ratione labitur Thophail.

XCVII. Cum videamus ſtellas earumque ſphaeras motus habere ordinatos, cunctasque rite diſpoſito curſu circumferri, eſſe etiam pellucidas et ſplendentes, nec vlli corruptioni aut alterationi obnoxias, merito inde ſubnaſcitur ſuſpicio, eſſe ipſis praeter corpora ſua eſſentias, quae cognoſcant ens illud neceſſario exiſtens, easque animae noſtrae eſſe ſimiles, et neque corpora eſſe, neque corporibus inſitas [x]. Iam ex terra in coelum translatus philoſophus αὐτοδίδακτος intelligentias ſphaerarum motrices, quas ab Ariſtotele, is a Platone, Plato a barbaris acceperat, demonſtrare ſatagit, ratione allata vetuſtiſſima quidem et decantata, ſed tali, quae infirmior vix eſſe queat. Qua de re hoc loco Lectorem altius cogitare iubemus, vt ineptam phyſiologiae Peripateticae indolem ex loco hoc ſatis luculento non tam cognoſcat, quam palpet manibus.

XCVIII. Corpora, quae in mundo generabili aut corruptibili ſunt, alia ſunt, quorum eſſentiae ratio conſtat ex vna aliqua forma notioni corporeitatis ſuperaddita, qualia ſunt quatuor elementa: alia autem, quorum ratio eſſentialis e paucioribus formis conſtat, quaeque ideo pauciores habent actiones, et longiorem a vita diſtantiam: quod autem forma plane deſtituitur, ei nulla ineſt ad vitam via, ſed eſt in ſtatu ſimili priuationi: illius autem, cuius rationis eſſentialis ſubſiſtentia e pluribus formis conſtat, plures ſunt actiones et paratior ad vitae ſtatum introitus: quod ſi ita diſponeretur forma ipſa, vt nulla eſſet ratio ipſam ſeparandi a materia, cui propria erat, tum vita eius maxime manifeſta eſt ſtabilis ac viuida: illud autem quod omni forma deſtituitur, eſt ὕλη, priuationi ſimilis, ſine vita; quod per vnam formam ſubſiſtit, ſunt quatuor elementa, quae debilem vitam habent, ob vnam tantum formam, qua vno tantum motu mouentur, plantae vero vita fortiori gaudent, et his animalia [y].

XCIX. Cum inter ea compoſita ſit, in quo non dominetur vnius alicuius elementi natura, tunc omnia aequalis temperamenti in eo ſunt, et paris virtutis, ita vt vnum alterius vires non retundat, ſed agant in ſe inuicem aequali actione. Et quanto maior eſt illa aequalitas, et perfectior, tanto meliorem et perfectiorem habet vitam.

C. Cum itaque ſpiritus animalis, cuius ſedes eſt in corde, ſit maxime aequalis temperaturae, (eſt enim terra et aqua ſubtilior, igne vero et aëre craſſior) ideo rationem medii obtinet, nulli elementorum contrarii, atque ita ad formam, quae animal conſtituit, diſponitur, ſicque diſpoſitionem quoque habet ad perfectiſſimam vitam in mundo generabili et corruptibili: recteque inde concluditur, ſimilem eum eſſe corporibus illis coeleſtibus, quorum formis nihil eſt contrarium [z].

CI. Eſt

x) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 128. y) p. 131. z) p. 135.

CI. Eſt itaque homo animal ſpiritu conſtans aequalis temperaturae, ſimile omnibus corporibus coeleſtibus, ſpecieque diuerſum ab omnibus animalium ſpeciebus, et in alium finem creatum, et ad magnum quid deſtinatum: eſt enim vilior eius pars, corporea omnium ſimillima corporibus coeleſtibus, optima autem eius pars eſt res illa, per quam cognoſcit ens illud neceſſario exiſtens, diuinumque quid eſt, quod non mutetur, nec ei corporeum quicquam attribui poſſit, nec eius notitia acquiratur, niſi per ſe ipſum, quodque ſit cognitio et ſcientia, et ſcibile, neque in horum quolibet diuerſum quid ſit [a].

CII. Cum itaque corporibus coeleſtibus ſimilis homo ſit, neceſſarium eſt, vt illis aſſimiletur, et ipſorum actiones imitetur, et eorum qualitates induat. Quin cum ſimilis ſit enti illi neceſſario exiſtenti, eo quod ſeparatus eſt ab attributis corporis, muneris quoque ſui eſſe reputare debet, vt acquirere ſibi laboret proprietates eius, quacunque poſſit ratione, et ipſius qualitates induere, vtque ipſius actiones imitetur, et ſedulus ſit in promouenda eius voluntate, et res ſuas ipſe committat, et in omnibus decretis eius ex animo acquieſcat, atque iis gaudeat, licet corpus affligat, ipſique noceat, vel corpoream quoque partem omnino perdat [b].

CIII. In parte viliori refert homo alias animalium ſpecies [c], quia eſt ex mundo generabili et corruptibili, eaque varias rerum ſenſibilium ſpecies ab eo exigit, veluti cibum, potum et coniugium [d]. Nec hoc ei corpus fruſtra creatum eſt, nulloque fine coniunctum, itaque incumbit illi, vt ei proſpiciat, illudque rite conſeruet. Quae cura praeſtari non poteſt, niſi per actionem aliquam, quae reſpondeat actionibus aliorum animantium [e].

CIV. Actiones autem illae triplicem prae ſe ferunt reſpectum, vel ad irrationalia animalia, vel ad corpora coeleſtia, vel ad ens neceſſario exiſtens. Prima actio neceſſaria eſt, propter corpus craſſum, ſecunda propter ſpiritum animalem in corde ſedentem, qui eſt principium totius corporis eiusque facultatum, tertia propter ipſiſſimam ſuam eſſentiam, qua ens illud ſummum cognoſcit.

CV. Felicitas autem hominis et immunitas a miſeria collocatur in perpetua viſione entis illius neceſſario exiſtentis, adeo vt in eo ſtatu ſit, vt ſe ab eo ne ad nictum oculi auertat.

CVI. Per primam ex modo dictis actionem nihil quidem acquirit homo viſionis huius, ſed potius diſtrahitur et impeditur, cum in rebus ſenſibilibus verſetur, quae velum aliquod ſunt huic viſioni interpoſitum [f]; opus

a) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 136.
b) IDEM l. c. p. 139.
c) Et tamen paulo prius dixerat, non eſſe reliquis animalibus, ſed corporibus coeleſtibus quoad corpus, ſimilem hominem.
d) Yockdanides autem alium hominem nondum viderat, vnde igitur coniugii ei adfuit notio?
e) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 139.
f) IDEM l. c. p. 140.

opus tamen ea est assimilationis actione ad conseruandum spiritum animalem, per quem secunda assimilatio acquiritur, et hoc modo patet eam necessariam esse, licet noxa non careat.

CVII. Secunda autem actionis conformitate acquiritur magna quidem visionis portio, sed visio interim talis, cui inest mixtura, qua, qui ita videt, suam etiam essentiam vna intelliget, et ad ipsam respiciat.

CVIII. Tertia autem conformitate integra acquiritur visio, et sincera attentio nullum quocunque modo respectum habens nisi ad ens istud necessario existens, abest enim ab eo sua essentia, euanescit, et fit tanquam nihil, vt omnes aliae essentiae praeter illius vnius veri, magni, excelsi et potentis. Caput hoc cardoque totius philosophiae mysticae est, quam hoc libro explicare aggressus est Thophail, et cui praecepta Aristotelicae physiclogiae astute satis adaptauerat. Cum autem vulgi religio, qualem commendauerat Muhammedes, eidem fini non minore calliditate applicanda esset, eaque imprimis cursum illum religiosum circa Caabam in itinere religioso postularet, egregie scopo suo inseruire se posse credidit philosophus Arabs, si philosophum suum ad hoc ipsum exercitium suscipiendum instrueret. Ita enim raptis vehementiori agitatione spiritibus animalibus probe videbat fore, vt extraordinaria commotione inflammata imaginatio miram visionem entis summi, quam affectabat, referret. Vt itaque huic scopo velificaret, secundam philosopho suo iunxit actionem, quae circularem siderum cursum imitandum postulabat. Qua de re consulenda et conferenda sunt, quae alio loco iam de hoc cursu dicemus. Ex his sequentia facile intelligi possunt.

CIX. Vt itaque finis hic obtineatur, nulla alia primi generis actio suscipienda est, nisi quam postulat necessitas, ad spiritus animalis conseruationem: nempe refectio nutrimenti, et defensio ab iniuria aëris et noxiorum animalium, limitesque victui aliisque necessariis ponendi sunt circa qualitatem et quantitatem *g*.

CX. Edendum autem est, quo sumto non magna oriatur aduersus operationem creatoris oppositio, v. g. pulpa in fructibus matura, quorum tamen semina proiicienda sunt in locum foecundum et germinationi aptum; tantumque edendum quantum fami explendae sufficiat, nec repetendus esus, donec infirmitas actiones reliquas impediens moneat *h*.

CXI. Vt actionum secundi generis conformitas cum corporibus coelestibus obtineatur, attributa horum expendenda sunt, quae triplicia sunt, nempe respectu inferiorum calor, lux, rarefactio primi generis; respectu sui splendor, puritas, pellucida conditio, motus circularis circa centrum, secundi generis; respectu entis supremi visio perpetua et intuitiua, nunquam ab eo auersa, et perpetuum in peragenda eius voluntate obsequium, motusque ex ipsius voluntate et potentia, tertii generis *i*.

CXII.

g) Thophail in philos. autodid. p. 143. *h*) p. 144. *i*) p. 147.

CXII. Haec tria attributorum corporum coeleſtium genera ita homini viſionem Dei anhelanti imitanda ſunt, vt quoad primum genus ita ſe comparet, vt nullam plantam vel animal re aliqua carere, vel damno affici patiatur, ſed illud remoueat; et quaecunque poſſet in perfectionis ſuae ſtatu conſeruet; quoad ſecundum genus, vt ſe in perpetua munditie conſeruet, ſordesque frequentibus abluitionibus tollat, vngues dentesque repurget, et abditas quoque corporis partes puras habeat; veſtesque ſaepe mundet, vt ſplendore ſemper fiat corporibus coeleſtibus ſimilior: ſaepe quoque motum circularem imitetur, variis circuitionibus, inceſſu circulari, curſuque et circumrotatione, donec ipſum occupet vertigo [k]. Clauem haec aſſertio porrigit ad intelligenda Enthuſiaſmi Muhammedani myſteria, et illuſtrandam eam, quam ſupra dedimus, obſeruationem; ac recte tenenda ea, quae infra de morali Muhammedanorum doctrina hisque ceremoniis dicemus. Ex his enim patet, philoſophos ritibus e veteri ſuperſtitione retentis et colores quaeſiuiſſe philoſophicos et ad Enthuſiaſmum late in Oriente regnantem eos transtuliſſe. Muhammedanum itaque Yockdanidem ſuum hic format Thophail, ſed philoſophicis coloribus. Qui annon peſſimum fucum redoleant, Lectoris arbitrio relinquimus.

CXIII. Quoad tertium vero genus aſſimilatio hominis viſionem Dei affectantis in eo ſita eſſe debet, vt cogitationes ſuas in ens illud neceſſario exiſtens defigat, et tum a ſe amoliatur omnium rerum ſenſibilium impedimenta, et oculos claudat, et aures ſuas obturet, et ſummis viribus ab imaginatione ſectanda ſe cohibeat, et quantum poteſt connitatur, vt nihil praeter ipſum cogitet, neque aliquid cum eo admittat, hoc autem circumrotando ſe promouere ſtudeat.

CXIV. Ita rapide ſe multoties circumagendo fiet, vt omnia ſenſibilia protinus euaneſcant, et phantaſia reliquaeque facultates langueſcant, et eſſentia actio a corpore remota inualeſcat, fiatque pura cogitatio, qua percipiatur ens illud neceſſario exiſtens; ex quo tamen ſtatu deinde corporeae facultates ad priſtina munera redeunt.

CXV. Ad conſequendam aſſimilationem entis ſupremi, tum ad attributa affirmatiua tum ad negatiua reſpiciendum eſt. Illa a multiplicitate prorſus abhorrent, idemque ſunt cum eſſentia entis illius et ipſiſſima eſſentia: cum itaque homo eſſentiam Dei cognoſcit, ſimul etiam omnia eius attributa cognoſcit. His vero attributa negatiua, quae priuationem abiiciunt, inſeruiunt. Abiicienda itaque omnia corporeitatis attributa ab eſſentia hominis, et ab omni corporea actione abſtinendum, quieteque ſedendum in imo ſpeluncae, capite inclinato, oculis demiſſis, auertendusque animus a rebus ſenſibilibus omnibus, repellendae imagines phantaſiae, et eousque procedendum, vt per plures dies non ſumatur victus, et cogitatione excidant omnes eſſentiae: immo ipſa tandem homi-

k) THORN. in philoſ. autodid. p. 150. 151.

hominis essentia ei euanescat, et totus sit in visione ista veri illius entis, ablatis omnibus formis spiritualibus et corporalibus et sibi subductis: nihilque remaneat, nisi ens illud vnum, verum, existentiae permanentis, et verba eius intelligat, et vocem ipsius audiat, et id videat percipiatque, quod neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque descendit in cor hominis [l]. Ecce vero Lector, totius philosophiae Orientalis scopum finemque, Enthusiasmum hunc ex Aristotelicae philosophiae principiis derivatum, et in Lyceum translatum. Nihil enim tale cogitabat Aristoteles. Ast cum Platonici recentiores Aristotelem cum principiis illis fanaticis, quae ex Orientali philosophia receperant, conciliarent, imitati Arabes paradoxum philosophorum genus, eundem suae physiologiae finem sibi constituerunt, sicque populares se religionis Muhammedanae notiones emendare posse sperarunt. Hincque eandem obtigisse Yockdanidi suo vel potius sibi ipsi felicitatem iactat Thophail, quam habuisse Plotinum gloriatus est Porphyrius. Quod cum ab omni rationis vsu abhorreat, mirum non est, monuisse Thophailum, eius descriptionem hoc loco expectandam non esse. Quos fructus autem haec philosophia fanatica habeat, sequentia docebunt.

CXVI. In tali visionis statu constitutus comprehendit, se non habere essentiam ab essentia veri illius discrepantem, neque esse essentiam omnino vllam praeter essentiam veri illius, illam autem esse tanquam lumen solis, quod in corpora densa incidit, quodque in illis apparere videmus, quod a sole tantum est, et per corporis praesentiam non minuitur, sed si aptum est, recipitur [m].

CXVII. Apud quem itaque est scientia essentiae illius, apud eum est quoque ipsa essentia; et secundum hanc sententiam omnes essentiae a materia separatae, quae notitiam habent illius verae essentiae, non multae sunt, sed vnum quid. Multum enim et paucum, multiplicitas et collectio et separatio sunt ex attributis corporum, quae non cadere possunt in essentias simplices, cum multiplicitas in compositis tantum notionibus materiae mixtae locum habeat [n]. Totum his in assertionibus se pandit impietatis mysterium, quod in Enthusiasmo philosophiae istius mysticae latet, quamuis mediocriter attento pateat, Thophailum varia et ambigua vnius et multi acceptione physica et metaphysica, quae Eleaticos quoque decepit, falsum esse. Non hoc totum ita tegere potuit philosophus Arabs, vt non deprehendi queat. Fingit enim [o] sibi aliquem ex vespertilionibus illis quorum oculos sol perstringit, se in stultitiae suae catena mouentem, et dicentem; eum subtilitate sua modum excedere, et ita se semouere a statu hominum intelligentium et rationem intelligibilium abiicere, id est, criterio veritatis omnis destitui, dareque sine sensu sonos atque verba. Huic non rationes opponit, sed multa tantum certa sub relatione vnum esse, satis ambigue et praeter rem monet, et inde

l) THOPHAIL in Philos. autodid. p. 155. m) p. 159. n) p. 160. o) p. 163.

ad mundum diuinum prouocat, teſtatus de eo nihil dici poſſe, quibus aſſuetae ſint aures noſtrae, quin ſecus, ac debet, coniiciamus de iis rebus, nec notum eſſe id cuiquam, niſi qui vidit, nec veram eius rationem percipi poſſe, niſi ab eo, qui affecutus eſt. Concedere ſe, quod intelligentium naturam transgreſſus ſit, et rationem abiecerit, et hominem cum ſua intelligentia dimiſerit, quod facultas illa rationalis rerum tantum ſenſibilium indiuidua contempletur, et inde notionem vniuerſalem indaget: haec vero facultas ſuper haec omnia ſit; neceſſe itaque eſſe, vt qui ſimplici aſſerto aures obturet, ad coetum ſuum, mundana tantum contemplantem redeat, de altero mundo non ſollicitus. Quae cantilena dudum iam a tota fanaticorum philoſophorum cohorte decantata illud κρησφύγετον eſt, ad quod omnes illi et olim ſe tanquam ad ſacram anchoram receperunt, et hodie quoque recipiunt, qui eiurata rationis omnis regula ineptiſſima imaginationis ſine ſenſu delirantis ſomnia pro diuinis nobis obtrudunt veritatibus. Qui dum ea nobis criteria denegant, quae ad veri falſique diſcrimina determinanda optimus nobis creator largitus eſt, quaeque nec ſanctiſſima diuinae veritatis denegat reuelatio, ſuis deliriis, non minus quam febricitantes, permittendi ſunt, id vnum, quod ad hunc proprie locum pertinet, monendi, vt deſinant philoſophiam iactare, ne deſipere et inſanire cum ratione videantur. Verum haec paucis, et inſtar σοφοῦ φαρμάκου inter tot ſomnia hominis Muhammedani philoſophiae praeſidio ad iſtas impietates in Deum iniurias delapſi monemus. Iam reliqua quoque audienda ſunt.

CXVIII. Sphaera ſuprema, vltra quam eſt nullum corpus, habet eſſentiam a materia immunem, quae non eſt eſſentia vnius illius veri, neque ipſa illa ſphaera, neque tamen quid ab ipſis diuerſum, ſed eſt tanquam ſolis effigies, quae in ſpeculo aliquo polito apparet. Hic ſphaerae ſplendor et pulchritudo maior eſt omni linguae potentia et voce, ſummusque gradus gaudii et voluptatis, quae ex viſione illius glorioſae eſſentiae oritur p. Vides Lector, lumen illud diuinum ſupramundanum, ſupra tibi in hiſtoria philoſophiae Orientalis, Alexandrinae et Cabbaliſticae enarratum, id quod fidem facit Thophailo in praefatione iactanti, haec myſteria non ex philoſophia Ariſtotelica ſed Orientali deſumta eſſe, quamuis ſyſtemati Peripatetico adaptata ſint.

CXIX. Vnicuique ſphaerae coeleſti adeſt eſſentia ſeparata a materia omni, quae non eſt ex prioribus eſſentiis, neque ab iis diuerſa, ſed velut ſolis effigies in ſpeculum reflexa, ordine iuxta diſpoſitionem ſphaerarum digeſto: eaque plena eſt voluptatis, gaudii et decori, idque vsque ad lunae ſphaeram, lumine illo ſemper magis, licet ſine imperfectione, diminuto. Et huius eſſentiae particula ipſa hominis eſſentia q. Et hoc quoque aſſertum ex ſyſtemate Orientalium emanatiuo deſumtum ad Peripateticas ſphaeras ἕκον ἄκον applicatur a Thophailo.

CXX.

p) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 165. q) p. 167.

CXX. Multae tales ſunt eſſentiae, eodem gradu decorae, quae et multae ſunt et vnum. Multae quoque ſunt a materia ſeparatae, quae ſunt tanquam ſpecula rubiginoſa, ſordibus obducta, quae illis politis ſpeculis terga obuertunt, quae innumeris doloribus afficiuntur, et poenarum cortinis circumdatae ſunt, aliae quoque eſſentiae ſunt, quae cruciantur, apparent, et iterum euaneſcunt, connectuntur et diſſoluuntur, plenae turbis et inflationibus et deſtructionibus etc. r). Facile ſubolebit Lectori, vnde haec acceperint myſtici Arabum, recordanti infelices ſpiritus et daemonia Platonicorum, et Klippoth ſiue cortices Cabbaliſtarum; quae iterum docent, haec dogmata in Peripateticiſmum intruſa eſſe. Obliuiſcitur tamen Thophail eorum prius demonſtrare exiſtentiam, ſine dubio quod eam ex phyſiologia Ariſtotelica deriuare non poſſet. Ea enim praeter intelligentias ſphaerarum motrices alios ſpiritus ignorat, quod ſolum argumentum euincit, eſſe hoc dogma exotericum et barbaricum, ſiue Orientale.

CXXI. Eſſentiae diuinae et ſpiritus heroici omnes a corporibus immunes ſunt, vsque quae ea conſequuntur, nec vlla eſt illis cum iis connexio vel dependentia, vt perinde ſit vtrum eorum auferantur corpora vel maneant: eorum autem connexio et dependentia eſt ab eſſentia vnius veri illius entis neceſſario exiſtentis, quod eſt primum eorum, eorumque principium, et cauſſa, quae et exiſtentiam et durationem iis tribuit, iisque perpetuitatem ſuppeditat: neque corporibus indigent, ſed illis indigent corpora s). Adeo manifeſte hoc Platonicos recentiores ſapit, vt ipſa fere verba Iamblichi referat. Nihil enim de mundo intelligibili praeter intelligentias ſphaerarum habet Lyceum.

CXXII. Licet mundus ſenſibilis mundum diuinum tanquam ipſius vmbra ſequatur, et mundus diuinus ea non indigeat, tamen ipſius ablationem ſupponere abſurdum eſt, quoniam ſequitur mundum diuinum. Eius ita corruptio in eo conſiſtit, vt mutetur, non vt in priuationem penitus abeat t).

CXXIII. Quo ſaepius hic intuitionis labor ſtudiumque repetitur, eo minor erit et facilior, quoque diuturnior eſt, eo magis fit, vt eum ſtatum pro libitu quis aſſequi poſſit: donec liberatus a corpore voluptati illi totus vacare queat, nec vnquam ob neceſſitatem corporis auocetur u).

CXXIV. Myſtica haec ſcientia latet in arcanis legis (Corani) ſenſibus, conuenitque ratio cum traditione, quae ex his interpretationis lucem accipit x). Ad Muhammedanam fidem roborandam iam accedens Thophail, in eo eſt, vt eius ſummam ſub cortice ineptiſſimorum praeceptorum haec ſublimia myſteria comprehendere doceat, ſicque Muhammedem Peripateticis et Orientalibus philoſophis tacite annumeret. Quam inſulſe et inepte, pueri palpabunt. Nihil enim fabularum Muhammedanarum eſt, quod non ad haec myſteria pertinere contendat. Qua ratio-

r) Thoph. in philoſ. autodid. p. 168. s) p. 172. t) p. 174. u) p. 175. x) p. 187.

ne illuſtri exemplo docet, ſuperſtitionem plebeiam, et hypocriſin mediante pſeudo-philoſophia cum Enthuſiasmo et Deiſmo poſſe ingenioſo commento coniungi.

CXXV. Cauſſa cur nuntius Dei, Muhammedes a perſpicua harum rerum explicatione abſtinuit et parabolis vſus eſt, adeo vt homines magna ex parte eo deuenirent, vt corpoream ſibi de vno vero notionem fingerent, quaerenda eſt in defectu ingenuitatis eorum, et auerſione a mandato eius [y].

CXXVI. Fruſtra imperito vulgus haec myſteria explicantur, quo magis id facies, eo magis ſapientiam perhorreſcent, et inimicitiam augebunt, eo quod cupiditates ſuas ſibi in Deum aſciſcunt, et pro cultus obiecto habent; nec quicquam prodeſt correptio, quam vt pertinacius procedant [z].

CXXVII. Sufficit itaque his, vitae hunc mundum reſpicientis ordinem et praecepta praeſcribere, ne in hac vita alius alium iniuria afficiat. Pauci enim ad vitam futuram perueniunt, videlicet illi, qui credunt [a]. Ita vero ſe egregium hypocritam et turpem philoſophaſtrum in fine libri oſtendit Thophail.

Philoſophia moralis Saracenorum.

§. XVIII. Hactenus de naturali inter Arabes philoſophia tractauimus, ſequitur moralis, quam haec quoque gens non neglexit. Eam vero ante Muhammedis tempora praeter ſententias illas morales, quibus more poëtarum carmina ſua conſperſit, nihil habuiſſe, quod aliquam philoſophiam moralem, vel rationalem quoque cultus diuini faciem referret, ex iis liquet, quae ſupra de theologia Arabum et ſuperſtitione Zabiorum fuſe diſſeruimus. Et emendaſſe quidem hac in parte gentis ſuae ignorantiam et barbariem Muhammedes ſibi viſus eſt: eo quod ſublata idololatria cultuque aſtrorum, ad ſeruiendum vni Deo creatori mentemque ad eum ſolum dirigendam Arabum nationem adduxiſſet. Verum inanem hanc eſſe iactantiam, nec praeſtitiſſe pſeudo-prophetam aliquid, quod rationalem colendi Numinis viam demonſtraret, moresque atque animos hominum ita emendaret, vt verae felicitatis in hac et futura vita fierent compotes, ſupra iam obſeruauimus. Quamuis enim fundamenta, quibus omnis doctrina moralis recte ſuperſtruitur, magno ſtudio confirmauerit, nempe eſſe Deum vnum atque ſolum, eiusque gloriam ab hominibus vbique reſpiciendam eſſe, habere animos hominum immortalitatem, et futuram expectare bene maleque factorum vel remunerationem, vel poenam; tantum tamen abeſt, vt his columnis fulſerit nouum legis ſuae aedificium modo ſenſuque philoſophico, vt potius praeſtantiſſimas veritates foede corruperit, et cupiditatum, quae in tranſuerſum agere homines ſolent, frena vehementer laxauerit, partim futurae felicitatis ſpem ad corporeas atque ſenſuales voluptates referendo, partim paucis articulis, iisque

An a Muhammede aucta et culta.

y) THOPHAIL in philoſ. autodid. p. 189. z) p. 191. a) p. 195.

iisque minimam tantum officiorum hominis partem complentibus, ſummam rerum complectendo. Id quod duabus ex cauſſis euenit: nam cum plebis, quae potiſſimum eius partes ſequebatur, reſpectum habuit, atque vt illi affectuum tumultibus plerumque parenti faceret ſatis, legis ſuae vultus comſit et ornauit; tum, vt ipſe erat homo illiteratus, notionibusque et praeiudiciis plebeiis occupatus, ita meliora dare et rationabiliora non potuit. Fatendum tamen, poſt introductam inter Arabes philoſophiam inuentos fuiſſe haud paucos, qui illos doctrinae moralis a Muhammede commendatae articulos, ad animi emendationem et cupiditatum ſuppreſſionem, atque ſobrietatem mentis referrent, et egregia multa de his rebus commentarentur. Vnde prima Muhammedis tempora ab iis diſtinguenda ſunt, quibus ſub Abbaſidis melior philoſophiae literisque ſanioribus lux aſulſit, nec toti genti, vel religioni, qualis poſtea a philoſophis emendata eſt, ea tribuenda culpandaque ſunt, quae in ipſa Muhammedis lege a ſobria praecipiendi de moribus ratione degenerant. Ad quinque autem capita omnem praeceptionem de formandis moribus Muhammedis reuocauit; quae paucis complexus eſt Algazelius, paulo plenius enarrauit Anonymus RELANDI [b], in meliores vero magisque philoſophicos ſenſus detorſere philoſophi Θεολογίζαντες. Qui cum manum rei admouerint, inſtitutum poſtulat, vt quid ſibi haec capita Al-Corani moralia velint, quid inde ſenſus philoſophici ſubeſſe, theologis Muhammedanis viſum ſit, paucis exponamus.

§. XIX. Praecepta itaque quae huc pertinent, haec ſunt: *Doctrinae moralis capita Muhammedana.*

I. Fundatus eſt Islamismus in quinque rebus: confeſſione hac: non eſt Deus praeter Deum illum, et Muhammedes eſt apoſtolus Dei, et orationibus conſtanter celebrandis, et eleemoſynis largiendis, et peregrinatione religionis ergo, et ieiunio Ramadani. Dictum hoc a Muhammede profectum eſſe Algazelius, liberque *Moſtatraf* apud POCOCKIVM [c] affirmant. Omittitur autem mundities corporis, indeque ortae lotiones, quae a lege quoque illius aſſeclis vehementer commendantur. Ea autem, praeter orationes, omnia ad externam tantum ceremoniarum ſanctitatisque rationem pertinere, ſi ipſius legis Islamiticae mentem ſenſumque contemplatus fueris, vel ex vno Relandi anonymo, eiusque de hac re praeceptis, quae fere omnia ad corpus tendunt, multisque minutiis vanitatem ethicae Muhammedanae produnt, intelliges. Et verum quidem eſt, ponere illum cum theologis religionis ſuae fundamentum intentionem, de qua ad elegantiſſimam poëtae Perſae, Scheich Atthar ſententiam prouocat RELANDVS [d], et ante eum GALLANDIVS [e]:

Quicunque amorem Dei in animo non habet
Nihil aliud praeter ventum ex actionibus eius oritur.

Quam

b) c. 8. ſeqq. p. 67. ſeqq.
c) Specim. hiſt. Arab. p. 301.
d) loc. cit. not. b.
e) Libro infra laudando.

Quam in rem et illud Arabum prouerbium laudat: *Amor mundi eſt origo omnis peccati*, et eiusdem quoque poëtae γνώμην:

Si opus tuum ab hypocriſi ſit liberum,
Fax fidei tuae erit lucida,
Quando ab hypocriſi non ſunt purae actiones,
Aeque ſunt inutiles ac ſtoreae picturae.

Aſt monenda quoque ſunt, quae doctiſſimum Relandum omiſiſſe miramur, duo; vnum; reſpicere haec ſolam obedientiam Deo eiusque legato Muhammedi praeſtandam, eamque potiſſimum intentionem ſatis faciendi legi eius ſupponere, adeoque in ritibus his nihil praeterea mentalis cultus requiri; id quod ipſa viri praeſtantiſſimi obſeruatio infert: *Eo momento quo aliquis lotionem etc. inchoet, mentem ad Deum homines conuerti iuberi, et cogitare, ſe hoc agere quod agit, vt mandato Dei obtemperet, et ſuo officio ſatisfaciat, procul itaque abeſſe debere alios fines, et hypocriſin arceri.* Aſt hoc tantum abeſt, vt aliquam moralem introducat doctrinam, quae pauliſper rationalis ſit, vt potius irrationali prorſus poſtulato homini iniungat, in externis illis ritibus Dei amorem demonſtrare atque obſequium. Alterum, quod probe circa hos ritus eorumque applicationem notandum eſt, in eo potiſſimum verſatur: hanc intentionem mentalem eſſe inuentionem non ipſius Muhammedis, ſed philoſophorum religionem plebeiam emendantium. Quod ne ſine teſte dixiſſe vel ad inuidiam legislatori conflandam odioſe attuliſſe videamur, en verba auctorum celeberrimi libri *Achwanoſſafa* [f], qui facto diſcrimine inter religionem, et religionis ritus obſeruant [g]: *Significationem vocis Din in lingua Arabica eſſe: obedientiam a coetu aliquo hominum vni principi praeſtitam. Cum autem non facile praeſtari poſſet obſequium niſi interuenientibus mandatis et interdictis; mandata autem et interdicta non percipiantur niſi per iudicia et definitiones et conditiones in actionibus requiſitas, appellari haec omnia ritus religionis, et conſuetudines ſeu vias iudiciorum eius. Cumque ſit homo concretum quid, compoſitum e corpore craſſo, exteriori viſibili, anima vero ſpirituali interiori, inconſpicua, inde fieri, vt iudicia etiam religionis et definitiones iuris in duplici genere verſentur, exteriori et interiori: quae exterioris ſint, membrorum corporis functiones, quae interioris, myſteriorum confeſſionem in animo ſpectare, atque haec demum radicis inſtar eſſe, iuxta illud quod dicitur: opera intentionibus metienda, et vnicuique imputari quod intendit.* Addimus hic egregiam Pocockii [h] obſeruationem, quae manifeſto indicio euincit, ipſum Muhammedem in his ritibus conſtituendis ad rationes philoſophicas vel erigendum aliquem cultum diuinum realem rationalemque et mentalem non reſpexiſſe. Nempe prolixe

f) Locum Abulfaraii de iis ſupra iam attulimus quo conſtat, eum legem Islamiticam e philoſophia Graeca emendaſſe, vid. Pocock. Specim. p. 385.

g) Apud Evnd. loc. cit. p. 305.

h) loc. cit.

prolixe excuſſis Muhammedis ſancitis et cum Arabum vetuſtiorum conſuetudinibus comparatis monet tandem: *Ritus Muhammediſtis a propheta ſuo commendatos plerosque ipſo antiquiores eſſe, nec aliud egiſſe illum, dum ſuos ad Abrahami fidem reuocare profiteretur, quam vt reiectis, quas ineptiores putaret, Arabum conſuetudinibus, reliquas non minus ridiculas in religionem ſuam retentas transferret.* Id quod luculento Abulfedae loco demonſtrat, qui narrat: *Solitos fuiſſe olim Arabes quaedam facere, quae poſtea praecepit lex Islamitica: nec matres nec filias duxiſſe, eorum autem, quae feciſſent, turpiſſimum fuiſſe, quod duas idem ſorores duceret: eum qui patris vxorem aſſumeret, probroſum habuiſſe Al-Daizan appellantes, Aedem-Caabam peregrinationibus inuiſiſſe, eandem circumeuntes ac diſcurrentes, ſingulasque ſtationes obeuntes et lapides in Minah coniicientes. Tertio quoque anno menſem intercalaſſe, poſt congreſſum lauaſſe frequenter os et nares abluiſſe, capillos diſcriminauiſſe, dentes fricuiſſe, ab excrementis emiſſis ſe mundaſſe, vngues praeſecuiſſe, pubem raſiſſe, furi dexteram amputauiſſe.* Cum vero antiquiores Arabes in his obſeruandis nullo philoſophiae praecepto nixi fuerint, nihil tale nec Muhammedi adſcribi poteſt. Nec in iis, quae omittenda ſtatuit, magnopere rationes philoſophicas requiras, niſi ad eas reſpicias, quae generali conceptu praeſuppoſuit. Ita, quod indeclinabilem fatorum ex prouidentia diuina ſeriem, non rationibus ſuffultus philoſophicis ſed politicis, vt nempe populum obfirmaret contra metum mortis et ad audenda quaelibet imperterritum redderet, admiſiſſet, omne ſortis genus, quod tantopere ſectati ſunt Arabes, vetuit, adeo vt aleam, chartulas, latrunculos aliaque ludorum genera, quae ſorti ſubiacent, prohibuiſſe multis ex affeclis videretur, omnemque diuinationem, qua nihil apud Arabes erat carius, tolleret. Quae omnia fuſe hactenus ex Arabum Muhammedanorum narrationibus et teſtimoniis a POCOCKIO [i] collectis relata, ſatis ſententiam ſupra dictam confirmant, praeter veritatem et ſubdole eos agere, quos non pudet legis Muhammedicae ſimplicitatem et puritatem ad tacitum aliquem et clandeſtinum contemtum ſanctiſſimae religionis noſtrae crepare, et neſcio quam religionem philoſophicam, comtis ornatisque quibusdam fabellis Mileſiis nobis obtrudere, vel Philoſophorum emendationes, pro traditionibus nugiuenduli prophetae habere.

II. Fundata eſt religio in munditie, eaque dimidium fidei. Ita dictum prophetae Algazelius et Ebno'l Athir referunt. Vnde inter practica fidei Muhammedanae capita ABVLFARAIVS [k] primo loco refert, *munditiei in extremis corporis partibus et veſtium oris, quod dependeant et rebus ſpurcis occurrant, curam.* Hinc lotiones commendatae praeceptaeque, at tantis ceremoniis et difficultatibus minutias reſpicientibus, vt ſatis

i) Specim. p. 305. k) Dynaſt. IX. p. 129.

vt ſatis clare appareat, primum earum auctorem magis iis intendiſſe, vt plebem religione detineret, quam vt animum Deo deuinciret emendaretque. Teſtem volumus Anonymum RELANDI *l*, qui in exponendis cauſſis, modoque et requiſitis lotionis Muhammedicae copioſus eſt, quem hoc loco, cum in omnium manibus ſit, non exſcribimus. Cum autem probe viderent theologi, philoſophiae beneficio religionem plebeiam emendare aggreſſi, ſatis craſſas notiones hanc munditiem ſupponere, fruſtraque eam religionis negotio intrudi, niſi ad animum quoque referatur, ſobria magis et elegantiora philoſophiae praecepta his affricare ſtatutis Islamiſmi conniſi ſunt. Qua de re dignus eſt, qui audiatur Algazelius *m*, quo vix acutiorem habuere Muhammedani in purgandis reuocandisque ad philoſophicos ſenſus dogmatibus ſuis. Is quatuor, obſeruat, dari munditiei gradus, primum, munditiem exterioris corporis ab inquinamento rebusque ſpurcis et ſuperfluis; ſecundum, munditiem membrorum corporis a ſceleribus et rebus illicitis patrandis; tertium munditiem cordis a moribus vituperio et vitiis odio dignis; quartum, munditiem ſecreti ab omni re praeter Deum, id eſt, purgationem animi et ſeparationem ab omni affectuum ſanie, vt ſoli ſeruire vacareque Deo poſſit. Indignatur porro elegans philoſophus: *A multis, quorum caligant oculi, curari tantum externam illam corporis munditiam, quae tamen ceteris tantum ſit inſtar corticis extimi ad nucleum, quae appetitur, nempe receſſuum cordis expurgationem, adeoque hos, qui minus hac in parte ſuperſtitioſi ſint, pro immundis habendos et eorum contactum fugiendum, quamuis lotorum, eo quod id, quod intus eſt, deſolatum ſit et oppletum vitiis ſuperbiae, faſtus, ignorantiae, diſſimulationis et hypocriſis, rerum ordine plane inuerſo* *n*. Ceterum ad hanc munditiem etiam circumciſio pertinet, quam cum reliquis Arabum ritibus huc ſpectantibus Muhammedes ſeruauit, eo quod Abrahami religionem reſtituiſſe videri volebat *o*.

III. Oratio religionis columna eſt, qua ſublata ruit religio; eſtque clauis paradiſi. Etiam hoc inter dicta Muhammedis refertur, ad cuius religionem pertinere orationem, quae ſit ſubiectio et demiſſio ſui coram domino potentiae, notauit quoque ABVLFARAIVS *p*. Vehementer commendauit Muhammedes orationem, nec male, at tantopere externis eam ritibus oppleuit, vt facile pateat, magis ad externam eum religionis ſpeciem, quam internum cultum reſpexiſſe. Teſtem iterum volumus Anonymum RELANDI *q* ſuperſtitioſam minutiarum obſeruantiam inter precandum requiſitam exponentem, quam eleganter illuſtrauit editor do-

l) p. 67. conferenda autem quae copioſe affert, POCOCK. p. 303.

m) Apud EVND. l. c. p. 302.

n) Similem plane locum affert RELANDVS l. c. L. II. §. 11. p. 181. qui tamen in eo fruſtra eſt, quod hanc philoſophicam interpretationem ad omnes Muhammedanos pertinere putat. Contrarium enim ex dictis conſtat.

o) Conf. POCOCK. p. 319. RELAND. p. 268.

p) loc. cit.

q) C. IX. p. 87. ſeqq.

tor doctiſſimus. Nos omiſſis iis, quae apud ipſum facile legi poſſunt, illud imprimis obſeruamus, adeo de his minutiis Muhammedanos ſollicitos eſſe, vt vna omiſſa preces non exauditum iri cenſeant, et ad externas potiſſimum circumſtantias reſpiciant, parum ad internas, ſi vnam intentionem obſequii excipias, attenti; adeo vt ab iſtis externis circumſtantiis orationem plerumque denominent, vt POCOCKIO [r] obſeruatum, qui, definitionem Ebno'l Koſſai affert, quod ſit oratio, *cultus conſtans actionibus peculiaribus et fundamentis notis cum certis conditionibus tempore definito peragendis.* Melius tamen et candidius praecepere philoſophi Muhammedani, in oratione praecipue ſpectari partes internas, quae ſint tanquam eius vita et ſpiritus, earumque ſex praecipue eſſe, praeſentiam cordis, ſiue intentionem, intellectum, μεγαλυσμὸν, reuerentiam, ſpem, pudorem.

IV. Eleemoſyna a fideli quouis eroganda et praeſtanda eſt. Duplex eleemoſynarum genus commendant theologi Muhammedani, vnum quod lege definitum eſt, et decimas comprehendit, de quo genere videndus Anonymus RELANDI [s], qui, quam accurati in iis poſtulandis ſint Muhammedani, prolixe exponit, et ad hanc quoque operis partem intentionem eam praeſtandi tanquam debitum poſtulat. Alterum eleemoſynae genus eſt, quas vnusquisque erogat largiturque pro arbitrio ſuo pauperibus. Quid autem de hac eleemoſynarum erogatione ſtatuendum ſit, ex eo iudicandum eſt, quod doceant, ideo eleemoſynas praeſtandas eſſe, vt preces a Deo exaudiantur. Quem in finem Muhammedis dictum affertur: *Eleemoſynae opum veſtrarum ſunt acceptio precum veſtrarum*, id eſt, facere eas vt preces Deo reddantur acceptae. Ferri hoc in homine reuelationi diuinae nuntium mittente poterat, niſi ſuſpicio eſſet, hanc Dei beneuolentiam ex precibus promiſſam ad temporalem felicitatem et diuitias a pſeudo-propheta totam legem ſuam plebis, cui imperabat, deſideriis adaptante reſtrictam fuiſſe. Quod non inuidiae cauſſa ſed vere dici, teſtimonium libri ritualis Arabici probat, a POCOCKIO [t] adductum, vbi obſeruatur, *illud, quod in pauperes erogatur, vocari Zacat, quoniam opes adauget et creſcere faciat.* Vnde in ipſo Al-Corano ad commendandam beneficentiam, illi qui opes ſuas in via (i. e. ſecundum legem) Dei erogant, ſimiles eſſe dicuntur grano, quod ſeptem ſpicas germinauit. Non reticendum tamen eſt, etiam has notiones philoſophos emendauiſſe, et non opum tantum augmenta, ſed liberalitatis quoque incrementa ex hac beneficentia promiſiſſe, immo fuiſſe aliquos POCOCKIO [u] laudatos, qui a mundando nomen Arabicum deriuauere, eo quod opes ab inquinamento et animum ab auaritiae ſordibus purget. Nec alia forte ratio, cur modus et menſura eleemoſynarum apud Muhammedanos definiantur, quam vt ſorditiei obuiam eatur, nec habeat, quod impedire queat auaritia.

r) Specim. p. 304. s) C. X. p. 99. ſeqq. t) p. 307. u) loc. cit.

V. Ieiunium et ipſum quoque quartum fidei fundamentum et pars eſt. Vehementer et cum ſummo rigore ieiunium commendat religio Muhammedica, vt ex Anonymo RELANDI [a] allatisque a POCOCKIO [x] Arabum teſtimoniis conſtat. Requiritur enim, praeter intentionem obſequii operisue, abſtinentia fidelis hominis totalis ab omni eſu, potu, Venere, reliquisque guſtus tactusque affectionibus, et vel lege praeceptum vel ſpontaneum eſt: illudque celebre illud triginta dierum ieiunium menſis Ramadan eſt, de quo multa narrant rerum Muhammedicarum et Turcicarum ſcriptores, quae heic enarrare noſtri non eſt [y]. In quo ieiunio imitatum fuiſſe Muhammedem aut Iudaeos, qui apud ipſum habitabant, aut Koraishitas populares ſuos, facile viris doctis [z] credi poteſt. Tantopere autem ieiunii praeſtantiam commendat, vt occludi ieiunanti portas gehennae, aperiri portas paradiſi ſtatuat. Quamuis autem plerique Muhammedanorum externo tantum operi intenti ſint, viderunt tamen Muhammedani philoſophantes, interna animi ieiunia ſobrietatemque et continentiam potiſſimum requiri. Vnde Algazelius, Al-Moſtatref hisque ſimiles [a] tres ieiunii gradus eſſe definiunt, ieiunium communiter, proprie et maxime proprie ſic dictum. Ieiunium communiter dictum eſſe affirmant, vt contineat quis ventrem aliasque corporis partes ab explendis cupiditatibus; ieiunium proprie dictum, vt quis auertat aures, oculos, linguam, manum, pedes, ceteraque corporis membra a peccato; ieiunium maxime proprie dictum, vt quis animum a curis vilioribus et cogitationibus mundanis abſtrahat, et ab omnibus rebus, excepto ſolo Deo, auertat. Id ieiunium vere philoſophicum dixeris, eo quod in tota vita, etiam inter veſcendum exercendum eſſe ſtatuunt. Inde dicunt: *Quot inter ieiunandum veſcuntur, et quot inter veſcendum ieiunant.*

VI. Tandem ad practicum Islamiſmi cultum peregrinatio quoque religioſa pertinet. Quid ea requirat, quo tempore, quibus ſtationibus, quibus ceremoniis ad Caabam, aedem ſacram, in medio templi Meccani peregrinentur Muhammedani, et qua ratione *ſepties* eam circumeant, hic enarrari non poteſt, videndus autem Anonymus RELANDI [b], quaeque et hic vir doctus et POCOCKIVS [c] de ea re praeceperunt. Nihil eſſe in his ceremoniis, quas ab Arabibus ſuis accepit et pauliſper immutauit Muhammedes, quod cum rationis praeceptis et philoſophia conciliari queat, quilibet videt. Vnde cum eas colore philoſophico pingere non poſſent Muhammedani philoſophi, faſſi ſunt ſolius eas niti Dei arbitrio per prophetas antea reuelato, et cum intermiſſae eſſent, a Muhammede repetito, vt diſcerent homines obſequium. Qua de re candide, quem hactenus

x) C. XI. p. 109. ſeq.
y) p. 308. ſeqq.
z) Conf. RELAND. ad l. c. not. c.
z) POCOCK. l. c.
a) Ibid.
b) C. XII. p. 113. ſeqq.
c) p. 311. ſeqq.

hactenus teſtem fidei Muhammedanae habuimus, Algazelius Pocockio [d] laudatus, probatusque Relando: *Quod ad diſcurſum illum repetitum, et iactum lapillorum, et reliquas huiusmodi actiones, nihil haec ad animum hominis, nec conſentanea naturae: nec eſt intellectui, quo ad inquirendum, quid haec ſibi velint, dirigatur, nec quod quempiam ad ea amplectenda incitet, verum mandato ſimplici conſtant, et intentione mera obſequendi mandato, quatenus mandatum eſt, cui neceſſario parendum ſit, et cui ſe immiſcere intellectui non ſit conceſſum, et a cuius vſu familiari aliieniores ſint natura et animus. Cum enim percipit intellectus rei alicuius ſcopum, fit aliquo modo natura ad eam propenſior, quae propenſio ſuppetias fert mandato, vnaque cum eo intellectum adoritur, adeo vt non appareat in eo plena ſeruitus et obedientia.* Haec Algazelius, candide, licet philoſophi perſonam vix ſuſtinens, dum cultum plane irrationalem locum habere debere putat. Intercedit autem Abu Iaafar Ibn Thophail, qui Yockdanidem ſuum easdem luſtrationes ſuſcepiſſe, easque circumitiones exercuiſſe fingit, vt ſe corporibus coeleſtibus, quae, perfectiſſima cum eſſent, in orbem verti videbat, aſſimilaret, vt ſupra dictum. Quod licet imperite ſatis ad quaerendum Caabae circumitionibus colorem aliquem excogitatum eſſe quilibet palpet, ſuſpicamur tamen, Arabes, qui ante Muhammedem aſtrolatrae fuerunt, ad motus ſiderum coeleſtium maxime ſeptem planetarum exprimendos ſymbolicoque ritu figurandos reſpexiſſe. Eos enim in iis colendis ſuoque modo imitandis fuiſſe diligentiſſimos, ex ſupra dictis conſtat. Inter quos cum viueret Muhammedes, nec traditiones veteres, ſine offenſa plebis, quam ſibi conciliare ſtudebat, antiquare et abiicere poſſet omnes, hanc, eiurata licet aſtrolatria, conſuetudinem retinuiſſe videtur, ne quod ſemel religionis praetextu receptum erat, magna cum inuidia omitteretur. Ceterum hanc peregrinationem Meccanam non ad ſepulchrum Muhammedis, quod multi ſomniant, fieri, vel ex eo conſtat, quod is Medinae, non Meccae ſepultus eſt, et diu ante eius tempora haec peregrinatio inter Arabes obtinuit. Vnde inter fabulas recte relata eſt ab Hadriano Relando [e]. Eadem fere ratio eſt iactus lapillorum in vallem Mina, in hac peregrinatione obſeruari ſolitus, quem ritum ſimiliter a veteribus Arabibus Muhammedes transſumſit [f], quemque cum ſenſu philoſophico excuſare non poſſent, ad obſequii gloriam fabula quadam incruſtatam confugerunt, cauſſantes, eſſe hanc rem imitationem Abrahami, qui, cum occurreret ipſi iſto loco diabolus, vt cultum ipſius iniecto dubio turbaret, aut ipſum ad inobedientiam tentaret, iuſſus ſit a Deo eum lapidum iactu fugare ac ſpem ei omnem praecidere [g]: ita quidem ſpecie lapides in Akabah coniici, at reuera faciem diaboli caedi, ac

d) p. 313. vnde repetiit Relandvs p. 122. hoc vno fere loco ad praeſtantiſſimum librum prouocans, eo quod meliores Muhammedanorum ſententias exhiberet. e) L. II. §. 19. p. 299.

f) Abvlfaraivs, Anonymus Relandi, Pocockivs ll. cc.

g) Pocock. p. 315. Hornbeck. Summ. controu. L. III. p. m. 153.

dorſum ipſi confringi, cum non alias ipſi vis inferatur, quam per obedientiam Deo praeſtitam ex mera mandati reuerentia, nullis hac in re menti et intellectui partibus conceſſis. Alii alias fabulas cudunt vel recoquunt, hic non enarrandas, quae omnes produnt, rationem vllam ſanam illi ritui non ſubeſſe. Aliam rationem paullo probabiliorem affert MAIMONIDES [h], qui diu inter hos populos vixit: ille enim quosdam doctorum illorum hanc afferre cauſſam ait, quod cum iſto loco olim poſita fuerint idola, ipſi eum ideo lapidibus petant, vt indicent, ſe non credere idola, quae ibi fuerant, et in ſignum contemtus ea lapidare, ſed et is obſeruat, Mercurii cultum apud Arabes iactu lapillorum peractum fuiſſe iam ante conditam legem Iſmaëlitarum. Ex quo coniectura noſtra firmatur, Arabes ante Muhammedem in conſtituendis his ritibus ad ſeptem planetarum cultum ſymbolicum reſpexiſſe. Quemadmodum enim ſepties templum Meccanum circumeunt Muhammedani, et inter Safam et Meruam, quae oratoria duo ſunt, ſepties currunt, ita in valle Mina lapillos ſeptem, vnum poſt alium proiiciunt, a veteribus id Arabibus edocti, qui Mercurium ita ob mercaturam viarumque tutelam honoraſſe dicuntur. Idque etiam nomen Safae indicat, quod Mercurium ſignificat, vnde dies Mercurii Safas Arabibus dictus eſt [i]. Quod vbi admittimus, ratio ritus obſcuri et vix intelligibilis ex antiquitate dari poteſt. Notum enim paſſimque viris doctis [k] obſeruatum, ſolenne fuiſſe ad ſtatuam Mercurii, viarum tutelaris Dei aceruum lapidum congerere, et lapides apud ipſum ſpargere, vel ad eius ſtatuam proiicere. Cuius rei teſtem et interpretem damus CORNVTVM, rationes philoſophicas eius ita exponentem [l]: *προσωρέυουσι δὲ τοὺς λίθους τοῖς Ἑρμαῖς, ἕκαστος τῶν παριόντων ἕνα τινὰ αὐτοῖς προστιθεὶς, ἢ ὡς χρήσιμόν τι καὶ κοινωνικὸν τὸ παρ' αὐτοῦ ἕκαστος ποιῶν, διὰ τοῦ καθαίρειν τὴν ὁδὸν, εἴ τε μαρτυροποιούμενος τὸν Ἑρμῆν, εἴτε ὡς ἐπισημαινόμενος τὴν εἰς αὐτὸν τιμὴν, εἰ μηδὲν ἄλλο ἔχειν προσενεγκεῖν αὐτῷ, εἴτε ἐκδηλότερον τοῖς παροῦσι τὸ ἀφίδρυμα ποιῶν, εἴτε πρὸς σύμβολον τοῦ ἐκ μικρῶν μερῶν συνεζάναι τὸν προφορικὸν λόγον.* *Statuis Mercurialibus accumulant lapides, quilibet namque eorum, qui eius ſtatuam praetereunt, lapidem adiicit. Cauſſae autem eius rei ſunt plurimae. Vna eſt, quod quilibet vtile quippiam faciat, quod ad communem ſpectet vtilitatem, dum viam purgat. Altera, quod obteſtetur Mercurium lapidis adiectione, aut ea ſuum declaret in illum honorem, quaſi nihil nunc occurrat, quod offerat. Alia eſt, quod ſtatuam Mercurialem praetereuntibus manifeſtiorem faciat, additione lapidum. Porro alia eſt, vt per lapides ſignificetur, ex paruis et modicis partibus conſiſtere orationem enunciatiuam.* Haec Cornutus, cuius qualescunque etiam ſint rationes, morem tamen hunc colendi Mercurii olim obtinuiſſe, euincunt. Hinc *Ἑρμαῖοι λίθοι,*

h) Locum eius adducit POCOCK. l. c. p. 316. conf. de idololatr. C. III. §. 2. p. 36. ed. Voſſ.

i) POCOCK. p. 518.

k) Rem omnem ex mythologia Graeca, et veterum conſuetudinibus exponit ID. SELDENVS de Dijs Syr. L. II. c. 15. p. m. 250. quocum conferendi CHERBVRY de relig. gent. C. VII. p. 58. 59. DIONYS. VOSSIVS ad Maim. l. c. p. 39.

l) c. 16. p. 369. Opuſc. mythol. GALEI.

λόφοι, quorum meminiſſe Salomonem nonnulli volunt, praecipientem *l*: *Sicut qui mittit lapidem in acervum* מרגמה *Mercurii*, vt habet Vulgatus, *ita qui dat ſtulto gloriam.* De quo tamen loco vide ſis interpretes *m*. Illud potius obſeruaſſe hoc loco iuuat, eundem ritum apud Indos quoque antiquitus fuiſſe obſeruatum, vt monuit ED. HERBERTVS DE CHERBVRY *n*. Quem cum tenuiſſent Arabes veteres, intelligitur inde, vnde Mohammedes eum transſumſerit, licet ad eas rationes, quas ſecuti erant Arabes, non attenderet: nempe ne nimis a veteri religione, quam reformandam ſuſceperat, recederet. Verum de hoc ritu ſatis ſuperque, quem ſiue voluas ſiue reuoluas, nihil inde extorquebis philoſophici, niſi cum Cornuto ineptire placeat. Et haec quidem de ethica Muhammedanorum doctrina, quatenus ea Al-Corano nititur. Eos autem, qui Ariſtotele duce de morali philoſophiae parte ſolliciti fuere, hic non moramur. Supra enim ea de re, quantum ſatis, diximus.

§. XX. Supereſt alia moralem doctrinam propagandi methodus Arabibus valde deamata, per ſententias, prouerbia, ſymbola, apologos et ſimilia, quam exotericam vocare conſueuimus, eo quod ad vulgus magis erudiendum, quam ad interioris diſciplinae alumnos edocendos adhiberi ſolebat. Eam maxime Arabibus commendauit carminis ſtudium, quo elegantioris literaturae genere vehementer eos delectatos eſſe, ſummamque in eo excolendo poſuiſſe induſtriam ſupra *Capite huius libri primi* probauimus. Ad quod inuitauit eos Arabicae linguae elegantia, et Orientalium populorum dicendi differendique ratio, ad imaginationis excitatioris effectus producendos plurimum faciens, et naturali quadam inclinatione hisce ſtudiorum generibus ſe applicans. Ex hoc vero fonte deriuandum quoque eſt, quod ſententiis, dictisque moralibus carminibus ſuis inſerendis, tantopere ſtuduerint. Poſſunt etiam prouerbia Arabibus ſolennia huc trahi: quamuis enim ſint plurima, quae doctrinam moralem philoſophicam non ſpirant, et vulgus magis vſibus, quam eruditorum acumini ſunt tribuenda, alia tamen multa in ſcriptis Arabum deprehenduntur, quae natiuam nobis gentis huius in morum doctrina indolem detegunt, dignaque ſunt, quae conſiderentur in philoſophiae hiſtoria, vt quid ingenia Arabum in hac eruditionis parte valuerint, intelligatur. Nec improbandum eſt eorum inſtitutum, qui prouerbiorum et adagiorum Arabicorum collectionem inſtituerunt, quod poſt LEVINVM WARNERVM Perſarum prouerbia colligentem, THOMAS ERPENIVS ſuſcepit, cui *centurias prouerbiorum Arabicorum*, alio licet fine collectorum *o* debemus. Prolixior in hoc laboris genere fuit GALLANDIVS, qui ſententias et adagia moralia et politica gentium Orien-

Ethica Saracenorum exoterica.

l) Prouerb. XXVI, 8.

m) GROTIVS ad h. l. DRVSIVS adag. Hebr. Dec. VIII. ad. 6. vbi ſimile adagium Hebraeorum explicatur: *Spargit lapidem in Merkolis*, eodem ſenſu.

n) loc. cit.

o) Adiecta ea eſt Grammaticae Arabicae recuſae ab ERPENIO editae, et nuper Cl. SCHVLTENSII cura.

Orientalium ex Arabum, Perſarum, Turcarumque ſcriptis collegit, vnoque faſce comprehenſa Gallico ſermone edidit [p]. Qui ſi auctores nominaſſet, fontesque vnde ea hauſit, ſique vulgus prouerbia a ſententiis ſapientum diſtinxiſſet, meliori ſe induſtriae elogio commendauiſſet [q]. In eodem ſtadio verſata quoque HENRICI HOTTINGERI [r] induſtria, qui eiusmodi γνώμας ex Arabum ſcriptis collectas congeſſit plurimas, ex quibus conſtat, elegantiſſima Arabibus contigiſſe ingenia, nec ab omni doctrinae melioris ſenſu remota, quae et aperto et ſymbolico dicendi genere pulchra multa de moribus ſcripſerunt, licet morum doctrinam ex inſtituto non tangerent. Fuit tamen inter eos poëta, hic a nobis non praetereundus, eo quod de moribus praecipere ſibi conſtituit, et elegantiſſimum ethicae Orientalis compendium methodo licet exoterica conſcriptum nobis reliquit, nempe celeberrimi *Roſarii Perſici* auctor.

Sadi, roſarii Perſici auctor.

Fuit is SCHEICH MVSLAH EDDIN SADI, Schiraſenſis Perſa, qui ſub Chalifa, Damaſci ſedem imperii figente Muſaffer Eddin Abubeker Ibn Saadi Ibn Sengi [s] circa ſeculum Chriſtianum decimum tertium medium [t] vixit, ingeniumque non ſtudiis tantum elegantioribus, ſed philoſophiae quoque demonſtrauit aptiſſimum. Is cum ex exiguo parentum cenſu magnam ſibi ſpem futurae felicitatis non concepiſſet, ingenii, quod nactus erat ſupra modum elegans, praeſtantiae confiſus, ad literarum ſtudia applicuit animum. Cumque in Perſiam irruptionem Turcae feciſſent, et compleuiſſent omnia belli tumultibus, ſilentibus Perſarum Muſis ad iter literarium ſe accinxit, Bagdadique aliquamdiu commoratus celeberrimum eius aetatis philoſophum Schechab Eddinum praeceptorem habuit [u]. Progreſſus in Syria cum ad Damaſci viciniam peruenisſet, in Chriſtianorum manus incidit, qui vinctum et catenas trahentem Tripolin abduxerunt, et ad operas publicas condemnarunt. Ex qua tamen miſeria viri cuiusdam nobiliſſimi, et dotium, quas a natura acceperat, elegantia capti beneuolentia non aere tantum eius ereptus eſt, ſed filiam quoque eius vxorem accepit [x]. Cum ergo multas itineribus quamplurimis ingenii diuitias conquiſiuiſſet, reuerſus domum magna principis laudati gratia vſus eſt, qui cum eruditionem eius ſummopere coleret, ad ſcribendum animum adiecit, et praeter alia *roſarium* hoc *politicum* ſiue *amoenum ſortis humanae theatrum* concinnauit. Rationem, ſcopumque atque occaſionem elegantiſſimi libri ipſe auctor narrat, cuius verba, vt habeat Lector dicendi generis ab eo adhibiti ſpecimen, cum venia eius, hic integra apponemus:

Quadam nocte praeteriti temporis memoriam reuocaui:
Vitaeque male tranſactae diſpendium cum indignatione deuoraui.

Saxum-

p) Les paroles remarquables, les bons mots et les maximes des Orientaux, traductions de leurs ouvrages, Paris 1694. 12.

q) Conf. Cel. STOLLIVS Intr. ad hiſt. liter. P. III. C. I. § 11. p. 576.

r) Hiſtor. Orient. L. II. c. 5. p. 315.

s) Vid. ipſe SADI p. 27.

t) Ibid. p. 37.

u) Vid. GENTIVS, in not. p. 539.

x) Prauis tamen moribus tinctam, et animo pertinacem, imperii intolerantem, linguaque procacem fuiſſe, ex p. 199. ſuſpicamur.

Saxumque habitaculi cordis lacrymarum adamante perforaui,
Hosque verſus conditioni meae conuenientes effudi.
Quouis momento vnus vitae abit ſpiritus,
Illud dum inſpicio, non multum reſtitit.
O te (Socordem,) *cuius iam quinquaginta* (aetatis anni) *ſunt elapſi ſomno etiamnum grauem.*
Vtinam iſtos quinque ſupremos vitae dies probe intelligeres!
Pudor illi, qui abiit, opusque non perfecit.
Diſceſſus tympanum percuſſerunt, ſarcinam non compoſuit.
Suauis ſomnus in diſceſſus aurora
Retinet peditem ex itinere.
Quicunque venit, nouam fabricam ſtruxit,
Abit ille, fabricamque alteri conſtruxit.
Alter ille ſimilia huic vanitatis molimina agitauit,
Illam vero fabricam ad finem perduxit nemo.
Sodalem inſtabilem amicum ne adſciſce:
Amicitia indignus eſt fallaciſſimus hic mundus.
Cum bonis malisque pariter ſit moriendum,
Beatus eſt ille, qui bonitatis palmam reportauit.
Viaticum vitae (aeternae) *in ſepulchrum tuum praemitte.*
Mortuo enim te nemo feret: tu te ipſe praemitte.
Vita vt nix eſt, ſolque Auguſti (aeſtuans)
Pauxillum reliquit; tibi tamen domino etiamnum ſocordia et inertia blanditur.
Heus tu, qui manu vacua forum adiiſti,
Metuo, vt plenum referas ſtrophiolum.
Quicunque ſegetem ſuam comederit, dum adhuc in herba eſt,
Meſſis tempore ſpicilegio contentus eſſe cogitur.
Conſilium Saadi attentis animi auribus accipe:
Via ita ſe habet, tu te virum praeſta, et vade.

His in proſa (ita enim carmina interſtinxit ſua) adiicit: „hoc probe „conſiderato, ex re eſſe, ſe vidiſſe, vt in loco ſolitario conſideret, ſinu„que ſuo a mortalium conſortio contracto, tabulas inanium dictorum de„leret, poſthacque nihil amplius male aut procaciter diceret. Solitudi„nem itaque coluiſſe, donec tandem quidam amicorum, qui ſodalis in „Meccano itinere ſecum eodem vectus camelo inque hoſpitio ſibi contu„bernalis, antiquo et vſitato more fores ingreſſus iocis omnibus atque fa„cetiis confabulationem moliretur; ſe tamen ne verbulum quidem pro„locutum fruſtra ab eo ad loquendum incitatum fuiſſe. Sodalem tamen „alium illi propoſitum expoſuiſſe: vitae ſcilicet reliquum in hoc terra„rum orbe procul a mortalium conſortio Deum colendo ſe exacturum „ſilentiumque culturum eſſe: et ad ſimile inſtitutum eum excita„uiſſe. Illum expoſita loquendi inter amicos virtute et neceſſitate

„tantopere ipſi inſtitiſſe, vt linguae vinculis ſolutis in hortum vernan„tem cum ipſo deſcenderet, roſarum pulchritudine ſpecioſum et fragran„tem, in alio quoque horto pernoctauiſſe cum ſodali, ſinum roſis plenum „referente. Quam fragilem et inſtabilem animi iucunditatem cum „conſideraſſet, de alia animi recreatione ſe cogitaſſe, nempe roſario ex „eruditorum dictis conſtruendo, hocque conſilium amico expoſuiſſe, „qui accepta promiſſione ita eius complementum vrſerit, vt antequam „roſae flaccéſcerent, liber abſolutus emergeret.“ Haec ipſe narrat, et tum in laudes principis ſui more Orientalium magnificis titulis exſurgit. Abſoluit vero librum An. Heg. DCLVI, ſummo cum applauſu non a rege tantum eiusque aula, ſed et ab omnibus, vt ipſe gloriatur, exceptum. „Scopum vero ſibi hunc fuiſſe praefixum docet, vt paucula quaedam via „breuiori ex rebus rarioribus memoria dignis, grauibus ſententiis, hiſto„riis, carminibus, priſcorumque regum inſtitutis hoc libro contraheret.“ Quamuis autem ſyſtema aliquod ethicum et politicum condere in animo non haberet, certis tamen capitibus ſummam doctrinae moralis et ciuilis complexus eſt. Agit enim c. I. de moribus regum, c. II. de moribus religioſorum, c. III. de continentiae praeſtantia, c. IV. de ſilentii commodis, c. V. de amore et iuuentute, c. VI. de imbecillitate et ſenectute, c. VII. de diſciplinarum inſtitutione, c. VIII. de conuerſandi virtutibus. In quibus explicandis non ſententiis tantum vtitur pulcherrimis, ſed exempla, parabolas, apologos, et ſimilia, quae in methodo exoterica occurrere ſolent, affert, et iucundiſſima oratione ita cuncta illuſtrat, vt non tantum viuo adhuc auctore liber in omnium manibus oculisque eſſet, ſed teſte quoque editore [y], in Perſide, India, Arabia et Turcia, vbique eſſet longe celeberrimus et deſideratiſſimus, totumque Orientem hoc ſidus hodie quoque illuſtret. Cauſſa haec libri inter Orientales celebritas eſt, cur Occidentis quoque incolis legendus a viris doctis exhibitus ſit. Primus, niſi fallimur, RYERIVS nobilis Gallus, popularibus ſuis lingua Gallica veſtitum exhibuit [z]: poſt eum Germanicam verſionem tentauit IOANNES FRIDERICVS OCHSENBACH, vterque non ſatis feliciter, eo quod Perſicae linguae, qua conſcriptus eſt liber elegantiſſimus et iucundiſſimus, non ſatis eſſent periti. His itaque praeſidiis melius inſtructi ad hunc laborem ſuſcipiendum acceſſerunt duumuiri doctiſſimi GEORGIVS GENTIVS et ADAMVS OLEARIVS, Germanus vterque, ille Dhama-Saxo, hic Holſatus. Et Gentius quidem, cuius memorabilis et feliciori ſenectute digna fuit vita [a], cum diu moram in terris Turcicis egiſſet, et praeter alias Orientis linguas Perſicam quoque accurate didiciſſet, multa quoque ad huius libri hiſtoriam pertinentia ab eruditis iſtarum regionum percepiſſet, ex Oriente redux, adiutusque gratia et ſubſidiis atque pecunia a ſereniſſimo Saxoniae electore Ioanne

y) In praefat.
z) Anno 1634.
a) Enarrauit eam V. C. AVGVSTVS BAYERVS in hiſtoria vitae fatorumque atque meritorum Georgii Gentii Dhama Saxonis, Dresd. 1733. 8.

Ioanne Georgio ſecundo, qui egregie Orientali literaturae fauebat, edidit *Guliſtan* ſiue *Roſarium* hoc *ex typographeo Ioannis Bleau, Amſtelodami* cIↃ IↃC LI, literis Perſicis et verſione Latina magnifico apparatu regioque ornatu ſplendidum [b], et operis titulo electoris nomen dedicatione praefixit eo ſucceſſu vt mille florenorum munere Gentii laborem remuneraretur. Quae tamen editio, cum propter ſplendorem eſſet cariſſima, nec vbique emtores reperiret, repetita eſt, omiſſo textu Perſico ex ſola verſione Latina, poſt quatuor annos [c], ſummum virorum doctorum applauſum conſecuta. Nec Gentii labore et induſtria deterreri ſe paſſus eſt Oleārius, qui has quoque regiones ſuſcepto cum legatione Moſcouitica itinere inuiſerat, quo minus Germanico idiomate elegantiſſimum morum compendium ederet adiutus opera Perſae cuiusdam Hakwirdi, quae verſio primo quidem cIↃ IↃC LIV, et dein cIↃ IↃC LXVI, Sleſuici prodiit, et Gentii obtrectationes paſſa eſt, de qua litigula, cum ad noſtrum inſtitutum non pertineat, videndus V. C. AVGVSTVS BEYERVS [d]. Hoc itaque monumentum ſapientiae moralis huius gentis ducem ſecuti, potiores ſententias Lectori legendas propinabimus; vbi prius aliquam adagiorum ſymbolorumque Arabicorum ſyllogen exhibuerimus.

Adagia Arabum Ethica.

§. XXI. Ita vero Arabes de moribus virtutibusque ſentiunt [e]:

I. Impius mortuus eſt, etſi viuat: at pius viuit, etſi ſit in manſionibus mortuorum.

II. Religio, pietas, cultus religioſus occidit concupiſcentiam.

III. Timor domini ornat cor.

IV. Preces nocturnae ſplendor diei.

V. Sapientiſſima ſapientia eſt pietas et ſtultiſſima ſtultitia eſt impietas.

VI. Obedire inimico (Satanae) interitum affert, at obedire Deo eſt lucrum.

VII. Qui facultates ſuas erogat in peccato, fruſtra deinde queritur, quod Deus ipſum pauperem fecerit.

VIII. Stabilimentum fidei humilitas, labefactatio autem eius praeſumtio.

IX. Stabilimentum fidei eſt abſtinentia, labefactatio autem eius concupiſcentia.

X. Eſto in pueritia tua humilis, vt ſis in ſenectute tua exaltatus.

XI. Humilitas augmentum eſt nobilitatis et complementum gratiae

XII. Exaltatio viri eſt humilitas eius.

XIII. Qui ſe ipſum habet pro ſapiente, habent eum Deus et homines pro ignaro.

b) Amſtelod. 1651. fol. qua editione nos vtimur, quae olim fuit magni in his literis viri G. HIER. WELSCHII. Hiſtoriam libri vide apud BEYERVM l. c. p. 92. ſeqq.

c) Amſt. 1655. 12.

d) l. c. p. 94. ſeqq.

e) Selegimus has ſententias ex iis, quas magno numero affert HOTTINGERVS l. c.

XIV. Ne aſcendas cacumen montis, cum fueris ornatus, ne forte cadas, inque virtutibus ne tumeas animo.

XV. Qui velociter ambulat, cadit.

XVI. Tria ſunt, quae interimunt hominem, faſtus, auaritia et concupiſcentia.

XVII. Cuius minor eſt intelligentia, maior eſt philautia.

XVIII. Inter omnia vitia difficillime curatur φιλαυτία et φιλονεικία.

XIX. Obſtrue quinque feneſtras (ſenſus,) vt luceat domus, et habitans in ea (anima).

XX. Declina a turpitudine, ſi audis illam, et ſede tanquam cogitabundus non audires ſermonem obſcoenum.

XXI. Sapiens non eſt ſapiens, donec omnes ſuas cupiditates vicerit.

XXII. Cum ſapiens non temperat a mundanis cupiditatibus, ſeculi ſui hominibus tormentum eſt.

XXIII. Abſtinere a concupiſcentiis, eſt, diuitem eſſe.

XXIV. Cuius concupiſcentia vincit intellectum, is perit.

XXV. Mulier ſine verecundia, eſt ſicut cibus ſine ſale.

XXVI. Si videret homo finem tranſitumque ſuum, odiſſet vtique opus, eiusque fraudem.

XXVII. Mundus nemini perpetuus eſt, cor ad mundi creatorem applica, et hoc ſufficit.

XXVIII. Dulcedo mundi videtur aliqua ſtulto, ſed ſapienti eſt amaror.

XXIX. Nemo eſt in mundo, qui aerumnis vacet; ſi vacet, inter filios hominum numerandus non eſt.

XXX. Mundus eſt deceptio, domicilium lachrymarum.

XXXI. Mundus ſedes noſtra non eſt, vt eam veluti patriam acquiramus.

XXXII. Vende mundum hunc pro altero, et multum lucraberis.

XXXIII. Accipe, quod neceſſe eſt accipere a mundo, vltimum enim eius mors eſt.

XXXIV. Quando deſeres mundum, et intendes ei odium? quando relinques rebellionem? dic mihi, quando? mundus enim tranſit, vt ſcriptura, ſapientia ſtabilis eſt, vt ſculptura.

XXXV. Cogita ingreſſum tuum in hunc mundum, et egreſſum tuum ex ipſo: quia tu de nihilo factus es homo, et momento fies, tanquam non fueris.

XXXVI. Opes et mundus praeteribunt, at durabunt opera bona.

XXXVII. Mundus cadauer eſt, et petentes eum canes ſunt.

XXXVIII. Ne te ſeducat multitudo hominum, quandoquidem tu ſolus morieris, et tu ſolus rationem reddes.

XXXIX. Qui cupit ſupplere mundana mundanis, ſimilis eſt illi, qui extinguere cupit ignem ſtramine.

XL. Studere ſimul mundo et futurae vitae, eſt fallere ſe ipſum.

XLI.

XLI. Non ſufficit mundus abſtinenti, religioſus non acquieſcit in mundi vanitate.

XLII. Recordare, vnde veneris, et quo ſis abiturus, et vbi conſiſtas.

XLIII. Vita hominis via eſt, ad mortem tendens.

XLIV. Diu eſt, quod tantum mactatur pingue, et relinquitur macrum.

XLV. Vita noſtra ſomnus eſt, et mors excitatio, homo vero inter illa duo ſe habet inſtar ſpectri procedentis.

XLVI. Hodie mundus durat, cras nouiſſimus dies inſtat.

XLVII. Pauper ſine patientia, eſt vt lampas ſine oleo.

XLVIII. Perfectio eſt in tribus rebus: deuotione in religione, patientia in aduerſis, prudentia in vita.

XLIX. Patientia eſt clauis gaudii, feſtinatio clauis poenitentiae.

L. Infortunium patienti vnum eſt, pauido autem geminum.

LI. Patienter perfer opus, cuius te certum manet praemium: et patienter abſtine ab opere, cuius haud perferre poſſis poenam.

LII. Errat curſus eius, qui ſperat in alium, quam in Deum.

LIII. Eleemoſyna dum egreditur e manu dantis, antequam cadat in manum petentis, quinque haec loquitur verba: parua fui, et magnam me feciſti; exigua fui, et me multiplicaſti; hoſtis fui, et amore dignum me reddidiſti; tranſitoria fui, et perennem me conſtituiſti; fuiſti cuſtos meus, nunc ego ſum cuſtos tuus.

LIV. Firmitas regni eſt iuſtitia.

LV. Exequere aequum, neque inſiſtas voluntati tuae malae, neque ſequere eam.

LVI. Liberalis vicinus Dei eſt, vicinus hominum, vicinus paradiſi, remotus ab igne infernali.

LVII. Diues ſine liberalitate, eſt vt arbor ſine fructu.

LVIII. Malum paupertatis eſt abiectum eſſe, bonum verum autem diuitiarum, eſſe contentum.

LIX. Non oportet vt iudex audiat querelam alicuius, niſi et aduerſarius eius cum eo fuerit.

LX. Cum amicus tuus fuerit mel, ne comederis eum totum.

LXI. Optimus fratrum eſt, qui fratres ſuos iubet cauere ſibi a malo, dirigitque eos ad bonum.

LXII Deus amicitiae in ſinceritate conſiſtit.

LXIII. Frater tuus eſt, qui te iuuat in aduerſo.

LXIV. Niſi eſſet concordia, periret mundus.

LXV. Confeſſus ſapientiae hortus eſt de hortis paradiſi.

LXVI. Confeſſus praeſtantium virorum ſunt munimenta ſermonis.

LXVII. Societas malorum eſt nauigatio maris.

LXVIII. Cuſtodi praeceptum parentum tuorum, vt prolongentur tibi dies.

LXIX. Eſto omnino, vt formica tempore aeſtatis.

LXX. Poſſidet homo animam ſuam, qui occultat ſecretum ab amico ſuo.

LXXI. Arcanum tuum eſt captiuus tuus, ſi illud cuſtodieris; tu autem captiuus es eius, ſi manifeſtetur.

LXXII. Taciturnitas conciliat ſuis amorem.

LXXIII. Efficit garrulus hora vna litem menſium.

LXXIV. Index intellectus viri, opus eius, et index ſcientiae eius, ſermo eius.

LXXV. Ignis lignis accenditur, et initium belli eſt ſermo.

LXXVI. Qui neſcit parere, neſcit imperare.

LXXVII. Vmbra imperatoris vt vmbra Dei.

LXXVIII. Doctus ſine opere eſt vt nubes ſine pluuia.

LXXIX. Peſſimus hominum eſt eruditus, qui non prodeſt eruditione ſua.

LXXX. Scientia diadema eſt puero, et intellectus torques aureus.

LXXXI. Orphanus eſt, qui ſcientiam non habet et eruditionem.

LXXXII. Memento temporis, morbi et ſenectutis venientis pone te, quia ſapientia melior eſt, quam enſis, et ſcientia excellentior, quam opes.

LXXXIII. Non eſt paupertas docto.

LXXXIV. Dies vnus viri docti praeſtat tota vita viri indocti.

LXXXV. Perfectio ſcientiae in manſuetudine eſt.

LXXXVI. Benefac, ſi vis, vt bene fiat tibi.

LXXXVII. Non eſt diues, cui nulla eſt vita.

LXXXVIII. Qui aliorum ad te crimina defert, is defectus etiam tuos defert aliis.

LXXXIX. Non eſt regibus frater, nec inuidis quies, nec mendacibus fauor.

XC. Mendacis facies perpetuo eſt atra.

XCI. Lumen omnium factorum tuorum eſt ſermo verax.

XCII. Nunquam peiera, ne in hominem quidem, qui tibi nocuit.

XCIII. Diues auarus pauperior eſt liberali egeno.

XCIV. Sitis opum vehementior, quam ſitis aquae.

XCV. Duo non ſaturantur, quaerens ſcientiam et quaerens opes.

XCVI. Pigritia et multitudo ſomni abducunt a Deo et adducunt ad paupertatem.

XCVII. Periit beneficium, qui ingratus illud tegit.

XCVIII. Nonnunquam capiti demiſſo ſubeſt malitia.

XCIX. Satis eſt inuido inuidia ſua.

C. Vnum peccatum multum eſt.

CI. Homo ſine poenitentia eſt tanquam fluuius ſine aqua, et mulier ſine verecundia tanquam lampas ſine lumine.

CII. Qui non anticipat poenitentiam ante mortem, miſer eſt.

CIII. Reſipiſcentis peccata ſunt, qualia illius, qui nulla habet peccata.

CIV.

CIV. Optimum poenitentiae eſt paucitas delicti.

CV. Non praecludentur cultoribus Dei fores poenitentiae, donec ſol in occaſu oriatur.

CVI. Operare animae tuae, quantum potes, eſt enim infernus et paradiſus.

CVII. Qui operatur bonum, non priuabitur remuneratione.

Haec ex multis aliis, quae adductis ipſis verbis Arabicis copioſe enarrauit HOTTINGERVS[f] ſelecta, ſatis oſtendunt, ſententiarum neque pondus, neque elegantiam Arabibus defuiſſe. Verum nec acumine carere eorum ethicam paraeneticam et gnomologicam, παροιμίαι more veterum ſymbolice propoſitae teſtantur, quarum exempla aliquot, cum elegantia ſint et iucunda, hoc loco ad cognoſcendum Arabicae gentis ingenium dabimus:

I. Ne nata in aqua frigida, ne pereas, i. e. ne tradas animam tuam cupiditatibus, ne moriaris in peccatis tuis in aeterno cruciatu. *Prouerbia ſymbolica Arabum.*

II. Lima ſpinas lima, i. e. vince affectum carnis, et cupiditates malas, vt viuas.

III. Occlude oſtium tuum aduerſus raptores, i. e. claude ſenſus tuos aduerſus peccatum, ne capiant te hoſtes.

IV. Ne immittas pecus tuum in pratum, in quo non eſt ſepes, i. e. ne emittas cupiditates tuas ſine freno legis.

V. Eſto vnicuique libra, i. e. eſto iuſtus, nec declinato ab aequo ad abiiciendam iuſtitiam.

VI. Ne conuerſare cum leone quodam pede, i. e. caue et declina omnem hominem nequam.

VII. Ne deambula nudus per plateas, i. e. ne ne aperias ſecretum tuum coram hominibus, ne ſubſannent te in conuentu.

VIII. Verba fac nocte, vbi non eſt auis nocturna, i. e. occulta dignitatem tuam et arcanum tuum a turba idiotarum et ſtultorum.

IX. Ne aperi ſecretum tuum ſimiis, i. e. deriſoribus.

X. Appone ianuae tuae frenum, et non timebis inimicos tuos, i. e. os refrena et compeſce ſilentio.

XI. Audio molae ſtrepitum, ſed non video farinam, i. e. verba dantur, res ignorantur.

XII. Si neſcis aſcendere per ſcalam, non ambulabis ſuper tectum, i. e. qui non didicit parere, neſcit imperare, vel, qui per gradus non aſcendit, non culmina attinget ſcientiae.

XIII. Anguſtum eſt pectus eius, qui coarctat manum ſuam, i. e. qui auarus eſt, pauper eſt.

XIV. In loco vbi ſal comedis, ſalinum ne frangito, i. e. benefacta male factis ne compenſes.

XV.

f) Hiſt. Orient. p. 314

XV. In puteum ex quo aquam bibisti, lapidem ne coniicias, i. e. bona malis ne compenses.

XVI. Ne indue album nocte obscura, i. e. ne sis extrinsecus decorus, intrinsecusque plenus nequitiae.

XVII. In patera carnis ne bibe merum, i. e. ne delitias sequere scortatorum.

XVIII. Ne aperias feneſtram ante vnum angelorum, i. e. non aperias sensus tuos in conspectu meretricum, ne cadas in retia illarum.

XIX. Nata in aqua ante vesperam, i. e. purifica te poenitentia ante mortem.

XX. Accende lucernam tuam ante tenebras, i. e. illumina te bonis operibus, antequam tibi superueniat mors.

XXI. Omnis ouis suspenditur e calcaneo suo, i. e. vnusquisque punietur pro actionibus suis.

Haec speciminis loco sufficiant: plura qui desiderat, ei plenis cyathis porrigent Erpenius, Hottingerus, Gallandius et paroemiographi Arabum alii. Multa ex his habuisse Arabes Muhammedis tempora insequentes ab anteceſſoribus suis, quos, praecipue carmina sua huiusmodi sententiis ornasse constat, dubium non est: suntque forte multa inter ea, quae canam antiquitatem sapiunt. In hoc enim eruditionis genere vetustissimos Arabes excelluisse, *Tomo primo* iam notauimus. Aliorum tamen scrinia quoque expilarunt scriptores morales Saracenorum, ne Graecis quidem philosophis exceptis, et imprimis Pythagoreorum γνώμας haud raro Arabice extulerunt, suisque vendiderunt pro nouis. Ita illud Pythagorae: ὃν ἂν μοῖραν ἔχῃς πρᾴως φέρε, μηδ' ἀγανάκτει, Arabice dixerunt: אצבר עלי מא יוכך מנחא מן עיר אן תתרמר. Saepe Hebraeorum quoque ex fluminibus sua arua irrigarunt, immo a Christianorum quoque praeceptis non abhorruerunt. Imprimis translata varia sunt ex libris apocryphis in Coranum ipsum et scripta Muhammedanorum theologorum. Cuius exemplum hoc esto: *Tempore Isa tres aliquando vna facientes iter thesaurum inueniebant, dixeruntque esurimus: Eat itaque vnus nostrum emtum cibum. Abiit igitur vnus eorum, vt cibum afferret, consultumque esse cogitauit, si cibum veneno inficeret, dicens, fore, vt si de eo ederent, morerentur, ipseque solus thesauro potiretur. Fecit igitur hoc venenumque cibo miscuit. Reliqui vero duo etiam inter se conuenerunt, quod, vbi tertius ille accederet cum cibo, neci eum daturi essent, atque sic ipsi soli thesaurum possessuri. Afferentem igitur cibum occiderunt; ipsi vero postea venatum cibum comedentes mortui sunt. Hunc cum Iesus f. M. et discipuli eius locum transiissent, dixit: Hic mundus est, videte quomodo tres illos tractauerit, ipse tamen in statu adhuc suo permanet, et necdum amasios suos habere cessat. Vae illi, qui petit diuitias ex hoc mundo.* Similia passim apophthegmata

apud

apud ſcriptores Muhammedanos occurrunt, quae ſanctiſſimo Seruatori tribuunt, ſine dubio ex veterum relationibus, maxime vero ex libris apocryphis eiusmodi narratiunculis refertis hauſta, quae ab iis Chriſtianis acceperunt, qui initio federis ſub Muhammede cum Arabibus vixerunt. Sunt et inter allatas ſententias multae, quae ducibus Saracenorum debentur, diligenter ab ELMACINO annotatae, qui paſſim obſeruat, principes Arabum eiusmodi γνώμαις valde delectatos fuiſſe. Qui cum ingentem poëtarum numerum interdum in aulis ſuis nutriuerint, vt ſupra obſeruatum, dubium non eſt, quin in eiusmodi morali doctrina carminibus ſuis explicanda complures eorum deſudauerint. Certe id carmina moralia, quae Auerroi tribuuntur, ſuadent, et exempla paſſim in hiſtoria Saracenica adducta teſtantur. Pertinent quoque ad hanc philoſophiam moralem Arabum exotericam apologi et fabulae, cuius methodi ab antiquiſſimo tempore gens haec ſtudioſa fuit admodum. Vnde inter Arabes nihil celebrius fabulis Aeſopi, ſiue Locmanni, quas Arabicas debemus THOMAE ERPENIO, ex quibus patet, circa Muhammedis tempora fuiſſe ſcriptorem quendam, qui veteres fabulas Arabice enarraret, nonnullas nouas adiiceret. De quo tamen cum *Tomo primo* dictum ſit, hoc loco nihil adiicimus. In eodem quoque genere elaborauiſſe quaedam Aſaadeum Agyptium er Auicennam auctor eſt HOTTINGERVS [g], qui paroemiographos Saracenorum praeſtantiores quoque enarrat. Inter eos excellunt prouerbia imperatoris Alis, qui eiusmodi ſententiis acutis valde delectatus eſt. De quibus tamen et ſimilibus in hiſtoria Arabum literaria pluribus dicendum.

§. XXII. His iam praeceptorum moralium in roſario Perſarum politico propinatorum breuem ſubiungimus ſyllogen: *Capite primo, de moribus regum* haec praecipiuntur: *Sylloge praeceptorum moralium roſarii Perſici.*

I. Paradiſus eſt illorum, qui irae moderantur ac mortalibus ignoſcunt.

II. Si rex continuo faciat, quicquid aliquis dicit; vae illi, ſi praeter bonum aliud dixerit.

III. Mundus reſtat nemini: animum itaque in mundi conditore figas, ſat eſt. Ne imitaris opibus huius mundi, iisque incumbas: multos enim tibi pares aluit atque peremit. Cum anima ſtudeat tranſire illibata, quid intereſt, moriaris in ſolio an in ſolo [h]?

IV. O quantos et quam famoſos humo condiderunt! quorum, quod in hoc orbe fuerint, nullum veſtigium reſtitit. Quisquis igitur es, benefacito, vitamque vſuram cenſeto, antequam moeſta haec oriatur vox: ille non amplius ſupereſt.

V. Inge-

g) Biblioth. Orient. C. II. p. 277.

h) Haec inſcripta fuere arcui aeſtiuarii regis Feriduni. Fuit is ex antiquiſſimis Orientis regibus, quem giganteo corpore et diuino ingenio conſpicuum, et longe lateque regnantem, primum mortales in ordines claſſesque diuiſiſſe, multos inueniſſe, Sahacum tyrannum trucidauiſſe Perſae referunt. vid. GENTIVS ad h. l.

V. Ingenio praeditus praeſtare debet apud regem inſcio giganti. Neque enim mole grandius pretio potius: Ouis munda eſt, elephas ſordidus; equusque Arabicus quamuis ſit tenuis, talis tamen eſt, vt aſinorum cohorti praeſtet.

VI. Quamdiu vir verbum non fecerit, inertia virtusque illius ſepulta ſunt (ignorantur): quemuis ſaltum ne exiſtimes vacuum, fieri poteſt, vt in eo tigris lateat.

VII. Nemo noctuae, (miniſtro infido) ſub patrocinium conceſſerit, etſi aquila (princeps) in orbe terrarum non extiterit.

VIII. Mature regi occurrendum eſt latrociniis: tempore enim vires acquirit; fontis enim principium obſtruitur operculo, vndis vero cum intumuerit, ne elephante quidem transiri poteſt.

IX. Prauis benefacere, perinde ſe habet, ac male facere viris bonis.

X. Diuitiae in virtute, non auro conſiſtunt: magnitudoque in ingenio, non in annorum numero.

XI. Dimidium panem ſi vir Dei comederit, dimidiam ille partem pauperibus diſtribuit: rex vero integrum regnum ſi occupauerit, alterius denuo occupandi conſilia agitat.

XII. Hoſtis quidnam effecerit, ſi amicus verus adfuerit?

XIII. Inuidiae peſtis in aula non niſi obitu expugnari poteſt. Viles atque improbi anxiis votis expetunt aduerſa magnatum fata et interitum.

XIV. Quicunque auxiliatorem calamitoſo tempore deſiderat, pacis tempore liberalitate et dementia certet. Seruum annulum aure geſtantem ni benigne tractaueris, elabitur: beneuolentiam fac, vt tibi liber etiam ſeruus exiſtat.

XV. Regem populum ſuum ipſa anima nutrire praeſtat: quia rex populi beneficio regnat.

XVI. In rege requiritur aequitas, vt mortales ad eum confluant, atque clementia, vt ſub potentiae eius vmbra tranquilli ſecurique agant.

XVII. Iniquus regnare nequit: perinde ac lupus oues paſcere neſcit.

XVIII. Rex qui iniquitatis inſtituta introduxerit, ipſe regni ſui fundamentum proruit.

XIX. Si quis rex iniquitatem in ſubditos licitam duxerit, amicus illius aduerſis temporibus acerrimus hoſtis erit.

XX. Cum ſubditis pacem colito, et ab hoſtium bello ſecurus eſto. Aequo enim regi ſubditus ipſe miles eſt.

XXI. Ille ſalutis pretium aeſtimauerit, qui miſeriis iactatus fuerit.

XXII. Illum time, qui te timet, etſi cum eiusmodi centenis bellum gerere poſſis: nam molietur in te exitium.

XXIII. Spes ampliandi regni diu iam agitata cui bono? Cum ſpes ſupereſt nulla, vitam redituram transactam?

XXIV. Pau-

XXIV. Pauper et diues huius terrae ſunt ſerui atque ditiores quo ſunt, eo magis illa egent.

XXV. Subdito debili te miſericordem praeſtato, ne ab atroci hoſte exagiteris.

XXVI. Robuſti lacertis vngularumque vi, nefas eſt manum miſeri impotentis torquere.

XXVII. Metuat ille, qui lapſis non ignouerit, pede ſi lapſus fuerit, nemo manum illius prehendet.

XXVIII. Quicunque rex corruptum prauitatis ſemen ſparſerit, bonosque fructus ſperauerit; ingenium fruſtra vanis moliminibus concoquit, et inania conſiliorum monſtra captat.

XXIX. Surdum fingere deſine, populoque iuſtitiam adminiſtra. Niſi enim iuſtitiam adminiſtraueris, iuſtitiae ecce adeſt dies.

XXX. Poſteri Adami inter ſe ſunt mutua membra, quia, teſte natura, ex vna conditi ſunt materia. Si membrum vnum calamitate preſſum tempus traxerit, neque reliqua membra acquieſcere poſſunt. Tu ſi aliorum malis non indolueris, minime mereris vt te hominem dixerint.

XXXI. Praeſtat regi mori, quam mortales exagitare, cuinam enim bono illi rerum hoc arbitrium regimenque orbis?

XXXII. Cauendum eſt a vehementia et furore regum, plerumque enim animus illorum grauiſſimis regni diſtringitur negotiis, adeoque importunitatem vulgi tolerare nequeunt.

XXXIII. Qui opportunitatem gratiae regiae captare neſcit, illi ſit illicitum beneficium regis.

XXXIV. Si quis ſtolidus ipſo meridie cereum accenderit, illico videbis obſcura nocte lampadi ipſius defuturum oleum.

XXXV. Hominem beneficiis liberalitateque ad bonam ſpem erigere, mox rurſus omni ſpe ſucciſa animi dolore afficere, principe indignum eſt.

XXXVI. Liberalitatis portam aperire vix decet: cum vero aperta iam fuerit, illam ſeueritate occludere dedecet.

XXXVII. Quicunque ſtipendia, vt rem nimis caram equiti ſubtrahit, facit, vt equiti nimis carum videatur manum ferro admouere, forti itaque militi aurum dato, vt caput diſcrimini exponat: Aurum niſi dederis, te deſerto ad alium tranſierit. Vir fortis ſi ſatur fuerit, generoſo impetu in hoſtem prorumpet, ſi vero inani fuerit ventre, fugam alacriter capeſſet.

XXXVIII. Praeſtat dignitate motum otio frui, quam cuncta regendi onere diſtrictum eſſe.

XXXIX. Viri regiminis paris, praeclaroque iudicio praediti index eſt hic, quod ſe huic oneri ſubiicere nolit.

XL. Magna prudentia cauendum ab inconſtanti regum ingenio. Quandoque enim, dicta ſalute, ira accenduntur: quandoque vero contumeliis mire capiuntur, vt togam atque munera praeſtent.

XLI. Accidere ſolet, vt purpuratus regis aurum quandoque acquirat, fieri quoque ſolet, vt et caput quandoque perdat.

XLII. Regis negotium duos contrarios apices habet, panis ſpem, vitaeque diſcrimen. Sapientum vero conſilio renititur: illa panis ſpe illectum vitam diſcrimini dare.

XLIII. Quicunque fraudes committere ſueuit, manus illius in reddenda ratione trepidat. Rectitudo vero amorem diuinum conciliat: nec vidi vllum, qui hac in via perierit.

XLIV. Quatuor ſunt mortalium genera, quae contra quatuor acerrimo laceſſuntur odio: praedo contra regem; fur contra vigilem; luxurioſus contra cenſorem; ſcortum contra praedonem. Illi vero, quibus conſtat rationum ſuarum probitas, quorſum rationem reddere trepidant?

XLV. In actionibus tuis glorioſus ne eſto, ſi vis vt te munere moto, anguſtum hoſtis illudendi habeat campum. Tu vero purus eſto, neminemque paueſcas.

XLVI. Etiam innocenti in aula inſidiae et delationes timendae ſunt, neque tum exacerbato rege auxilium. In mari bona quidem ſunt infinita, ſed tu ſalutem ſi deſideraueris, eam in litore quaeras.

XLVII. Amicum ne arbitrator illum, qui in epulis felicique tempore magnas ſodalitii voces fraternitatisque popiſmata iactat. Amicum noſco illum, qui amici manum prehendat tempore infelici deſperatisque rebus.

XLVIII. Auſpicia ſi rebus tuis non ſtatim annuerint, ne ſis ſollicitus, animumque curis turbato: ipſe enim fons vitae in denſiſſimis latet tenebris, Deusque miſericors beneficia plurima recondita habet. Ne igitur iniquitate temporum moeſtus ſedeas: patientia enim amara quamuis ſit, fructus tamen dulces edit.

XLIX. Si quis fato ſuo dignitatis faſtigio ceciderit, orbis vniuerſus pedem capiti illius imponit: ſi vero manum eius felicitatis potentiaeque culmen viderint amplexam, laudantes manus pectori imponunt.

L. Regum negotia perinde ſe habent, vt itinera maritima, quae quaeſtus diſcriminisque ſunt pleniſſima: maximas aut diuitias acquiris, aut inter maris tempeſtates aulaeue ſcenas et lenocinia peris.

LI. Si aculeum aulae ſuſtinere non potes, ne ſcorpionis foramini digitum immittas.

LII. Magnatum, purpurati regisque fores ſine duce ne fruſtra oberres. Canis atque ianitor, ſi externum inuenerint, hic ſupremam thoracis oram, ille pallii imam captat.

LIII. Nemo iactat lapidem in arborem ſterilem, id eſt, non exauditus orat.

LIV. Magnitudinem ſi ambiueris, munera dato: granum enim ni ſparſeris, minime creſcit.

LV.

LV. Si vniuerſo populo theſaurum diſtribueris, cuiuis patrifamilias vix teruncius ceſſerit. Quidni a quouis hordacei grani inſtar argentum accipis, vt ſingulis tibi diebus theſaurus naſcatur?

LVI. Iniquitatis initia in hoc orbe primum fuerunt exigua, quae a poſteris paulatim aucta in tantum adoleuere, vt totum terrarum orbem oppreſſerint.

LVII. Si rex ex ſubditi horto vnum pomum comederit, ſerui ipſius arborem ipſam eruerint.

LVIII. Non reſtat iniquus iniqui temporis auctor, reſtat vero aeternum ſuper illo diriſſima execratio.

LIX. Quicunque altiſſimum Deum offendit, vt vnius hominis, etiam principis, animum ſibi deuinciat, Deus altiſſimus hominem illum contra iſtum accendit, et exſtimulat, vt illius ſtirpem ex temporum memoria deleat.

LX. Omnium animalium princeps eſt leo, infimus aſinus: nihilominus concordi ſapientum ſententia, aſinus, qui onera baiulat, leoni homines dilaceranti (ſubditus tyranno) praeſtat.

LXI. Amor principis non conciliatur, niſi ſubditorum animos deuinxeris. Si vis, vt magnus ille Deus tui miſereatur, tu Dei creaturis benefacito.

LXII. Non quiuis, qui potens eſt, magiſtratumque gerit, in dominatione mortalium opes impune vorat: fieri poteſt, vt quis gutture os grande deglutiat: verum id ventrem dilacerat, cum circa vmbilicum obſtructum haeſerit.

LXIII. Hominem indignum potentem ſi videris, ſapientes illi adſtipulandum eſſe conſultum duxere, niſi lacerantem vngulam habueris acutam: improborum contentionibus abſtinere ſatius erit: quicunque enim cum chalybeo lacerto manum conſeruerit, argenteum ſuum brachium laedit.

LXIV. Patiens eſto, donec manus illius tempora ligauerint: tum ex amicorum lubitu cerebrum ipſi extrahas.

LXV. Tu ſi ſagittam in hoſtem miſeris, caue ſagittae illius poſtea ſcopus exiſtas.

LXVI. Amicitiam in aula cum inimico ſi volueris, tum quouis tempore, cum ille te abſentem iniuriis lacerauerit, praeſentem laudibus extollas. Contumelia certe ex maligni vituperatoris ore profluit, ſi verbum illius amarum nolueris, os eius dulcedine oblinas.

LXVII. Illi qui tibi quouis momento noua beneficia praeſtat, ignoſcas, ſi tibi per longum vitae ſpatium ſemel iniuriam fecerit.

LXVIII. Si populus tibi damnum fecerit, ne dolore afficiare: a populo enim neque beneficium, neque damnum naſcitur. A Deo eſſe ſcito inimici odium atque amicum: vtriusque enim animus eſt in illius poteſtate.

LXIX. Magnitudo in imperii obſequio conſiſtit: imperii vero neglectus miſeriaeque paupertatisque eſt index. Quicunque bonorum virorum indicia habet, obſequii caput limini imponit.

LXX. Vim ne facito terrae incolis, ne oppreſſorum ſuſpiria coelum penetrent.

LXXI. Caueas gemitus animorum vulneratorum: tandem enim certo penetrant, teque euertunt: vnum enim oppreſſi ſuſpirium orbem terrarum vertere poteſt.

LXXII. Quid multi anni? quid vita longa? Mortales enim in hoc terrarum orbe veſtigiis pedum capita noſtra calcabunt. Perinde vt regnum ex longa regnantium ſerie ad nos peruenit, ita etiam ex manu noſtra in aliorum manus tranſire debet.

LXXIII. Amico ne tantum roboris dederis, vt ſi inimicus fiat, te ſuperare poſſit.

LXXIV. Rex cuſtos eſt pauperum, etſi ſubditorum felicitas potentiae illius lacerto ſubſiſtat. Grex non eſt propter paſtorem, ſed paſtor eſt, vt ſeruiat gregi.

LXXV. Hodie vnum videris felicem atque potentem, alterum vero animi dolore anguſtiisque vulneratum: tu paucos etiamnum dies patiens eſto, vt exedat terra medullam capitis meditabundi: regis ſubditique diſcrimen tollitur, cum fatum ineuitabile irruerit. Si quis mortuorum ſepulchra aperuerit, diuitem a paupere non diſcreuerit.

LXXVI. Nunc dum opes in manu habes, ſape, et felicitatem tibi para aeternam: haec enim potentia et opes ex manu in manus ruunt.

LXXVII. Si purpuratus Deum ita metueret, vt metuit regem, angelus foret.

LXXVIII. Opinatur iniquus, quod nobis iniuriam fecerit: ſed in ceruice eius illa reſtat aeterna, in nobis finit.

LXXIX. In diuerſam a rege niti ſententiam proprio cruore eſt manus polluere. Si rex ipſo meridie forte dixerit, nox eſt: reſpondendum eſt: immo hem lunam! hem Pleiades!

LXXX. Si ex ſeruo inconditum quid audiuerit rex, ne offendatur: orbem enim pererrans mendacia plurima didicit.

LXXXI. Vt amicorum ſubditorumque heri animos tibi deuincias, vel patris hortum vendito, et inimico quoque benefacito: ſatius enim eſt canis os buccella obſtructum eſſe.

LXXXII. Vir ille eſt ex vero, qui accenſus ira vana non dixerit; quendam moribus inconditus iniuria affecit, tolerauit ille, et extrema tua fauſta ſint, dixit: peior ſum eo, quod de me vis dicere; certus equidem ſum, te mea vitia me ipſo non rectius noſſe.

LXXXIII. Dum potes nullius animum vulnera, in hoc enim mundi itinere multae ſunt ſpinae. Miſeri inopis malis obſtetricator atque ſubuenito, quia tibi etiam mala ſubuenire poſſunt.

LXXXIV.

LXXXIV. Proprio pane veſci et ſedere melius eſt, quam aureo cingulo accinctum ſeruitio adſtare.

LXXXV. Vita pretioſa his exeditur curis: quid comedam aeſtate? quid induam hyeme? O venter ignaue, vno pane contentus eſto, ne tergum in aliorum ſeruitio incurues.

LXXXVI. Regi ſapienti hoſtis obitus non eſt laetandi materies; quia eius etiam vita non eſt perpetua.

LXXXVII. Conſiliarii ſimiles ſunt medicis, qui non niſi morbo conflictantibus medicamentum praebent.

LXXXVIII. Diuitiae et potentia non acquiruntur rerum peritia: nulla certe arte, niſi diuino Numine, ſurgunt. In hoc terrarum orbe hoc accidit fere, vt rudis honoretur, ſapiens vero contemnatur, vt chemicus moerore intereat, rudis in deſerto theſaurum inueniat.

LXXXIX. Illum amicitia dignum minime duxeris, qui ſordidum locum frequentauerit; ſitibundi enim animus non expetit aquam dulcem; quam foetidum aliquod os inde hauriens reliquerit infectam. Quomodo itaque in regis manum denuo redeat malum aureum, quod in ſordes ceciderit.

XC. Prudentes illum minime magnum vocant, qui magnorum nomina contemtu foedat. Haec omnia nihil ſunt, cum praetereant, fortuna, regnum, imperium, vetitum atque iuſſum. Bonam defunctorum memoriam religioſe colito, vt tui etiam bona memoria ſuperet aeterna.

Secundum Caput de moribus religioſorum tractat, et ad haec noſtra ſcrinia proprie quidem non pertinet, ſed Muhammedani cultus et religionis ſobrietatem commendat. Sunt tamen in eo quoque praecepta pulcherrima, multos Chriſtianorum in ruborem dare eo magis apta, quo magis a Muhammedis alumno, promiſſionibus huius vitae ſelicitatis ineſcato vix queunt expectari. Luculento itaque exemplo probant, id quod ſupra iam confecimus, philoſophiae auxilio Muhammedanos doctrinam ſuam valde emendaſſe, cuius ecce ſpecimina ſequentia:

I. Deum noſcentes imperfecti cultus veniam implorant, ſerui obſequii mercedem requirunt, mercatores mercium pretium: veri cultores tanquam mancipia ſpem non obſequium afferunt, mendicique non mercatores adueniunt, orantes: fac mihi, quod dignum eſt te; noli mihi facere, quod dignum eſt me. Non dicam ego, meum ſuſcipe obſequium, ſed remiſſionis calamo crimina mea dele.

II. Viri diuina veſtigia terentes ne hoſtium quidem ſuorum animos affligunt: amorque cordatorum in praeſentia et abſentia eſt ſemper idem.

III. Bonis operibus certa, et quicquid libuerit geſta, nihil intereſt, capiti coronam imponas, an mendicitatis notam humero aſſuas. Innocentia et pietas non conſiſtit in veteri pannoſaque veſte: vere innocens eſto,

eſto, bombycinamque geſtato. Pietas eſt: mundum, libidinem atque affectuum illecebras deſerere; pietas illa non eſt, habitum tantum deſerere.

IV. Per vnum hominem in conſortio inconditum offenduntur animi prudentum maxime.

V. O te ignauum, qui virtutes ſuper manus vola expoſitas oſtentas, vitia vero ſub axilla complexus occultas. Quid tandem mercaberis o ſuperbe in tremendo illo deſperationis die aere adulterino?

VI. Inanis pietatis iactator praeter ſe religioſum videt neminem, quia oculos magnae de ſe opinionis tegmine captos habet. Si illi vero oculum Deum cernentem conceſſerint, neminem ſe ipſo miſerabiliorem viderit.

VII. Status religioſorum eſt fulmen coruſcans, quod vno momento ſurgit, altero perit: quandoque is in altiſſimo coelo conſidet, mox ne proprii quidem pedis faciem videt. Si religioſus in eodem ſemper ſtatu perſiſteret, deſiderium vtriusque mundi praecideret.

VIII. Pauper religioſus nihil ipſe tenet, neque ipſe vlla re tenetur: et quicquid habet, leuamen id eſt egenis.

IX. Vbique oberrat ille, quem Deus limine ſuo dimouit: illum vero, quem ipſe inuitat, nullius ad limen adreptare facit.

X. Tuae rei quid confert pauperum penula, lacerae veſtes, palliumque pannoſum? quin improbis actionibus abſtineto: haud opus eſt, vt mitram geſtes ex pelle ouilla [1], animo virtute religioſus eſto, mitramque regiam geſtato.

XI. Religioſi, qui vultum in creaturis figunt, tergo Orienti obuerſo preces fundunt. Seruum qui Deum ſibi vindicauerit, decet, vt praeter Deum nouerit neminem.

XII. Virtutem diſce ex vitioſis, et quicquid in eorum actionibus diſplicet ingenio tuo, illud vita.

XIII. Ne inter facetias et ludicra vnum quidem dixerint verbum, quin prudens inde ſibi virtutis exemplum ſumat. Rudi vero ſi centum ſapientiae capita praelegerint, in auribus eius iocus ac luſus erunt.

XIV. Ventrem cibo vacuum habeas, vt eius beneficio ſapientiae lumen cernas.

XV. Poenitentiae beneficio diuinum ſubterfugitur ſupplicium, conuitiantium vero procacitas ſubterfugi nequit.

XVI. Tu bonus eſto, malumque te dixerint mortales, praeſtat, quam ſi malus ſis, et te bonum opinati fuerint: magnus enim Deus arcana manifeſtaque nouit omnia.

XVII. Calumniatorem virtute et morum innocentia pudore afficias, alacerque in bona recto tramite contendas, ne maleuoli vllius in te vitii deprehendant materiam.

XVIII.

1) Hanc plerique Perſae geſtant, religioſi vero omnes: huic opponit auctor mitram Tartaricam ex pretioſiſſimis pellibus confectam.

XVIII. Luſcinias in arboribus vides concinentes, perdices in montibus, ranas in aquis, feras in ſyluis: inhumanum itaque eſt, omnibus Dei laudem concelebrantibus, te ignauiae ſomno ſepultum eſſe.

XIX. Quicquid in hoc vniuerſo vides, magni Dei laudes ouans atque geſtiens accinit: ſed animus ille hanc capit mentem, qui aures habet.

XX. Facultates ſi non habuerimus, miſeri ſumus, ſi habuerimus, illarum amore curisque exedimur. Nullum huius mundi grauius atrociusque ſupplicium eſſe poteſt, quam quod mortalium animi acerbitatibus dilacerantur, opes ſiue habuerint, ſiue iis caruerint.

XXI. Si magna expetiueris, nihil expetere velis, praeter continentiam, quae potentia eſt inſuperabilis.

XXII. Diues etſi aurum largo ſinu effuderit, ipſius meritum nimium ſuſpicere noli: ex magnis enim viris audiui ſaepius, pauperis patientiam diuitis liberalitati praeſtare.

XXIII. Hominem inuiſere, vitium quidem non eſt, ſed tamen non tantum, vt: ſufficit, dicant. Quod ſi te correxeris ipſum, aliorum correctionem et correptionem audire opus haud erit.

XXIV. Mulier praua in aedibus viri boni in hoc quidem mundo illi tartarus eſt: caueas a mala coniuge, caueas, ſerua nos, o Domine, ab iſtius ignis infernalis ſupplicio.

XXV. O tu, qui familiae vinculis es oneratus, noli poſthac libertatis opinionem capere. Cura prolis, panis, veſtitus et opum te retinet ab angelici mundi contemplatione.

XXVI. Quisquis fuerit iurisperitorum, doctorum, religioſorum, concionatorumque mire facundorum, ſi viliſſimo huic mundo animum applicuerit, perinde vt muſcae pes melli, ſemper mundo affixus haeret.

XXVII. Religioſo non conuenit argentum nec aurum, quod ſi acceperit, tu tibi alium religioſum quaeras. Ille qui veris pollet virtutibus, vnicum in Deo poſuit ſtudium, ſine ſacro ille pane buccellisque collectis religioſus eſt.

XXVIII. Panem, vt in abdito viuant, Deumque colant accipiunt cordati: non vero in abdito viuunt, Deumque colunt, vt panem comedant.

XXIX. Sapiens, qui nihil, niſi hordacea fecerit verba, verba etſi pro concione fecerit, in neminem tamen penetrant. Sapiens eſt ille, qui non fecerit malum; non ille, qui populum multa bona docet, ipſe vero non facit. Sapiens, qui animi libidinem cuticulamque curat, ipſe iam periit, viam cuinam monſtrauerit?

XXX. Sacerdotum concio perinde ſe habet, vt officina mercatorum: hic niſi aes dederis, merces non acceperis: illuc vero, niſi beneuolentiae ſtudium attuleris, ſapientiae decus et felicitatem non retuleris.

XXXI. Verba ſapientis animi auribus accipito, etſi facta ipſius dictis non fuerint conſona. Futile eſt illud, quod ſapientiae oſtentator dicit: dormientem dormiens quandonam expergefecerit? Virum benignis auribus admittere oportet, etſi muro fuerit inſcriptum virtutis exemplum.

XXXII. Religioſus vix proprium corpus vndis eripere poteſt, ſapiens vero (philoſophus vel doctor publicus) operam dat, vt alios quoque vndis oppreſſos diſcrimini eripiat.

XXXIII. Si videris peccatorem, obtegas crimina, benignusque eſto.

XXXIV. Religioſorum toga et beneuolentiae et patientiae eſt habitus. Quicunque in hoc veſtitu iniurias non tolerauerit, ordinis ſui religionem mentitur, togaque illi eſt illicita. Vaſtum profundumque mare vnius ſaxi proiectu turbatur minime: ſapiens, qui iniuria accenditur, vadoſa etiamnum eſt aqua. Si tibi damnum acciderit, tolerato: quia crimina aliis ignoſcendo, crimina eluis tua. O frater, cum poſtremo in puluerem verti debeas, antea puluis eſto, quam in puluerem vertaris.

XXXV. Etſi quis cum elephante frontem conſerere poſſit, vir tamen eſt nullus, niſi humanitatem habuerit. Mortalium fabrica conſtat ex humo: ſi quis humanus haud fuerit, nec homo erit.

XXXVI. Itineris comes, qui feſtinat, tibi minime eſt comes: Proinde animum in nemine figas, niſi qui in te animum fixerit. In propinquo ſi pietas et religio non fuerit, cum illo amicitiam reſcindere, quam propinquitatis ius colere praeſtat.

XXXVII. Praui mores ſi naturam obſederint, non niſi fato expelli poſſunt.

XXXVIII. Maritum coniugis deformis coecum eſſe praeſtat.

XXIX. Religioſi regibus ſunt in hoc terrarum orbe milite inferiores, vitae iucunditate ſuperiores, morte pares, reſurrectione meliores.

XL. Externa religioſi facies eſt tunica ex veteribus pannis conſuta, rudeque pallium; vera autem haec eſt: vt ſpiritu ſit viuus, affectu mortuus, nequaquam illa, vt a mortalium conſortio ſecluſus ſe religioſum iactet. Qui ſi forte contra animi ipſius ſententiam aliquid fecerit, in bellum ruat.

XLI. Inſtituta religioſorum haec ſunt: Deum inuocare, grates agere, colere, obtemperare, liberalem, paucis contentum eſſe, Deum vnum ſtatuere, confidere, illi rem omnem remittere, patientemque eſſe. Quicunque hiſce virtutibus polluerit, vere religioſus eſt, etſi magnifica toga indutus ſit.

XLII. O te excordem, cuius anima pietatis eſt vacua, corpus vero religioſo habitu ornatum pietatem ſimulat.

XLIII. Infelix eſt ille, qui caput ſuum deflexerit a Dei foribus, alias enim fores non inuenerit.

XLIV. Luxuriantes vitis (diuitiarum) ramos liberalitate ſi ſuccideris, plures vuas reddet.

Caput tertium continentiae praeſtantiam commendat his praecipue ſententiis:

I. O continentia, tu me diuitem redde, praeter te enim opes ſunt nullae.

II. Qui

II. Qui haereditatem vatum inuenit, eius eſt, creatoris maximi beneuolentiam laudibus cumulare.

III. Sicco pane contenti ſimus vilique veſtitu: onus enim propriae miſeriae praeſtat exprobrationi mortalium.

IV. Inueteratos pannos praeſtat conſuere, et patientiae angulum colere, quam veſtitus cauſſa ditibus libellum ſupplicem ſcribere. Idem profecto eſt ac tartari cruciatus ſubire, vicini ope in paradiſum irreptare.

V. Qui non niſi ſtomacho latrante comedunt, atque etiamnum pruriente manum a cibo retrahunt, verum valetudinis bonae fontem cauſſamque tenent.

VI. Sapiens tum temporis verba facere, ciboue manum admouere coeptat, cum ex ſilentio damnum, ex abſtinentia mors imminuerit. Proinde dubio procul verba eius ſapientia erunt, ipſiusque comedere ſanitatis fructus feret.

VII. Comedendum eſt vt viuamus, ſummoque numini laudes dicamus; non vero viuendum, vt comedamus.

VIII. Cum modicum comedere cuiquam inſtitutum fuerit, ſi inedia eum forte preſſerit, facilius feret; ſi vero cuticulam curauerit profuſe et laute, rebus anguſtis inedia perit.

IX. Quamuis in corporea hac mole cibus ſit delitium, modum tamen ſi exceſſerit, moleſtiam parit.

X. Illud expete animo, vt animus tuus nihil expetat.

XI. Quicquid precibus a vilibus impetraueris, corpore quidem auctus, animo vero imminutus eris.

XII. Praeſtat glorioſe interire, quam vitam miſere trahere.

XIII. Nouercante fortuna, triſtis flebilique vultu carum amicum ne adeas; quia ipſius etiam voluptatem exacerbas: neceſſitatem alicui expoſiturus, laeto ridentique vultu adeas: nequaquam enim ſuccedit male negotium viri, qui eſt laetae frontis.

XIV. Male eſt ille cibus, quem neceſſitatis tempore acquiris; olla quidem bullit, ſed honor decoquitur. Praeſtat omnino egenum eſſe, quam mendicandi vtilitatem tolerare.

XV. Neceſſitatem viro vultu triſti ne exponas: a prauo enim ingenio illius dolore afficieris. Si animi curas atque dolorem cuipiam exponere lubet, exponas tali, a cuius laeto ingenio mox beneficium ſentias.

XVI. Quicunque panem labore ſuo acquiſitum comederit, procerum beneficiorum exprobrationes non tulerit.

XVII. Fieri ſolet, vt miſer atque contemtus, ſi potens euaſerit, ſurgat, miſerorumque manus obtorqueat.

XVIII. Abiectus ſi dignitatem, argentum, aurumque obtinuerit, caput eius colaphum omnino ambit.

XIX. Ille qui te potentem non fecit, te ipſo res tuas rectius nouit.

XX. In deſerto pauperi ſolis calore aduſto coctum rapum argento non ſignato praeſtat.

XXI. Res ſi beneuolentia et comitate non ſucceſſerit, tandem in crudelitatem vertatur beneuolentia, neceſſe eſt. Qui ſui non miſeretur ipſe, alii eius ne miſereantur, aequum erit.

XXII. Anguſtum auarumque mundani hominis oculum aut continentia aut ſepulchri humus opplet.

XXIII. Seruo neceſſitate perculſo, quid refert ſupplices manus tendere ad Deum pietatis cauſſa, bene faciendi vero tempore eas ſinu condere? Auro argentoque benefacito, tibi ipſi quoque beneficia inde carpito. Scito has aedes te defuncto ſuperaturas, ſiue laterem ex auro, ſiue ex argento ſtatuas.

XXIV. Fruere, o bonis praedite moribus, haereditate auari: viliſſimus enim ille opes congeſſit, nec iis frui ſuſtinuit.

XXV. Si a tergo irruerit hoſtis animum auferens, fatum legat pedem hominis currentis.

XXVI. Praeſtantia et ars inania ſunt vocabula, niſi in forum producantur: aloën igni imponunt, muſcumque terunt.

XXVII. Amplitudo et diuitiae non acquiruntur annitendo: inanis honorum via eſt luctari. Si in cuiusque capilli apice ducentas habueris artes, ars equidem fruſtra fuerit, ſi ſors iniqua erit. Robuſtus nouercante fortuna quidnam fecerit? fortunae vis corporis robori praeſtat.

XXVIII. Quamdiu in officina penatibusque haeſeris, nunquam o inſipiens, vir euaſeris; mundum obeas atque perluſtres prius, quam tibi ex hoc mundo migrandum erit.

XXIX. Diues nullibi peregrinus eſt; vbique enim lectum ſternit: ille vero, qui opes conſequi nequit, etiam domi et in patria peregrinus eſt atque ignotus.

XXX. Corpus ſapientis viri, perinde vt aurum obryzum eſt, quocunque iuerit, momentum pretiumque eius norunt. Rudis vero diuitis filius ſimilis eſt coriaceae regis monetae, quae in aliena prouincia nihil valet.

XXXI. Formoſus quocunque iuerit, honorem et beneuolentiam experitur, pauxillum enim pulchritudinis multo auro praeſtat.

XXXII. Forma delitium eſt corporis, vox vero robur ſpiritus.

XXXIII. Si in peregrinum orbem ex patria diſceſſerit, inopiam miſeriamque non videt cerdo.

XXXIV. In quemcunque iratus coelorum curſus inſurgit, in contrarium, quam nititur, illi omnia tempora vertunt.

XXXV. Opes etſi ſine dubio contingant, ingenium tamen docet, eas a magnatibus quaerere; etſi ſine fato moriatur nemo, tu tamen viperae o accedere noli.

XXXVI. Quiuis locuples noctu ſuam repetit aulam, pauper vero, vbi a nocte oppreſſus fuerit, ibi aulam ſuam inuenit.

XXXVII.

XXXVII. Sine auro neminem cogere potes, ſi vero aurum habueris, nulla vi opus erit.

XXXVIII. Auaritia ſapientis occoecat oculum, ipſaque habendi libido auem piſcemque in laqueum trahit.

XXXIX. Si pugnae tempeſtatem videris, moderatus eſto: animi enim facilitas certaminis portam claudit. Facilem te praeſta, vbicunque pertinaciam videris: enſis enim acutus molle ſericum non ſecat. Linguae ſuauitate, gratia et beneuolentia, ipſum elephantem vno pilo ducere potes.

XL. Cuiuscunque animum offenderis ſemel, etſi poſtea centum illi beneficia contuleris, a vindicta vnius illius iniuriae ſecurus eſſe nolito. Sagitta quidem eximitur vulneri, ſed acceptae iniuriae memoria in animo altiſſime reſidet.

XLI. Nunquam a ſerpente conſedi ſecurus, ex quo prauum ſciui illius morem; ſerpentis veneno peius eſt venenum dentis inimici, qui in mortalium conſpectu amicus apparet.

XLII. Fortis inopum manus eſt ligata, leoninaeque vngulae fractae.

XLIII. Quamuis praeter bona a Deo conceſſa nemo quid comedere poſſit, non tamen in illis acquirendis pigritiam monſtrare decet.

XLIV. Quandoque accidere ſolet, vt viri etiam prudentiſſimi ſalubre non ſuccedat conſilium. Quandoque fieri ſolet, vt et neſcius puer haud intentus ſagitta ſcopum feriat.

XLV. Quicunque ſibi mendicandi portam aperuerit, ad mortem vsque ſemper indigus erit. Auaritiam deſere, atque regnato: ceruix enim auaritiae expers, altiſſime ſurgit.

XLVI. In cuiuscunque conuictu fueris, neceſſum eſt, vt in illius ſeruitium aſſurgas. Auris eſſe poteſt ſine tympano, viſus ſine hortorum delitiis, ſine roſa viget olfactus, ſine puluinari ſomnus capitur, ſuppoſito capiti ſaxo. Si defuerit amica tecum cubans, tua te manus amplecti poteſt. Sed venter iſte ignauus tot inteſtinorum voluminibus intortus vacuus ringitur, et nihilo placari neſcit.

Caput quartum, taciturnitatis commoda enumerat his regulis:

I. Taciturnitas ideo ſe commendat, quia vt plurimum in ſermone et bona et mala differuntur, inimicorumque ſtudium non niſi mala captat.

II. Inimicis propriam ne dicas miſeriam, illi enim verbis precantur, interea factum gaudent.

III. Tacenda ſaepe ea ſunt, quae ſcimus, ne locuti interrogemur ea, quae cum pudore neſcimus.

IV. Quemcunque Corano atque traditionibus ſuperare non potes, illi non reſpondendo ſatis reſponſum erit.

V. Inter duos ſapientes neque ſimultas neque certamen oritur; neque ſapiens homini vili atque ſocordi obnititur. Inſipiens ſi aſpera dixerit, ſapiens dulcedine ſingulari animum eius placat. Duo ſapientes ne

capillum quidem diſrumpunt, atque eodem modo ſe res habet inter pertinacem et mitem, ſi vero vterque fuerit inſipiens, etiam ferream catenam rumpent.

VI. Verbum etſi animum deuinciat dulceque ſit, mereaturque, vt certitudinis ſplendorisque loco dicatur, ſi ſemel tamen dixeris, dictum ne repetas. Dulcia enim ſemel comediſſe, ſatis erit.

VII. Nemo propriam fatetur ſocordiam, niſi qui, alio loquente, orationeque nondum finita, orationem orditur. Virtute, iudicio, ingenioque praeditus verbum non fecerit, niſi ſilentium viderit.

VIII. Non quaeuis dixerit ſapiens, quae ſciuerit, neque decet eliminando regis arcana de proprio capite ludere.

IX. Graue ſapienti eſt conſortium amicorum, qui prauos ſibi mores virtutem eſſe praedicant: hoſtis enim eſt ille impudens atque frontis perfrictae, quamdiu non eius oſtenderit quoque vitia.

X. Vocum abſurdiſſima eſt vox aſini.

Caput quintum, amoris et iuuentutis mores ita exponit:

I. Cuicunque rex fautor fuerit benignus, etſi omnia mala patrauerit, tamen placebit. Illum vero quem rex reiecerit, nemo ex tota aula amice tractauerit. Cauſſa haec eſt, cur reges vnum puerum praeferant reliquis aeque formoſis.

II. Amicitiam dum fateris, ſeruitii ſpem exuas, amantis enim et amati beneficio domini et ſerui nomen tollitur.

III. Dominus cum mancipio forma praeſtanti ſi luſum et riſum inſtituerit, ne mirum videatur, ſi perinde ac dominus, ſe molle et tenerum praeſtiterit, dominus vero mancipii inſtar eius mollitiem tulerit.

IV. Quocunque amoris rex pertigerit, illi ingens ſeuerae pietatis robur reſiſtere nequit. Incorruptus quomodonam vixerit miſer, qui ad collum vsque in vitiorum lutum eſt prolapſus?

V. Viri fortes robore et virtute hoſtes interficiunt, formoſi vero amicos.

VI. Etſi tu ſeptem Corani partes memoria recenſere poſſis, amore ſi fueris captus, ne alphabetum quidem noueris.

VII. Inimici oculo virtus vitium eſſe videtur; ſi vero vnam habueris virtutem, et vitia ſeptuaginta, amicus non niſi vnam illam videt virtutem.

VIII. Amor et deſiderium praeſtat faſtidio.

IX. Animum cruciatui exponere facilius eſt, quam oculum a contemplatione rei amatae abſtrahere.

X. Amicus ab amico minime abſtinet.

XI. Concluſus cum formoſa puella, fauentibus circumſtantiis omnibus, etiamſi ab illa incorruptus manſerit, a maledicentium tamen calumniis non erit incorruptus. Liber enim a malo affectu, non tamen a maligna ſuſpicantium calumnia liber eſt, nec proteruam mortalium linguam compeſcere poteſt.

XII.

XII. Quantum ſapiens inſipientem fugere ſolet, centies tanto inſipiens ſapientem horret.

XIII. Oportet mille amicorum amicitias reſcindi, ne vnum inimicum tuum videas.

XIV. Loquitor hominibus ad captum ſuum.

XV. Non decet animum vlli rei, aut homini, mancipare, quia animum ab illo reuocare res eſt imprimis difficilis.

XVI. Reges dura et aſpera quidem verba palam dicunt, interea tamen clam pacem expetunt. Vua recens et immatura ſaporem habet acerbum, vnum atque alterum diem expecta, donec dulceſcat.

XVII. Non licet ob quoduis dictum controuerſiam mouere, atque magnatum crimina vituperare crimen eſt.

XVIII. Ille qui pudorem ſuum proſtituerit, quid curat pudorem alienum? Saepe accidit, vt bonum nomen quinquaginta annorum vnum nomen infame proſternat.

XIX. Duae res in crimen praecipitant, fortuna mala et ingenium debile.

XX. Quid tum latroni profuerit, a furto reſipiſcere, cum ſcalas ſuperiori tabulato applicare non poſſit? Procero dicas, vt fructibus manu decerpendis abſtineat, quia parruulus per ſe manum in ramos protendere nequit.

XXI. Omnes proprii dedecoris baiules ſumus, proinde aliena vitia ne vituperetis. Nam qui proprium naeuum cernit, aliorum naeuum nunquam vituperat.

XXII. Amoris hiſtoriam ex iſto infido homine non diſce, qui calamitatis tempore amicitiae obliuiſcitur.

Caput ſextum, in enarranda *ſenectutis imbecillitate* occupatur, haecque praecepta moralia ſpargit:

I. Nonne vides, quantam homo patiatur miſeriam, cum vnum tantum ori illius exemerint dentem? Aeſtima ex eo, qualenam illud poſſit eſſe momentum, quando ex corpore tota migrauerit anima.

II. Temperamentum perfectiſſimum non fidem aeternitati, ſaeuiſſimusque morbus non argumentum mortis facit.

III. Cum temperamenti aequilibrio declaraueric natura, neque amuletum neque temperamentum eam reſtituere poteſt.

IV. Noli aliquid boni ſperare a luſciniis (iuuenibus), quae ſingulis momentis ſingulis roſis irreptantes modulantur.

V. Senes ex rectae rationis virtutisque inſtituto, non ex iuuenilis inſaniae arbitrio vitam agunt.

VI. Te meliorem quaeras ducem, inuentumque magno in pretio habeas, alioquin cum tibi ſimili tempus perdideris.

VII. Puellae lateri affixa ſagitta ſatius eſt, quam ſenex.

VIII. Si qua femina a mariti latere ſurrexerit pertaeſa, multum mali contentionisque in aedibus illis orietur.

IX. Ire

IX. Ire et ſubinde quieſcere ſatius eſt, quam currere et deficere.

X. Feſtinare noli, et patientiam diſce; equus Arabicus duos curſus citiſſimo pede facit, mulus vero paulatim incedendo dies noctesque pergit.

XI. Cum ſenium contraxeris, puerilibus abſtine; iocos illecebrasque iuuenibus relinque; adoleſcentium iocos a ſenibus requirere noli: non enim in alueum refluit aqua ſemel elapſa.

XII. Si paruitatis ſuae temporis meminiſſent iuuenes, quando miſeri impotentesque in ſinu matris iacuere, eo illi die non facerent iniuriam, quo hi ſunt leones illa anicula.

XIII. O quam peſſime Deo ſeruirent, precesque funderent mortales, ſi precum cultusque pars in erogando aere conſiſteret.

Caput ſeptimum, diſciplinam bonosque mores ita inſtruit:

I. Si natura aliquis fuerit capax, diſciplinam illo fructum edit: Nunquam vero bonum fecerit politor ferrum, quod natura prauum fuerit. Aſinum Chriſti etſi Meccam duxerint, inde reuerſus tamen aſinus erit.

II. Artificium diſcite; in huius mundi diuitiis potentiaque nulla ponenda eſt fiducia. Dignationes enim extra vrbis portam tecum non peregrinantur. Aurum atque argentum in itinere periculoſum: aut praedo illud vniuerſum abſtulerit, aut dominus ipſe paulatim id conſumſerit. Ars autem fons eſt perennis ſtabilisque, atque artifex quamuis diuitias ſuas amiſerit, nihil prorſus eſt periculi et moeroris: quia ars ipſa diuitiae ſunt. Artifex praeterea, quocunque iuerit, honorem inuenit.

III. Patriam haereditatem ſi volueris, patriam ſcientiam diſce. Patris enim opes decem dierum ſpatio abſumi poſſunt.

IV. Verbum dicendum eſt conſiderate, actionesque et geſtus edendi ſunt grati omnibus, praecipue vero regibus: regum enim facta dictaque per vulgus omnino feruntur, vulgi vero dicta factaque idem pretium non habent. Proinde in excolendis regiae ſtirpis magnatumque moribus maius afferendum eſt ſtudium, quam ceteris plebeiis.

V. Quicunque in pueritia bonis moribus non fuerit imbutus, adultus cum fuerit, ſine virtute erit.

VI. Praeceptor peritus ſine ſeueritate ſi fuerit, pueri in foro vrſum luſerint. Seueritas enim praeceptoris, praeſtat amori patris.

VII. Praeſentes corporis delicias futurae miſeriae metu ludibriisque turbare, ſapientum iudicio repugnat.

VIII. Non hodie oportet craſtini diei taedia moeroresque concoquere.

IX. Tu moneto, quod tibi monere incumbit, ſi non audierint, tua quid refert?

X. Quamuis argentum et aurum ex lapidibus proueniat, non tamen in quouis ſaxo aurum argentumque latet. Ita et diſpar ingeniorum ratio.

XI. Si mortalium animi, vt opibus, ita opum datori eſſent affixi, ipſos etiam angelos antecellerent.

XII. Tui

XII. Tui non eſt oblitus magnus ille Deus illo momento, quando gutta fuiſti ſepulta atque ſenſus expers. Dedit tibi animam, rationem, naturam et intellectum, formam, linguam, iudicium, mentem atque ingenium. Decem tibi digitos in manibus ordine digeſſit, duo bracchia humeris tuis iunxit: iamne primum opinaris o ignobilis ignauaque anima! quod vel vnum diem tui immemor eſſe velit?

XIII. In extremo iudicio rogaberis, quid ſis pietate lucratus, non, quo ſanguine ortus fueris. Id eſt, rogabere: opus tuum quodnam? non vero: quisnam pater tuus?

XIV. Quicunque auctori vitae ſuae beneuolentia non reſponderit, nunquam acceptus felixque erit.

XV. Grauidae feminae ſi partus tempore ſerpentem fuerint enixae, illud praeſtat, prudentum iudicio, quam ſi contumaces filios pepererint.

XVI. Vnum certum verumque pubertatis ſignum eſt: ſi quis voluntati potius diuinae, quam corporis deliciis illecebrarumque ſtimulis obſecutus fuerit.

XVII. Humanitas in liberalitate et beneuolentia conſiſtit: ne arbitreris illud corporeum ſimulacrum tantum hominem eſſe; virtute opus eſt, ſimulacrum enim pingi poteſt in aedium parietibus ex minio et aerugine. Huius mundi opes acquirere non eſt virtus, ſed alicuius animum tibi deuincire, ſi potes, ea virtus eſt.

XVIII. Verbum niſi praeclarum beneque dictum ſciueris, ne dicito: illudque, cuius non bonum fuerit reſponſum, ne rogato.

XIX. Quicunque magni momenti negotium imperito commiſerit, praeterquam quod damnum poenitentia eluit, prudentibus leuis ingenii argumentum quoque praebet.

XX. Seruo tuo ne pertinaciter iraſcaris, illumque ne affligas, animumque eius ne perſtringas: ipſum enim decem forte drachmis comparaſti, nequaquam tua potentia formaſti. Illud iudicium, tumor atque furor quousque tandem? Te enim ipſo maior eſt dominus.

XXI. Seruo, qui tuo obſequatur imperio, ne praeter morem iraſcaris, atque ſuccenſeas; abſurdum quippe videbitur in extremo iudicio, ſeruum eſſe liberum, dominum vero vinculis oneratum.

XXII. Grauia negotia viro committas experto, qui ferociſſimum etiam leonem reſtis laqueo ſubiiciat.

XXIII. Mors pauperum facilitas et quies eſt.

XXIV. Aſinus cui leuius imponunt onus, in via facilius iter facit: pauper, qui iniquae paupertatis molem toleraverit, faciliori animo mortis fores accedere videtur. Illi vero, qui in deliciis, illecebris, luxuque vixerit, mori in his omnibus, dubium minime eſt, quin acerbum ſit. Tu omnino captiuum, qui vincula euaſit, feliciorem ſcito, viro illuſtri, qui in vincula incidit.

XXV. Inimicus, ſi beneficiis delinitus fuerit, amicus euadit: ſed affectus, quanto magis illi indulſeris, tanto vehementius tibi obnititur.

XXVI. Homo angelicis moribus euadit, modicum comedendo, tu vero ſi quadrupedum inſtar voraueris, tabidi inſtar corruis.

XXVII. Beneficorum in manu non eſt aurum: huius mundi vero diuitibus deeſt beneficentia.

XXVIII. Diram noctu quietem habet ille, cuius proximi diei reditus incerti fuerint: formica aeſtate colligit, vt hyberno tempore otiari poſſit.

XXIX. Otium in paupertate non datur, animusque compoſitus in egeſtate conſiſtere nequit.

XXX. Auaritiae vultum a mortalibus deflectas, ſi vir es, milleque granorum ſphaerulas precatorias manibus ne verſes, pauper enim iners non acquieſcit, niſi illius paupertas tandem in fidei defectionem definat.

XXXI. Venter et Venus ſunt gemelli, vnius ſcilicet corporis fratres, alter dum decumbit, altera ſtimulat.

XXXII. Plerumque inopes innocentem et illibatum ſinum criminibus polluunt, famelicique panem raptant.

XXXIII. In fame non reſtat temperantiae virtus, paupertasque continentiae habenas pietatis manui eripit.

XXXIV. Quicunque pietate eſt ceteris minor, opibus vero maior, ſpecie quidem diues, reapſe vero pauper eſt.

XXXV. Auari argentum tum temporis ex humo in lucem prodit, quando ipſe in humum abit.

XXXVI. In eum, qui ingenio, beneuolentia, conſilio atque prudentia deſtituitur, veriſſima ſunt ianitoris verba: domi nemo eſt.

XXXVII. Caueas tu, ne clypeum in facundi certamine proiicias; ille enim praeter tumidam eloquentiam, et mutuo quidem acceptam, nihil habet. Religioni ſcientiaeque omnes neruos intendas, magniloquus enim orator arma foribus praefixit, intra caſtellum vero neminem habet.

XXXVIII. Vbicunque roſa eſt, ibi eſt quoque ſpina: atque in vino eſt capitis dolor. Vbi theſaurus defoſſus eſt, latet ſerpens; vbi exquiſitus vnio, crocodilus hominis vorator. Blandas huius mundi illecebras acerbiſſimum ſequitur fatum, ipſisque paradiſi deliciis obiectus eſt multorum obſtaculorum murus. Inimici iniuriam ferre debet, qui amico frui voluerit, quia defoſſus theſaurus et ſerpens, roſa et ſpina, moeror et laetitia coniuncta ſunt.

XXXIX. Reperiuntur inter diuites pii, qui beneficia a Deo ſibi collata agnoſcunt, gratesque agunt: et improbi, qui ingratum animum produnt. Sic quoque inter pauperes, patientia inſignes impatientiaque turpes.

XL. Deo maximo altiſſimoque propiores ſunt diuites, qui moribus ſunt pauperes, et pauperes, qui moribus ſtudiisque diuites ſunt.

XLI. Diuitum princeps eſt ille, qui pauperum dolores moeroresque recipiat, pauperumque optimus ille, qui diuitum naeuos non tangat.

XLII. Qui-

XLII. Quicunque in Deum ſpem atque fiduciam collocauerit, illi Deus ſatis eſt.

XLIII. Ne huius orbis motum iniquitatis incuſes, o pauper, infeliciſſimus quippe eris, ſi hóc modo obieris. Tu vero, o diues, dum animus manusque rerum arbitrium tenet, comede et dona liberaliter, ſic huius alteriusque vitae conſors eris.

Caput octauum idque vltimum, *conuerſandi virtutibus* deſtinatum, his ſplendet monitis:

I. Diuitiae mitigandis vitae humanae moleſtiis datae ſunt, non vero vita coaceruandis diuitiarum cumulis.

II. Felix eſt ille, qui comedit et ſeminauit; infelix ille, qui obiit et reliquit.

III. Si frui volueris huius mundi opibus, benefacito mortalibus, quemadmodum benefecit tibi Deus.

IV. Liberaliter benefacito, nec beneficium exprobrato, vt beneficii fructus ad te certo redeat.

V. Noli tu gloriari, quod miniſterium praeſtas regi: quin gloriam eſſe exiſtima, quod ille te ſuo dignatur ſeruitio.

VI. Duo mortalium genera inanes labores ſubeunt, atque in vanum nituntur: Ille, qui quaeſtum facit, et non comedit: atque ille, qui ſcientiam diſcit, et actiones illi conſentaneas non edit.

VII. Scientiam quanto magis excolueris, cum ſine piis operibus fueris, tanto magis inſipiens eris.

VIII. Scientia tractandae conſeruandaeque religioni eſt, non vero abſumendis huius mundi opibus.

IX. Sapiens temperatae piaeque vitae expers, coecus eſt, facem ferens, aliosque illuſtrans ipſe non illuſtratur.

X. Regni decus et claritudo ſunt ſapientes: religionis perfectio ſeuero vitae genere innocentes. Reges ſapientum magis egent conſilio, quam ſapientes regum conſortio.

XI. Tria in hac rerum natura ſtabilia conſtantiaque eſſe nequeunt: diuitiae ſine quaeſtu, ſcientia ſine controuerſia, regnumque ſine poena.

XII. Miſereri prauorum, bonis eſt iniuriam facere, nefariisque crimina ignoſcere, pauperes eſt affligere.

XIII. Amicitiae regum nulla habenda fides, vna enim illam ſuſpicio tollit.

XIV. Rei mille amicis amatae animum ne applicato: ſi tamen alicui rei applicare velis, ſoli Deo id facias.

XV. Quicquid arcani habueris, amico ne exponas; quid noſti, annon quondam inimicus euaſerit?

XVI. Quoduis damnum, quod inimico afferre potes, ne affer, fieri enim poteſt, vt aliquando amicus fiat.

XVII. Secretum, quod volueris occultum, nemini, etiamſi fidiſſimo exponas, nullus enim tuo ſecreto te ipſo eſt fauentior.

XVIII. Verbum aliquod in occulto dici non decet, quod in quouis hominum confluxu dici non poteſt nec debet.

XIX. Impotens hoſtis, qui accepto tuo imperio amicitiam tibi monſtrauerit, nihil aliud quaerit, niſi vt inimicitiam pertinacius exerceat.

XX. Hodie extinguas, dum extinguere potes: ignis enim cum in flammam ſurrexerit, mundum peruaſtat.

XXI. Orationem inter duos inimicos ita inſtituas, ne redintegrata forte amicitia, tibi pudori ſit.

XXII. Quaecunque ante parietem dixeris, primum diſpicito, ne forte pone parietem auris aliqua attendat.

XXIII. Quicunque cum amicorum ſuorum hoſtibus amicitiam facit, amicos offendere ſtudet.

XXIV. Si in perficiendo aliquo negotio ambiguus ſuſpenſusque fueris, tum illam aggreditor partem, qua minori offenſa negotium facilius perficitur.

XXV. Cum viro placido ſermonisque benigno, iurgia ne exerceto, atque cum illo, qui pacis portam pulſat, bellum ne ſumito.

XXVI. Dum auro agitur negotium, caput periculo caſibusque obiectare non decet.

XXVII. Ignoſcere laudatum atque virtus eſt, verum vulneri illius, qui mortales vexat, non inungendum eſt balſamum. An neſcit ille, qui ſerpenti facit miſericordiam, ſe mortalibus iniuriam facere?

XXVIII. Conſilium hoſtis ſequi crimen eſt; verum hoſtem conſulere fas eſt, vt diuerſum facias, atque hoc pium eſt.

XXIX. Furor nimius parit odium, nimiaque et intempeſtiua beneuolentia auctoritatem imminuit. Tu neque tantam prae te feras ſeueritatem, vt mortales te faſtidiant: neque tanta ſis lenitate, vt tibi inſultent?

XXX. Duo et regni et religionis ſunt hoſtes: rex ſine clementia, religioſus ſine ſcientia.

XXXI. In regni faſtigio ne ſit rex mandata praeſcribens aliis, qui Dei maximi mandata ipſe non faciat.

XXXII. Caueat rex, ne tantum furori ſuo indulgeat, vt illi amici etiam diffidant, quia furoris incendium primum in dominum ſuum ruit, poſtea fieri poteſt, vt eius ſcintilla hoſtem tangat, aut non tangat.

XXXIII. Vade, et perinde vt humus, patiens eſto, o ſapiens, aut omnia tibi lecta humo obruito.

XXXIV. Prauis moribus imbutus licet ſupplicium fugiturus ipſum coelum conſcenderit, ſemper tamen in malorum morum ſupplicio haerebit.

XXXV. Hoſtis tui militem ſi diſcordem diſperſumque videris, bono animo eſto. Si vero concordem atque collectum, tibi metuito.

XXXVI. Hoſtis, tentato omnium artium fruſtra genere, amicitiae vinculum contrahit: atque tum ſub amicitiae imagine ea agit, quae hoſtis efficere non potuit.

XXXVII. Belli tempore a debili hoſte ſecurus ne eſto, leonis enim animum exſerit, cum deſperauerit.

XXXVIII.

XXXVIII. Nuncium, quem alicuius animum turbare noſti, tu ſilentio praetereas, aliusque illum ferat, ſinas.

XXXIX. Ne regi alicuius perfidiam detegas, niſi tum temporis, cum regem auditurum certiſſimus fueris, alioquin tibi ipſi perniciem feſtinas.

XL. Apparatum orationis tum facito, cum orationem penetrare ſciueris.

XLI. Quicunque ſciolo conſilium dederit, ipſe alterius conſilio eget.

XLII. Caueas blateronis laudes audias, qui vile laudum tuarum praemium a te ſperat. Ni aliquando animum illius expleueris, ducenta, vt primum laudes, de te vitia narrat.

XLIII. Niſi quis oratoris vitia perſtrinxerit, oratio eius nunquam perfecta erit.

XLIV. Si ingenium ex hoc terrarum orbe ſublatum eſſet, nemo tamen ſe ignarum eſſe autumaret.

XLV. Auarus ſi totum habuerit mundum, non ſatiabitur, qui vero paucis eſt contentus, vno pane ſatiatur.

XLVI. Laſciuia incendium eſt, abſtineas, te ipſum ne in atrociſſimum tartari ignem praecipites: illius enim incendii aeſtum ſuſtinere nequis, proinde patientiae aquam huic incendio hodie affundas.

XLVII. Quicunque rebus florentibus non benefecerit, rebus labentibus miſeriam videt.

XLVIII. Animae ſalus vnus eſt halitus; mundusque ens eſt, inter duo non entia medium: religionem mundanis opibus vendentes aſini ſunt, Ioſephum vendunt, vt nugas emant.

XLIX. Hoſtis hortatu Dei amici foedus violaſti, videas itaque, a quo diſſociatus ſis, et cui te iunxeris.

L. Illi qui preces non fundit, ne mutuum dederis: etſi paupertate os illi apertum fuerit. Ille enim ne praeceptum quidem praeſtat diuinum, quanto minus de reddendo tibi debito ſollicitus erit?

LI. Negotia quae paulatim fiunt, citius et certius ad finem perducuntur.

LII. Homini imperito nihil ſilentio eſt conſultius: quod ſi ſibi conſultum intelligeret, imperitus non foret.

LIII. Hominis ingenium prodit lingua, nucemque caſſam leuitas.

LIV. Quicunque cum ſe ſapientiori controuerſiam ſuſcipit, eo fine, vt mortales ſe ſapientem eſſe ſciant, illum imperitum eſſe cognoſcunt.

LV. Quicunque cum prauis conſidet, bonum non videt.

LVI. Occulta mortalium crimina ne vulges, illos enim foedas tuamque exiſtimationem imminuis.

LVII. Quicunque ſapientiam acquiſiuit, eius vero actiones non facit, ſimilis eſt illi, qui arauit, nec ſeminauit.

LVIII. Non omnis, qui forma eſt praeclarus, virtutibus etiam perfectus eſt: virtus enim in animo, non in cuticula relucet.

LIX. Vno die ex viri moribus cognoſci poteſt, quousque in ſcientiis profecerit: ſed intimorum ſenſuum et conſiliorum eius neque ſecu-

rus neque contemnens esto, maligna enim anima per multos annos non cognoscitur.

LX. Certamen corporisque robur cum ebrio experiri noli, coram robusto manum submittas et ebrio.

LXI. Quicunque bonum consilium non admittit, reprehensiones audire studet.

LXII. Abiectus, qui virtute cum alio contendere nequit, vilitate quadam vitia ipsius inuadere coeptat.

LXIII. Sapientes comedunt tarde, pii ad mediam satietatem, deuoti tantum ne inedia extinguantur: iuuenes donec patina auferatur, senes donec sudent, sed voraces, ne in stomacho quidem respirandi locus relinquatur, neminique in mensa buccella remaneat.

LXIV. Cum mulierculis consilium captare stolidum est, prodigisque liberalem se praestare nefas.

LXV. Misereri tigris dentibus acutissimis praeditae, quibus est iniuriam facere.

LXVI. Sapiens, qui in omnium rerum rudes incidit, nullum honorem sperare debet.

LXVII. Praeclaras ingenii dotes iusta institutione destitui miserum est: instructio vero in hominem ineptum collata, vana est.

LXVIII. Sapiens tacitus virtutes suas exserit, pulchra facinora edens.

LXIX. Virtutem ostende, si tu nobilis es.

LXX. Amicum, quem toto vitae tempore acquisiueris, non decet, vt vno momento offendas.

LXXI. Ingenium in manu affectus ita captiuum detinetur, vt vir vxorius in manu feminae impotentis.

LXXII. Laetitiae fores illi domui occludas, in qua audiueris feminae vocem foris resonantem.

LXXIII. Consilium sine potentia fraus est atque dementia, potentia absque consilio insipientia et delirium: opus enim est primo iudicio, prudentia, consilio, dein opibus.

LXXIV. Sapientem non decet scurrilitatem et leuia facta nesciae plebis mansuetudine praeterire, vtrique enim damnum inde nascitur: sapientis auctoritas minuitur, plebis vero nesciae inscitia confirmatur.

LXXV. Scelera a quocunque patrata, detestabilia sunt, si vero a sapientibus patrentur, detestabiliora, quia scientia telum est ad debellandum diabolum: atqui si virum telis armatum in seruitutem abripuerint, maiori opprobrio is dignus est.

LXXVI. Miserorum conditionem ille nouerit, qui ipse miser fuerit.

LXXVII. Fatum non mutatur, etsi mille gemitus et suspiria laudans vel queribundus quis effundat.

LXXVIII. Paupertas bonorum animum in laetitia conseruat, opulentia malorum caput intra thoracem deprimit.

LXXIX.

LXXIX. Inuidus in diuinam beneuolentiam liberalitatemque auarus est, innocentique homini hostis.

LXXX. Inuitus discipulus amator est, sine auro. Peregrinator sine scientia, auis sine alis. Sapiens sine bonis operibus, arbor sine fructu. Religiosus sine doctrina, domus sine foribus.

LXXXI. Rectae rationi contrarium est, atque cordatorum consilio refragatur: medicamentum sumere anceps, atque iter ignotum sine comitatu ingredi.

LXXXII. Roga, quae nescis, quia vilitas rogandi dux et via tibi fierit ad maiestatem scientiae.

LXXXIII. Ne rudi te socium iungas, nam si iudicio praeditus fueris, asinus fies, si imperitus sis, stupidior euades.

LXXXIV. Tempore feueritatem probante et flagitante mansuetudo improbanda est.

LXXXV. Vir ingenio praeditus non respondebit, nisi alii ipsum rogauerint.

LXXXVI. Qui orationem non ponderat, responso offenditur.

LXXXVII. Mendacium dicere simile est vulneri inflicto: quod etsi coierit, vestigium tamen relinquit, mendaci enim nec vera loquenti fides haberi solet.

LXXXVIII. Quicunque cuticulam curat, ab eo virtus et artificium non est expectandum: atqui vt virtutis expers aliis praelit, indignum est.

LXXXIX. Diuina illa et incomparabilis voluntas alium regni fastigio mouet, alium vero in piscis viscеribus incolumem praestat.

XC. Si Deus in extremo iudicio ex seueritate egerit, ne ipsis quidem vatibus veniae locus erit.

XCI. Quicunque in hoc mundo afflictus pietatis viam ingressus non fuerit, aeternis tandem torquebitur cruciatibus.

XCII. Felices ex maiorum historiis exemplisque documentum prius sumunt, quam vt posteri sua olim exempla circumferant.

XCIII. Cuinam o Deus, nisi tibi, exponam animi dolores? praeter te enim iudex est nullus; atque tua etiam manu nulla est celsior. Ille, cui te ducem praestiteris, non perit; illi vero, quem tu perdideris, dux nemo erit.

XCIV. Mendicus, cuius extrema sunt felicia, praestat regi, cuius extrema sunt infelicia.

XCV. Quicunque minorum non miseretur, exagitationi maiorum subiicitur.

XCVI. Ille qui sortem condidit opesque creauit, dat aut virtutem, aut fortunam.

XCVII. Illi datum est, reges monere, qui capitis periculum non veretur, nec auri studio et spe laborat.

XCVIII. Generoso opus est iuuene, qui libidinis abstineat irritamentis, senis enim libidine languescente, membra non surgunt.

Has

Has ex multis aliis rosas tibi Lector, ex hoc rosario apponere placuit, vt appareat, Muhammedanis quoque moralis doctrinae praestantiam non fuisse denegatam, nec tam barbaram Arabum sub Muhammedismo gentem fuisse, vt animum sapientiae moralis praeceptis non excoluerit. Quae tantum abest, vt non pulcherrima multa praeceperit, vt fatendum sit, plus in hoc rosario esse, quod philosophiam sobriam spiret, quam in mille ethicis libellis philosophorum Scholasticorum, vepreta nobis et spinas, non rosaria, exhibentium. Sunt tamen nonnulla Muhammedanam doctrinam valde redolentia, qualia sunt, quae de ineuitabili fati serie et necessitate auctor differit; capite quoque quinto nonnulla occurrunt, quae caste magis sobrieque dici debebant: pleraque tamen egregia prorsus sunt, et calculo digna candido. Quae omnia non ex antiquis carminibus se desumsisse, prout scriptorum mos est, auctor in fine monet, eo quod obsoletam propriam togam resarcire satius sit, quam vestem nouam aliunde petere, accurate tamen attendentibus manifestum fere putamus, non Hebraeorum tantum veterum eum subinde scrinia compilasse, eorumque γνώμας praecipiendique de moribus modum prae oculis habuisse, sed et veterum Arabum dicta sententiasque multoties retulisse. Id quod nec ipse reticet, saepius ad Locmannum prouocando, quem cum rege Dauide vixisse ex traditione Arabum contendit. Sacros etiam interdum Hebraeorum viros, Iosephum, Mosen, Ionam aliosque more Muhammedanorum in scenam producit proditque se ex Iudaeorum traditionibus nonnulla accepisse. Quin et aliquoties sanctissimum Saluatorem laudat, eiusque dicta affert, quae ex scriptis ὑποβολιμαίοις sine dubio transtulit. Vnde aut de ipsa rosarii forma tantum intelligendus est, aut iactantius ista scripsisse iudicandus. Ipse vero liber totus omnino legi meretur, eo quod vix nobiliori exemplo sapientia moralis Arabum prodita sit, et adductae historiolae, apologique miram lectori iucunditatem propinent, multa etiam pronunciata sint acute atque non sine ingenii festiuitate. Ferendus vero scriptoris tumor, allegoriae duriores verbaque mire sonantia, quae nostras aures nonnihil offendunt: nihil enim in his est, quod non auctor cum gentis suae scriptoribus in hoc genere fere omnibus commune habeat, qui hac ratione eloquentiam nationibus Orientalibus valde deamatam ostendere sategerunt. Quam ob rem ipse se excusat Sadus, caussatus, *vniones hos morales bono consilio illustres hoc eloquentiae filo esse consertos, et amaram disciplinae medicinam suauissimi mellis dulcedine temperatam, ne lectoris ingenium taedio affectum oblata bonorum consiliorum maiestate frustretur.* Addimus iure quodam suo in fine libri huius auctoris epilogum:

Nos bona consilia suo loco dedimus,
Et bonam vitae partem huic (rei) impendimus.
Si quis ea pronis auribus non admiserit,
Vates officium fecit, si monuit.

HISTO-

HISTORIAE PHILOSOPHICAE PERIODI SECVNDAE

PARS ALTERA,

Hiſtoriam philoſophiae Chriſtianae ad reſtauratas usque literas exponens.

LIBER PRIMVS.

DE PHILOSOPHIA VETERVM CHRISTIANORVM.

CAPVT PRIMVM.

DE PHILOSOPHIA CHRISTI ET APOSTOLORVM.

§. I.

Ordo tractationis.

Peruagati ſumus prolixa tractatione totum philoſophiae campum, quatenus ſe inter gentiles, Iudaeos atque Muhammedanos poſt natum mundi redemtorem extendiſſe creditur, et quae inter hos populos fata habuerit, quantum ex relictis et ad nos propagatis veterum monumentis conſtat, luculenter expoſuimus. Reſtat illa hiſtoriae philoſophicae pars, quae eius acta inter Chriſtianos veteres enarrat, eos nempe, qui fidem filio Dei inter homines apparenti nouamque rem publicam ſacram condenti largientes, Chriſtianam diſciplinam vsque ad ſeculum octauum propagauerunt. Ab eo enim tempore medii aeui hiſtoriam plerique auſpicari ſolent, quos eo facilius hic ſequi licebit, quo extantiores circa illa tempora philoſophia mutationes paſſa eſt, ſenſitque inter Chriſti aſſeclas decrementa atque corruptiones deplorandas. Medii itaque aeui philoſophiam Chriſtianam a veterum Chriſtianorum circa illam ſtudio ordinis et perſpicuitatis cauſſa ſeparantes, priſtina cultorum Chriſti inſtituta eo vsque contemplabimur, quousque philoſophiae limina at-

tinguunt. Enarrare enim omnia, quae heic dici poſſent, non ad ſcopum noſtrum, ſed ad annales eccleſiaſticos pertinet, et a multis haud perfunctorie eſt praeſtitum.

Chriſtiana religio philoſophia ſenſu excellentiori.

§. II. Eſſe Chriſtianam religionem ſenſu quodam eminentiori atque illuſtriori philoſophiam aliquam, facile concedent, qui de re magis ipſa diſpiciunt, quam de voce litigant. Cum enim philoſophia generaliori notione veritatum et Deum et homines et vtriusque partis res concernentium ſylloge ſit, quae intellectum humanum a praeiudiciis liberatum ad cognoſcendum felicitatis fontem Deum, ſeque ipſum et res alias ad eundem ſcopum collineantes manu quaſi ducit, recte inde intelligitur, idem ſibi quoque munus Chriſtianam religionem poſcere, quae et ſola ita nobis Deum reuelat, vt digno eum maieſtate ſuprema, qua gaudet, modo colere queamus; et praeiudiciorum fontes nulli rationi peruios detegit, et veram inueterato malo medicinam affert, ſicque felicitatis humanae viam non aſpernantibus pandit patentiſſimam. Immo dum et intellectum inſtruit, et voluntatem efficaciter mouet, non ſtudium tantum ſapientiae eſt, ſed ipſam quoque ſapientiam nobis exhibet pulcherrimam. Longe vero philoſophiae limites ſupergreſſa, et luminis, quo nititur, praeſtantia, cognoſcendique principii auctoritate, et veritatum coeleſtium efficacia in mente humana, et rerum in hac doctrina detectarum excellentia ſe commendans, tantum ſuper omnia philoſophorum ἐυρήματα caput effert,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi [a].

Id quod ipſa philoſophica hiſtoria luculenter egregieque probat, et pro religionis Chriſtianae veritate, praeſtantia, dignitateque argumenta affert luculentiſſima. Vt enim taceamus, ea nobis in hac coeleſti diſciplina myſteria enarrari, quae ſtupet quidem, at reiicere non audet ratio, modo frontem non penitus defricuerit, naturamque exuerit omnem, quaeque fruſtra ab omnis aetatis gentisque philoſophis expectamus: illud paulo attentius rem conſiderantibus erit manifeſtiſſimum, veritates illas omnes, quae ad veram moralemque hominum felicitatem facientes a ſummis in philoſophia viris detectae ſunt propagataeque, ſumma quidem ſimplicitate, at digna quoque auctore ſuo maieſtate atque auctoritate, in pandectis ſacris, quibus diuinior illa philoſophia continetur, eſſe contentas, ea vero quae abſurda, erronea, et humani magis ingenii deliria nugasque redolentia, quam veritatem enarrantia ſunt, a Chriſtiana doctrina fortiſſimis rationibus et Achilleis argumentis euerti. Immo illa quoque, quae a ſummis inter philoſophos viris, quos omnium feliciſſime philoſophiae myſteria perſpexiſſe conſtat, decreta ſunt felicitér, pulchriori facie,

a) Paſſim id notarunt viri docti, qui pro veritate religionis Chriſtianae pugnarunt, enarrati a FABRICIO in ſyllab. ſcript. de V. R. C. c. 35. p. 649. nemo vero vel elegantius vel luculentius id praeſtitit, quam, quem nuper orbis literarius, ſenem licet, non ſine graui iactura amiſit Cel. SAM. WERENFELS. diſſ. de praeſt. relig. reuel. opuſc. p. 95. ſqq.

facie, et pleniori ratione ita in ſcholis Chriſtianae ſapientiae enarrantur, vt recte inde inferatur, religionem Chriſtianam, philoſophiam omnem multis paraſangis ſuperantem ab iis amplectendam eſſe omnibus, qui ratione vere vti, et philoſophiam ideo maxime excolere cupiunt. Id quod multis quidem exemplis demonſtrari poſſet, dignumque eſſet argumentum, quod neglectum hactenus pro demonſtranda religionis Chriſtianae veritate a viro quodam erudito et hiſtoriae philoſophicae accurate perito excuteretur, hoc vero loco, vbi ſacrae diſciplinae commendationem vel apologiam non ſcribimus, tangi vlterius non poteſt. Velimus tamen, vt ὡς ἐν παραδόξῳ exemplum afferamus, conferat Lector diuinioris doctrinae ex merito amans, philoſophiam Socratis, quo inter Graecos omnes ſincerius meliusque philoſophatum eſſe neminem conſtat, cum doctrina Chriſti eiusque diſcipulorum, vt conuincatur, quam multis praerogatiuis a Paulo ſuperetur Socrates, et euaneſcant tenues magni cetera philoſophi igniculi, exoriente Chriſtianae doctrinae iubare. Quo in argumento egregiam praeſtitit operam, remque hanc luculenter confecit, eruditiſſimus nobisque amiciſſimus Heluetiorum theologus Io. IACOBVS ZIMMERMANNVS, cuius egregias obſeruationes *de praeſtantia religionis Chriſtianae collata cum philoſophia Socratis* [b], non ſine fructu et iucunditate legent omnes, quotquot vſum hiſtoriae philoſophiae ad amplificanda regni Chriſti pomoeria intelligere cupiunt.

§. III. Cauſſa haec ſine dubio fuit, cur inter Chriſtianos doctores veteres multi religionem Chriſtianam philoſophiae nomine cohoneſtauerint. Cum enim et *philoſophos ſe non verbis, ſed factis crederent*, vt ſcribit CYPRIANVS [c], *eo quod non veſtitu ſapientiam ſed veritate praeferant*, et de rebus diuinis ſummisque certius multo atque elegantius ſe differere poſſe quam ſeculi huius philoſophos, noſſent, doctrinam euangelii philoſophiam appellare non erubuerunt. Hinc *philoſophia Chriſtiana* SALVIANO [d], ἀληθὴς φιλοσοφία CLEMENTI ALEXANDRINO [e], et SOCRATI [f], εὐαγγελικὴ φιλοσοφία THEODORETO [g], dicta eſt, vt alia veterum doctorum loca, paſſim viris doctis [h] laudata praetereamus. Obque eam quoque rationem philoſophorum nomen ad Chriſtianos traductum, qui *philoſophi noſtrae ſectae* audiunt LACTANTIO [i] et οἱ φιλόσοφοι τοῦ Θεοῦ CLEMENTI ALEXANDRINO [k], qui hanc nobis philoſophorum Chriſtianorum definitionem ſuggerit: φιλόσοφοι λέγονται παρ' ἡμῖν μὲν οἱ σοφίας ἐρῶντες τῶν πάντων δημιουργοῦ καὶ διδασκαλίας, τυγχάνει τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, *philoſophi apud nos dicuntur, qui amant ſapientiam, quae eſt omnium opifex ac magiſtra, hoc eſt filii Dei cognitionem.* Qui et alibi [l] latius hanc philo-

Philoſophiae nomen R. C. tributum.

b) Amoenit. literar. T. XI. p. 93. ſeqq.
c) De bonō ſapient. p. 211. edit. Felli.
d) De gubernat. Dei, L. IV. p. m. 134. ed. Ritterh.
e) Strom. L. I. fin. p. m. 357.
f) Hiſt. eccleſ. L. IV. c. 27. p. 244.
g) De cur. Graec. affect. L. XII.
h) Vid. IONSIVS de Script. hiſt. phil. L. III. c. 4. p. 227. SVICER. in theſaur. eccl. v. φιλοσοφία. LAMBVS de erud. Apoſt. c. 16. p. 380. aliique.
i) De opif. Dei c. 1. p. m. 671.
k) Strom. L. VI. p. 642.
l) L. II. p. 380.

philoſophi Chriſtiani delineationem perſequitur, partesque eius ita enumerat: *τριῶν τοίνυν τούτων ἀντέχεται ὁ ἡμέτερος φιλόσοφος· πρῶτον μὲν, τῆς θεωρίας· δεύτερον δὲ τῆς τῶν ἐντολῶν ἐπιτελέτεως, τρίτον ἀνδρῶν ἀγαθῶν κατασκευῆς, ἃ δὴ συνελθόντα τὸν γνωστικὸν ἐπιτελεῖ. Haec ergo tria noſter ſibi vindicat philoſophus, primo quidem contemplationem; ſecundo praeceptorum executionem; tertio virorum bonorum conſtitutionem, quae quidem cum conuenerint, verum Gnoſticum conficiunt.* Similia habent ſcriptores eccleſiaſtici alii, quorum loca heic, vbi alia agenda ſunt, non cumulamus. Quin nec defuerunt inter viros doctos, quibus viſum, a gentilibus quoque ſcriptoribus, religionem Chriſtianam philoſophiam dictam eſſe. Quam in rem locum ATHENAEI [m] affert doctiſſimus MONACHIVS [n], ita ſcribentis: *ὥσπερ νηχόμενοι ἄγοντες, καὶ περιμένοντες τὸ ἀνατέλλον ἄστρον, οὗ φασι μὴ φανέντος οἱ τὴν ταυτὴν φιλοσοφίαν χρηστὴν εὑρόντες, νόμιμον εἶναι μηδενὸς γεύεσθαι. Sicut ii, qui ieiunant, expectantes, dum oriatur ſidus, nam qui optimam iſtam philoſophiam excogitarunt, nefas eſſe exiſtimant, quicquam guſtare, priusquam illud appareat.* Cel. HEVMANNVS [o] autem per ſectam Elpiſticam, ſiue Elpiſticos philoſophos a PLVTARCHO [p] productos intelligendos eſſe Chriſtianae diſciplinae alumnos, coniecit. Quos tamen falli viros eruditiſſimos, facile cognoſci poteſt, ſi expendatur, quod nec ipſe negat Monachius, locum Athenaei, de gentilibus philoſophis recte poſſe intelligi, quibus ieiunare mos vsque ad ortum veſperis. Id quod vel vnius TERTVLLIANI [q] teſtimonio conficitur, qui ita: *fidem abſtinentiae affectant, et ſtellae auctoritatem demorantis ſuſpirant.* Qua ratione Pythagoreos imprimis ieiunia obſeruauiſſe alio loco demonſtrauimus. Plutarchi Elpiſticos autem non Chriſtianos, ſed gentiles, forte Stoicos philoſophos eſſe, peculiari diſſertatione [r] luculentis rationibus euicimus. Chriſtiana itaque vox eſt, qua philoſophia ſanctiori doctrinae tribuitur.

Improprie R. C. philoſophia dicitur.

§. IV. Quamuis autem haec ita ſe habere perſpicuum ſit, nec ignota ſint magnifica PP. de philoſophia Chriſtiana verba et elogia, ad hiſtoriam tamen philoſophicam eo ſenſu, quo vocem in hac tractatione adhibuimus, diuinioris doctrinae acta referri nequeunt, eo quod alio, quam nos, ſenſu vocem hanc adhibuere ſcriptores eccleſiaſtici. Illi enim cum vehementer gentilem philoſophiam et philoſophos contemnerent [s], vt poſtea probabimus, ea quae magis ſobrie dicta a gentilibus philoſophis erant, Hebraeis ſurrepta, vel latentis *ἐκ τοῦ λόγου* igniculi ſemina eſſe, adeoque populo DEI, et quam ille cuſtodiebat, reuelationi vindicanda cenſebant, et purius atque ſincerius in ciuitate Chriſtiana doceri contendebant.

m) Deipnoſophiſt. L. IV.
n) Var. SS. p. 967.
o) Act. philoſ. Vol. III. p. 911. ſeqq.
p) Qu. conuiu. L. IV. q. 4.
q) De ieiun. c. 16.
r) Miſcell. Berolin. P. III. n. II. p. 222. ſeqq.
s) Vid. interim vnus CYPRIANI locus ſupra in partes vocatus.

debant. Cumque sapientiam diuinam omni humanarum speculationum subtilitate longe superiorem se possidere recte gloriarentur, hanc non tantum beatam illam sapientiam esse affirmabant, qua se et συνέργους indutos fuisse scribit D. PAVLVS [t], sed et huic soli deberi nomen philosophiae, non vero falsis Graecorum gentiliumque reliquorum opinionibus, quibus nequiores fiant homines, contendebant. Id quod multis patrum locis demonstrari posset, si locus pateretur; vno tamen alteroue rem in apricum ponere, sufficere putamus. Nempe inter Graecos doctores sic ORIGENES [u]: ἐν πεπαιδευμένοις ἀριθμεῖν τοὺς ἐσφαλμένα δόγματα ἔχοντας, οὐδ' οἱ Ἑλλήνων φιλόσοφοι φήσουσι κατὰ τὸν ἡμέτερον δὲ λόγον οὐκ ἔστι σοφία πονηρίας ἐπιστήμη, πονηρίας δὲ ἴν' οὕτως ὀνομάσω ἐπιστήμη ἐστὶν ἐν τοῖς ψευδοδοξοῦσιν καὶ ὑπὸ σοφισμάτων ἠπατημένοις. *Sed in eruditorum numero habendos esse, qui falsis opinionibus imbuti sunt, neque Graecorum philosophi dixerint, et iuxta nostram doctrinam sapientia non est scientia nequitiae, nequitiae autem, vt ita dicam, in iis est scientia, qui falsis opinionibus adhaerescunt, praestigiis fallaciisque decepti.* Ex Latinis TERTVLLIANVS [x] luculenter: *Fuerat Paulus Athenis, et istam sapientiam humanam, adfectatricem et interpolatricem veritatis de congressibus nouerat, ipsam quoque in suas haereses multipartitam varietate sectarum inuicem repugnantium. Quid ergo Athenis et Ierosolymis? quid Academiae et ecclesiae? quid haereticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui et ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quaerendum. Viderint qui Stoicum, et Platonicum et Dialecticum Christianis praetulerunt. Nobis curiositate opus non est, post Iesum Christum, nec inquisitione post euangelium. Quum credimus, nihil desideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debemus.* Alia huius generis, ne longi simus, legi possunt apud eruditissimum IOANNEM LAMIVM [y]. Ex his vero patet, non tam ad naturalem veritatum diuinarum humanarumque cognitionem in hac appellatione respexisse veteres Christianos, nempe quatenus illa ex rationis principiis legitimo consequentiarum et ratiociniorum ordine et dispositione deducitur, quam ad ipsam obiecti diuini, quod cognoscitur, patefactionem, licet ea ex reuelatione hausta sit, eo quod recte statuerint, sapientiae nomine nihil dignum esse, quod non et a Deo ortum est, et ad Deum reducat et mentem humanam diuina virtute emendet. Quam vocis huius notionem in historia philosophica insolentem esse, quilibet intelligit, qui nouit, eam istam intellectus humani historiam pandere, quae notitiam ex rationis principiis, adhibito humanarum scientiarum subsidio de rebus Deum, mundum, hominesque concernentibus enatam enarrat, et humanae eruditionis pars est. Quam tantum abest, vt primi Christiani vel affectauerint ipsi, vel ab aliis pro talibus

t) 1 Cor. I, 11.
u) Contra Celf. L. III. p. 146.
x) De praescript.
y) loc. cit.

bus habiti fuerint, vt potius et ipsi illiteratorum et ab omni eruditionis humanae cultu alienorum vitam prae se tulerint, et a gentilibus non sine contemtu inter ἰδιώτας, homines illiteratos rusticosque numerati fuerint. Prius coaceruatis veterum testimoniis hoc loco non copiose probabimus, eo quod totam rem erudite confecerit celeberrimus nobisque amicissimus LAMIVS, cuius egregius *de eruditione Apostolorum* [z] libellus dignus est, qui ea de re legatur. Posterius multis veterum locis alibi [a] prolixe demonstratum dedimus. Quibus hoc vnum adiicimus, Christianos ἰδιώτας, *illiteratos rusticaeque simplicitatis*, vt habet HIERONYMVS [b], homines non tantum dictos esse, quod istis artibus, quae a liberis et humanitatis studiosis excoli solebant, non essent culti, sed quod in specie philosophiae Graecanicae elegantia essent destituti. Notum enim ex Damascii loco [c], ἰδιώτας hoc sensu opponi philosophis, quemadmodum βίος ἰδιωτικὸς apud ORIGENEM [d] vitae rationem innuit a philosophiae cultu totam degenerantem. Id quod tantum abest, vt ignominiosum sibi Christiani putauerint, vt studiose et haud raro sinistre et contentiose magis, quam par erat, in philosophiam Graecanicam inueherent, qua de re cum infra commodior dicendi se locus offerat, hic tacemus, legendus autem, qui in ea copiosus est, FRANCISCVS BALTVS [e]. Probe itaque in historia philosophica veterum Christianorum cauendum est, ne homonymia vocis, *philosophia*, et *philosophus*, decipiamur, et loca illa, quae magno numero in scriptoribus ecclesiasticis extant, quibus de philosophia Christianorum non sine magnificis laudibus disseritur, ad hos nostros cancellos reuocemus, qua confusione historia philosophica valde obscurari potest.

Varia significatio philosophiae apud veteres Christianos.

Varias enim significationes huic voci dedere Christiani veteres, et philosophiae nomine, mox doctrinam religionis Christianae, ipsamque theologiam sacram, quod frequentissime solet Chrysostomus, mox vitae sanctioris studium, mox sublimiora de Deo rebusque diuinis mysteria, mox vitam asceticam et monasticam insigniuere: quemadmodum philosophus illis, et Christianus quilibet, et homo pius, et ad sublimiorem cognitionis et pietatis gradum euectus, et monachus siue asceta dicitur. Quarum significationum exempla plurima attulit, nobisque hic otia fecit celeberrimus CHRIST. AVGVSTVS HEVMANNVS [f], quem vide. Vltima tamen hic non indicta prorsus nobis praetermittenda significatio, qua philosophia vitam asceticam et monasticam, philosophus ascetam vel monachum, sensu veteri ecclesiae recepto, significat. Eam enim τὴν ἄκραν φιλοσοφίαν, *supremum philosophiae gradum vitamque maxime philosophicam* passim vocabant [g]. Ea vero notio sine

z) p. 106. seqq.
a) Misc. Berolin. &c.
b) De script. eccles. prooem. p. 13. ed. Fabr.
c) Apud SVIDAM in ἰδιώτης T. II. p. 97.
d) Contra Cels. L. II. p. 69.
e) Defense des SS. Peres L. II. c. 12. p. 206. GOTTFR. ARNOLD. delin. vet. Christ. L. VI. c. 5. §. 10 p. 102.
f) Act. philos. Vol. I. p. 65. seqq.
g) Vid. IONSIVS et HEVMANNVS ll. cc.

ſine dubio in Aegypto ad Chriſtianos ex gentiliſmo et Iudaiſmo peruenit, qua in regione conſtat, primos aſcetas Chriſtianos prodiiſſe. Supra autem ſuo iam loco probatum, in Aegypto Pythagoreos vltimos, illuc profugos, μονάζοντας vixiſſe, et deſerta atque ſolitudines petiiſſe; hos vero et Aegyptios quosdam et imprimis Iudaeorum ſectam philoſophicam, Therapeutas, fuiſſe imitatos, et hoc nomine philoſophorum appellationem prae reliquis meruiſſe, vt ex Philone liquet. Horum vero quosdam ad Chriſtianos tranſiiſſe, et in his multos celebratiſſimum inſtitutum imitatos fuiſſe, et morum ſimilitudo et tota aſceticae vitae ratio luculenter euincit, dudumque viris doctis, et in his Lvc. Holstenio [b] et Ven. Sal. Deylingio [i] erudite obſeruatum eſt. Haud obſcure id prodit Evsebivs [k], qui dum miro praeiudicio aſcetas illos Iudaicos in Aegypto Chriſtianos facit, illis ἄσκησιν φιλοσοφωτάτην, *exercitationem ſumme philoſophicam* tribuit. Cum itaque inſtitutum a philoſophis transſumerent aſcetae Chriſtiani, nomen quoque accepere, quamuis a philoſophandi illa ratione valde deflecterent, et exercitationes magis atque agonas, quam meditandi philoſophandique rationem exprimerent. Philoſophi itaque non prius in eccleſia Chriſtiana extitere, quam vbi profeſſione tales ad ſacra Chriſtiana tranſirent. Sed his omnibus ſequentia lucem clariorem foenerabuntur.

§. V. Ciuitas Chriſtiana cum condita ſit a capite regeque Iesv Christo, Θεανθρώπῳ, vera et ſubſtantiali ſapientia, exque hoc fonte diuino ad apoſtolos et ſectatores filii Dei omnes dimanauerit, quicquid luminis atque ſapientiae radios per vniuerſum terrarum orbem ſparſit ſuos; non defuere, qui crederent, derogari aliquid vel cultui, quem regi huic optimo maximo debemus, vel honori, quo Chriſtiana respublica fulget, niſi philoſophiae quoque, eo, quo in hac tractatione adhibetur, ſenſu atque ſignificatione, acceptae decus Chriſto domino noſtro vindicarent, eumque philoſophorum albo adſcriberent. Referri huc poſſet decantata doctorum veterum inter Chriſtianos opinio, qua ſtatuerunt, omnem philoſophiae cognitionem, quatenus veritatem ſecretis humanarum tricarum nugarumqe opinionibus, continet, et per omnes ſectas diſperſa paſſim deprehenditur, per λόγον, rationem, magnis inter gentiles viris innotuiſſe, huncque λόγον ipſum illud aeternum et ſubſtantiale Dei verbum eſſe, quod cum ab eo ineffabili myſterio ab aeterno genitum omnem diuinae ſapientiae abyſſum comprehendat, ante incarnationis tempora, quibus conſilia diuina de hominum ſalute patefecit omnia, ad praeparationem quandam animorum iſtos veritatum coeleſtium igniculos intra mentes gentilium accenderit. Hac enim ratione Chriſtus non philoſophus modo, ſed omnium quoque philoſophorum dux, auctor atque fons eſſet dicendus. Quia vero infra de hac celebri veterum Chri-

IESVS CHRISTVS vtrum philoſophus fuerit?

b) Ad Porphyrii vitam Pythag. n. 7. p. 11. ed. Kuſt.

i) De veterum aſcetis Obſ. SS. P. III. p. 443. ſeqq.

k) Hiſt. eccleſ. L. II. c. 16.

Chriſtianorum ſententia tractandum eſt, eam hic praetermittimus. Sed fuere alii quoque, qui ipſo inſtituto, docendi methodo, vitae ratione et ſimilibus Chriſtum philoſophorum numero accenſendum eſſe ſtatuerunt. In qua opinione, quod mireris, inter gentiles nonnulli fuere, non illi tantum, qui nefanda calumnia impuroque ore ſapientiae aeternae magiſtrum inter impoſtores philoſophicos, quales fuere Pythagoras, Apollonius Tyaneus, Alexander aliique, retulerunt, qua impietate deteſtabilem ſe fecit LVCIANVS ὁ ἐμπαίκτης [l]: ſed et alii, melius de diuino doctore ſentientes, maxime Platonici et Eclectici. Qui cum nec veritatis diuinae a Chriſti doctrina ſparſae iubar, quod omnium oculos perſtringebat, nec miraculorum Chriſti excellentiam negare, ſicque deridendos ſeſe cordatis omnibus propinare auderent, in eam conceſſerunt ſententiam, Chriſtum magnum virum et praeſtantiſſimum fuiſſe philoſophum, animam hancque a ſuperis in corpus humanum demiſſam, poſtquam multas veritates diuinas hominibus patefeciſſet, et miraculis quoque, ſe ex beatorum conſortio ad homines demiſſum daemonem eſſe, demonſtrauiſſet, excruciato corpore, ad immortalitatis beatae ſedem fuiſſe receptam, eius vero aſſeclas ab eius placitis ſcitisque deſciuiſſe, caſtamque atque ſobriam philoſophiam variis erroribus conſpurcauiſſe, eum vero ἄκοντα nec tale quid meditantem, diuinis honoribus affeciſſe, et reliquorum Deorum cultum extinctum iuiſſe. Qua de re locum AVGVSTINI [m] exemplumque Porphyrii cum iam *ſuperioris Tomo*, de artibus Eclecticorum differentes attulerimus, quodque in hac humanitatis et beneuolentiae erga IESVM noſtrum ſpecie virus lateat, apertiſſimum fecerimus, ibi dicta hoc loco otioſe non repetemus. Inter Chriſtianos ita multi ineptiuerunt, vt et eruditionis fere omnis notitiam longe perfectiſſimam, et philoſophiam quoque Chriſto tribuerent, rati, nec humanae eruditionis praeſtantiam illi denegari poſſe, qui omnis ſapientiae atque cognitionis theſauros in ſe reconditos habuiſſet. Hinc multa de Chriſti inter homines verſantis ſtudiis paſſim dicta apud veteres, quae cum ἄτερ γραφῆς afferrentur, ad ſcripta apocrypha recurrit ineptientium ingeniorum audacia, et ſanctiſſimum Seruatorem per omnia fere humanae eruditionis genera deduxit. Quibus de ſomniis tamen, cum ad hiſtoriam illa literariam ſacram magis, quam philoſophicam pertineant, prolixe hic tractare nec locus nec tempus patitur, adeundum autem curioſum PAVLI CHRISTIANI HILSCHERI ſchediasma [n] *de domini noſtri et ſaluatoris IESV CHRISTI, cum verſaretur inter homines ſtudiis ἄτερ γραφῆς*, qui pleraque collegit, quae hac de re apud veteres occurrunt. Nos inſtituti memores, ea tantum tangimus, quae propius ad hunc noſtrum ſcopum ſpectant, eas potiſſium rationes

l) In Peregrin. T. IV. p. m. 220.

m) De ciuit. Dei L. XIX. c. 23. conf. MOSHEM. de turbata per recent. Plat. eccleſia §. 23. ſynt. diſſ. H. E. p. 145.

n) Miſcell. Lipſ. obſ. XCVI. T. V. p. 25. ſeqq. et in FABRICII Cod. apocryph. N. T. P. III. p. 424.

nes afferentes, quibus philoſophiae cognitionem Chriſto nonnulli vindicarunt. Inter quas primo loco ea conſpicitur, quam ex D. LVCAE [o] narratione deſumunt, qua incrementa cepiſſe laetiſſima puerum Ieſum in omni ſapientia dicit. Cum enim intelligerent, non in eo tantum ſimilem pueris hominum factum Dei filium, quod ſemina eruditionis in eius animum, abdicato ad tempus diuinae maieſtatis atque ſapientiae inhabitantis vſu, ſpargi, et praematura ſegete efflorescere potuerint, ſed multa quoque abfuiſſe impedimenta, quae inter homines peccati labe infectos remoram diſciplinae iniiciunt, v. c. ignorantiam ſummam et ſtupiditatem, ſocordiam, et his ſimilia: non recordati conditionem Ieſu Chriſti humilem et ad exprimendam ſeruilem formam atque ſtatum ſe ex patris conſilio et oeconomiae ſalutis ratione accommodantem, ad nobilium fere puerorum educationem eius pueritiam exegerunt, et mature illius philoſophiae, quam inter Iudaeos tum viguiſſe credebant, notitiam eum percepiſſe, immo ſupra magiſtros in ea excelluiſſe, nugati ſunt. Qua de re ineptam narratiunculam affert *Euangelium de infantia Chriſti* [p], quae hoc loco non indicta praetereunda eſt. Ita vero fabula [q]: *Erat Hieroſolymis quidam Zachaeus nomine, qui iuuentutem erudiebat; dicebat hic Ioſepho: quare, o Ioſephe, non mittis ad me Ieſum, vt literas diſcat? annuebat illi Ioſephus, et ad diuam Mariam hoc referebat. Ad magiſtrum itaque illum deducebant, qui ſimulatque eum conſpexerat, Alphabetum ipſi conſcripſit, vtque Aleph diceret, praecepit. Cumque Aleph dixiſſet, magiſter ipſum Beth pronunciare iubebat. Cui dominus Ieſus: dic mihi prius ſignificationem literae Aleph, et tum Beth pronunciabo. Cumque magiſter verbera ipſi intentaret, exponebat ipſi dominus Ieſus ſignificationes literarum Aleph et Beth, item quaenam literarum figurae eſſent rectae, quaenam obliquae, quaenam duplicatae, quae punctis inſignitae, quae iisdem carentes, quare vna litera aliam praecederet, aliaque plura enarrare coepit et elucidare, quae magiſter ipſe nec ſciuerat vnquam, nec in libro vllo legerat. Dixit porro magiſtro dominus Ieſus: Attende, vt dicam tibi; coepitque clare et diſtincte recitare Aleph, Beth, Gimel, Daleth vsque ad finem alphabeti. Quod miratus magiſter, hunc, inquit puerum ante Noachum natum eſſe exiſtimo, conuerſusque ad Ioſephum, adduxiſti, ait, ad me erudiendum puerum magiſtris omnibus doctiorem: diuae quoque Mariae inquit: filio tuo nulla doctrina opus eſt.* Eandem fabulam iam tetigit IRENAEVS [r], ex quo patet, valde antiquam eſſe. Sed putidum eſſe commentum, quilibet palpat, et vel ex ſolo loco mendacium elucet, cum non Hieroſolymis ſed Nazarethi Ieſus educatus ſit, teſte ſacris annalibus.

o) c. II. 52.

p) Graece et Latine occurrit apud COTELERIVM ad Conſtit. Apoſt. L. VI. c. 16. ex Arabico Latinum dedit HENR. SICKIVS, vtrumque Codici Apocrypho N. T. inſeruit FABRICIVS ὁ μακαρίτης T. I. p. 168.

q) §. 48. p. 207.

r) Adu. haereſes L. I. c. 17.

nalibus. Nos in eo examinando tempus non perdimus, ſed id modo obſeruamus, quod ad hunc locum pertinet, manifeſte reſpicere auctorem huius fabulae ad Cabbaliſtarum de literis, punctis, lineolis, forma et figura alphabeti ſomnia, quibus non tam illuſtraſſe, quam obſcurauiſſe Iudaeos dogmata philoſophica ex Aegyptiacis et Orientalibus ſcholis transſumta, in hiſtoria philoſophiae Cabbaliſticae fuſe docuimus. Quae cum ſumma arcanae philoſophiae myſteria gnaris pandere crederentur, puero Seruatori hanc quoque Cabbaliſticae philoſophiae notitiam tribuendam eſſe, credidit impoſtor ineptiſſimus. Quem ad eiusmodi deliria potuiſſe delabi eo minus mirandum eſt, quo magis eſt veriſimile *s*, euangelium hoc apocryphum ex eiusmodi officina prodiiſſe, quae Gnoſticis deliramentis ſcatebat, et ex impura ſentina pſeudo-philoſophiam ipſam magni faciebat. Quemadmodum multa poſtea ſequioris quoque temporis homines vsque ad Muhammedis aetatem, qui in Coranum multa ex illo tranſtulit, adiecerunt, id quod ex variis commentis, iſta, qua viuebant Irenaeus, Origenes, Epiphanius aliique, qui huius euangelii meminerunt, aetate nondum cognitis, patet. Ad quae forte ipſae illae lineolae, puncta omiſſa vel addita, literulae inuerſae maiores etc. referendae videbuntur nonnullis, eo quod recentiorum temporum aetatem ſpirare cum Morino multis viris doctis viſum eſt. De quo licet diſputari poſſet, ſi locus id pateretur, nihil tamen id obſtat, quo minus ſtatuamus, iam ſeculo ſecundo Gnoſticos talia philoſophiae ſuae, (cuius germana ſoror fuit Cabbaliſtica) ſpecimina Chriſto tribuiſſe, vt horum myſteriorum eum participem fuiſſe fingerent. Irenaeus enim, non figurae, punctorum, et ſimilium meminit, ſed id modo ex euangelio infantiae tradit, Chriſtum dominum de ſignificatione τοῦ Aleph praeceptorem interrogauiſſe. Ex quo facilis coniectura eſt, ſequiora tempora reliqua adieciſſe, et commenta commentorum monſtris auxiſſe. Sed his nugis miſſis alii ad ſacrae hiſtoriae ab euangeliſtis traditae auctoritatem confugiunt, indeque concludunt, ſanctiſſimum Saluatorem ſuae gentis philoſophiam puerum adhuc tenuiſſe, quod LVCAS teſtetur, duodecennem in templo conſedentem magiſtri inſtar, cum doctoribus Iudaicis diſputauiſſe. Primus, niſi fallimur, qui in hanc opinionem abiit, fuit IOSEPHVS SCALIGER *t*; is enim putat: Chriſtum δωδεκαέτη inter doctores ſediſſe et docuiſſe, qui Rabbi neque per aetatem neque per diſciplinam fuiſſet, cauſſam aliam reddi non poſſe magis idoneam, quam quod propter admirandam et ſupra captum humanum excellentem eruditionem locus illi inter ſedentes datus ſit. Solenne enim fuiſſe, vt ſoli apud Hebraeos doctores docentes ſederent, proiectus ad pedes doctoris audiret docentem diſcipulus, qui διεξδιμένος ἐν ἐδάφει in ſolo proiectus legeret; poſtea per χειροθεσίαν ad magiſterium promoueretur, quo facto חבר, γνώριμος dictus,

s) Vid. quos laudat FABRICIVS l. c. p. 818. *t*) In elencho trihaereſii C. X. p. m. 78. 79.

dictus, (familiarem Cicero dixit): neque vero hunc vnquam sediſſe praesente doctore, sed proiectum in pauimento. Quam Scaligeri opinionem postea amplexi sunt viri multi eruditissimi [u], nixi auctoritate testimonii Talmudici [x], quod hoc habet: *Tradunt Rabbini: a diebus Mosis ad Rabban Gamalielem, non didicerunt legem, nisi stantes: at cum obtinuisset Rabban Gamaliel, aegritudo inuasit mundum, ita vt discerent legem sedentes, vnde et traditio: ex quo obiit Rabbi Gamaliel, defecit gloria legis.* Immo et tum non aliter consederunt, nisi humi, magistro in lectulo consedente. Qua de consuetudine videndi viri doctissimi P. Petitvs, Io. Lightfootvs, Wagenseilivs, et qui hanc sententiam magna eruditione ornauit summe reuerendus Sal. Deylingivs [y]. Fatemur tamen, recte nobis feciſſe videri Campeivm Vitringam [z], licet is prius communem eruditorum opinionem esset secutus, quod de huius veterum Iudaeorum traditionis veritate dubitauerit, quamuis plurimum illi viri laudati deferant. Quaecunque enim eius auctoritas esse potest, opponitur tamen illi partim sententia R. Ioſe ben Ioëzer [a]: *Esto puluerisans te puluere pedum eorum*; ex qua patet, Ioſe tempore discipulos coram praeceptoribus iam humi consediſſe: partim sacrorum annalium historia, in quibus non occurrit exemplum vnum discipulorum coram praeceptoribus stantium. Vnde doctissimus Witsivs [b] allatis his testimoniis eiuctoque istis effatis, quod moris fuerit apud Iudaeos doctore in altiori loco considente, discipulos ad pedes ipsius prostratos in solo mattisue iacere, *non flocci se facere*, ait, *futilem istam de nouo more, qui mundum inde a Gamalielis morte inuaserit, naeniam, quo standi facultas discipulis ademta est, sedendi necessitas introducta sit: contrarium probante D. Pauli exemplo, quem ad pedes Gamalielis enutritum fuisse LVCAS in actis testatur.* Frigidum vero est, quod hic regerunt viri docti: et Wagenseilivs [c] quidem contra testimonium ex *capitulis patrum* adductum, per metaphoram tantum id dictum esse intelligendum de humilitate et reuerentia erga praeceptorem; Petitvs [d] vero contra exemplum D. Pauli, non ad animi cultum istam Lucae ἕδραν pertinere, sed ad contubernium cum Gamaliele, apud quem fuerit educatus, quocum quotidie cibum ceperit, pedibus eius assidens, inque eodem lectulo accumbens, aut si admodum puer domum Gamalielis adductus esset, ad lecti triclinaris, in quo accubuisset Gamaliel, fulcra assidens, vti tunc moris erat. Vim enim vtrumque inferre verbis clarissimis quilibet videt, cum discipulorum sedendi morem coram doctoribus clarissime in-

u) P. Petitvs Obs. L. III. c. 2. Lightfoot. Hor. Hebr. ad h. l. T. II. Opp. p. 500. Wagenseil ad Sota c. 9. p. 993. Deylingivs Obs. SS. P. III. Obs. 30. pag. 221. seqq. alique.

x) Megillah f. 21. c. 1.

y) ll. cc.

z) De synag. vet. L. I. p. 167. conf. Hammond. ad Act. XXII, 3.

a) Pirke abhoth C. I. §. 4.

b) Melet. Leidens. Sect. I. §. 4. p. 13. seqq.

c) loc. cit. d) loc. cit.

nuant. Nec nos alio teſtimonio opus eſſe putamus, quam Lucae, diſerte de Chriſto puero tradente, quod inter docentes conſederit, eosque interrogauerit. Ex his enim verbis patet, non doctorem, ſed diſcipulum egiſſe Chriſtum, more Iudaico graues difficilesque doctoribus praeſentibus quaeſtiones ex lege proponentem, quam inter Iudaeos conſuetudinem fuiſſe receptiſſimam, et IOSEPHI [e] exemplum oſtendit, qui fere pari more puer, viua voce in templo cum magiſtris interrogando diſſerit, et teſtimonia Talmudica a LIGHTFOOTO [f] adducta probant. Quare nulli dubitamus, cum aliis quoque viris doctis [g], hanc de puero Ieſu doctore inter doctores ſententiam ex ſanctiſſimi Seruatoris hiſtoria proſcribere. Multo vero certioribus argumentis eliminanda eſt futilis fabula *euangelii de infantia Chriſti* [h], quod Ieſum puerum duodecennem nobis philoſophum Graecanicum ſiſtit ex encyclopaedia Graeca cum eruditis Iudaeorum acerrime conflictantem. Ecce vero narratiunculam: *Tum interrogabat eum princeps quidam magiſtrorum: legiſtine libros? et libros, inquit Dominus Ieſus, et ea quae in libris continentur: et explicabat libros, et legem et ſtatuta* (Talmudicas δευτερώσεις innuit) *et myſteria* (ſine dubio Cabbaliſtica) *quae in libris prophetarum continentur, res, quas nullius creaturae intellectus percepit. Dicebat ergo magiſter iſte: Ego hactenus talem ſcientiam nec vidi, neque audiui: quis, putas, puer iſte erit? Cumque adeſſet ibidem philoſophus, aſtronomiae peritus, rogaretque Dominum Ieſum, num aſtronomiae ſtuduiſſet? reſpondebat ipſi Dominus Ieſus, exponebatque numerum Sphaerarum, et corporum coeleſtium, eorumque naturas et operationes, oppoſitionem, aſpectum triquetrum, quadratum et ſextilem, progreſſionem eorundem et retrogradationem, computum denique et prognoſticationem, aliaque, quae nullius vnquam hominis ratio perueſtigauit. Aderat quoque inter illos philoſophos medicinae et naturalis ſcientiae peritiſſimus, qui cum rogaſſet Dominum Ieſum, an medicinae ſtuduiſſet? reſpondens ille expoſuit ipſi phyſica et metaphyſica, hyperphyſica et hypophyſica; virtutes quoque corporis et humores eorundemque effectus, numerum item membrorum et oſſium, venarum, arteriarum et neruorum, temperamenta etiam, calidum et ſiccum, frigidum et humidum, quaeque ex his orirentur: quaenam eſſet operatio animae in corpus, eiusque ſenſationes et virtutes; facultates loquendi, iraſcendi, appetendi; denique congregationem et diſſipationem, aliaque, quae nullius creaturae intellectus vnquam penetrauit. Tunc ſurgebat philoſophus iſte, et Dominum Ieſum adorabat, et, o Domine Ieſu, inquit, ab hoc tempore ero diſcipulus tuus et ſeruus.* Habes lector, ſi te naſo duci pateris, Ieſum philoſophum Graecanicum, aſtrologum, phyſiologum, medicum, metaphyſicum. Aſt prodit ſe ipſum ſuo auctor indicio vt forex. Eam enim

e) Vid. vita eius.
f) loc. cit. p. 501.
g) WOLF. Cur. exeg. in N. T. T. I. p. 594. LINDHAMMER ad Act. loc. cit. p. 721. conf. HORN. Hiſt. L. IV. c. 1. p. 262. ſeq.
h) §. 51. p. 209. ſeqq.

en'm fingit encyclopaediae philoſophicae faciem, qualis non nati Seruatoris tempore vigebat, ſed longe ſerius inter Arabes inualeſcebat, id quod nouum argumentum ſuppeditat, credendi, euangelium illud infantiae Chriſti multas et inſignes interpolationes fuiſſe paſſum, quamuis origines ſuas ad apoſtolica fere tempora referat, et Muhammedanos Arabesque ſcriptores more ſuo, cum in Arabicam linguam illud transferrent, plurima adulteraſſe, adieciſſe, mutauiſſe ex lubitu, vt erudite obſeruatum HENRICO SICKIO [i]. Inter fabulas porro non explodendas tantum exſibilandasque, ſed et deteſtandas execrandasque pertinet putida Iudaeorum calumnia, Ieſum Nazirenum in magia practica tantopere profeciſſe mentientium, vt vi nominis expoſiti, i. e. tetragrammati miracula illa ſtupenda edere potuerit, quam ineptam turpemque fabulam ſupra iam ex parte tetigimus, notaque eſt Iudaeorum in his mendaciis audaciſſimorum impudentia, quum recitaſſe hanc calumniam ſit refutaſſe [k]. Nec opponere ei alia opus eſt, quam quae ipſe ſanctiſſimus doctor calumniantibus ſe Iudaeis oppoſuit [l], quaeque doctiſſimi ſcriptores ORIGENES [m] et ARNOBIVS [n] ad hanc ſimilesque iniurias depellendas egregie commentati ſunt. Aliis docendi modus duplex arcana et vulgaris, ſiue exoterica et eſoterica, veſtitus, diſcipulorum ratio, et electio, et quae alia ſunt huius generis, a philoſophis transſumta ſunt. Nec forte alia ratio fuit, cur σοφὸν ἄνδρα Ieſum IOSEPHVS [o] vocitet, et σοφιστὴν LVCIANVS [p]. Quibusdam in ipſa noſtrae ſalutis reſtauratoris et diſciplina et doctrina nonnihil a philoſophis transſumtum eſſe viſum olim fuit. Quam criminationem gentilium refutant ORIGENES [q] atque AVGVSTINVS [r], quorum hic *Ambroſium quoque contra eos ſcripſiſſe* dicit *ſuperbiſſimos et imperitiſſimos, qui de Platonis libris dominum profeciſſe contendunt.* Ad quam calumniam depellendam hiſtoriam philoſophicam vtilem eſſe hic obſeruat. Scribit enim [s]: *De vtilitate hiſtoriae, vt omittam Graecos, quantam noſter Ambroſius quaeſtionem ſoluit calumniantibus Platonis lectoribus, et dilectoribus, qui dicere auſi ſunt, omnes domini noſtri Ieſu Chriſti ſententias, quas mirari et praedicare cogantur, de Platonis libris eum didiciſſe, quoniam longe ante humanum aduentum domini Platonem fuiſſe, negari non poteſt. Nonne memoratus epiſcopus conſiderata hiſtoria probabilius eſſe oſtendit, quod Plato potius noſtris literis per Ieremiam fuerit imbutus, vt illa poſſet docere et ſcribere, quae vera laudantur. Ita conſideratis temporibus fit multo credibilius, iſtos potius de litteris noſtris habuiſſe, quaecunque bona et vera dixerunt, quam de Platonis Dominum*

i) In praefat.
k) Conf. HVETIVS demonſtrat. euang. Prop. IX. c. 39. p. m. 502. ſeqq.
l) Luc. XI, 17. ſeqq.
m) Contra Celſ. L. III. fere toto.
n) Adu. gent. L. I. p. m. 30. ſeqq. ed. Canteri.
o) Si nempe decantatum eius de Chriſto teſtimonium pro genuino, licet forte interpolato habeamus.
p) l. ſupra cit.
q) Contra Celſ. L. VI. p. 279.
r) Epiſt. 34.
s) De doctrina Chriſt. L. II. c. 28.

Iesum Christum, quod dementissimum est credere. In quibus tamen verbis Ieremiae tempora, quae nonnullis Pythagorae σύγχρονα visa sunt, confundi cum Platonis aetate vidit, retractauitque Hipponensium praesul eruditissimus [t]. CLERICVM [u] vero eo nomine acerbe castigat BALTVS [x], quod phrases Platonicas in sermonibus Christi inueniri dicat, quod tamen non ita is intellexisse videtur, ac si a Platone Christus accepisset. Dici haec omnia sine verisimilitudine is demum intelliget, qui abiecto praeiudicio omni ex sacrorum historicorum annalibus didicerit, Christum legis quidem Iudaicae, opinionumque, quae inter sectas Iudaeorum vigebant, fuisse peritissimum, et Iudaicam quoque disciplinam ita calluisse, vt cum doctrinae longe praestantioris perspicuitas et vis quaedam atque ἐνέργεια singularis accessisset, doctoris magistrique titulum atque honorem ne ipsi quidem inimici denegare illi auderent [y]; tantum vero abesse, vt humanae sapientiae, et philosophiae quoque superbam ambitionem affectauerit, philosophique mores doctrinamque prae se tulerit, vt potius sapientiam suam huius mundi σοφοῖς a patre absconditam, infantibus paruulisque reuelatam fuisse gloriatus sit [z]. Nec philosophi conditio cum regni eius oeconomia, nec philosophia cum doctrinae, quam manifestabat ratione satis cohaeret, longeque haec inter se distant. Egregie prorsus et accurate in hanc rem differit GEORGIVS MAKENZIE [a], cuius verba digna sunt, quae hic legantur: *Moralis*, ita praecipit, *Christianorum philosophia, qua praesens animi tranquillitas, et futura in aeternum beatitudo acquiritur, tanquam res aliena prorsus et iniucunda negligitur: licet Christus, rectae rationis auctor et mensura in mundum descendens, nec matheſin, nec physiologiam, nec medicinam docuerit. Quanquam et haec seculo eo adorata uero lumine implere poterat. Hisce autem, tanquam vilioribus spretis, ille ethicae saniori se applicuit, et vitae rationem a contemplatione summi boni exorsus est, et quomodo ad coelum illud, vnde ipse descenderat, ascendendum erat, humili sublimitate philosophorum captum transcendente, mire demonstrauit. Illi enim tanquam coeci viam tantum praetentabant, ille tanquam qui recens illam peragrauerat, facile aperuit.* Prouide itaque in hoc argumento versandum est, hicque, quem sibi aeternus iustitiae doctor praefixerat, scopus, maxime quidem sublimis, verum a humani ingenii cogitationibus et viis longissime remotus, probe expendendus est, considerateque, quod non nemo [b] apposite monuit, legenda sunt, quae hoc de argumento consignata in litterarum monumentis obueniunt,

t) Retract. L. II. c. 4.
u) Biblioth. vniu. T. X. p. 402.
x) Defense de SS. Peres L. IV. c. 11. p. 511.
y) Vero tamen non videtur simile, Seruatorem solenni ritu hunc titulum accepisse, quod tuetur VITRINGA l. c. L. III. P. I. c. 7. p. 706. contrarium enim ex Io. VII. 15. patet.
z) Matth. XI, 25.
a) De rationis imbecillitate p. 5. seq.
b) HILSCHERVS l. c.

ueniunt, vt neque vſum acceptae maieſtatis vltra conditionem ſtatus ſine ſcriptura ſacra extendamus, neque animam Saluatoris ſupra ſortem humanam temere extollamus, neque quicquam eminentiſſima ſanctitate eius indignum admittamus, ſed ſimilitudinem eius cum fratribus in omnibus, excepto peccato, memori verſantes mente, intra veritatis modeſtiaeque limites contineamus nos, ac reuerenter atque ſobrie de optimo terque maximo generis humani redemtore loquamur pariter atque ſentiamus. Neque haec in contemtum philoſophiae allegari putandum, vel ad eam deprimendam vtendum eſt: quae vbi ſobria eſt, ſuisque limitibus contenta ad veros fines collineat, tantum abeſt, vt a ſanctiſſima religione Chriſtiana reiiciatur, vt potius multis illi modis inſeruire queat. Diſcenda autem ex his modeſtia, et ad vnum neceſſarium ante omnia adigendus animus, huic certe ſcopo ſubordinanda reliqua, cogitando, non philoſophum ſe, ſed aeternae veritatis diſcendae et in vſum conuertendae magiſtrum ſanctiſſimum Seruatorem praebuiſſe. Quae ſi recte expendantur, inſignis ex hiſtoria philoſophica fructus prodibit, animus enim, imbecillitatis humani intellectus anguſtorumque finium memor, ſobrie et cum cautione agere et ad reuelationis diuinae veritatem confirmandam veritates detectas adplicare, plurimi autem coeleſtem doctrinam, omnium philoſophorum meditationes et praecepta multis paraſangis ſuperantem facere diſcet [c]. Quam certe proſtituunt, et maculam quaſi axiomati aeterni doctoris affricant, qui intra humani philoſophi cancellos eum redigunt, non cogitantes, ad emendandos et ad ſummam felicitatem perducendos animos praecepta eum attuliſſe longe efficaciora, diſciplinamque omni philoſophia meliorem. Occurrunt et alia quaedam inter apocrypha de I. C. ſed his diutius immorari opus haud eſt, facile enim apud hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores inueniri poſſunt.

§. VI. Quae magiſtri optimi conditio fuit, ea quoque in diſcipulis eius, quos ad orbis incolas legatos miſit, aeternae veritatis, conſiliique diuini de hominum ſalute ſemina ſparſuros, viguit, quos in philoſophorum album transferre nemo poterit, niſi vel vim nomini intulerit, vel munus eorum minus recte intellexerit. Quod cum in eo potiſſimum verſaretur, vt apertis coecutientis humani generis oculis, deplorandam animorum corruptionem oſtenderet, et ad vnum medicinae omnis ſalutaris fontem, ſanguinem Ieſu Chriſti reuocaret deperditos, in perſuaſionibus philoſophicis minime occupatum, non humanarum ratiuncularum probabilitatem, non calamiſtrata verba, doctaeque diſputationis ambages: non ὑπερσοφια και μετεωρα, quibus detinebantur a philoſophis eius temporis animi, exhibuit, ſed in demonſtratione ſpiritus et virtutis verſatus eſt; quamuis nec philoſophorum congreſſus et conflictus timeret, nec victas vnquam humanae curioſitati manus porrigeret. Cuius rei cum

Apoſtoli vtrum philoſophi?

c) Conf. quae praeclare monet HERMANNVS Act. philoſ. Vol. II. p. 56. 57.

cum et doctrina et exemplo nobis teſtis D. PAVLVS [d] ſit luculentiſſimus, in argumento noto plura non dicenda, nec veterum doctorum idem afferentium verba cumulate hic producenda ſunt. Legat ea, qui volet apud praeſtantiſſimum LAMIVM [e], qui diligenter et erudite in hoc argumento verſatus eſt. Tantum autem abeſt, vt vel literaturam aliquam ſecularem vel philoſophicam affectauerint, vt potius eruditionis illius mundanae, qualis iſto quidem tempore inter gentes vigebat, et a Graecis potiſſimum exculta credebatur, odium aliquod et auerſionem prae ſe ferrent, eo quod viderent, detinere, vt ait PAVLVS [f], philoſophos veritatem in mendacio, fabulisque inanibus mentes deprauare, variaeque ſcientiae opinione inflare, qua de re paſſim voces Apoſtoli dehortatoriae extant [g]. Id quod tam intolerabile viſum plerisque gentilium, qui hac eruditionis elegantia mores potiſſimum animi comi ornarique et a plebis ruſticitate vindicari credebant, vt paſſim apoſtolos, tanquam homines ruſticos nullaque humanitatis et philoſophiae elegantia cultos traducerent, Chriſtianisque indignarentur, quod a cultu animi ab iis auocari ſe paterentur, cuiusmodi voces in Celſo paſſim exagitat ORIGENES [h], quo auctore canis impudentiſſimus ſacrae diſciplinae alumnis obiecit, *quae de Ieſu doctrina dicantur a paucis e Chriſtianorum numero non prudentioribus, ſed rudioribus eſſe praecepta illorum hominum: nemo accedat eruditus, nemo ſapiens, nemo prudens, arcemus enim tales, ſed ſi quis eſt indoctus, inſipiens, infans, fidenter veniat. Hoc pacto ſatis apparere, quod ſolos fatuos, ignauos, ſtolidos, mancipia, mulierculas, pueros captent et pelliciant.* Nec id negauere vel ſanctiſſimi ſummi magiſtri legati, qui ſe eam profiteri ſapientiam gloriabantur, quae ſtultitia ſapientibus huius ſeculi videbatur, nec Chriſtiani doctores, qui lubenter fatebantur, nihil huius elegantiae in Apoſtolis reperiri. Inter quos appoſite ARNOBIVS [i]: *Ex immenſa illa populi multitudine, quae ſuam gratiam ſectabatur, admirans, piſcatores, opifices, ruſticanos, atque id genus elegit imperitorum, qui per varias gentes miſſi, cuncta illa miracula ſine vllis fucis atque adminiculis perpetrarent.* His accedit, talem eius temporis fuiſſe philoſophiam, quae cum mira otioſorum ingeniorum ſomnia per varias ſectas exhiberet, non potuit non ita exoſa eſſe diuinis viris, vt ſollicite eam cauendam eſſe auditores ſuos monerent, paſſimque eam obelo configerent, eo quod doctrinae ſanctiſſimae ſe opponere philoſophiam Graecanicam probe noſſent. Id quod noui foederis loca attente perlegentibus erit manifeſtiſſimum, in quibus diligenter narratur, et Stoicis et Epicureis D. Paulum Athenis inter philoſophos verſatum ſe oppoſuiſſe [k], et Peripateticorum ethicam perſtrinxiſſe [l], maxime vero infauſtum illud Orientalis philoſophiae monſtrum

d) Act. XVII. 1 Cor. I, 11.
e) De erudit. Apoſt. c. XVI. p. 369. ſeqq.
f) Rom. I, 18.
g) Vid. epp. ad Timoth. paſſim.
h) L. III. init.
i) loc. cit.
k) Act. XVII, 18.
l) Eph. IV, 6.

ſtrum, quod tum temporis partim Aſiaticas regiones ſeducebat, partim in Aegypto erroris ſemina ſpargebat, et corrumpendis Chriſti doctrinae animisque erat aptiſſimum, quodque inter Iudaeos iam tum Cabbaliſticam philoſophiam, vt ſupra euictum, genuerat, acerrimo ſtilo confodiſſe, qua de re imprimis legenda et expendenda et cum illa philoſophiae Orientalis, Aegyptiacae, Cabbaliſticae, et quae ex illa enata eſt Alexandrinae διατυπώσει, quam ſuo loco dedimus, conferenda ſunt, quae D. PAVLVS ad Coloſſenſes [m] ſcripſit.

§. VII. Haec cum nota ſatis ſint et indubitata, mirandum omnino eſt, inuentos fuiſſe inter recentiores quosdam, qui diuinos domini legatos philoſophorum choris annumerare non erubuerint. Tacebimus CARAMVELIS [n] naenias, philoſophiam aliquam Marianam ſomniantis, notum enim, virum magni quidem, ſed paradoxi ingenii καινοφανίαις vehementer indulſiſſe, vnde merito eum riſit doctiſſimus HEVMANNVS [o]. Sed GEORGIVS HORNIVS [p] hic aduocandus eſt, qui vt philoſophorum choros augeret, intruſit illis venerabile Apoſtolorum collegium. Qui recte quidem monet, *qualis eorum philoſophia fuerit, haud difficulter ex ipſorum ſcriptis cognoſci*, nec inepte addit, *reieciſſe eos omnes contentiones, ſectas, λογομαχίας, fucum, oſtentationem, illas innumerabiles de rebus abſtruſiſſimis opiniones*, at et fallit et fallitur, dum eos tamquam philoſophos putat *expoſuiſſe clare, quaenam eſſet tenenda doctrina de anima, de origine, de conſeruatione et interitu mundi, de vita et morte, de moribus, de republica et oeconomia: nihilque quidem ipſis commune fuiſſe cum ſingularibus placitis ſectarum aut nugis, quibus tum Graeca philoſophia ſcatebat, neque tamen ignoraſſe, quid verum, quid falſum eſſet, ſapientiae et eruditionis domi inſtructiſſimos; neque veritatem de his capitibus, quae ſcire hominis intereſt, ſilentio praetermiſiſſe.* In quibus verbis Hornium, conſarcinandis magis plurimis, quam ſobrio iudicio digerendis intentum, neſciuiſſe, quid philoſophia proprie ſit, cognitionemque veritatum vtilium vulgarem, empiricam, exotericam, et multo magis theologicam cum philoſophica miſere confudiſſe, nemo non videt. Nec ſolida magis et apta ſunt, quae paſſim Apoſtolis tribuuntur φιλοσοφούμενα, cum ob rationes dictas non ſufficiat, aliqualem huius illius voculae vel ῥήσεως ab Apoſtolis adhibitae veſtigia inter philoſophos deprehendi, ſed euincendum, ſolideque demonſtrandum ſit, ex his lacunis Apoſtolos ſua hauſiſſe. Ita D. PETRVM [q] Graecanicae philoſophiae fluenta in ſua arua deriuauiſſe coniecit IACOBVS WINDETVS [r], eo quod angelos peccatores vindicem Numinis manum ταρταρώσαι dixerat, qua in ſententia eum ſecuti ſunt

Apoſtoli falſo inter philoſophos relati.

m) II, 8. ſeqq.
n) Theol. ration. L. X. p. 71. ſeqq.
o) Act. philoſ. Vol. II. p. 57. 58.
p) Hiſtor. philoſ. L. V. c. 3. p. 266. ſeqq.
q) 2 Ep. II, 4.
r) De vita functor. ſtatu ſect. XIII. p. m. 248.

ſunt plures alii laudati B. Io. Chr. Wolfio [s], inter quos eſt etiam acutiſſimus Cvdworthvs [t]. Quem tamen cum ſequacibus fruſtra eſſe, recte obſeruauit eruditiſſimus interpres, nec dubium eſt, quaecunque etiam huius vocis origo ſit, diuum Apoſtolum nihil aliud indigitare iſta voce ex communi loquendi apud Graecos vſu accepta, voluiſſe, quam ad loca tenebrarum et infelicitatis ex conſortio beatorum ſpirituum eiectos angelos praeuaricatores detruſos eſſe. Vt taceamus, inter Iudaeos, monente Cl. Schoetgenio [u], eandem tartari deſcriptionem inueniri, eam enim a gentilibus ad Iudaeos, maxime Cabbaliſtas peruenisſe, non inepte ſuſpicari quis poſſit. Nec feliciori coniectura vſus eſt Windetvs [x], in interpretandis veterum dogmatibus feliciori ingenio et eruditionis atque lectionis copia, quam iudicio conſpicuus, dum Iacobvm [y] quoque ad ὁμακοῖον Pythagoreorum et porticum Zenonis reuocat, et ἀνακύκλησιν Pythagoricam atque Stoicam, quae Platoni quoque εἰωθὼς δρόμος dicitur, innuere Apoſtolum, τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως *curſum generationis* allegando, ſatis infelicitur coniicit. Quaſi non apertum ſit, quod paſſim viris doctis obſeruatum, indefinentem ſucceſſionem hominum aliorum, quae ſimili vero locutione Plvtarcho [z] ποταμὸς τῆς γενέσεως, *fluvius natiuitatis* dicitur, intelligi: vel ſanctus Apoſtolus, aeternum illum deperditorum circulum, rerumque omnium poſt fati decurſum reditum, qui tantopere Pythagorae, Platoni, Stoicisque placuit, in ſcholis nugatorum didicerit. Quanquam non miramur, Windetum ad abſurda haec potuiſſe delabi, cum ipſi Seruatori hanc gentilium philoſophorum παλιγγενεσίαν inepte ſatis atque inconſiderate affricet, et Pythagorae quoque, Democriti, Diodori, Zenonisque placita miſere inter ſe confundat. Alia eiusmodi exempla facile dari poſſent, niſi breuitati eſſet ſtudendum: adeundi autem viri docti ſunt, qui *philoſophumena viris SS. temere afficta* [a], ſuo ſtilo confoderunt, vel *id quod nimium eſt circa literarum ſacrarum ex priſcis ſcriptoribus interpretationem et emendationem* [b], oſtenderunt ſuisque ſugillarunt obſeruationibus. Non tacenda tamen prorſus hoc loco eſt celebris illa quaeſtio, noſtro tempore non ſine animorum contentione agitata, num diuus Ioannes Apoſtolus doctrinam de λόγῳ diuino, a cuius conſideratione euangelium ſuum auſpicatus eſt, a Philone et ita a Platonicis mutuum acceperit? quam a Christophoro Sandio [c] primum propoſitam ſuam affirmando fecit, et non ſine ingenio defendere conatus eſt vir elegantiſſimae doctrinae Ioannes Clericvs [d]. Quem tamen certatim aggreſſi ſunt, audaciusque propoſitam ſententiam non ſine eruditione, at non ſine bile quoque exagitauerunt viri multi eruditiſſimi, quorum

s) Cur. philol. T. IV. p. 205. ad h. l.
t) Syſtem. intell. c. V.
u) Hor. Hebraic. p. 1050.
x) l. c. Sect. III. p. 32.
y) c. III. 6.
z) In conſolat. ad Apollon.
a) Herm. ab Elswich pec. diſſ.
b) Ven. Moshemivs pec. tract.
c) In interpret. paradox. p. 151.
d) Comm. in 18 verſus priores c. I. Eu. Ioannis.

rum nomina alibi [e] adduximus, quibus hoc loco, honoris cauſſa, IOANNEM LAMIVM, virum celeberrimum addimus, qui erudito opere ex inſtituto calamum in Clericum ſtrinxit [f]. Nobis has coniecturas explodere accurata tractatione propter operis huius rationem non licet: obſeruamus tamen, vehementer peccare non Clericum tantum, τῇ ὑποθέσει δουλέυοντα, ſed et alios viros doctos, ſincerius rationes inſtituentes, dum ex voce eadem in duobus ſcriptoribus diuerſae gentis vel populi, aetatisque et ſcopi occurrente, concludunt, vel eodem ſenſu ab vtroque acceptam eſſe, vel vnum tamen mutuum transſumſiſſe ab altero: qui παραλογισμὸς multas in interpretationem ſacrarum pandectarum παρεμπνεύσας introduxit. Oſtendendum enim erat huius ſententiae patronis, non modo apoſtolum Ioannem, quem ἰδιώτην καὶ ἀγράμματον, *illiteratum rudemque* fuiſſe ipſe D. LVCAS [g] teſtatur, legiſſe Philonis ſcripta, ſed et eruditi huius inter Iudaeos Alexandrinos philoſophi ſcripta in Palaeſtina ſtudioſe lecta fuiſſe et applauſum conſecuta; id quod eo difficilius probari poteſt, quo magis ex hiſtoria philoſophiae Iudaicae ſupra late expoſita conſtat, arcanam in Palaeſtina habitam fuiſſe iſtam philoſophiam Alexandrinam, et pauciſſimis innotuiſſe. Tacemus vocis huius vſum ſacrum tam apertum in ſanctioribus oraculis eſſe, vt obtorto collo Philo ad Ioannem rapiendus, vel hic ſacris libris totus eripiendus ſit, ſi dicendum, ex Philone magis, quam ex veteris foederis paginis Ioannem vocem inter Iudaeos celebrem ſatis et vſitatam accepiſſe. Quae cum euidentia ſint atque luculenta, miramur viros quosdam doctiſſimos, dum refutandum ſibi ex hac parte Clericum ſumſiſſent, maluiſſe contendere, Philonis λόγον, (quem a Platone illum accepiſſe negauerit nemo, qui vel vnam Philonis paginam legerit) adeoque totam eius trinitatem demiurgicam non eſſe inuentionem otioſi ingenii gentilis, ſed veritatem ſiue traditionem veterem a Iudaeis in Aegypto ad Pythagoram Platonemque et ab eo ad Philonem propagatam: quam libere fateri, inter λόγον Philonis et Ioannis immenſum diſcrimen intercedere, longeque aliam eſſe trinitatem Platonis demiurgicam, quam trinitatem Chriſtianam. Hoc enim neglecto, mirum non eſt, triumphos ceciniſſe, mireque aduerſarios, maxime Ioannem van der Wayen exagitaſſe Clericum [h]. Cui ſi negamus, eandem eſſe λόγου Philoniani et λόγου Ioannei rationem, et nihil praeter nomen commune habere; peccare quoque λόγον Philonis in ſacra Iudaeorum dogmata modis innumeris, immo nec genuinam Platonis mentem referre, quae omnia euidentiſſimis *ſuperiori Tomo*, vbi de Philone ſermo fuit, rationibus demonſtrauimus, omnes eius phalanges prorſus concidunt, et ab impio φιλοσοφουμένῳ felicius multo liberatur ſanctus Apoſtolus, quam ſi ea reſponſioni ſupponantur fundamenta, de propagatione doctrinarum Iudaicarum inter gentes, quae ſubleſtam ſpirare fidem, et iuſto non ſtare talo

e) In Otio Vindelico Mel. I. p. 124.
f) In erudito comm. de recta Chriſtianorum de SS. Trinitate ſententia. Florent. 1733. 4. edito.
g) Act. IV, 13.
h) Vid. Epic. crit. VIII.

talo ſuo loco luculenter docuimus. Relinquendi itaque ſimplicitati ſuae, omni philoſophiae gentilis *ματαιολογίᾳ* infinitis numeris ſuperiori ſancti Apoſtoli, quibus ſi veteri voce ruſticitatem illiteratam tribuere, quod nonnullis diſplicuit [i], ob reuerentiam illis debitam ingratum eſt, fatendum tamen, ab omnis literaturae Graecanicae maxime philoſophicae praeſidiis eos fuiſſe imparatos, et elegiſſe optimum ſalutis auctorem deſtinato conſilio non multum ſapientes ſecundum carnem, vt oſtenderet, coeleſtem illam ſalutaremque veritatem, ad quam annunciandam legatos miſit, humani ingenii opibus opus haud habere, ſed auguſtiori origine proſatam, et diuiniori virtute auctam, ſibi ipſi ampliſſime ſufficere.

Paulus an Philoſophus?

§. VIII. Excipiendus tamen ex hoc *ἰδιωτῶν* numero eſt diuus Paulus, gentium Apoſtolus, quem eruditione patria cultum fuiſſe teſtatur comes aſſiduus D. LVCAS. Vnde non defuit plurimorum diligentia, vt inter ceteras vitae eius circumſtantias [k], eius quoque eruditionem prolixa commentatione enarrarent, et philoſophiae quoque peritum illum fuiſſe euincerent [l]. In qua quaeſtione praeiudicium auctoritatis eo magis abiiciendum eſt, quo magis ad ineptos in hoc argumento errores ducit. Nos poſthabito omni alio reſpectu rationes virorum doctiſſimorum, qui de hac re commentati ſunt, ſecundum rerum circumſtantias veterumque teſtimonia excutiemus, diſpiciemusque, quid de philoſophia Pauli Apoſtoli ſtatuendum ſit? Et Tarſo quidem Ciliciae vrbe ſanctum Apoſtolum ortum fuiſſe, ipſius LVCAE [m] auctoritate, et Apoſtoli apud eum confeſſione conficitur. Neq; obſtat, quod HIERONYMVS [n] habet, Paulum Giſcalae, Iudaeae oppido, natum, cum parentibus Tarſum aufugiſſe, cum illud oppidum Romani expugnauiſſent. Ipſe enim HIERONYMVS [o] alio loco de huius narratiunculae fide dubitat, et loca actorum Apoſtolicorum, quibus Tarſenſis dicitur, ita clara ſunt, vt merito hanc Hieronymi traditionem non moremur. In hac vero vrbe non literas tantum

i) Vid. LAMIVS de erud. Apoſt. paſſim.

k) Vitam Pauli enarrarunt praeter ſcriptores H. E. et hiſt. lit. S. E. CAVEVM, DVPINIVM, LE NOURRY, ſimilesque THOMAS MASSVETIVS, S. I. integro commentario libris XV. conſtante, qui prodiit Lugd. 1637. HERM. WITSIVS in meletem. Leidenſibus diſſ. I. GVIL. CAVE in antiquitatibus Apoſtolicis, PEARSONIVS in annalibus Paulinis, LENFANTIVS et BEAVSOBRIVS in praef. ad Epp. Pauli, verſionis Gallicae N. T. vitarumque SS. ſcriptores varii enumerati a FABRICIO Bibl. Graec. Vol. III. p. 150. et Cod. apocr. N. T. T. I. p. 793. T. III. p. 631.

l) Pertinent huc IO. DAV. STROHBACHII diſſ. de eruditione Pauli Apoſtoli, vid. nou. lit. mar. Balt. 1709. p. 140. CHR. PHIL. DOHM diſſ. de metaphyſica Pauli apoſtoli, vid. noua lit. Weſtph. T. I. p. 204. SEVER. LINTRVPII diſſ. de polymathia Script. S. ſpeciatim Paulf. vid. Cl. RAVPACH de praeſenti rei literariae ſtatu in Dania p. 58. IO. ERDM. BIECK de philoſophia Pauli Apoſtoli, quae extat Act. phil. Vol. III. p. 124. IO. HEINR. SCHRAMMII or. de eruditione Pauli Apoſtoli Herb. 1710. 4. IO. SAM. STRYCKIVS de Iurispr. Pauli Halae 1705. C. H. BROEMEL. de theologis ex ICtis in eccleſ. Apoſt. Miſc. Lipſ. T. IX. p. 143. PETR. ZORN biblioth. antiq. T. I. p. 1. aliique plures ab his laudati.

m) Act. XXI, 39. XXII, 3. conf. EZ. SPANHEM. orb. ROM. p. 140. CHR. CELLARIVS de Pauli Romana ciuitate.

n) De Scr. Eccl. c. 5. p. 34. conf. H. RELANDVS Palaeſtin. L. III. p. 872. FABRIC. bibl. Graec. Vol. III. p. 150. et viri docti ad l. c. Hieron.

o) In ep. ad Philem. T. IX. opp. p. 263. vnde Hieronymum Hieronymo opponunt CAVEVS antiqq. Apoſt. vit. Pauli c. 1. p. 328. et Ven. CYPRIAN. ad l. c. Hieron.

tum Graecanicas omnes felicissimis successibus floruisse, sed philosophiam quoque Graecam ab auctoribus praestantissimis excultam fuisse, *Tomo* iam *secundo* probauimus [p]. Hoc vero argumentum multis haud postremum fuit, vt sibi persuaderent, cum Tarsensis Paulus fuerit, eum a philosophiae quoque praesidiis imparatum haud fuisse. Mature vero et in adolescentia adhuc Hierosolymam translatus, ad pedes Gamalielis educatus est, vt ipse in apologia sua narrat [q]. Id quod permouit P. PETITVM [r], vt in contubernio Gamalielis fuisse, immo illi puerum seruiuisse, crederet. Quod tamen perperam et sine necessitate dici, ex illis intelligitur, quae supra de hac ξήσει iam diximus [s]. Illud et locutionis huius sensus, et ipsius Pauli narratio dubitare nos non sinit, ex schola celeberrimi huius Iudaeorum doctoris, de quo suo loco inter doctores Iudaicos actum, sanctum apostolum prodiisse. Inde vero si patronos philosophiae Paulinae audimus, noua ratio exsurgit, cur versauisse eum philosophorum libros, eorumque doctrinis addiscendis operam haud leuem posuisse dicendum sit. Quidam enim, et inter hos HORNIVS [t], cum Pharisaeos in Stoicorum castris militasse credant, huius quoque sectae placita non ignota fuisse celeberrimi Pharisaei discipulo contendunt. Alii Iudaeorum traditione nituntur, qua constat, in schola Gamalielis sapientiam Graecam multos didicisse. Ita enim in Sotah legitur [u]: *Dicit Samuel nomine Rabban Simeonis ben Gamaliel: mille pueri fuerunt in domo, i. e. schola patris mei, quorum quingenti didicerunt legem, et quingenti sapientiam Graecam*: quibus additur: *permisisse Iudaeorum senatum familiae Gamalielis sapientiam Graecam, quoniam illi cognati erant sanguini regio*, cum ceteri eruditione Graeca institui prohiberentur, vt suo loco dictum. Talis cum Gamalielis schola fuerit, concludunt inde, qui pro Pauli philosophia militant, non potuisse non discipulum magistro carissimum et in eius conuictu atque contubernio enutritum iis sub tanto praeceptore disciplinis accuratam dare operam, quibus in primis puericitiae annis Tarsi iam ex parte fuerit innutritus [x]. Valde vero in hac coniectura confirmantur, qui ista sequuntur, cum in epistolis [y] diuini viri loca legunt ex poëtis et philosophis Graecorum Arato, Menandro atque Epimenide desumta, quae non potuisse illi innotescere putant, nisi Graecanicae literaturae diligentem posuisset operam. Quemadmodum nec cum Stoicis et Epicureis philosophis Apostolus disputare potuisse videtur, nisi eorum doctrinam tenuisset. Qui dum Colossenses [z] monet, vt a philosophia seductrice sibi caueant, infertur inde, perspexisse virum summum, quae gentilium systematum abomi-

p) Conf. STRABO L. XIV. p. 673.
q) Actor. XXII. 3.
r) Obseru. L. III. c. 2. ad cuius opinionem inclinat etiam Cl. BIECHIVS l. c.
s) Videnda, quae erudite monuit B. WOLF. in cur. philolog. ad h. l. quosque fuse laudat.
t) Hist. philosoph. V. c. 3. p. 267.
u) fol. 49. col. 1. apud LIGHTFOOT. ad Act. VI, 1. T. II. p. 706. opp.
x) CAVE Antiq. apost. I. c. §. 5. p. 331.
y) Act. XVII, 28. 1 Cor. XV, 33. Tit. I 12. conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. II. p. 397. WOLF. ad h. l. et quos laudat.
z) C. II, 8.

nabilis facies eſſet, quamque mirum errorum deteſtabilium chaos continerent. Immo ipſa diui apoſtoli ſcripta quibusdam luculenta philoſophiae ſpecimina exhibere viſa ſunt [a]. Nonnullis enim artis logicae atque analyticae praecepta vbique veſtigia ſua produnt: alii metaphyſicae et naturalis theologiae ſpecimina ex Pauli ſcriptis eruunt: ſunt, qui ex arte conficiendi tabernacula, quam vna cum legis ſtudio, more inter Iudaeos recepto, apoſtolus exercuit, mathematicarum eum ſcientiarum non expertem fuiſſe collegerunt [b]. Intolerabilior autem eſt CHRISTOPHORI SANDII [c] opinio, Paulum inter eos numerantis, qui praeexiſtentiam animarum ex Platonis ſchola didicerunt receperuntque. Qui argumentum inde deducit, quod ad pedes Gamalielis educatus fuerit, ipſeque ſe Phariſaeum fuiſſe faſſus ſit, et talem ſe dicat etiam ſacra Chriſtiana iam amplexus. Vrget porro: *Cum Platonicis et Philoni vſitatis loquendi modis ea de re vtatur, quis negaret, illum etiam Platonicum ſenſum verbis ſuis ſignificaſſe, imprimis cum non addiderit, ſe verba ſua nolle more Iudaico et Platonico intellecta. Certe ſi aliter ſenſiſſet, Iudaeos ac Platonicos ſimilitudine verborum decepiſſet, et in haereſi illa confirmaſſet.* Talia vero loca Platoniſmum aperte prodentia eſſe putat, quando a corporis vinculis atque carcere liberari cupit, quando deſiderio ſe teneri ſcribit εἰς τὸ ἀναλύσαι, quando vitam praeſentem cum peregrinatione confert, quando κτίσιν vanitati obnoxiam dicit, quando Chriſtum μορφὴν δούλου, id eſt, carnem aſſumſiſſe ait, et id genus alia. Aliter CAMPEGIVS VITRINGA [d] multa eruditione demonſtrare conatus eſt, Paulum ad Theſſalonicenſes ſcribentem, dum ſpiritus, animae corporisque mentionem facit, ad Platonicas de ſpiritu et anima hypotheſes reſpexiſſe, et Cabbaliſtica quoque dogmata de Neſchamah, Ruach et Nepheſch in animo habuiſſe. Fuit etiam nonnemo [e], qui a Stoicis, vel Phariſaeis potius Stoicas hypotheſes ſequentibus fati ineuitabilem ordinem atque legem Paulum accepiſſe ſomniauit. Vt alias noſtrae aetatis in comparatione gentilis philoſophiae cum ſcriptura ſacra, et philoſophumenis Graecis viris ſanctis affingendis valde luxuriantes interpretationes quorundam locorum Paulinorum taceamus. Referri ſuo quoque modo huc poſſunt, Pauli cum Seneca, quod multis veterum placuit commercium et epiſtolae ſuppoſititiae, quae non tam Senecam in Pauli diſcipulum, quam hunc in Stoicae diſciplinae alumnum commutauerunt, de quibus tamen in Senecae hiſtoria, quantum ſatis, dictum. Diſputari haec ex parte ſatis infeliciter, ex parte vero non ſine omni veriſimilitudine, fatendum eſt. Quaecunque tamen pro Pauli philoſophia afferuntur, etiamſi ſpecioſo veri vultu ſe commendent, recte tamen cauteque exami-

a) Conf. BIECKIVS l. c. p. 131. 132.
b) IDEM loc. cit.
c) De origine animae p. 107.
d) Obſeru. SS. L. III. c. 4. p. 57. ſeqq.
e) Anonymus, qui Freiſtadii, vt titulus mentitur 1712. vernaculo ſermone edidit: Rationales meditationes de errore eorum, qui opiniones philoſophicas reiiciunt, eo quod ſcripturae S. aduerſari videntur, et omnia, quae in illa extant, Θεόπνευστα eſſe contendunt, §. 8. p. 9.

examinata, veri notam non ſuſtinent. Quod vt vt manifeſtum faciamus, praemonendum eſt, negari non poſſe, ſanctum apoſtolum in eo eruditionis genere educatum et ſub magno magiſtro ad eam legis patriae diſciplinam formatum fuiſſe, quam illius aetatis mores et conſuetudo poſtulabant, quamque apud Phariſaeos prae aliis obtinuiſſe in Iudaicae philoſophiae hiſtoria comprobauimus. Id enim ipſe fatetur diuus apoſtolus. Quem ſi hoc nomine ex philoſophorum albo expungi graue ſit, faciles erimus in verbis, modo caueat lector, ne philoſophum eum talem putet, qualem in hiſtoria philoſophica conſiderare ſolemus. Melius aptiusque ad vitandos errores eruditionis Iudaicae alumnum, legisque patriae peritum quis dixerit. Deinde haud grauatim concedemus quoque, diuinum virum non ab omni literaturae Graecanicae notitia fuiſſe deſtitutum, ſiue domi ea quodammodo tinctus fuerit, ſiue Hieroſolymis legendi ſcripta quaedam Graecorum occaſionem fuerit nactus. Eius enim veſtigia paſſim in eius epiſtolis occurrere, facile concedemus viris doctis, pro Pauli πολυμαθείᾳ diſputantibus: immo concedemus etiam, paſtorem hunc vigilantiſſimum, qui ad gregis pericula auertenda ſummo attendebat ſtudio, non ignorauiſſe ea βδελύγματα, quae impura philoſophia Orientalis et Alexandrina non ſine magnis animorum motibus piorumque ſeductione a ſimplicitate fidei iam tum ſpargere coeperat. Ita enim vt ſtatuamus, omnino elegans de philoſophia ſeductrice cauenda eius diſſertatio [f] poſtulat. Nec refragabimur contendenti, notas fuiſſe quoque quasdam philoſophiae Graecae opiniones, apoſtolo, et ad eas vel euertendas vel emendandas interdum reſpexiſſe, cuius rei exemplum aliquod memorabile alibi ex inſtituto adduximus [g] et copioſe expoſuimus. Valde vero falluntur, qui ex aliquali literaturae profanae notitia, vel ex curioſa quoque doctrinarum philoſophicarum inſanarum exploratione gregis praemonendi cauſſa inſtituta, vel ex innoteſcentibus placitis quibusdam philoſophicis, quae per vulgus celebrata ſunt, philoſophum exſculpunt. Talis enim notitia ſuperficiaria et ὡς ἐν παρόδῳ inſtituta, qualem ſcopus Apoſtoli ſolam poſcebat, ſi ad philoſophum conſtituendum ſufficeret, non inueniretur vir eruditus, rerum etiam praeter diſciplinam, cui ſe addixit, literariarum curioſus, qui in philoſophorum numerum non eſſet recipiendus. Neque rationes, quae pro Pauli philoſophia afferuntur, tales ſunt, vt admitti poſſint, calculumque mereantur. Quod enim a philoſophia Tarſi culta petitur argumentum, elumbe prorſus eſt, nihilque probat, dum nimium probat: ſequitur enim ex eo, omnes Tarſenſes fuiſſe philoſophos, quod quam inficetum ſit, quilibet palpat. Neque opponi poteſt, veriſimile eſſe, hominem ciuitatis Romanae iure gaudentem ab humanitatis et philoſophiae ſtudiis in adoleſcentia abſtinuiſſe, quibus eo tempore adoleſcentes liberi plerumque ornari ſolebant. Id enim et probandum prius eſt, et contrarium ipſum Paulum habet, qui ſe a puero Hieroſolymis

f) Col. II, 8. ſeqq.

g) Tempe Heluet. T. II. p. 58. ſeqq.

roſolymis fuiſſe ipſe faſſus eſt, adeoque ea aetate ſua [illegible] ſi non fuit, quae philoſophiae ſtudiis excoli ſolet. Neque veri ſimi modo eſt, Graecanicam ſapientiam Paulum in domo ſchólae G[illegible]micliis didiciſſe. Nihil enim tale vir ipſe diuinus habet, ſed ſe tantum ait πεπαιδευμένον κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, *inſtitutum in patriae legis* diſciplina accuratiſſima, qualem Phariſaei ſibi potiſſimum vindicabant. Nec probabile eſt, in tanto, quod Iudaei Palaeſtinae incolae erga philoſophiam Graecanicam fouerunt, odio, quod clam habere Alexandrina dogmata, et conclauibus ea reſeruare illos coegit, floruiſſe ita philoſophiam Graecam, vt eius addiſcendae cauſſa ſcholas inſtituerit, plurimosque diſcipulos habuerit Gamaliel. Quod ante templi euerſionem non contigiſſe, ex iis manifeſtum eſt, quae ſupra de philoſophiae Graecae fatis inter Iudaeos diſſeruimus. Quod ſi fateri lubeat, quod haud aegre concedi poteſt, Gamalielem Alexandrinae philoſophiae inter Iudaeos Aegyptiacos cultae, id eſt, Cabbaliſticae, fuiſſe gnarum, nondum tamen inde ſequitur, Paulum eam a praeceptore hoc didiciſſe, qui hanc Gamalielis informationem diſerte ad patriam legem reſtringit, et ne Cabbalam intelligi putes, quae et ipſa lex oralis a patribus accepta dicitur, addit, eam ſe legem innuere, qualem Phariſaei ζηλωταὶ proſequebantur, quam in δευτερώσεσι conſtitiſſe notum eſt. Nec moramur talmudicum illud teſtimonium de permiſſa Gamalieli facultate docendi ſapientiam Graecam. Hoc enim aut prorſus falſum et effictum eſt, contrarium teſtantibus illius aeui moribus, aut intelligendum eſt de facultate legem in lingua Graeca explicandi, et peregrinis tradendi. Eo enim tendebat Iudaeorum interdictum: *Ne quis filium ſuum doceat* יונית, *Graece.* Cui interdicto tam pertinaciter, ex odio gentilium, maxime Graecorum, adhaeſerunt, vt vix admittere voluerint etiam illis, qui non niſi Graece callerent, lectionem legis et prophetarum in Synagogis in lingua Graeca, valdeque infenſi fuerint Iudaeis Aegyptiacis, quod legis verſione Graeca patrios mores honoremque violaſſent, immo euiluerint apud ipſos illi ex hac gente, qui inter populos Graece loquentes habitantes non niſi Graeca noſſent, et quaſi infimi habiti ſint. Cuius rei exemplum ex Sota affert LIGHTFOOTVS [h], memorante: *R. Leui ben Chaiatha audiuiſſe Caeſareenſes phylacteria recitantes Graece, et voluiſſe eos prohibere.* Quibus praeſuppoſitis ſi concedatur, quod tamen parum veriſimile nobis videtur, Gamalieli conceſſiſſe ſeniorum populi conſeſſum facultatem ſapientiam Iudaicam in Graeca lingua explicandi, quid hoc ad Pauli philoſophiam Graecam, quem legem domeſticam in patria lingua ex ore praeceptorum accepiſſe conſtat? Illi vero, qui Ariſtotelicam philoſophiam Gamalielem profeſſum eſſe ſuſpicantur, ad quos prouocat CL. BIECKIVS [i], non recordantur, poſt Saracenorum demum in Occidentis regiones irruptionem et migrationes Iudaeorum ex Oriente in Occidentem eos ſecundum Ariſto-

h) Ad Act. VI. 1. hor. Hebr. T. II. opp. p. 707. i) loc. cit.

Ariſtotelem philoſophari coepiſſe, vt ſuo loco clariſſimis teſtimoniis euictum eſt. Quacunque itaque familiaritate Gamalieli innotuerit Paulus, et vel diſcipulus vel contubernalis fuerit (quod tamen probabilitate caret) nihil inde ad exſculpendam Pauli philoſophiam Graecanicam peti poteſt. Eam autem nec inde confirmari poſſe, quod aliquam philoſophiae Orientalis vel placitorum quoque quorundam Graecorum notitiam habuerit, ſupra iam monuimus, et nobis non monentibus intelligit, qui nouit, quid ad philoſophum requirat noſtra tractatio. Ea enim notitia ſi ſufficeret, quam perſpicuitatis cauſſa, vt a philoſophica et ſcientifica diſtinguatur, literariam dicere licet, ad philoſophum conſtituendum, ſcriptores fere veteres omnes ab his eruditionis et literaturae praeſidiis non imparati, philoſophorum gregi eſſent annummerandi, licet nihil minus in animo habuerint quam philoſophari. Indigna autem diuina, qua gaudebat apoſtolus, inſpiratione eſt opinio, ad methodi analyticae ab Ariſtotele ſuggeſtae regulas Paulum ſcripta ſua elaborauiſſe. Vt enim inepte ſatis illis diuini viri temporibus haec ad regulas analyticas exigendi ſcripta ratio adſcribitur, quae recentioris temporis εὕρημα eſt, ita non cogitant boni illi viri, qui haec talia nobis oggerunt, iuuandae quidem memoriae cauſſa facile haec tolerari poſſe, fruſtra vero illos eſſe, qui ad hanc legem calamum attemperauiſſe ſuum Paulum coniiciunt. Quamuis enim negari nequeat, ἀκριβῶς et ſubtiliter concludere et inferre Paulum, non tamen id logicae alicuius opus fuit, ſed partim ingenii acris et natura ſua apte ratiocinantis [k], partim luminis diuini abundanti in hoc gratiae diuinae inſtrumentum menſura effuſi: ad quam ſapientiam magiſtram tanto ſtudio cuncta retulit optimus veri magiſter, vt fateretur, non veniſſe ſe ad Corinthios καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας, οὐ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας [l]. Quibus verbis dum ſe ex philoſophorum albo ipſe delet Paulus; manifeſtum facit, quantopere illi errent, qui aeternae ſapientiae diſcipulum canonibus analyticae Peripateticae ſeruire cogunt [m]. Ex his vero illi quoque repelli poſſunt, qui theologiam naturalem, moralem, metaphyſicam ſacram ſimiliaque ex Pauli epiſtolis exſculpſere. Non enim ſufficit, ſanctum virum ea argumenta attuliſſe, quae commode ad has diſciplinas queunt referri, ſed oſtendendum eſt, ex harum informatione eum talia attuliſſe: quod quam ineptum atque puerile ſit, quilibet palpat. Ridenda vero

k) Obſeruatum autem paſſim viris doctis Paulum eo ratiocinandi genere vti, quod inter Iudaeos tum ſolenne et receptum erat, e. c. multa nota ſupponere, tacitas obiectiones afferre, partem tantum vnam concluſionis adducere, et quae ſimilia.

l) 1 Cor. II, 2. 4.

m) Pie et eleganter Ven. WEISMANNVS „Hiſt. Eccl. N. T. Sect. I. p. 39. „Cogitemus, „omnia alia neſcire voluiſſe Paulum praeter „Chriſtum crucifixum, optima ſua ante conuer„ſionem appellaſſe σκύβαλα etc. Certe peſſimi „exempli res eſt, huius apoſtoli dexteritatem in „concludendo et proponendo ab auctoribus claſ„ſicis et literis humanioribus deriuare, multo mi„nus abuſus ille notorius multorum in mixtu„ra vere profana eruditionis profanae cum diui„na exemplo apoſtoli, qui ſemel aut bis paucula „quaedam verba ſcriptorum ethnicorum ad ho„minem allegauit, excuſari aut defendi poteſt.

da vero eorum insania est, qui Paulum σκηνοποιὸν in mathematicum transformant: quos ignorare, de quo sermo sit, et in ventum verba dare patet. Ita enim quilibet artifex, vel etiam opifex quoque mathematicis adscribendus esset, qui quidem nescit, quid sint μαθήματα. Quod cum philosophis disputauerit Athenis nihil aliud euincit, quam, oppositisse morologiae Epicureae, et meteorologiae Stoicae diuinum virum sapientiae coelestis solidissima et inconcussa ac ab eorum obiectionibus minime euertenda dogmata, quae magnum quidem theologum virumque ostendunt θεόπνευστον, non vero philosophum: quamuis verisimile videatur, virum acerrimi iudicii non fidei tantum sanctissimae praestantiam in illo conflictu Athenienſi demonstrauisse, sad Epicureorum quoque inanes, sine spe, sine solatio, voces, Stoicorumque impia dogmata, comparando ea cum Christi doctrina, detexisse: id quod fieri potuit ex ipsorum obiectionibus, nec poscit vt in hortis Epicuri vel porticu Zenonis versatus fuisse credatur. Quae vero in ipsis apostoli scriptis specimina et vestigia philosophiae Graecanicae a quibusdam deprehendi putantur, aut exotericam quandam earum circumstantiarum notitiam inferunt, quas paululum literis eo tempore cultus ignorabat nemo, aut sine ratione atque fundamento apostolo affinguntur, et sine praeiudicio praeconceptae opinionis, cauteque considerata longe aliud dicunt, frustraque ad Graecanicarum sectarum placita referuntur, vel obtorto potius trahuntur collo. Quae enim ex Pharisaismo Pauli exsculpitur philosophia, nulla prorsus est, nec in eius doctrinam et scripta influxum habere potuit vllum, eo quod supra euictum sit, falli eos, qui Graecanicas sectas cum Iudaicis confundunt, locumque Iosephi, quo nituntur, non satis intellexisse: qui vero nescio quas Stoicas sententias Paulo ex hac ipsa ratione affingunt, eo magis decipiuntur, quo magis Pharisaeorum doctrina a Stoicorum fato longissime abiit. Quod vero se Christi sacris iam addictum Pharisaeum esse in in apologia dixerit, ad solam, vt textus συνείδησις clarissime ostendit, resurrectionem mortuorum pertinet, quam inficiabantur Sadducaei, qui tum in synedrio prima loca occupabant. Quae vero Sandius pro Platonismo Pauli allegat, vt hominis audaciam peruertendi et ad fines suos pertrahendi sacras paginas mire produnt, ita simplici negatione refutari possunt. Vnde enim probabitur, Iudaeos et Platonicos in eadem de praeexistentia animarum fuisse haeresi? licet id visum fuerit nonnullis. Et quae quaeso concludendi ratio a voce Platoni quoque aeque ac Iudaeis recepta, vtrosque, et cum his Paulum, eadem significatione ea fuisse vsos? Annon interpretationis leges postulant, vt ostendatur testimoniis fide dignis, Platonicas hypotheses ad Iudaeos Palaestinae incolas peruenisse, et ab iis ita receptas fuisse, vt illis Iudaicae ecclesiae dogmata attemperarentur? Qua vero ratione id probabunt Sandius eique similes? Quod si phrases illas Platonicas recte considereueris, quas Paulo sensu Academiae recepto Sandius tribuit, totumque Paulinae doctrinae systema

cum

cum iis contuleris, patebit tantum abeſſe vt Platonicae videantur, vt Platoniſmo prorſus ſint contrariae. Quod vt exemplo illuſtremus, corporis dum vincula, grauemque regenito carnis ſarcinam queritur apoſtolus, non materiam mali fontem accuſat, corpusque ſibi eo nomine habet exoſum, quod alibi curandum eſſe commendat, et cum Ieſu Chriſti imitatione conſiſtere docet, ſed animi corruptionem cupiditatum prauitate in carnis inordinata commotione ſe prodentem deplorat, et ab inſultibus inhabitantis peccati ſe liberari optat. Quid haec ad Platonem, quid ad Academiam? quae animi labem ignorabat, et materiae, ex qua conditum corpus, eam tribuebat, manifeſto indicio, in detegendo mali moralis vero fonte eam coecutiiſſe. Ἀναλύειν vero nihil aliud apoſtolo eſt, quam ſolutis, quae corpus animamque connectunt, vinculis, quoad meliorem ſui partem ad aeternas tranquillitatis diuinique conſortii ſedes transferri, non vero ex corporis carcere liberari: hoc enim et reſtituendum et glorioſae corporis Ieſu Chriſti faciei aſſimilandum dixerat, id quod tam abſurdum viſum Platonicis, vt Syneſium diu a Chriſtianae religionis profeſſione deterruerit, vt infra dicetur. Reliqua quae affert criticus temerarius, adeo futilia ſunt, et locutionum Hebraicarum gnaris nota, ex qua ſchola minime Platonica prodierunt, vt ea operoſe hoc loco, vbi alia agimus, refutare non ſit opus. Quaecunque autem notio ſit et differentia vocum νοῦς, ψυχή, σῶμα in loco Apoſtoli allato, illud ex aliis ſcriptorum Paulinorum locis eſt manifeſtiſſimum, Cabbaliſtica de Neſchama, Ruach et Nepheſch dogmata, et quae fere coincidunt Platonicas de mente animaque hypotheſes huc trahi non poſſe. Hae enim nugae emanationis ſyſtema ſupponunt, a qua impietate diuum apoſtolum longiſſime remotum fuiſſe, ipſe forte vir doctus, qui haec attulit, non negauerit, ſi viueret. Qui vero ſine nomine Stoici fati abſurditatem Paulo de decretis diuinis differenti tribuit, et haec Paulum non θεόπνευστον, ſed praeconceptis ex Phariſaismo opinionibus inhaerentem tradidiſſe ſcribit, dignus haud eſt, qui multis refutetur, cum ſcopus eius deteſtabilis ſatis appareat, voluiſſe lucifugam auctoritatem ſanctiſſimorum virorum labefactare. Quod vt ἄτερ γραφῆς facit, ita ne philoſophicae quidem hiſtoriae praeſidio munitus aggreſſus eſt, quam ſi a limine ſalutaſſet, nouiſſet, Phariſaeorum de Dei ad actiones hominum concurſu a fato Stoico immenſum diſtare, et Eſſenos potius ſimilia, non tamen eadem, praecepiſſe, quibuscum nulla fuit Apoſtolo conſuetudo aut commercium. Quae tandem de Senecae conſuetudine vel commercio quoque epiſtolico cum D. Paulo afferri ſolent, ea *Tomo ſecundo*, vbi Senecae hiſtoriam enarrauimus, pleraque occupauimus, quae hoc loco repetenda ſunt [n]. Vnum, quod huc pertinet, notamus: ſi etiam concederetur, quod HIEROMYNO [o] et AVGVSTINO [p] placuit, fuiſſe reuera aliquam inter vtrumque conſue-

n) Conf. FABRIC. Cod. apocryph. N. T. T. I. p. 880. T. III. p. 740.

o) loco ſupra cit.

p) Ep. 54. ad Maced.

tudinem literarum, nec νοθείας ſuſpectam eſſe totam illam traditionem, licet ſatis vetuſtam, parum tamen inde pro philoſophia Pauli exſculpi poſſe, et id modo ſequi, fieri potuiſſe, vt ea, quae ſplendidiora Seneca in ſcriptis ſuis habet, ex imitatione Chriſtianae doctrinae profecta ſint, et doctorum Chriſtianorum ſimiam nobis Stoicum hominem ſiſtere, cui hac occaſione ſcripta Chriſtianorum doctorum innotuerint, de qua conjectura quid nobis videatur, candide ſuo loco indicauimus. Haec vero ne Chriſtianiſmum quidem Senecae euincere apta ſunt, vt alibi demonſtratum, eo quod ſplendidae voces, etſi mutuatitiae, ſenſus tegunt Stoicos impiosque, multo vero minus inde ſequitur, Paulum in Senecae gratiam hypotheſibus Stoicis manum dediſſe, et in porticum tranſiiſſe. Quibus omnibus conſideratis excludendus eſt ex philoſophorum ſerie diuus apoſtolus meliori atque digniori loco ſapientiae diuinitus traditae profeſſione collocandus. Idem de diſcipulis eius Apolline, Timotheo et Luca dicendum eſt, quos intruſit in philoſophorum turbam inepta HORNII q) diligentia, qui iuuenili feſtinatione hic quoque, vt alibi, ſaepius lapſus eſt. Nihil enim tale pios cordatosque doctores fuiſſe, ſed ſcripturae ſtudio ſe totos dediſſe, ſacra hiſtoria paginaeque librorum diuinorum aperte loquuntur. Quae hactenus copioſe adducta omnia, ſole meridiano clarius euincunt, ſimplicitatem naſcentis reipublicae Chriſtianae, et cum ipſo ſalutis auctore diuinorum eius antiſtitum non caruiſſe quidem doctrinae caſtiſſimae maieſtate et veritate, longe vero a philoſophiae, quae tunc vnice orbi imperabat Graecanicae, tricis et opinionibus abfuiſſe. Patet inde quoque in ſacrorum oraculorum ſcriptorumque apoſtolicorum interpretatione caute verſandum et hiſtoriae philoſophicae lumina, quae apte interdum adhiberi poſſunt, non afferenda eſſe vlterius, quam ipſa textus ratio, ſubiectorum conditio, et circumſtantiae patiuntur; quod vbi neglexere viri quoque magni, in varias παρερμηνείας inciderunt, quas facile euitaſſent, ſi maluiſſent ad fidei Chriſtianae ſimplicitatem, quam ad humanae eruditionis ſplendorem reſpicere. Verum de his alio loco curatius monendum eſt.

q) Hiſt. philoſ. L. V. c. 3. p. 267. ſeqq.

CAPVT SECVNDVM
DE
PHILOSOPHIA VETERVM CHRISTIANORVM,
PRAECIPVE ECCLESIAE DOCTORVM IN GENERE CONSIDERATA.

§. I.

Argumentum de philosophia PP. difficile.

Philosophiam veterum Christianorum considerauris magnae se obiiciunt difficultates, eo quod in tam varias de hoc argumento sententias inter doctos itum, vt citius Occidentem iungere Orienti, quam dissonantes, inter se conciliare opiniones liceat. Cuius dissensus causſa partim a confusa ipsius argumenti consideratione et non satis distinctis inter se circumstantiis, partim a plurimis, quae multos occupauere, praeiudiciis auctoritatis, antiquitatis, sectae, quinimmo emolumenti, et obsequii, et quae alia sunt huius generis, deriuanda est, cum vix vllum sit argumentum, quod magis in partes ire coactum est. Ita vero nudam veritatem nunquam detegi, sed errores erroribus augeri, quilibet intelligit, qui praeceptionibus philosophiae rationalis eruditus est. Ne itaque ad eundem lapidem offendamus, ad quem tot viri graues et eruditi impegerunt, procul ire iusso omni partis, sectae atque auctoritatis studio, adhibitoque logicarum regularum canone in ipsam rerum veritatem sollicita attentione inquiremus, gradus fidei historicae explorabimus, fontes consulemus veros atque genuinos, totiusque historiae ecclesiasticae ambitum ita prae oculis habebimus, vt nihil omittamus, quantum ab homine modicarum virium fieri potest, quod ad veritatem detegendam facere posse obseruauimus. Ita fiet, vt nec venerabili patrum ecclesiae choro iniuriam afferamus, et qui meritis in rempublicam Christianam immortalem meruerunt memoriam, indigno contemtu vilipendamus; nec veneratione nimia homines eos sine labe fuisse persuadeamus, neque veritatem antiquitati pretio postponamus, sed eam ingrediamur viam, quae bonis cordatisque facile satis fecerit. Quam metam vt attingamus, generali in principio consideratione philosophiae PP. veterumque Christianorum opus est: qua solide data non difficile erit de philosophia eorum doctorum ecclesiae singulatim dicere, qui hoc nomine celebritatem consecuti sunt. Comprehendemus autem ea quae dicenda sunt, aliquot, more nostro, obseruationibus, quae huc redeunt:

Obseruationes generales.

§. II. I. Quemadmodum ad exemplum perfectissimi et sanctissimi doctoris, IESV CHRISTI, qui aeternam, quam in se latentem habuerat, Dei sapientiam hominibus annunciauit, ita ex toto se composuerunt sancti eius discipuli, quos doctores toti orbi humano destinauerat et ab-

I. Apostolici viri a philosophia omni abhorrentes.

legauerat, vt posthabita eruditione seculari et, quae tunc omnes orbis terrarum partes paulo cultiores occupauerat philosophia Graeca, vni doctrinae a magistro traditae et a Spiritu S. communicatae inhaererent, quo simplicitate cum maiestate coniuncta sapientes magis piosque, quam eruditos et philosophos sua praedicatione efficerent homines: ita diuorum quoque apostolorum discipulis, quos apostolicos viros dicere solenne est, idem institutum haesit animo. Eo enim laudatissima illorum respexit industria, vt magistrorum exemplum sequerentur, eaque doctrinae simplicitate, qua etiam debiles et infantes ad salutem perduci possent, euangelii veritates proponerent, satis feciſſe officio doctoris sibi visi, si salutis omnis auctorem ordinemque quo acquirenda est eius possessio, magno quidem fortique animo, sed nudo conspectu sine fuco eruditionis humanae vel admixtione philosophicarum opinionum hominibus omnibus, etiam illiteratis, sua oratione scriptisque commendarent. Id quod in eorum epistolis, qui auditores fuerunt sanctorum apostolorum, Clementis Romani, Ignatii, et Polycarpi, hodie superstitibus luce quadam singulari radiat [a], simplicitasque doctrinae euangelicae cum veritatis diuinae maiestate coniuncta, digno apostolicis viris charactere coruscat. Quales laudatissimi viri fuerint, quibus studiis fuerint delectati, vtrum ab humana eruditione ornamentum acceperint, nec ne, quaeque alia sunt huius generis, enarrari hoc loco nec possunt, nec debent, sed ad historiae ecclesiasticae limites spectant, multisque viris doctis copiose sunt enumerata [b]. Id modo monemus, cum sint inter scripta sanctis his viris tributa nonnulla, quae fallaces manus auctores habuerunt, qualia sunt scripta Clementi tributa, *posterior epistola ad Corinthios, canones Apostolorum, constitutiones Apostolorum, recognitiones Clementis et Clementinae; Ignatii epistolae,* praeter septem, reliquae, et *Barnabae epistola* atque *Hermae pastor*; quae seculi primi et sequentium eruditionem, maxime orientalem, Iudaicam et Aegyptiacam sanctorum virorum libris intruserunt, vel scripta potius secularem hanc eruditionem referentia venerandis nominibus suppoſuerunt: patere inde, nec eruditione, nec ingenio, nec eloquentia viros pientissimos, sed rustica quadam simplicitate pietatem magis, quam doctrinam spirante voluisse placere [c]. Nisi enim tales fuissent, non opus habuissent impostores, quibus vilescebat sancta illa simplicitas, quique fanaticismo, quem Orientalis ista eruditio inspirauerat, replendam esse emendandamque Christianam ecclesiam statuebant, sanctis istis viris talia affingere, quae a moribus Apostolicorum virorum plane abhorrent. Non ignoramus, inuentos esse inter eruditos, qui viris quoque Apostolicis

a) Recte itaque colligunt viri docti, ex locis illis quae in horum virorum apostolicorum epistolis extant simplicitate illorum haud congrua, a manu falsarii quaedam esse addita. Conf. Ven. Mosheim. Hist. eccles. Sec. I. maior. P. II. c. 2. §. 24. p. 213. seqq. et quos laudat.

b) Legenda ex instituto de hoc argumento tractans B. Ittigii diss. de PP. apostolicis in biblioth. PP. Apostol.

c) Conf. Cl. Lamius de eruditione Apostolorum, C. VI. p. 106. seqq.

licis eandem, quam Apoſtolis, ſcenam inſtruxerint, eosque gentilis philoſophiae fermenti ſuſpectos facere voluerint: ſed iniuriam audaces homines feciſſe manibus doctorum pietate et ſimplicitate fidei illuſtrium, ipſa genuina eorum ſcripta ſatis produnt. Quod vt exemplo illuſtremus, Clementis et Ignatii loca allegamus, quibus ad errores palliandos ſuos CHRISTOPHORVS SANDIVS [d] vſus eſt. Qui, cum praeexiſtentiae animarum Platonicae faueret, edoctus ab Anonymo quodam, Clementem auctorem huius paradoxi dogmatis auctorem laudauit. Quam impudentiam, vt luculenter perſpiciat lector, en verba Clementis, quibus praeexiſtentiae animarum, et immiſſioni in corpora fauiſſe Sandio creditur [e]: Νῶε πιστὸς εὑρεθεὶς διὰ τῆς λειτουργείας αὐτοῦ παλιγγενεσίαν κόσμῳ ἐκήρυξεν, καὶ διέσωσεν δι' αὐτοῦ ὁ δεσπότης τὰ εἰσελθόντα ἐν ὁμονοίᾳ ζῶα εἰς τὸν κιβωτόν. *Noë fidelis inuentus per miniſterium ſuum nouam mundo generationem praedicauit, et per eum animalia, quae in concordia arcam ſunt ingreſſa, ſeruauit dominus.* Ecce vero praeexiſtentiam animarum in regeneratione, a Noacho praedicata latentem, ſi Sandium audis! quod quam miſerum ſit, omnemque interpretandi legem euertat, vel pueri vident. Renouationem enim terrae poſt diluuium indicari, quis non intelligit? Eadem ratione ſanctis viris, alia earum loca detorquendo illudit, vt opinionem hanc incruſtet. IGNATIO, qui in *epiſtola ad Trallianos* (eaque non genuina ſed interpolata) [f], dixerat, Chriſtum ſanguine ſuo ab antiqua impietate nos mundaſſe, tribuit opinionem, animas ſimul a Deo creatas, antequam in corpora immitterentur peccaſſe, cum nihil aliud voluerit ſanctus martyr, quam a protoplaſtis ad poſteros hanc impietatem promanaſſe, quam ſanguis Chriſti eluerit. Alia huius furſuris ab eo allata, vt Platoniſmi labem viris Apoſtolicis affricet, hoc loco breuitatis cauſſa praeterimus. Ex his vero ſua ſponte ſequitur, interpolationis vel ſuppoſitionis ſuſpecta ea eſſe omnia, quae viris his ſanctis tribuuntur, humanamque tamen eruditionem et imprimis eorum temporum philoſophiam ſpirant. Id quod recte viderunt viri κριτικώτατοι, qui ſpuria haec ſcripta vel interpolationes paſſa ob hanc quoque notam criticam reiecerunt. Qua de re, cum in hiſtoria eccleſiaſtica ſeculi primi agi ſoleat, pluribus agere hoc loco ſuperſedemus, id vnum adiicientes, ſpecimen huius rei ſatis luculentum capi poſſe ex *Clementinis* et *recognitionibus Clementis*, quae ſcripta ὑποβολιμαῖα ſeculo forte tertio compoſita videntur ab homine Iudaeo, Alexandriae viuente, eiusque regionis placitis imbuto, qui philoſophiam Alexandrinam Sancto Clementi ideo affinxit, cumque Chriſtianae Religionis placitis confudit lepidamque inde conſtruxit fabulam, vt noua arte Gnoſticorum, Iudaeorum, philoſophorumque tela retunderet, eorumque cauillationes euerteret. Quod quam malo ineptoque

d) Paradox. interpp. euangel. ad Io. III, 5. de Orig. animae p. 97.

e) Epiſt. 1 ad Corinth. c. IX.

f) c. VIII.

eptoque consilio, et euentu parum felici, doctrinaeque Christianae minime proficuo fecerit, paulo attentius hominis cetera non indocti ingenii chartas legenti erit in propatulo. Qui tamen corrumpendi virorum Apostolicorum simplicitatem mos non seculo demum tertio inualuit, sed inuenti sunt seculo iam primo, vel secundo ineunte, cum vix beatis sedibus recepti essent testes Christianae doctrinae meritissimi, qui ineptas nugas suas pseudophilosophiae naeniis distinctas illis impudenti audacia tribuerent. Cuius memorabile exemplum liber ille est, qui S. Hermae tribuitur, et *pastoris* titulum gerit, quem ab homine exigui vel nullius plane iudicii, emotaeque mentis scriptum, praeter plurima fanaticismi vestigia multa quoque habere, ex philosophia Orientali, Aegyptiaca, Platonicaque desumta, specimina complura loquuntur, comprobantque a viro Apostolico foetum adulterinum non fuisse profectum. Cuius rei fidem vt Lectori faciamus, exemplum vnum alterumque sufficiet, eorumque ex veteribus et recentioribus nonnullorum opinionem refutabit, qui si non θεόπνευστον, certe Apostolici viri, summaeque in ecclesia auctoritatis librum esse contenderunt [g]. Nempe scribit Pseudo-Hermas [h]: *Audi nunc primum de fide. Duo sunt genii cum homine: vnus aequitatis, et vnus iniquitatis; et ego dixi illi: quomodo Domine, scire potero, quod duo sunt genii cum homine? audi, inquit, et intellige. Aequitatis genius tener est, lenis et verecundus, mansuetus et quietus; cum ergo in cor tuum ascenderit, continuo loquitur tecum de iustitia, de pudicitia, de castitate, de benignitate, de venia, de caritate, de pietate. Haec omnia cum ascenderint in cor tuum, scito, quod genius aequitatis tecum est. Huic ergo genio crede et operibus eius. Accipe nunc et genii iniquitatis opera. Primum amarus, iracundus et stolidus est, et opera illius pernicioſa sunt, et euertunt socios Dei: cum ergo in cor tuum ascenderint haec, intelliges ab operibus eius, hunc esse genium iniquitatis. - - Intellige nunc et crede genio aequitatis, quia doctrina illius bona est. Licet enim sit felicissimus homo, et cogitatio alterius genii ascendat in cor illius, oportet illum virum aut mulierem peccare, si autem etiam nequissimus vir fuerit, aut mulier, et ascenderint in cor illius opera genii aequitatis, necesse est, illum aut illam aliquid boni facere.* Non examinabimus dogma paradoxum de necessitate bonorum malorumue operum ex instigatione vtriusque angeli, sed theologis expendendum relinquemus, contenti Lectorem ad BELLARMINVM [i], GERHAR-

g) Loca veterum, qui HERMAE pastorem inter scripta vel θεόπνευστα, vel apostolica tamen retulerunt, diligenter collegit B. I. ALB. FABRICIVS, cui optimam Hermae editionem debemus T. III. Codic. apocryphi N. T. p. 738. seqq. Ex recentioribus nonnulli fidem humana maiorem libro huic adhibendam esse statuunt, inque his DODWELLVS diss. ad Irenaeum p. 120. Paulo recedit ab hac sententia COTELERIVS ad hunc librum praefatus, qui et Hermae Apostolici viri esse, et librum non quidem canonicum, attamen ecclesiasticum censendum, et propugnaculum fidei catholicae habendum esse statuit. Tantum potest antiquitatis praeiudicium, vt anus Hermae pro virgine puella habeatur.

h) L. I. mand. VI. p. 871. seqq. Graeca qui vult, legat apud ANTIOCHVM Laune monachum homil. 61.

i) De Script. eccles. p. 47.

HARDVM [k] et SPANHEMIVM [l] ablegaſſe. Huius autem loci eſt, obſeruare, non petitum eſſe hoc dogma ex ſcriptura, quod ſine veriſimilitudine ſomniat MALDONATVS [m], ſed fontes philoſophiae Orientalis, Aegyptiacae, Platonicaeque turbidiſſimos agnoſcere. Et Orientalem quidem philoſophiam, qualis Hermae temporibus Aſiam Aegyptumque late peruagata eſt, talia docuiſſe, ex iis manifeſtum eſt, quae *ſuperioris Tomi libri primi Capite vltimo* de eo differuimus. Horum enim dogmatum patroni et malum in homine quodlibet ab inſtigatoribus malis angelis ſiue daemonibus oriri ſtatuebant, et bona quaelibet ab aeone liberatore proficiſci docebant. Qua de re vel ſolas *Clementis recognitiones* legenti nullum ſupererit dubium. Haec deſcendens in Aegyptum doctrina faciles et conſentientes inuenit philoſophos Pythagoricos, Platonicosque, et Graecos alios plurimos, eo quod ſimili ratione ſtatuiſſe Graeciae philoſophos noſſent. Pythagoreos enim ita docuiſſe, locus Empedoclis apud PLVTARCHVM [n] oſtendit, qui luculenter: *Empedoclis probanda potius ſententia eſt, qui vnumquemque noſtrum, poſtquam eſt natus, arripi gubernarique a duplicibus fatis geniisque docet;*

Hic inerant Chthonia, et cernens procul Heliopeia,
Et vario Harmonie vultu, Derisque cruenta,
Turpis Calliſtoque Thooſaque Deineaque
Nemertes et amoena nigro fructuque Aſapheia.

Quorum geniorum nominibus variae animae perturbationes exprimuntur, quarum omnium ſemina cum ortus noſter ſecum tulerit, ideoque vitae magna ſit inaequalitas, meliora quidem optat, qui ſana eſt mente, ſed tamen altera quoque exſpectat etc. Platonem ſimilia docuiſſe ex THEODORITO [o], et Euclidem Socraticum, ex CENSORINO [p] conſtat, qui, ne nimii ſimus, ipſi videndi. Cum itaque ad Aegyptios ab Orientalibus et Pythagoreis dogma hoc tranſiiſſet, a Iudaeis quoque hanc philoſophiae methodum ſequentibus receptum fuit. Teſtes volumus PHILONEM [q] et Cabbaliſtas. Quorum ille fuſe oſtendit, *paſſiones omnes malas immitti a malis angelis, qui immittantur, non omnes, ſed ſelecti quidam per viſum, quidam per auditum, etc. Manere autem in his hominibus interdum, ſed non permanere ſpiritum diuinum. Quis enim, ſubdit, eſt adeo rationis expers aut animae, vt nulla vnquam de optimo illo maximoque eum volentem nolentemque ſubierit cogitatio?* Hi vero prolixi ſunt in his angelis duobus definiendis, cuius, ſi placet, ſpecimen dabit R. MOSES CORDVERO [r]. Ex his vero fontibus dogma ſcripturae ignotum ad Iudaeos

k) Diſput. ſing. XV. c. 8. §. 9.
l) Vindic. bibl. in Matth. L. III. Loc. X. theſ. 5 et 7.
m) Ad Matth XVIII.
n) De tranquill. animi T. II. p. m. 263.
o) De cur. Graec. affect. Serm. 3. in fin.
p) De die natali c. 3.
q) De gigantibus p. 265.
r) De anima c. 3. Cabbal. denud. T. I. P. III. p. 121.

Iudaeos ceteros, et ab his ad Muhammedanos dimanasse, datae supra vtrorumque doctrinae ὑποτυπώσεις satis superque loquuntur. Ex his vero manifestum est, ex qua officina simile inter Christianos dogma prorepserit? plerique enim PP. qui huic dogmati adhaeserunt, ex scholis Eclecticorum prodiisse, compertum est. Inter quos imprimis Origenes est, ex Aegypti philosophia et schola Ammonii impuras has scorias auro diuinae fidei admiscens [s]. Nec ex aliis fontibus hausere sua Basilius, Gregorius Nyssenus, Procopius Gazaeus, Theophanes, Maximus aliique, a COTELERIO [t] laudati: id quod ipse vir doctus vidit, fassique sunt theologi cordatiores, etiam ex Romano coetu HVETIVS, BELLARMINVS [u], aliique. Vnde miramur, doctissimum NOVRRIVM [x] pro apostolica huius dogmatis traditione et auctoritate pugnare potuisse, cum apertum sit, hominem fanaticum somniis suis indulgentem, qui Hermae foetum suum adulterinum suppposuit, ex disciplina sui aeui seculari hos pro thesauris carbones vendidisse. Nec ex alio fonte hausit quoque Hermas illud, quod *libro primo* [y] habet, peculiarem angelum bestiis esse praepositum: quo in dogmate eum Platonicorum, Orientalium, Iudaeorum vestigia premere, ex iis liquet, quae suo loco, de horum placitis de angelis diximus: non itaque indignandum HIERONYMO [z], quod hoc nomine stultitiae arguat librum hunc apocryphum, *quod in eo scriptum sit, quendam angelum nomine Tyri* (Hegrin habet textus, de qua voce barbara variae sunt eruditorum coniecturae [a]) *praeesse reptilibus, et in hanc similitudinem piscibus quoque et arboribus et bestiis vniuersis proprios in custodiam angelos assignatos.* Possemus haec quoque ex superstitiosa ieiunii caelibatusque commendatione, quae ex his quoque scholis originem cepit, illustrare, si de Hermae theologia tractandum esset. At haec extra locum hunc sunt, alibi fusius dicenda, quae vero allata sunt, satis demonstrant, castam doctorum primi seculi simplicitatem vesanum gentilis philosophiae studium contaminasse.

II. Allegoria portam mature philosophiae Aegyptiacae in ecclesia aperuit.

§. III. II. Est et alia obseruatio, a nobis hoc loco non praetermittenda, vbi de irrepente mature in ecclesiam philosophia gentili, maxime Aegyptiaca, sermonem facimus. Nempe vt doctrinae alienigenae, ita allegoriae studium in Aegypto potissimum ornatum pictumque mature, et in ipso quoque primo et secundo post Seruatoris natiuitatem seculo, simplicitatem doctrinae apostolicae corrupisse. Quam rem in historia quidem vel ciuitatis Christianae, vel exegeseos sacrae ex instituto tractandam,

s) loca eius notat HVETIVS Origenian. L. III. c. 2. q. 5. §. 33. p. 86.

t) Ad l. c. Hermae.

u) Il. cc. Male itaque Huetium contrarium sentientibus annumerat ITTIGIVS sel. Cap. Hist. eccl. Sec. I. C. III. S. 3. §. 10. p. 165. Platonicam enim opinionem esse fassus est Huetius.

x) In appar. ad bibl. max. PP. p. 150.

y) Vis. IV. c. 2. p. 817.

z) Comm. in Habac. L. I. ad C. I, 14.

a) Vid. COTELER. ad h. l. ITTIG. l. c. §. 11. p. 168.

ſtandam, hic tamen, quantum ſatis eſt, tangere, ſcopus noſter omnino poſtulat. Et rem quidem ipſam ab ouo, quod aiunt, paucis repetere, non abs re erit. Nempe conſueuiſſe veteres Orientales populos fere omnes, myſteria ſua ſymbolis figurisque proponere, arcanosque dogmatum ita ſeruare ſenſus, rationibus a ſacerdotibus inductos variis, in hiſtoria philoſophiae barbaricae certiſſimis argumentis demonſtrauimus, et teſtimoniis fide dignis euicimus. Maxime vero in Aegypto hunc morem obtinuiſſe vetuſtiſſimum, nemo ignorat, cui hieroglyphica Aegyptiorum methodus innotuit. Inter Iſraëlitas vero poſt habitationem in Aegypto diuturnam vigente θεσπρατείᾳ eiusmodi allegoricam et ſymbolicam veritates ſummas populo tradendi methodum floruiſſe, vel ſola legis Leuiticae conditio arcanique ſenſus in *epiſtola ad Hebraeos* recluſi oſtendunt. Quas vero rationes ſecuta fuerit diuina ſapientia in velandis eiusmodi ſymbolorum tegmine myſteriis foederis gratiae ſub oeconomia Moſaica, hoc loco explicari non poteſt, ſed quaerendae eae ſunt apud theologos. Nos hoc modo obſeruamus, methodum allegoricam apud Iudaeos, maxime poſt captiuitatem Babylonicam valde inualuiſſe: ita tamen, vt ſobrietatem et perſpicuitatem paſſim deprehendas. Cuius haud nobilius exemplum extat allegoriis a ſacris ſcriptoribus, ipſoque ſummo veritatis doctore adhibitis, quas ad populum adhibitas fuiſſe, perſpicuitatis magis, erudiendorumque ſimplicium cauſſa, quam occultandarum veritatum gratia conſtat. In quibus ſobrietatem et candorem grauitatemque maieſtate diuina dignam merito admireris, nihilque eſt, quod humani ingenii tricas ſapiat, vel myſteria diuina occultius tegat, nec reſeratum ſit a ſanctis ſcriptoribus. Qui etiam dum ἀλληγορούμενα in partes vocant inter Iudaeos recepta, qualia exhibet Pauli diſputatio contra Iudaeos ex hiſtoria Abrahami petita [b], clariſſima rei ipſi accendunt lumina, et ſolide argumentantur etiam vbi κατ' ἄνθρωπον diſputant. His inter populos imaginationis paulo feruidioris aeſtum ſequentes limitibus ſi comprehendiſſent veteres eccleſiae doctores, quae allegorice dicenda fuiſſent, in vado res Chriſtiana manſiſſet. Aſt cum multi ex Iudaeis, nec pauciores ex gentilium ſcholis ad caſtra Chriſti tranſiiſſent, relicta illa ſobria et parca allegoria, cum ſimplicitas apoſtolica exprimenda eſſet, maluerunt illud doctrinae genus, quod domi acceperunt, retinere, ſatis ſibi feciſſe viſi, ſi hac methodo rem Chriſtianam iuuare poſſent. Maxime id factum ab iis, qui ex ſcholis philoſophicis Aegypti fidem Chriſtianam amplexi ſunt. Hi in patria allegoriarum inſania omnia feruere videbant. His et ſacerdos litabat, et populus delectabatur, et philoſophus ſtudebat. Ipſi certe ex Graecia in Aegyptum traducti philoſophi, Pythagorici, Platonici, Stoici, allegoriae ope, innumera domeſticae ſuperſtitioni adaptabant, quae ſine

b) Gal. IV, 22. ſeqq. De eiusmodi Medraſchim ſiue allegoriis Iudaeorum vid. VITRINGA de vet. Synagoga L. III. P. I. c. 5. p. 673. De Cabbaliſtarum methodo allegorica nos ſuo loco ex inſtituto diximus.

his machinis nunquam cum placitis ſuis conueniſſent. Exortumque ex haç mixtura Eclecticae philoſophiae genus, vel Alexandrinae philoſophiae chaos rem perfecit, donec Ammonius et ſequaces ad furorem vsque allegoria euecta omnem prorſus modum menſuramque euerterent. Id quod mature ad Iudaeos in Aegypto tranſiiſſe miramque illam philoſophiam, quam Philo, Cabbaliſtae, Therapeutae ſimilesque homines alii, excuderunt, generauiſſe, ſuo loco luculenter confecimus, oſtendimusque quam iacturam iſta methodo allegorica paſſa fuerit lex patria. Hi allegoriarum fontes ſunt, ex quibus promanauit quicquid impropriae et figuratae dicendi rationis in eccleſiam primitiuam inuectum eſt. Idque factum eſſe duplici via, vetus hiſtoria loquitur. Nam haeretici ex ſinu quidem eccleſiae progreſſi, ſed ſeceſſum ab ea facientes, cum impurae philoſophiae late iam tum regnantis deliria ſacris dogmatibus connubio impio iungere tentarent, obſtaretque apoſtolicae doctrinae ſimplicitas, allegoriae machinas admouerunt, ireque Chriſtum cum Beliale vno ſub iugo vinculo iſto deteſtabili coëgerunt, cuius exemplum haereticorum veteris aeui, maxime Valentinianorum, ſtudium pingendi ſomnia ſua ſcripturae ἀλληγορουμένης ope eſſe poteſt [c]. Meliori ſcopo doctores eccleſiae orthodoxae manus allegoriae admouerunt. Cum enim et inter Iudaeos hanc docendi conſuetudinem obſeruauiſſent, et in ipſis ſacris oraculis exempla allegoriae luculenta vidiſſent, et his potiſſimum armis Iudaeos, gentiles, haereticosque pugnare, et contra doctrinam Chriſtianam hoſtiliter ſe efferre animaduertiſſent, ipſi autem eidem methodo a puero quaſi eſſent innutriti, laudabiliter ſe facturos eſſe ſperauere, ſi eadem via incedentes oracula diuina ipſaque dogmata ſacra eiusmodi allegoriis veſtirent, et totam ferme explicandi diuinas paginas rationem huc referrent. Quod ferendum erat, ſi pari, qua diuini ſcriptores, prudentia et ſobrietate, ſi modeſte parceque nec ſine neceſſitate talia inſtituiſſent, et rationis quoque regulas, quibus omnis interpretatio ſana nititur, adhibuiſſent, limaturi iudicii acie, quicquid deliquiſſet imaginatio liberior et aeſtuans. Verum alia longe euenerunt magno eccleſiae damno et iactura veritatis irreparabili. Suſceperunt enim negotium homines pii quidem nec indocti, ſed iudicii praeſidiis non aeque feliciter quam imaginationis ardore inſtructi, qui cum ingenium haberent ſupra iudicandi facultatem progreſſum, et ſine rectore, ſine tramite late oberrans, in ſcholis quoque Alexandrinae philoſophiae didiciſſent quadrata miſcere rotundis, et iungere gryphos equis allegoriae beneficio, haberent etiam nonnulla, quae intruſa mallent ſacris dogmatibus, quam abiecta et dimiſſa: magno feruore ad inſaniam vsque allegoriae ſe dederunt. Quam peſtem ſeculo ſecundo adulto Clementem Alexandrinum, maxime vero diſcipulum eius Origenem ex ſcholis Aegyptiacis in ciuitatem Chriſtianam inuexiſſe, in ſequentibus oſtendemus, exponemusque, quae dogmata adulterina et ſpuria, quos-

c) Conf. HAMMOND. diſſ. prooem. de iure epiſc.

quosque errores in agro Dei tanquam infelix lolium ſterilesque auenas ſpargendi occaſionem dederit, portamque malis in eccleſia plurimis aperuerit patentiſſimam. Quamuis autem ſeculum poſt Chriſtum natum ſecundum tertiumque haec potiſſimum monſtra peperit, fatendum tamen eſt, inter ſcriptores eccleſiaſticos, aliquos viris apoſtolicis proximos, et in ipſa adoleſcentis eccleſiae Chriſtianae aetate viuentes huius fermenti veſtigia paſſim iam oſtendiſſe, exemploque eſſe luculento, quam mature apoſtolicam ſimplicitatem corruperit humana curioſitas et deteſtanda gentilis eruditionis atque philoſophiae imitatio. Non ignorant, qui veteris eccleſiae volumina diligenti verſarunt manu, et Hermam ſupra iam in ſcenam productum et Barnabam; vel ſcriptores potius venerandis nominibus virorum apoſtolicorum abutentes hoc cacoëthes adamaſſe. Et Barnabam quidem pſeudonymum in allegoricis eiusmodi interpretationibus, nec modum ſeruauiſſe, nec regulam tenuiſſe, nec rationem adhibuiſſe vllam, ex variis epiſtolae eius locis apertiſſime conſtat. Quas allegorias ineptas ſiue contra Gnoſticos κατ' ἄνθρωπον diſputans, (quibus ſolenne fuit his ſua ſomnia praeſidiis munire) adhibuerit, quod viſum HAMMONDO [d] et G. BVLLO [e], ſiue ingenii, regionis aeuique ſui morem ſecutus adhibuerit, quod aliis placet [f], fatebuntur tamen omnes, qui non naeuos veterum omnes ſine fronte et pudore excuſare ſuſcipiunt, ad exemplum gentilis et Iudaicae diſciplinae Barnabam hunc in allegoriis pueriliter ineptiiſſe. Vidit hoc, et fontem malum perſpexit doctiſſimus MONACHIVS [g] qui ad notabilem Barnabae locum, quo CCCXVIII ſeruos Abrahae, ad myſteria Chriſtianae religionis, crucisque ſignum, quod litera T Graeca refert, retulit, prudenter notat: *Auctorem more Chriſtianorum ſui temporis myſteria in numeris quaeſiuiſſe, hocque habuiſſe à Platonicis, Pythagoreis, immo ipſis Iudaeis, qui in numeris admodum ſibi complacuerint, et in illis arcana et res ſcilicet mirabiles et Cabbaliſticas ſoliti fuerint ruſpari et inueſtigare.* Qua in re exemplum praeiuiſſe Barnabam, doctoribus illi poſterioribus, vt ſimili ratione circa numeros ſacros ineptirent, multis ſpeciminibus erudite oſtendit. Qua ratione quam incerta facta ſit doctrinae Chriſtianae explicatio, apertaque porta impiis, late graſſandi hocque modo omnem demonſtrandi diuinas veritates vim eludendi, legat, qui volet, colligatque ex SOVVERAINII diſſertatione [h], qui hac Barnabae allegoria ad impios et heterodoxos ſenſus confirmandos abuti callide conatus eſt. Apud Hermam ineptas ſimilitudines omnes paginae loquuntur, quas in patrocinium luxuriantis per allegorias ingenii laudare non deſtitit ORIGENES [i]. Plura rei huius exempla dabunt ſecula ſequentia, quibus audacius introducta in eccleſiam eſt

d) loc. cit.
e) In defenſione fidei Nicaenae p. 29.
f) IAC. THOMASIVS de defin. ſap. p. 20. TH. ITTIG. de haereſiarchis aeui Apoſt. Sect. II. §. 9. th. 21. p. 180. ſeqq.
g) Ad varia Sacra p. 775.
h) Platoniſme devoilé P. I. c. 17. p. 163.
i) De princip. L. V. c. 2. coll. HERMAE paſtore L. I. viſ. II. p. 791.

philoſophia Alexandrina, et ſimplicitatem Apoſtolicam foede corrupit Origenis eruditio: qua de re tamen hic plura dicere, eſſet extra oleas vagari; vnde, qui plura cupiunt, ad viros doctos ablegandi ſunt, qui plenis cyathis hauriendi copiam ſuppeditabunt [k]. Maxime vero DANIELIS WHITBYI commendanda induſtria de hoc argumento [l], de quo plura dabit ſacrae interpretationis hiſtoria.

III. Introducti in eccleſiam philoſophi ſeculo II.

§. IV. III. Ita ſine fuco, ſi tenebriones excipias ſcriptoresque pſeudonymos, nuda apparuit ſeculo poſt natum Chriſtum primo Chriſtiana religio, nec coloribus philoſophiae gentilis picta fuit eius ſimplicitas. Plerique, qui Chriſtiana ſacra amplectebantur, homines erant illiterati, plebeii, ſimplices, contemta eruditis et philoſophis turba, quod multoties Chriſtianis obiectum a philoſophis gentilibus, tantumque abeſt, vt ignominia ipſis viſa fuerit, vt potius honorem inde quaeſiuerint, quod ſapientiae praeſtantioris, quam quae a mundo doceretur radiis eſſent illuſtrati [m]. Vnde factum, vt cum naſcente et adoleſcente eccleſia viri quoque eruditi dimiſſis nugis gentilis doctrinae ad ſacra Chriſtiana amplectenda conuerterentur, omnem fere eruditionis ornatum abiicerent, humilitatem ſimplicitatemque apoſtolicam omni elegantia humana ſuperiorem affectantes. Succeſſit alterum a Chriſto nato ſeculum, quod alios homines, aliam aetatem, alios mores habuit. Nempe ita radios ſuos per omnem terrarum orbem diffuderat exorientis ſol euangelii, vt non abiectorum tantum, plebeiorum ruſticorumque hominum indoctam atque literis non excultam colluſtraret turbam [n], ſed et doctorum virorum et elegantiorum atque ſeueriorum diſciplinarum cultu ornatorum oculos perſtringeret: inter quos fuerunt, qui Graecanicam philoſophiam exacte didicerant, immo ſingulari quoque nonnulli ſtudio fuerant profeſſi. Id quod ita euenire debuiſſe, facile intelliget, qui ad temporum iſtorum circumſtantias, praecipue quod ad philoſophiam attinet, paulo attentius reſpexerit. Quae enim in ſacra Chriſtianorum doctrina tradebantur, vt ſimplicitate dictionis humani ingenii inuentionem ſe eſſe negabant, ita rerum ipſarum maieſtate et ſublimitate eorum quoque animos percellebant, qui ſuper naturales rerum ordines ingenio elati metaphyſica dogmata ſectabantur. Etſi enim ſuae rationis trutina examinare iſta myſteria ſumma non poterant, videbant tamen ſe nec contraria, nec meliora habere, quae Chriſtianis placitis cum ratione opponere poſſent. Praecepta autem de moribus, quae inſtillabat diſciplina Ieſu Chriſti, adeo auguſta ſimplicitate et candore, regularumque puritate ſe commendabant, vt neceſſ-

k) HVETIVS Origen. L. II. c. 2. q. 15. §. 13. p. 173. BVDDEVS parerg. hiſtor. theol. p. 141. PHIL. A LIMBORCH praef. comm. ad Acta Ap. C. VITRINGA praef. comm. in Ieſaiam, BARBAYRAC. de la morale des peres c. II. §. 1. p. 94. ſeqq. alii.

l) De ſcripturarum interpretatione ſecundum PP. commentarios. Lond. 1714.

m) Vid. LAMIVS de eruditione Apoſtolor. C. III. ſeqq.

n) IDEM l. c. c. VI. p. 106. ſeqq. Factum autem id conſilio diuino, ne ſapientiae humanae lux iſta diuina tribueretur, D. PAVLVS 1 Cor. I. luculenter docet; vnde ignominiae non cedit Chriſtianae religioni, ſed honori.

neceſſario difficiles philoſophorum nugae, et phalerata verba, vacuique et ſine mente ſoni contemnerentur. Quae vero apud eos ſplendebant, et ſeueritatem morum inculcabant, qualia erant porticus decreta, dudum hypocriſi ſuſpecta fuerant. Quaecunque autem per innumeras ſectarum toto coelo diuerſarum lites et controuerſias diſputabantur, ita vilem et contemtam fecerant philoſophiam Graecanicam, vt paulo acutiorum vel iocis et cachinnis, vel ſubſannationibus et exagitationibus obiicerentur. Teſtes volumus Lucianum et Sextum Empiricum facile doctiſſimos inter ſeculi ſecundi philoſophos, quorum ille, omnium ſectarum philoſophos, ſolis Epicureis exceptis, falſe traduxit, amaroque riſu contemſit, hic mutua ſectarum tela in eorum conuertit viſcera, et quam miſera ſit philoſophia Graecanica, luculentis commentariis expoſuit. Nec hic ſolus fuit, qui id faceret, Scepticique pauci, quos ſuo loco enumerauimus, ſed oſtenſum quoque *Tomo ſecundo*, eiusmodi mutua bella et proelia inter philoſophos incruenta hoc ſeculo maxime Alexandriae, in quam vrbem primaria fere philoſophiae ſedes translata erat, obtinuiſſe. Quibus offenſi animi, qui paulo cordatius de ſapientia et eruditione erant ſolliciti, cum nauſeare inciperent philoſophiam Graecam, audientes doctrinam euangelii mira ſanctitate et concordia praeſtantiſſimas veritates commendantem auide arripuerunt, quod inani Graecorum loquacitati praeferendum eſſe probe viderent. Id quod mire promouebat humanae mentis natura atque indoles; quae cum in vanis iſtis et inanibus diſputationibus non inueniret, quo ad veram traduceretur tranquillitatem, ſummoque bono, de quo ridiculis diſputationibus inter ſe digladiabantur philoſophi, potiretur, ſatiata auguſta diuinae veritatis maieſtate, viaque ſimplici et plana, qua et conſcientiae morſus ſupprimi, et animus cum Deo reconciliari, et tranquillitas mentis obtineri poſſet, ipſos philoſophos adigebat, vt ei ſe cohorti addicerent, quae inuenerat, quod Graeci philoſophi diu fruſtra quaeſiuiſſent. Apud quam cum illuſtriori ſplendore lucere videret eas veritates, quas ſparſim per ſectas diſiectas colligebant, et tanquam inſignes theſauros cuſtodiebant cordatiores, non potuere non animum religioni Chriſtianae adiicere et manum dare veritati diuinae. Cuius ſi memorabile et nobiliſſimum exemplum cupit Lector, adeunda eſt S. IVSTINI narratio elegans *), quomodo a philoſophia ad Chriſtianam fidem tranſiuerit, quae haec omnia luce mira illuſtrabit. Sed et et aliae adhuc rationes fuerunt, cur philoſophi quoque ſacris Chriſtianis ſe addixerint. Inter quas non poſtremo loco numeranda eſt vita philoſophorum plerorumque peſſima et ſapientiae nomine prorſus indigna. Ex iis enim, quae fuſe de philoſophia gentili poſt C. N. narrauimus, notum eſt, impoſturam, hypocriſin, turpesque mores plerosque philoſophos corrupiſſe. Cynici enim plerique mendicitate et impudentia ſapientiae nomen et robur ſectae ridendum exſibilandumque propi-

*) Dial. cum Tryphone Iudaeo p. 217. ſeqq.

propinabant, et ignauum pecus exprimebant; Stoici ſimulatione leueritatis ambitionem prodentes falſe traducebantur: Epicureorum voluptas in turpiſſima ſcelera degenerare videbatur paſſimque tanquam reipublicae peſtis quaedam exterminabatur vrbibus et regionibus, Pythagorei autem et Platonici, cum diuinarum rerum notitiam ſupra vulgi captum ſibi vindicarent, nefandis impoſturis fraudibusque hominibus imponebant, quae detectae contemtum et conuicia ipſis attraxerunt. Cuius rei exemplum ex hoc ſeculo eſſe poteſt Alexander impoſtor a LVCIANO detectus falſitatisque et fraudis conuictus. Neque vero videtur valde diſſimile artes Apollonii, quibus ſeculo primo hominibus innumeris impoſuit, cum a viris acutis detegerentur, oculos aperuiſſe multis, vt relictis fraudulentorum hominum ſubſelliis in Scholas Chriſtianorum tranſirent. Viderunt id philoſophi, et occurrendum tanto malo rati, cum calumniis nihil ſe proficere, contrarium euincente de Chriſtianis ἀυτοψίᾳ cernerent, ſplendida Chriſtianorum praecepta ſuffurari et imitari, ſuisque doloſe ſyſtematibus applicare coeperunt, rati ita ſibi ſe vindicare poſſe Chriſtianae ſapientiae gloriam. Verum et hoc viris cordatis acutisque tantum abeſt vt oculos occoecauerit, vt potius aperuerit. Cum enim viderent latrocinia, intelligerentque, ipſos philoſophos ita probare Chriſtianarum doctrinarum veritatem et elegantiam, relictis doloſis imitatoribus ad ipſos fontes, libros puta Chriſtianorum, confugerunt, in quibus ſolidiora et pulchriora Deoque digniora multa cum vidiſſent, lubenter ſacra Chriſtiana amplexi ſunt. Sed et Orientalis philoſophia, et Alexandrina morologia, ita dirigente Deo, viam ἄκοντες et nihil tale cogitantes multis ad Chriſtianam diſciplinam aperire coactae ſunt. Vtraque enim cum ſtulte ſatis de diuinis emanationibus diſſereret, et neſcio quae numina imaginaria ſibi fingeret magiae potiſſimum ſtudio, quo ſe malorum angelorum poteſtati animum ſubtrahere poſſe credebat, bonis omnibus execrationi erat: qui cum miracula Chriſtiana his opponerent, facile intellexerunt, quid diſtent aera lupinis: id quod ipſi Simoni Mago, magno ex hac ſecta philoſopho accidiſſe acta Apoſtolorum narrant. His accedit, quod philoſophorum horum nonnulli, dum de filio Dei e coelo in humanam carnem demiſſo praedicantes audiuere doctores Chriſtianos, viderint multo verius elegantiusque illa enarrata, quae de aeone ex pleromate ad liberationem humani generis progreſſa ſomniarunt iſti fanatici: quibus compellebantur, vt ſaniori dogmati victrices manus darent. Quibus omnibus cum facile ad ſpernendam philoſophiam ſecularem permoueri potuerint animi praeiudicio non occupati, verique ſitientes, et acumine iudicii pollentes, accedente animi fortitudine, qua contemtum populi inſuper habere, odia humani generis, quibus inſimulabantur Chriſtiani, perferre, perſecutiones pati, et inueteratas opiniones eiicere audebant, neceſſario Chriſtiana illis religio, tanquam philoſophia optima et praeſtantiſſima commendari, et ad eam profeſſione quoque amplectendam animus perſuaderi

ſuaderi debuit. Qui vbi ſemel coeleſtis veritatis vim admiſiſſent, ſenſiſſentque diuinam quae euangelio Ieſu Chriſti ineſt, virtutem verticordiam, dulcedine mutatae in melius et ad tranquillitatem traductae mentis ineſcati, et tum intellectus conuictione et illuminatione, tum voluntatis emendatione emendati, factique doctores reipublicae Chriſtianae doctiſſimi, de praeſtantia et veritate religionis Chriſtianae fortiter prudenterque tum ad philoſophos, tum ad rectores prouinciarum, immo ipſos imperatores diſputauerunt. Quibus fruſtra obnixi ſunt philoſophi gentiles, qualem Creſcentem fuiſſe ſuo loco diximus, cum ſemper ſumma cum ignominia arenam deſerere fuerint coacti, quod S. Iuſtini exemplum infra enarrandum mire illuſtrabit. Addimus hic ſpeciminis loco Antonii philoſophi cuiusdam teſtimonium, ita de ſe canentis *p*:

Diſcuſſi, fateor, ſectas Antonius omnes,
Plurima quaeſiui, per ſingula quaeque cucurri,
Sed nihil inueni melius, quam credere Chriſto.

Et poſt enarratos philoſophorum errores:

Haec ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,
Meque diu incertum, et tot tempeſtatibus actum
Sancta ſalutari ſuſcepit eccleſia portu,
Poſtque vagos fluctus tranquilla in ſede locauit,
Vt mihi iam liceat deterſa nube malorum
Tempore promiſſo lucem ſperare ſerenam *q*.

Sed et reliqua legenda ſunt, pulchra ſane, et his quae diximus lucem clariſſimam accendere apta.

§. V. IV. Ex his facili calculo colligere quilibet rationesque ſubducere poteſt, qualis viris his ſanctis, qui ex philoſophorum gentilium ſcholis ad caſtra Chriſtianorum tranſierant, opinio de philoſophia gentili inſederit. Eius enim non ſummam tantum didicerant, ſed vim quoque omnem, atque ex contraria quoque parte, infirmitatem probe intellexerant, memoresque, quibus fluctibus animus in praeceptionibus philoſophorum quietis portum fruſtra quaerens, iactatus fuiſſet, imbecillitatem, naeuosque plurimos detexerant. Haec cum Chriſtianae doctrinae robore et certitudine comparantes cum immane inter vtramque diſciplinam diſcrimen obſeruauiſſent, apertis viderunt oculis, quantum diſtaret lux a tenebris, et Chriſtianae religionis veritas a gentilis philoſophiae vanitate. Immo quam immenſum quoque differret euangelii efficacia virtusque,

IV. Mens PP. ſeculi II. de philoſophia gentili.

p) Paulino vindicat V. C. Lvd. Ant. Mvratorivs, qui primus T. I. theſaur. anecdot. hoc carmen edidit. Sed Paulini non eſſe, verum Antonii alicuius, ex gentiliſino ad eccleſiam transgreſſi ipſum carmen loquitur, rectequeque viſum viris doctis. Vid. Iournal des Sauans 1717. Iuin. p. 654. ſeqq. Fabricivs ſyllog. ſcript. de V. R. C. c. IV. p. 176.

q) Poſt Muratorium repetiit Fabricivs loc. cit.

virtusque, qua in flectendis animis pollet, a philosophiae Graecanicae opinionibus, quae nubes sine imbre, verbaque phalerata sine vi animum commouente exhibebat, experientia propria edocti intelligebant. Nec dubium est, instituta eos comparatione inter doctrinam Christianam et gentilem de his veritatibus omnium primos conuicisse animum suum. Qua tamen ratione factum est, vt veritates nonnullas per omnes sectas sparsas, nec abiiciendas, deprehenderent, has vero et cohaerere cum sacrae fidei systemate, et maius lumen ac splendorem a Christiana religione accipere, quin ex parte in diuiniores verioresque sensus transferri pulchre obseruarent. Qua cognitione cum essent instructi viri doctissimi ad diiudicandam gentilium religionem, et quae potissimam illius partem constituebat, philosophiam, defendendamque doctrinam Christi se accinxerunt, et, qui naeui inessent placitis gentilium, etiam philosophorum, quae veritates a Christianis docerentur, ipsis philosophis non reiiciendae, fuse delinearunt. Et hoc quidem argumentum est earum commentationum, quas pro religione Christiana scripserunt doctores ecclesiae meritissimi, Iustinus, Tatianus, Athenagoras, Theophilus, Hermias, Clemens Alexandrinus, Hippolytus, Origenes, Eusebius et Graeci alii [r]: Tertullianus, Minucius Felix, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Iulius Firmicus Maternus, Ambrosius, Augustinus, alii Latini, vt deperditorum nomina taceamus. Quorum apologias legenti mire placebit acumen virorum doctorum, Graecos philosophos propriis telis aggredientium, et non sine pudore confundentium.

V. Oppugnata philosophia gentilis in apologis DD.

§. VI. V. Ex his vero sequebatur necessitas, varia ratione circumstantiis temporum hominumque sese attemperandi, sicque ecclesiae inseruiendi, vt philosophorum telis se opponerent viri cordati atque integerrimi. Vehementissime enim offenderant gentiles philosophos Christianae religionis incrementa, cum viderent, non illiteratam tantum humilemque turbam istius doctrinae suauitate capi, sed et philosophos ad castra Christi traduci: Ita enim probe videbant, non communem tantum euilescere religionem, sed et philosophiae honorem contemni atque vilipendi, aegreque ferebant, suas ita partes imminui: id quod intolerabile illis visum, cum, quod turpe sibi ducerent ab ea secta se vinci, quae imperitos rusticosque atque plebeios, quod clamabant, homines auctores conditoresque habuisset, tum, quod ita emolumentorum quoque suorum iacturam se facturos timerent. Hinc arma arrepta, et non tantum rationibus philosophicis pugnatum, sed cum hebetia illa tela contra aciem ensis Christianorum essent, ad calumnias et opprobria progressum [s], cumque et hae atrae pessimorum hominum artes parum proficerent, eo quod innocentia Christianorum publicis documentis probata apologiam pro coetu Christiano faceret, magistratus summi, praesidesque et rectores pro-

r) Accurata recensione eos omnes enarrauit FABRICIVS l. c.

s) Integro hoc tractatu expositit C. KORTHOLTVS in pagano obtrectatore.

prouinciarum, et tandem ipſi quoque imperatores accenſi ōdio in Chriſtianos, praecipue in doctores eorum, ſunt, vt, qui rationibus ſuperari refutarique non poſſent, tormentis gladioque compellerentur ad ſilentium. Quam gentilium philoſophorum inuidiam et furorem omnibus fere paginis loquitur hiſtoria reipublicae Chriſtianae, et vel vnius Creſcentis in S. Iuſtinum vsque ad capitis ſupplicium ſaeuientis odium luculenter illuſtrat; vt alia exempla paſſim a viris doctis allata breuitatis cauſſa omittamus. Ligneas manus et inertia in hoc bello brachiā non habuiſſe doctores Chriſtianos monumenta ex parte nobis adhuc obuia, ex parte vero deperdita teſtantur, ex quibus diſcimus, et diſputationibus eorum cum philoſophis habitis eos rem eccleſiae iuuiſſe atque defendiſſe, et philoſophiam Graecam quoque propriis telis iugulauiſſe, ſcriptis apologiis demonſtrantes, quam miſere philoſophi ſuperſtitioni vulgari ridendaeque et ab ipſis haud raro exploſae ſuccurrerint, quantis inter ſe conuiciis ſectae digladiatae, ſe ipſas diſciſſas in partes et dilaniatas omnium contemtui expoſuerint; quam ineptae ſint eae hypotheſes, quas pleraeque ſectae ad explicandas res diuinas et humanas afferrent, quantos quamque pernicioſos errores foueant, quidque potiſſimum bonis omnibus deteſtabile in philoſophia videri debeat. Aſt his puritatem, ſanctitatem, veritatem fidei Chriſtianae magna facundia opponebant, et quae ſacrae doctrinae eſſet praeſtantia, quae dogmatum omnium connexio et conſenſus, quae vis animis illabens diuina, quae elegantia morum ab ea praecepta, et quam innumerae, prae philoſophia gentili praerogatiuae, luculentis demonſtrationibus docebant. Quae omnia vt exemplis illuſtremus, eo minus neceſſe eſt, quo magis apologiae meritiſſimorum virorum ipſae legendae ſunt ab eō, qui accuratam philoſophicae hiſtoriae notitiam cupit, eo quod innumera viri doctiſſimi et in ſcriptis gentilium philoſophorum verſatiſſimi attulerint, ſine quibus in multis de veterum doctrina caligaremus. Ad haec vero omnia diligenter attendendum illis eſt, qui de veterum Chriſtianorum ſententia de philoſophia gentili ſolliciti ſunt, vt pateat, quantum porticum Salomonis praetulerint porticui Zenonis. Eleganter Eucherius Lugdūnenſis *ad Valerianum: Quin tu repudiatis illis philoſophorum praeceptis, quorum lectioni operam ac ingenium accommodas ad imbibenda Chriſtiani dogmatis ſtudia, animum adiicis? illic quoque, quo facundia tua atque ingenium exerceatur, inuenies: breuique tibi liquebit, quanto haec noſtra, id eſt, pietatis veritatisque praecepta illis philoſophorum praeceptis praeferri debeant, in illis namque eorum praeceptis vel adumbrata virtus vel falſa ſapientia, in his vero conſummata iuſtitia, ſolidaque veritas continetur.* Et PAVLINVS ad Auſonium [e]:

Nunc alia mentem vis agit, maior Deus,
Aliosque mores poſtulat,

 Sibi

e) p. m. 494 edit. Colon.

Sibi repoſcens ab homine munus ſuum
Viuamus vt vitae patri.
Vacare vanis otio aut negotio
Et fabuloſis literis
Vetat, ſuis vt pareamus legibus
Lucemque cernamus ſuam.
Quamuis ſophorum callida ars rhetorum, et
Figmenta vatum nubilent.
Qui corda falſis atque vanis imbuunt,
Tantumque linguas inſtruunt,
Nihil ferentes, vt ſalutem conferant
Quod veritatem detegat.

Alia innumera, quae afferri poſſent, in re nota, praeterimus. Ita vero demonſtrata religionis Chriſtianae prae philoſophia gentili praeſtantia, facile erat calumnias philoſophorum refutare, odiumque humani generis, quo inſimulabantur, repellere a coetu Chriſtiano, et mendaciis tum doctrinae tum morum innocentiam opponere, ſicque in tuto collocare Chriſtianam religionem. Id quod tanta fiducia ſuſceperunt, conatusque laudatiſſimos tanta fortitudine animoque imperterrito contra inſultus philoſophiae gentilis exſecuti ſunt doctores Chriſtianae reipublicae optimi, vt veritati diuinae cauſſaeque bonitati ſibi non recuſauerint, conſcriptis hunc in modum apologiis ad ipſorum imperatorum Romanorum aures oculosque rei Chriſtianae cauſſam deferre, freti innocentia ſua, ſperantesque fore, vt coeleſtis lucis radii facile calumniarum diſpellant nebulas. Qua vero methodo vſi fuerint, quibusque potiſſimum rationibus philoſophiam gentilem oppugnauerint, quo in hoc arduo negotio ſucceſſu gauiſi fuerint, non hoc loco, ſed in ſacris rerum Chriſtianarum annalibus exponendum eſt. Multa vero hanc in rem dabunt FRANCISCVS BALTVS [a] et H. LVDOLPHVS BENTHEMIVS [x].

VI. Nulli ſectae peperce-runt PP.

§. VII. VI. His principiis cum inſiſterent doctores Chriſtiani, et hac potiſſimum ratione gentili ſe philoſophiae opponerent, non potuere vlli aliquid deferre ſectae, quod mitiorem ſententiam innueret, ſed tota gentilis philoſophia damnanda fuit. Omnem enim gentilis ſuperſtitionis apparatum eiurauerant, cumque noſſent, fulcra eius a philoſophorum ſectis peti, et prudentiorum theologiam praeceptis philoſophorum de Deo diuinisque rebus abſolui, odium quod in illam conceperant, ad philoſophiam quoque transtulerunt. Quare mirum non eſt, nulli PP. veteris eccleſiae ſectae peperciſſe, et mox hanc mox illam aggreſſos, principia omnium ſectarum euertere ſtuduiſſe. Id ſi opus eſſet, longa inductione probari

a) Defenſe de SS. Peres accuſez de Platoniſme, paſſim, praecipue L. I. c. 2. 3. 8. 9. 14. L. II. 3. 5. 6. 7.

x) Pecul. tractatu lingua vernacula, ſcriptores vetereſ de V. R. C. exponente, cuius epitomen exhibet FABRICIVS l. c. C. I. §. 10. p. 32. ſqq.

probari posset, sed in re vbiuis attente scripta doctorum ecclesiasticorum legentibus obuia vno exemplo illustrari satis potest. Id a S. IVSTINO petimus, qui vt antiquitate reliquos fere omnes vincit, ita philosophiae Graecae, quam ante conuersionem habitu quoque et doctrina professus erat, notitia alios antecelluit. Is autem Graecos ad amplectenda religionis Christianae dogmata exhortaturus y), nulli sectae parcit, et non theologos tantum siue poëtas adoritur, exque Homero innumeras absurditates theologiae gentilis eruit, sed philosophis quoque omnibus bellum indicit, eo quod superstitionis gentilis alumni ad eos tanquam ad murum firmissimum confugere soleant, si quis ipsis de Diis poëtarum opiniones memoret, demonstraturumque se pollicetur, multo eorum doctrinam de Deo ridiculosiorem esse, quam poëtarum theologiam. Quod vt efficiat, rerum omnium principia enumerat, ex philosophorum mente diuersissima, Thaletis aquam, Anaximandri infinitum, Anaximenis aërem, Heracliti ignem, Anaxagorae homoeomerias, Archelai aërem infinitum, eiusque densitatem et raritatem, Pythagorae numeros eorumque symmetrias, siue accommodatas proportiones, atque harmonias, monadem et dyadem, Epicuri atomos immutabiles, Empedoclis elementa quatuor, et duas primarias virtutes amicitiam et dissidium. Quae inter se sententiarum dissidia de principio naturali eo applicat, vt inferat, tutum non esse, illos, qui se saluos esse cupiunt, existimare ab illis se religionem veram addiscere posse, qui persuadere sibi nequeunt, ne inter se dissideant, neue alius sententia sua ab alio diuersus esse appareat. Sed ne virtutis et doctrinae opinione magis illustres maximeque habiti inter philosophos Plato et Aristoteles obiiciantur, nec hos vera a magistris suis discere potuisse monet, nec dixisse alia probat, quam quae sibi inuicem contradicant, seque mutuo euertant. Platonem enim diuinam scientiam affectantem, summum Deum in ignea essentia esse dixisse: Aristotelem autem clare et diserte Platonis abrogare opinionem, et quintum quoddam aethereum et immutabile corpus fingentem, ibi Deum esse dicere, et Platonem erroris redarguere. Sed et ipsum Aristotelem in ruborem dare connititur, eo quod ad Homeri testimonium prouocet, cuius tamen sententias multas falsi arguat, et opinionem reiiciat Thaleti quoque probatam, Oceanum siue aquam rerum omnium parentem esse. Eundem philosophorum inter se dissensum et mutua bella in aliis quoque capitibus probat, maxime Platonem et Aristotelem inter se committens, immo ipsius Platonis inconstantiam in principiis accusat, et plurimis eiusmodi dissensionum sectarum Graecarum allatis concludit tandem, confusam quandam et discordem apud eos esse opinionem, quae vno saltem nomine viris recto iudicio praeditis laudanda videatur, quod eis illud sit propositum studium, vt se inuicem hallucinari minimeque vera afferre arguant et euincant; cumque

y) Cohort. ad Graecos p. 2. seqq

veri nihil de religione a gentilibus philoſophis percipi poſſe conſtet, et idoneum ſatis argumentum ignorantiae ipſi ſuae per diſſidentes inter ſe factiones exhibeant, reliquum eſſe, vt ad maiores Chriſtianorum reuertantur, qui et ante iſtos fuerint, et in ſectas non diuiſi, traditionem diuinitus acceptam illibatam ad haec tempora transmiſerint. Haec Iuſtinus, cuius an vbique legitime concludat diſputatio, annon pugnas viderit, vbi non ſunt, principiumque materiale cum efficiente confuderit? vtrum recte vbique opiniones philoſophorum expoſuerit? hoc loco non diſputabimus, nec moroſe eius diſſertationem examinabimus, ſufficit enim ex hoc loco intellexiſſe, nulli veteris eccleſiae doctores ſectae peperciſſe, inque omnes bellum mouiſſe, exagitauiſſe principia omnium et inter ſe ita commiſiſſe, vt omnibus ſectis veritatem denegarent, totamque ex hoc mutuo conflictu theologiam gentilem euerterent. Quod ſimili prorſus modo Scepticos quoque feciſſe, ex SEXTO EMPIRICO diſcimus. Eadem fere ratione diſputauit cum Tryphone Iudaeo, nec alii ex patribus aliter, vt exemplis TERTVLLIANI [z], LACTANTII [a], CYPRIANI [b], AVGVSTINI [c], aliorumque multorum, qui in philoſophos gentiles inſurrexerunt, conſtat. Eleganter PRVDENTIVS [d]:

Conſule barbati deliramenta Platonis,
Conſule et hircoſos Cynicos, quos ſomniat, et quos
Texit Ariſtoteles torta vertigine neruos.
Hos omnes quamuis anceps labyrinthus et error
Circumflexus agat, quamuis promittere et ipſi
Gallinam ſoleant, aut gallum, Clinicus vt ſe
Dignetur praeſtare Deus morientibus aequum;
Quum ventum tamen ad normam rationis et artis,
Turbidulos ſenſus et litigioſa fragoſis
Argumenta modis concludunt numen in vnum,
Cuius ad arbitrium ſphaera mobilis atque rotunda
Voluatur &c.

Tantus vero piorum virorum in hoc argumento zelus exarſit, vt ne Platoni quidem pepercerint, quamuis crediderint, omnium philoſophorum illum optimam de Deo doctrinam fouiſſe, et melius magisque ſobrie, quam ceteros de diuinis fuiſſe philoſophatum. Multa enim eorum loca occurrunt, quibus graui accuſatione in Platonem inuecti ſunt, quae cum diligenter ad refutandum, qui patribus obiicitur, Platoniſmum collegerit BALTVS [e], hic breuitatis cauſſa omittimus, vnumque ad probandam aſſertionem locum addimus ANTONII [f], a Balto non adductum, qui, quam parum Platoni tribuerit, ita prodit:

Sunt

z) Adu. nationes L. II.
a) Inſtitut. diuin. L. III. c. 2.
b) Epiſt. 55. p. 107. de bono patient. p. 205. edit. Oxon.
c) De C. D. Lib. VIII. ſeqq.
d) In apotheoſi p. m. 167.
e) L. III. c. 3. ſeqq. p. 106. ſeqq.
f) loc. cit.

Sunt et sectantes incerti dogma Platonis,
Quos quaesita diu animae substantia turbat,
Tractantes semper, nec definire valentes,
Vnde Platonis amant de anima describere librum,
Qui praeter titulum nil certi continet intus.

Ad quem locum appositе verba haec THEODORITI [g] attulit eruditissimus MVRATORIVS: καὶ ὁ μὲν σοφώτατος Πλάτων περὶ τῆς ἀθανασίας τῆς ψυχῆς παμπόλλους λόγους διεξελθὼν οὐδ' Ἀριστοτέλη τὸν φοιτητὴν ἔπεισε τόνδε σέρξαι τὸν ὅρον. *At Plato quidem sapientissimus, qui complures sermones de immortalitate animae disseruit, ne Aristoteli quidem auditori suo persuasit eam positionem.* Ex quibus locis intelligitur, ne φιλοσοφούμενα quidem Platonis de immortalitate, quae in *Phaedone* propositi, licet facile reliquis omnibus palmam praeripiant, et impense veteribus laudentur, patribus feciſſe ſatis nec magnopere placuiſſe.

§. VIII. VII. His acceſſit aliud malum, quod philoſophiam tantum non omnem reipublicae Chriſtianae antiſtitibus exoſam reddidit atque inuiſam. Nempe innumerae, quae cum ipſa naſcente ciuitate Chriſti ſurrexere, haereſes, matrem agnoſcebant ſi non omnes (vulgares enim quaedam erant et illiteratae) pleraeque tamen aut philoſophiam Orientalem et Aegyptiacam, quae ſe et Platonicae et Iudaicae ſiue Cabbaliſticae miſcuerat, aut philoſophiam Graecanicam. Prius de Gnoſticorum potiſſimum ſectis intelligendum eſt, quae cum plurium ſomniis in diuerſas propagines abiiſſent, deque Aeonibus et emanationibus in pleromate diuino, de Aeone mediatore, deque modo liberandi animam a materiae contagio malorumque angelorum poteſtate vniendique eam cum abdito et recondito rerum omnium fonte plurima garrirent, hisque nugis difficillimis et impiis incruſtandis diuina Chriſtianae religionis myſteria applicarent, ſicque magnam praeſtantiſſimis fidei Chriſtianae capitibus ruinam minarentur, exſtimularunt doctorum orthodoxorum pietatem zelumque pro cauſſa Chriſti, vt exemplo diui Pauli, ab hac philoſophia ſeductrice caueri ſibi ſollicite iubentis, magno hanc philoſophiam odio proſequerentur, eiusque errores in iſtis haereſibus late graſſantes refutaturi paſſim acerbe in philoſophiam inueherentur. Cuius exempla dabunt IRENAEVS [h], TERTVLLIANVS [i], et PSEVDO-ORIGENES [k], qui memorabili loco: *Ipſa illorum* (Graecorum) *placita, quae conſiſtere nequeunt, pro credibilibus habenda propter immanem haereticorum inſaniam, qui quoniam ſilent, et indicenda myſteria ſua abſcondunt, a multis iudicati fuerunt Deum colere, quorum iam olim expoſuimus opiniones, non eas demonſtrantes ſubtiliter, ſed pinguius craſſiusque redarguentes, nequaquam indignum cenſentes illorum arcana in lucem protrahere,*

VII. Haereſes ex philoſophia gentili ortae eam exoſam PP. reddidere.

g) Therapeut. Lib. V.
h) Adu. haereſes L. II. c. 14. p. 133. ed. Maſſuet.
i) De praeſcr. c. 7. de anima c. 17. p. 325. ed. Rig.
k) Philoſophum. L. I. p. 5.

trahere, eò consilio, vt cum nos per aenigmata exposuissemus placita ipsis, erubescentes, ne fortassis etiam ipsorum arcana effati demonstraremus esse atheos a contraria rationi sententia profanoque paulum desisterent instituto. Cum autem solius Graecanicae philosophiae periti essent doctores ecclesiae, nec Orientalem intelligerent, factum inde est, vt, videntes inesse philosophiae Orientali et Aegyptiacae quaedam affinia Pythagorico-Platonicis dogmatibus, immo admixta quaedam esse placitis in Aegypto luxuriantibus indeque per Asiam Syriamque et vicina loca diffusis, vehemens inde in Platonicam quoque philosophiam conciperent odium. Cui cum Ariani quoque errores adscriberentur, accidit inde, vt seculo quarto, quo tantum non extinctae erant haereses Gnosticae, et philosophia Orientalis sub Alexandrinae vel Eclecticae philosophiae habitu tecta ex parte tantum supererat, propter ista Ariana dogmata philosophia gentilis, maxime Platonica pessime audiret, vt ex GREGORII NAZIANZENI [l], HIERONYMI [m] aliorumque locis, quos recentiores nonnulli illis ὁμόψηφοι collegerunt [n], disci potest. Sed et Aristotelica philosophia eo nomine vehementer patribus inuisa fuit, quod dialecticis subtilitatibus ad deprauanda Christiana dogmata haereticos abuti, idque praeceptore Aristotele didicisse crederent. Id de Aetio conqueritur EPIPHANIVS [o], et de aliis SOCRATES [p]. Multo vero magis accensi sunt virorum optimorum animi in hanc pseudo-philosophiam haereticorum strophis incrustatam cum artibus pessimis insidias inde strui rebus Christianorum viderent. Homines enim istos, qui huius philosophiae mysticae secreta se pernouisse gloriabantur, non pudebat, libros multos ineptiis suis fanaticis plenos vetustis philosophis summam nominis celebritatem consecutis supponere, hacque auctoritate sibi fidem conciliare, et sanctis quoque viris eiusmodi foetus adulterinos tribuere [q]. Qui cum pseudo-philosophiae istius decretis turgerent, detecti

l) Orat. XXXVI.

m) Adu. Luciferian. T. II. opp. p. 142.

n) PETAVIVS dogm. theol. T. II. L. I. c. 8. §. 2. p. 42. ed. Paris. CHR. SANDIVS. nucl. H. E. Lib. I. p. 139. BVDDEVS Isagog. histor. theol. p. 420. 435. et EHREG. DAN. COLBERGIVS in specim. hist. de orig. et progressu haeresium in ecclesia, itemque in Christianismo Platonico-Hermetico P. I. c. 1. p. 19. 21. 23. seqq. BALTVS l. c. p. 229. SOVVERAIN. l. c. P. I. c. 8. p. 68. CIERICVS ep. crit. IX. p. 257. et post hos innumeri alii. Interceſſit autem, quod ad Arium eiusque Platonismum, CVDWORTHVS syſtem. intell. §. 36. p. 675. qui negat, Arianam doctrinam de filio Dei, Platonis ex schola profectam esse, eo quod valde differat a dogmate de λόγῳ Platonico. Sed haec frustra opponi veterum testimoniis, et Arii educatio et disciplina, quam Alexandriae coluit, et dogmata alia Platonica, e. g. de praeexistentia animarum satis ostendunt. Neque haec euincunt aliud, nisi Arium in hoc quidem doctrinae capite a Platonis schola discessisse, longiusque progressum esse, vt Christianis placitis inseruiret, quod Platonicis quoque doctrinis imbutus facere potuit: aliud enim est, Arium Platonicos habuisse praeceptores, aliud, errorem esse γνησίως Platonicum. Prius veteres testantur omnes, posterius vix definiri potest, cum recentiores Platonici ipsi de λόγῳ varia ratione dissentirent. Conf. Cel. MOSHEM. ad h. l.

o) Haeres. LXXVI. §. 2. T. I. p. 913.

p) Hist. eccles. L. I. c. 25. conf. PETAV. l. c. proleg. c. III. §. 3. Obs. Hal. T. I. obs. 15. GREG. NAZIANZ. or. 26. T. I. opp. p. 488. hi tamen dialecticae Aristotelicae abusum respiciunt, vnde praeter veri speciem Arianos errores ex philos. Aristotelis deriuat P. FAYDIT. apolog. de syst. des PP. sur la trinité p. 24.

q) Eleganter de hac caussa suppositorum librorum inter Christianos Sec. I. et II. disseruit Ven. MOSHEMIVS pec. diss. Vol. diss. ad H. E. pert. p. 221. seqq.

detecti a ſanctis viris, omnium quidem oculis expoſiti fraudesque manifeſtatae ſunt, magna vero inde indignatio eorum, qui rebus ſacris praeerant, cum haereticos hos philoſophos nominibus Ieſu Chriſti et apoſtolorum ſanctorumque virorum aliorum ad decipiendum gregem Chriſtianum abuti cernerent, exorta eſt. Veriſimile quoque videtur, cum inter Iudaeos pſeudo-philoſophia iſta arcanis greſſibus ſe inſinuans paſſim reciperetur, et Cabbaliſtica portenta gigneret, ex his vero quidam ad Chriſtianos accederent, iisque myſteriis ſacra dogmata corrumperent, hoc quoque nonnihil ad id, quod prae ſe patres ferunt, odium in philoſophiam contuliſſe [r]. His itaque ex cauſſis cum in omnem philoſophiam, quae extra ciuitatem Chriſtianam inualeſcebat, odio exardeſcerent doctores eccleſiaſtici, Graecam vero fontem omnis huius mali putarent, eo quod Orientalem literaturam plerique ignorarent, mirum non eſt, vehementius declamaſſe eos in philoſophiam fere omnem, eamque in feruore diſputationis conſtitutos ferme totam reieciſſe, et pro vero haereſium fonte agnouiſſe. Vnde notum illud TERTVLLIANI [s], haereticorum patriarchas eſſe philoſophos, in quod dictum erudite commentati ſunt celeberrimi theologi ADAMVS RECHENBERGIVS [t] et ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS [u], qui, ne prolixi nimis ſimus, videndi. Et hae quidem origines ſunt querelarum, quas plenis buccis contra philoſophiam dederunt veteres eccleſiae doctores, quas hoc loco cumulare inſtituti ratio vetat, adiri vero poſſunt ab iis, qui ipſa illorum verba deſiderant, DIONYSIVS PETAVIVS [x] et FRANCISCVS BALTVS [y]. Vt vero vehementer philoſophiam doctores Chriſtiani culpabant, ita e contrario ſacram philoſophiam, id eſt religionem Chriſtianam quam maxime laudabant, ſacrasque paginas ex merito extollebant, hocque ſapientiae genus ſtudio philoſophico, quale illud rei Chriſtianae aduerſabatur, multis verborum ambagibus opponebant, philoſophiam Graecanicam valde vilipendentes. Exemplum qui cupit, TATIANI illi *oratio contra Graecos* legenda eſt, qui vehementer in Graecanicae philoſophiae contemtum inſurgit. Qua in re modum exceſſiſſe nonnullos fatendum eſt, raro enim fieri ſolet, vt modus in his rebus accurate ſeruetur. Ignoſcendum tamen viris cetera eruditis piisque, cogitandumque tantopere corrupiſſe haereticos iſta pſeudo-philoſophia Chriſtiana dogmata, tot monſtra opinionum vaeſanarum excogitaſſe, vt mirum non ſit, eccleſiarum antiſtites, qui veros fontes horum ſomniorum non ſatis nouerant, anſam inde arripuiſſe, de philoſophia fere omni, tanquam patris tenebrarum, opere

r) Paſſim huc reſpicere videtur TATIANVS in Orat. ad Graecos. s) Adu. Hermogenem.
t) Diſſ. an haereticorum patriarchae philoſophi. Lipſ. 1701.
u) Diatr. ad id Tertull. haeret. patt. philoſophi, Helmſt. 1699. conf. quos laudat BVDDEVS Iſagog. L. II. c. 3. §. 5. p. 553.
x) l. c. C. III. §. 5. ſeqq.
y) Iugement des SS. Peres ſur la morale de la philoſophie payenne paſſim.

opere ſiniſtrius acerbiusque ſtatuendi. Quod vt luculento exemplo illuſtremus, et quos infelices fructus haec pſeudo-philoſophiae ſemina produxerint, qui hoc odium in viros optimos accenderunt, pateat, non abs re vel praeter inſtitutum noſtrum fore putamus, ſi Valentinianae haereſeos breui adumbratione, qualis illa in hiſtoria potiſſimum philoſophica locum habet, dogmata in aprico ponamus.

Exemplo id illuſtratur Valentinianae haereſeos.

§. IX. Fuiſſe celeberrimam inter Chriſtianos ſeculo II [z], a diſciplinae ſacrae puritate et ſimplicitate deuiantes, haereſin Valentini, qui nouam ſibi ſectam condidit, cum ſpem praefecturae alicuius coetus potiundi amiſiſſet [a], veteres vno ore teſtantur [b]: cuius, licet fanaticiſmum omni rationi contrarium et abſurdiſſimum foueret, celebritatem inde potiſſimum ortum habuiſſe ſuſpicamur, quod philoſophiae ſpeciem ſyſtema Valentini haberet, et illi ſe ſectae attemperaret, quae per Aegyptum, Syriam, Aſiamque, immo per Italiae quoque partes quasdam ſe late diffuderat. Qua opinione vulgi exceptus cum eloquentia perſuadendique virtute emineret [c], tanta felicitate applauſuque per Orientis et Occidentis prouincias ſomnia ſua diſſeminauit, vt credi vix poſſit, tam inepta hominis emotae mentis fanaticique philoſophi deliria tot inuenire potuiſſe aſſeclas, niſi triſti experientia doceremur, nihil magis homines, quorum plerique iudicandi facultatem non excolunt, in aſſenſum rapere, quam dogmata, quae ingenii acumine pinguntur, imaginationis lumina excitant, fingendique licentia mire comuntur, et non inepte connectuntur. Tacemus, ſpeciem philoſophiae, et opinionem eruditionis, quam homo prae ſe ferebat, et exiguas quasdam, quas ſyſtemati in ſe ſatis abſurdo infarſit, veritatis particulas viris etiam cetera acutis impoſuiſſe, vt Valentinianae mataeologiae aures patientes commodauerint. Id quod veteribus, qui ad veros huius haereſeos fontes non ſatis attendebant, nec philoſophiae hoc genus, quod eam progenuit, ſatis intelligebant, eo magis condonandum, quo magis inter recentiores, quibus maior hiſtoriae philoſophicae lux affulſit, fuere, qui nec tam male docuiſſe Valentinum, nec ſanos ſenſus reſpuere contenderunt. Id quod praeter GODOFREDVM ARNOLDVM [d], huic quidem negotio ob philoſophicae hiſtoriae ignorantiam imparem, feciſſe SOVVERAINIVM [e], et hoc candidiores multo et doctiores ISAACVM BEAVSOBRIVM [f], CAMPEGIVM VITRINGAM [g], et IACOBVM BASNAGIVM,

z) De tempore, quo hi errores diſſeminati ſunt, occaſione loci cuiusdam de iis in epiſtola Ignatii diſputarunt PEARSONIVS Vindic. epiſt. Ignat. P. II. c. 7. p. 370. et DALLAEVS de ſcript. Ignat. c. XII. atque LARROQVANVS obſ. ad Vindic. Pearſonii p. 226. IVSTINI MARTYRIS aetate iam eos viguiſſe ex dial. cum Tryphone p. 349. conſtat. Conf. TERTVLLIAN. contra Valent. c. 5. TILLEMONTIVS memor. eccl. hiſt. T. II. P. II. p. 503.

a) TERTVLLIANVS l. c. c. 4.

b) IRENAEVS L. III. c. 3. EPIPHAN. haer. XXXI. §. 7.

c) TERTVLLIANVS l. c.

d) Hiſt. Eccl. et haeret. T. I. P. I. L. I. c. 2. p. 67. ſqq.

e) Platoniſme deuoilé c. VIII. p. 68.

f) Hiſt. Manich. T. I. L. III. c. 7. §. 8. p. 550. ſeqq.

g) Obſ. SS. L. I. c. 2. p. 131.

NAGIVM [h], maxime vero PETRVM FAYDIT [i], contendiſſe conſtat. Vt vero ipſe Lector iudicare de monſtroſo ſyſtemate queat, et de philoſophiae Orientalis et Aegyptiacae dolis, maloque, quod in eccleſiam inuexit, maximo exemplum habeat, paucis ſyſtema Valentini philoſophicum enarrabimus, modeſtumque, quid nobis de eo videatur, iudicium ſubnectemus.

§. X. Nempe I. omnia, quaecunque ſunt atque exiſtunt, in duas partes diuiſit philoſophus fanaticus, quarum vna illa contineret, quae ad diuinum pleroma pertinent, quaeque vel intra vel extra illud acciderunt, altera res exponeret, ad mundum hunc viſibilem ſpectantes. Fingit nempe ſibi, II. vel, ex philoſophia potius Orientali aſſumit impoſtor, immenſum quoddam et ſplendidiſſimum, quod omnia repleat, ſpatium, in quo dicit omnem diuinam naturam tanquam in aeterna quadam beatiſſimae lucis abyſſo latuiſſe, ab infinito tempore, et III. triginta vtriusque ſexus aeonas ſiue emanationes diuinis naturis conſtantes, totidem nempe foeminas quot mares, ſed diuerſi gradus, atque ordinis ex ſe genuiſſe, et diuina quadam emanatione produxiſſe, quae intra ſpatium iſtud contineantur, quod *Pleroma* vocauit. IV. Inde vero ſequi, quod omnium aeonum (hoc enim nomine aliis quoque ex hac ſchola Orientali ſectis vſurpato naturas iſtas ſiue emanationes diuinas appellat, ob rationes *Libro huius periodi primo* enarratas) vnum ſit caput, radix atque fons vnus, nempe Deus vnus, inuiſibilis, ſempiternus, ingenitus et incomprehenſibilis, quem quod radix eſſet radicum fonsque atque pater omnium, *Proarchen*, *Propatora*, et ob imperſcrutabilem profunditatem *Bython* dixit. V. Deo huic in infinita et inexplicabili profunditate latenti coniugem iungebat philoſophus obſcuriſſimus principium aliud *Ennoiam*, ſiue cogitationem, quam et *Charin* et *Sigen* ob gratiam et beatitatem, et ineffabile circa eius naturam ſilentium appellauit. VI. Ex hoc duorum principiorum connubio ſecundum eum concepta atque egreſſa eſt mens ſiue *Nus*, primogenitus paterque atque radix reliquarum emanationum omnium, et cum ea ſimul mente *Aletheia* quoque ſiue veritas genita eſt, hacque duplici ſyzygia tetras illa ſiue quadriga diuinorum principiorum prima et ſuprema extitit, quae VII. cum et ipſa foecunda eſſet, aliam tetrada ex ſe produxit, *Logon* ſiue ſermonem, *Zoën*, vitam, *Anthropon*, hominem, et *Eccleſiam*: ita vt VIII. ex duabus tetradibus principiorum ogdoas enaſceretur, ſicque fons ille diuinus emanationibus radicaliter ex ſe ſcaturientibus, in pleromate diuino produceretur, vt reliqua aeonum diuinarum familia generaretur. Quarum genealogiam ſic inſtituit miri et foecundi ingenii homo: IX. *Logos*, ait, nouam generauit decadem, *Bythium*, profundum, *Mixin*, miſtionem, *Ageratum*, ſenio non ſubiectum, *Henoſin*, vnionem, *Autophyes*, ex ſe ipſo

Syſtema Valentini.

h) Hiſt. Iudaic. T. III. c. 38. p. 729. ſeqq.

i) Inſilluſtrat. H. E. Sec. I. et II. p. 12. ſeq.

ipſo genitum, *Hedonen* voluptatem, *Acinetum*, immobilem, *Syncraſin* temperamentum, *Monogenea*, vnigenitum et *Macariam*, beatam, ſic vt ex vtroque ſexu familia haec conſtaret diuina. Neque ſic aeonum finis, ſed his iungebat X. et coniugio hominis cum eccleſia dodecadem aeonum, *Paracletum*, aduocatum, *Piſtin*, fidem, *Patricon*, paternum, *Elpida*, ſpem, *Metricon*, maternum, *Agapen*, amorem, *Aënun* ſempiternum intellectum, *Syneſin*, ſcientiam, *eccleſiaſticum*, eccleſiae filium, *Macarioten*, beatitatem, *Theleton*, deſideratum et *Sophiam*, ſapientiam. XI. Ita ex Ogdoade, decade et dodecade totam aeonum diuinarum in pleromate conſtituit familiam Valentinus, eiusque parentes fecit primo quidem Bythum et Sygen, tum Logon et Zoën, et tandem Hominem et Eccleſiam. XII. Quamuis autem in vno omnes aeonas pleromate diuino collocaret Valentinus, leges tamen ſyſtematis emanatiui ſecutus, aeonas inter ſe perfectionis abſolutae natura diſtinxit, ſolique menti cum Bytho connexionem eſſe atque communionem perfectiſſimam aſſeruit. Quo ſimul nouam fabulae huius ſcenam inſtruxit ſatis lepidam. Nempe XIII. cum non tam arcto cum Bytho coniunctae eſſent vinculo aeones reliquae, deſiderium inde conceperunt coniungendi ſe cum eo, quo imprimis occupata emanationum harum vltima ita exarſit, vt tantum non penitus a pleromate fuerit abſorpta, niſi *Horus*, terminus (finitatem quandam terminos naturae diuinae perfectioni ponentem intelligit) ita reſtrinxiſſet eam, vt retracta ſibique reddita ſuo circulo naturaeque ſuae reſtitueretur. XIV. Ex hoc deſiderio cognoſcendi naturam Dei, eique ſe iungendi, quamuis intra limites retracta eſſet ſophia, concepit, nimiaque commotione abortum paſſa, foetum edidit informem, metus, miſeriae, doloris et triſtitiae futurum fontem, et haec *Enthymeſis*, cupido eſt. Quae XV. cum ſecum haberet paſſionem ſiue perturbationem, ex pleromate diuino eiecta atque relegata eſt, matre Sophia per Horum purificata et in locum priorem inter pleromatis aeonas reſtituta. Neque ſic comoediae finis, ſed nouus a mirifici ingenii homine ordo in ſcenam productus. XVI. Nempe reliquarum etiam aeonum ſimilis metuebatur lapſus, cui vt praeueniret pater ille ſummus, emiſit aeonum ſyzygiam alteram per *Monogeniton*, nempe Chriſtum, et Spiritum ſanctum, vt in ordinem omnes redirent, et Chriſtus quidem patris illas profunditatem doceret, hic ad tranquillum reuocaret ſtatum quietemque ſeruandam. Id ita ſucceſſiſſe porro XVII. nugatur, vt omnes inter ſe aeones voluntate menteque redderentur ſimiles, et ad aequalitatem reducerentur, immo mutarentur, quae maſculae eſſent, in Noës, Logos et Chriſtos, quae foeminae, in veritates, vitas, ſpiritus et eccleſias. Id quod XVIII. tanto cum gaudio aeonum factum eſſe, ait, vt ſumma laetitia perfuſae conferrent ſingulae optimam florentiſſimamque ſui partem, in honorem Bythi, vnde *Ieſus* prodierit, qui omnium aeonum nomina complectatur, angelosque cum eo productos ſatellites habeat. Et haec quidem inter pleroma accidiſſe nobis

bis narrat fanaticus philoſophus. Extra pleroma haud diſſimilem ſcenam inſtruit, vt quae circa mundum viſibilem acciderint, more ſuo aenigmata ſtruendo explicaret. Nempe XIX. *Enthymeſis*, quam ſophiae abortum fuiſſe dixerat, quae et *Achamoth* vocatur, extra pleroma conſtituta in tenebris oberrabat, ſine luce, figura, forma. Chriſtus itaque eius miſertus et extenſus ſui aliquid ei imprimens formam ei impertiuit, ſecundum ſubſtantiam, non vero ſecundum ſcientiam, ſicque ex parte tantum perfectam reliquit, ipſeque in pleroma diſceſſit, virtute ſua retracta. XX. Ita animata Achamoth cum lumine careret, ſtudioſe ſummoque cum deſiderio hoc lumen quaerebat, ſed repreſſa a Horo totam ſe luctui dabat, moerorique atque triſtitiae. Cui vt finem tandem faceret XXI. ad Chriſtum conuerſa, anxietatis ab eo terminum exorauit, ſicque condita eſt materia, ita vt ex lachrymis aqua, ex riſu lux, ex conſternatione et terrore terra et ſic porro, orirentur. XXII. Laboranti vero vt ſuppetias denuo ferret Chriſtus, lugenti et deprecanti audaciam miſit *Paracletum*, angelorum comitatu ſtipatum, qui hanc, quam tantopere deſiderabat, ſcientiam ei ingenerabat, ſicque a dolore et cruciatu ex parte liberabat. XXIII. Neque tamen ſic omnis materiae ineptitudo, malaque indoles tolli a materia potuit, quin relinqueretur cura illa inquieta materialium rerum parens: qua duplex ſubſtantia orta eſt, quarum vna perturbationibus ſubnoxia eſſet, altera ex illis malum ſibi habitum contraheret. XXIV. Achamoth autem angelos paracleti comites amore complexa, cum ſplendorem eorum imaginatione intueretur, concipiens foetum peperit ſpiritualem angelis ſimilem. XXV. Ita ſcilicet triplicis ſubſtantiarum generis mater Achamoth facta eſt, ſpiritualis, animalis et materialis. XXVI. Ex animali *Demiurgus* factus eſt, creator conditorque rerum reliquarum omnium. Ita praeparatis reliquis fabulae partibus, ecce quomodo ad rem viſibilium γένεσιν Valentinus progrediatur. Nempe XXVII. cum rerum omnium formatio ignota eſſet demiurgo, adiuuans eum mater ſupremi pleromatis imaginem impreſſit, ita vt Achamoth Bythum, Demiurgus Monogeniton, Archangeli et angeli vero a Demiurgo facti reliquas aeonas referrent. Ita XXVIII. conditis animalibus et materialibus rebus omnibus et a ſe inuicem diſcretis coeleſtia omnia et terreſtria inde enata ſunt. XXIX. Septem autem cum conditi eſſent coeli, intelligentia et ratione praediti, ſuper ſupremo ſedem ſibi deſtinauit Demiurgus, mater vero inter pleroma et mundum conſedit. XXX. Ille cum nec pleromatis ſuperioris, nec originis ſuae eſſet conſcius, Deum ſe eſſe, credidit. XXXI. Affectus autem ſiue perturbationes cum materialium rerum fontes eſſent, ex timore animalia, ex moerore mali ſpiritus, ex anxietate elementa corporea formata ſunt, hisque inditus ignis lethalis et corrumpens. XXXII. Hominis porro fabricam ita explicat Valentinus: Ille ſcilicet demiurgi opus eſt, ex tribus veluti hominibus concretum; quorum vnus ex materia craſſa, alter ex coeleſti ſpiritu, et ſemine quodam diui-

no, tertius ex animali materia, media inter vtramque illam, et demiurgi naturam referente conſtat. Tunica enim pellicea eum veſtiuit, hoc eſt, carne; Sophia vero mater, Demiurgo inſcio ſpirituale ſemen addidit, vt ſpiritualis quoque homo euaderet. Hinc XXXIII. Ex tribus partibus homo conſtat, ſpirituali, animali et materiali, ſiue ſpiritu, anima et corpore. Ex his vero XXXIV. perit aliquando pars materialis, mortalis enim eſt, et terrena, adeoque corruptione diſſoluitur; animalis, ſi ſe potioribus melioribusque dederit, media in regione conquieſcit, ſi deteriora deligat, ad ſimilia transfertur. XXXV. Vt itaque ſaluetur, mediatore opus habet, et animalis, et ſpiritualis naturae participe, et corpore praeterea veſtito, aſt experte naturae terreſtris ſiue χοϊκοῦ, quae ſalutis non eſt capax. XXXVI. Saluator itaque, ſiue Chriſtus animalis natus non eſt ex Maria virgine, ſed per eam, ceu aqua per canalem, tranſiit, et ita corpore veſtitus in hoc aſpectabili mundo comparuit: in baptiſmo autem deſcendit ſuper ipſum Ieſus ex pleromate, ſub ſpecie columbae, ſicque omnes cum eo aeonum perfectiones communicauit. Is vero Ieſus ab eo iterum diſceſſit, cum ad Pilatum duceretur, vt adeo ſolus animalis Chriſtus pateretur, cum ſpiritualis ſubſtantia ſemenque matris pati non potuerit. XXXVII. Ex quibus ſequitur, non ſpiritualem hominem, ſed animalem ſolum redemtione opus habere. XXXVIII. Dantur tamen animae naturae vel bonae vel malae, et hae quidem ſemen illud ſpirituale ex Achamoth concipere et ita bona facere nequeunt. XXXIX. Ex his vero omnibus perfectam tandem γνῶσιν oriri, eamque latere in his myſteriis, putabat, vnde felicitatem poſuit Valentinus in cognitione myſteriorum pleromatis. XL. Totius vero fabulae cataſtrophen hanc ponit fanaticus: vbi ſemen omne perfectum fuerit, tum ipſarum mater Achamoth ex media illa ſede transferetur, et intra pleroma recipietur, nec non ſponſum ſuum recuperabit Saluatorem, illum, qui ab vniuerſis in lucem eſt editus: vt Saluatoris et ſapientiae Achamoth coniugium inſtituatur. Aſt ſpirituales homines, poſtquam animas exuerint, et ad ſpirituum purarumque mentium conditionem euaſerint, ac nullo detinente, nec aſpectabiles in pleroma penetrauerint, Saluatoris comitibus angelis collocabuntur. Demiurgus autem in locum matris ſuccedet, mediamque regionem occupabit. Eodemque loco iuſtorum animae otio et quiete potientur, eo quod ad Pleroma nihil animale peruenīat. His peractis ignis ille, qui in mundi latebris deliteſcit, erumpet ac conflagrabit: donec omni conſumta materia cum eodem et ipſe conſumtus et in nihilum redactus fuerit [k].

Origines mataeologiae Valentinianae.

§. XI. Et haec longa quidem illa Valentini fabula eſt, theogoniis Graecorum theologorum non diſſimilis, de cuius origine atque fonte in tot

k) Vt melius ordo generationum ſiue emanationum harum intelligatur, ſequens ſchema ſubiecimus.

tot opiniones itum eſt. Quod equidem mirandum non eſt, cum huius commatis aenigmatum ea ſit conditio, vt varias explicationes patiantur, et in varias partes trahant interpretes, praecipue ſi hypotheſeos cuiusdam praeconceptae praeiudicium ad illa ſoluenda afferant. Id quod in praeſenti argumento eo magis euenire neceſſe fuit, quo magis, qui de Valentini nugis nobis quaedam retulerunt, nec ſatis certi de eius placitis fuerunt, nec ſatis inter ſe concordes, neque etiam verum illum fontem, ex quo haec ſentina hauſta eſt, cognouerunt. Facile etiam ex ipſo hoc ſyſtemate, prout ex narrationibus veterum, praecipue Irenaei, Tertulliani, Epiphanii, Auguſtini aliorumque illud expoſuimus, colligi poteſt, hominem fanaticum, cum philoſophiam ſanae menti intolerabilem cum Chriſtianae religionis praeceptis in concordiam redigere conſtituiſſet, ea foecundiſſimae quidem, at emotae imaginationis, (qua plerumque vtuntur atra bile pleni, vt Aegyptios fuiſſe cum Valentino plerosque conſtat), ope conciliaſſe ireque vno ſub iugo coëgiſſe, quae mire alias diſtant. Multum autem huius philoſophiae ſyſtema obſcurauit falſum illud doctorum veterum praeiudicium, haereſes omnes, etiam illas, quae philoſophiam Orientalem parentem habuerunt, ex Graecanica philoſophia ortas eſſe. Dum enim ad placita ſectarum Graecarum Valentini errores retulerunt, mire quoque eius ſenſus peruerterunt, hocque ipſo auctoritate ſua recentiores viros doctiſſimos valde ſeduxerunt, vt perperam de Valentini philoſophia ſtatuerent. Id quod ex ipſo IRENAEO [l], cui potiſſimum notitiam ſyſtematis paradoxi debemus, haud obſcure patet, qui ita de Valentinianae doctrinae erroribus ſtatuit, vt putet, Graecos philoſophos tantum non omnes ὕλην quandam ad ineptum hoc aedificium contuliſſe, exque eorum laciniis totum centonem fuiſſe congeſtum ſartumque, dediſſe Thaletis aquam Valentini Bython, Homeri Oceanum et Thetin Bython et Sigen, Anaximandri infinitum aeonas, Anaxagorae partes ſimilares Achamoth, Epicuri et Democriti vacuum vmbram, Platonis ideas imagines, Empedoclis neceſſitatem materiam, Heſiodi Pandoram Saluatorem ex aeonibus confluentem, Cynicorum licentiam hominem ſpiritualem etc. In quibus verbis, quod pace tanti viri dictum ſit, merito iudicium deſideres. Nec rem acu tangunt recentiorum quorundam coniecturae; inter quos IOANNES CLERICVS [m], cum haud exiguam inter aeonas Valentini et theogonias poëtarum Graecorum ſimilitudinem obſeruauiſſet, ex Heſiodo Valentinum occaſionem talia concipiendi ſibi atque excogitandi captaſſe ſuſpicatur. Quod aliter admitti non poteſt, niſi quatenus de allegoria a Valentino adhibita intelligendum eſt, quam veteribus theologis vſurpatam Aegyptios quoque in vſu habuiſſe ſuo loco diximus. Quod tamen id magis probat, ex communi Orientalis theologiae fonte et veteres theologos, quique hos imitati ſunt poëtas et Valentinum

l) L. II. c. 14. p. 133.

m) Biblioth. vniuerſ. T. II. p. 190.

tinum hauſiſſe, quam illos huic in re ſimili auctores extitiſſe. Neque hoc controuerſiam dirimit, quae non de modo proponendi, ſed de ſumma doctrinae eiusque origine agitatur. Paulo aliter EDVARDVS STILLINGFLEETVS [n] ſuſpicatur, Sanchuniathonis coſmogoniam materiam Valentino dediſſe, hunc in modum de originibus mundi inuiſibilis et viſibilis praecipiendi. Nec ignotum eſt, eam theogoniam et cosmogoniam inter Orientales ſatis celebrem occaſionem dediſſe illa ſyſtemata condendi, ex quibus iſta tandem philoſophia orta eſt, quae Valentino ad tale excitandum doctrinae aedificium materiam ſubminiſtrauit: vnde ad vetuſtiſſimos libros eius aſſeclae prouocare ſolebant. Aſt remota haec nimis vt a tempore, ſic a ſenſu ſyſtematis Valentiniani ſunt, et praeterea ſatis adhuc dubia eſt fragmentorum Sanchuniathonis γνησιότης, vt *Tomo primo, Libro primo* obſeruatum. Propius vero TERTVLLIANVS [o] coniecit, Platonismum, quem late eo tempore in Aegypto regnauiſſe ſuo loco demonſtrauimus, fontem deliris dogmatibus praebuiſſe, quam potiſſimum opinionem ſecuti ſunt HOOPERVS [p], F. BALTVS [q] et REN. MASSVETVS [r], qui ad ſyſtema Platonicorum Aegyptiacum prouocat, quod IAMBLICHVS [s] fuſe delineauit, quodque haud obſcura φιλοσοφουμένων Valentinianorum veſtigia prodit. Alii tamen, cum inter Iudaeos philoſophiam didiciſſe Valentinum veriſimile videatur, ex Cabbaliſtarum ſchola origines familiae huius diuinae, quam homo lepidus commentus eſt, deriuandas eſſe contendunt, quam opinionem praeter SOVVERAINIVM [t], IO. CHR. WOLFIVM [u], et IO. CROIVM [x] maxime tuiti ſunt viri eruditiſſimi IO. FRANC. BVDDEVS [y], et IACOBVS BASNAGIVS [z]: qui potiſſimum conſenſu miro inter emanationes Cabbaliſticas et Valentinianas nituntur. Quibus tamen nouitatem, vt putant, Cabbalae obiecere MASSVETVS [a] et HERM. AB ELSWICH [b]. Noſtrum hoc loco non eſt, tantas componere lites et diuerſis eruditorum ſententiis noſtrum interponere arbitrium, id enim alium locum poſtulat, et in eccleſiae Chriſtianae, vel haereſium quoque hiſtoria pluribus diſputandum eſt, atque diſcutiendum. Hoc vero vt moneatur, inſtitutum noſtrum omnino poſtulat, quod ſuboluit quidem ipſis his viris doctis, nemo tamen, quantum nobis conſtat, ante acutiſſimum MOSHEMIVM [c] detexit, obſeruauitque, nec vllam ex his coniecturis ex toto veram, nec vllam falſam penitus eſſe, ſed ſuo modo

n) Origin. SS. L. II. c. 2.
o) De praeſcript. c. 7. et 30.
p) In ſpecimine coniectur. de haereſi Valentin.
q) Defenſe de SS. Peres accuſez de Platonisme L. II. c. 18. p. 231.
r) Diſſ. I. in Irenaeum p. 17. ſeqq.
s) De myſter. Aegypt. Sect. VIII.
t) Platoniſme deuoilé L. I. c. 8. p. 68. 87.
u) Ad Origenis philoſophum. p. 18.
x) In ſpecim. coniectur. ad calc. Irenaei ed. Grabii.
y) Pecul. diſſ. de haereſi Valentin. ad calc. introd. in hiſt. philoſ. Hebraeorum.
z) Hiſt. des Iuifs L. III. c. 28. p. 718. ſeqq.
a) loc. cit.
b) Ad LAVNOIVM de fort. Ariſt. in Acad. Pariſ. p. 135.
c) Hiſt. Eccl. Sec. II. p. II. c. 5. §. 5. p. 191. cuius opinionem poſtea amplexus eſt B. BVDDEVS de eccl. Apoſtol. p. 322.

modo veritatis aliquid omnes comprehendere, ipſas vero genuinas origines Valentinianae philoſophiae ex philoſophia Orientali deriuandas eſſe. Eam enim philoſophiam ex Oriente in Aegyptum progreſſam, et Chriſtianam et Iudaicam et Platonicam diſciplinam contaminaſſe, et inter illos Gnoſticorum haereſes, inter Iudaeos Cabbaliſticam philoſophiam, inter Platonicos, Alexandrinum ſyſtema progenuiſſe, haecque tria doctrinarum aedificia in ſummis capitibus mire conſpirare, maxime vero veteres haereſes hanc Orientalem philoſophiam parentem agnoſcere, luculentis, niſi fallimur, argumentis demonſtrauimus, et Simonis quoque Magi deliriis illuſtrauimus. Nec dubitamus, fore neminem, qui Orientalis ſyſtematis διατύπωσιν, qualem ſupra exhibuimus, illumque eius, qualem cum Alexandrina et Cabbaliſtica philoſophia habere oſtendimus, παραλληλισμὸν attente conſiderauerit, et cum placitis Valentinianis comparauerit, qui non ſponte in hanc inciderit cogitationem, Valentini doctrinam non minus, quam cetera Gnoſticorum ſyſtemata ex philoſophia Orientali, at ea, quae in Aegypto Platonico-Pythagoricis placitis patriaeque theologiae attemperata eſt, originem cepiſſe, et ex generalibus his aſſertis eam totam explicandam eſſe. Quamuis enim non pauca ſint in ſyſtemate Valentiniano, quae peculiaria habet et a ceteris Gnoſticis abeuntia, ſumma tamen capita, ipſaque fundamenta accurate cum ipſis philoſophiae iſtius praeceptionibus concinunt, quaeque abeunt, partim ingenio Valentini debentur comtiori mireque foecundo, quo fabulam elegantius et accommodate magis ad ingenia Aegyptiorum theogoniis aſſuetorum ornauit inſtruxitque; partim ex ſtudio χριστολογίαν Eccleſiae cum ſomniis ſuis conciliandi orta ſunt: cetera Orientalem ſcholam parentem habent, ſed Aegyptiacis coloribus pictam: nec praefracte negauerimus, vel Platonismi vel Cabbalismi aliquid in hoc ſyſtemate latere; licet hoc quidem refugii opus non habeamus, cum omnia, quae non propria ſibi et peculiaria adſciuit Valentinus, Orientali ſyſtemati inter Aegyptios vigenti debeantur. Quod ne dicis gratia affirmaſſe videamur, paucis, (ad haec noſtra arua enim res ſpectat) luculenter hoc et teſtimoniis et rationibus probabimus. Fuiſſe ſcilicet Valentinianum ſyſtema propaginem Orientalis doctrinae, teſtem habemus luculentiſſimum THEODOTVM[d] ex cuius vel dogmatibus vel ſcriptis excerpta habemus[e], Valentinianas et Gnoſticas dictorum S. Scripturae explicationes exhibentia, quibus hic titulus praefixus eſt: ἐκ τῶν Θεοδότου καὶ τῆς ΑΝΑΤΟΛΙΚΗΣ ΚΑΛΟΥΜΕΝΗΣ ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΣ ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΟΥΑΛΕΝΤΙΝΟΥ

d) De hoc Theodoto Byzantino Coriario, videndi quos laudant ITTIGIVS de haereſiarchis aeui Apoſt. S. II. c. 15. §. 2. p. 259. ſeqq. et FABRICIVS ad PHILASTRIVM de haereſ. c. 50. p. 104.

e) Solent CLEMENTIS ALEXANDRINI operibus adiici, quem auctorem eſſe quidam putarant. Ea cum verſione Latina Fr. COMBEFISII inſeruit Bibl. Graec. Vol. V. p. 105. B. FABRICIVS. Germanice vertit G. ARNOLDVS l. ſupra cit. et feliciori genio I. G. WACHTERVS cum praefat. EL. VEIELII.

TINOΥ χρόνους ἐπιτομή. *Excerpta Theodoti*, (ita vertit F. COMBEFISIVS) *priora, atque ex ORIENTALI ITA DICTA DOCTRINA TEMPORIBVS VALENTINI, Epitomae.* Quae excerpta licet integrum Valentini ſyſtema non exhibeant, dum dicta tamen Scripturae illi applicant, primaria eius capita continent. Haec vero non Valentini tantum dogmata eſſe, ſed Orientalem quoque doctrinam referre, hocque nomine ſingulare aliquod philoſophiae vel theologiae potius aedificium ita appellatum fuiſſe, clariſſime docent. Alia, quae huc de vera Orientalis philoſophiae exiſtentia aduocari poſſent, teſtimonia, ſuo loco iam producta in praeſentia breuitatis cauſſa omittimus. Nec alia cauſſa videtur fuiſſe PHILASTRIO *f*, cur capitulis his ſcripturarum, ex quibus iſta excerpta ſunt, vti dicat Theodoti aſſeclas, *legentes et non intelligentes, impietatisque paganae et coecitatis Iudaicae conſortes ſe potius, quam Chriſtianae ſalutis participes demonſtrantes*, quam quod ex ipſa gentili philoſophia hauſtam Theodoti haereſin putauerit. Chriſtum enim nudum hominem, non vero Deum dicebat Theodotus, id quod ad coecitatem quoque Iudaicam referri poteſt, quae eius deitatem in Scriptura manifeſtatam nec intellexit, nec accepit; at quae reliqua aſſuebantur impiae χειρολογίας dogmata, filium Dei materialem eſſe, dari in diuinis ſexuum differentiam, Deum patrem in Chriſto paſſum eſſe, a Chriſto ante paſſionem animam diuinam et ſpiritualem, ab animali diſtinctam receſſiſſe, et quae his ſimilia in his excerptis leguntur, vt Valentini errores ſunt, ita a Philaſtrio ad Iudaicam coecitatem non potuere referri, ſed ad impietatem paganam pertinent. Eſſe vero totam Valentini doctrinam, quod ad ſumma et eſſentialia ſyſtematis nugacis capita attinet, ex philoſophia Orientali deſumtam, et collatio cum reliquis Gnoſticarum haereſium dogmatibus, et conſenſus cum primariis illis doctrinis, quas illa philoſophia Orientalis tradidit, quasque ſuo loco ſtrictim enumerauimus; immo mira quoque illa harmonia, quam inter Valentini et Alexandrinorum philoſophorum atque Cabbaliſtarum dogmata obſeruauerunt viri eruditi, ſatis ſuperque loquuntur. Nam quemadmodum ea, in quibus cum Platonicis, Alexandrinis conſentire Valentinum oſtendit MASSVETVS *g*, et illa, in quibus paria eum dixiſſe ſummeque affinia Cabbaliſtis probauere CROIVS, BVDDEVS et BASNAGIVS *h*, neque a Platone, neque a Moſe accepta, ſed ex Orientali philoſophia in Aegypto admixta ſunt domeſticis Platonicorum et Iudaeorum decretis, vt ſuo loco luculenter probatum: ita, dum communes non tantum Alexandrinis Platonicis et Cabbaliſtis, ſed et illis haereticis, qui philoſophiam ſuam in Aegypto didicerunt, qualis Simon, Saturninus aliique fuerunt, errores Valentinus ſequitur, liquido apparet, ex vno cum illis omnibus eum fonte ſua deliria hauſiſſe, nempe ex philoſophia Orientali, qualis illo tempore in Aegypto maxime floruit. Quamuis enim EPIPHANIVS *i* incerta, vt fate-

f) de Haereſ. l. c. *g*) l. c. *h*) ll. cc. *i*) Haereſ. XXXI. §. 2. T. I. Opp. p. 164.

vt fatetur, traditione nixus referat, *esse, qui Valentinum Pherebonitem faciant, ex Aegypti quadam ora, vnde Alexandriam profectus sit, ibique Graecorum artibus institutus*: nihil tamen has Graecorum artes ab Epiphanio memoratas moramur; cum solenne doctoribus ecclesiasticis fuerit, omnem haereticorum eruditionem Graecae philosophiae, quam solam intelligebant, tribuere, praecipue cum viderent, Orientis disciplinam in scholis quoque Graecis Platonicorum doceri. Vnde prouide magis TERTVLLIANVS [k] nullius philosophiae generis facta mentione, *ipsae*, scribit, *denique haereses a philosophia* (in genere) *subornantur. Inde aeones et formae, nescio quae, et trinitas hominis apud Valentinianos.* Quaecunque autem patrum fuit opinio, qui inepti ob praeiudicium modo dictum in hac re arbitri atque iudices sunt: illud ex ipsa systematis Valentini συναφείᾳ patet, Orientalem philosophiam hunc pullum genera uisse. Apertissima ratione id prodit, quod systema emanationis totum aedificium Valentinianum supponat. Cuncta enim eo redeunt, vt ostendatur, et inuisibilem mundum et visibilem emanationis lege profluxisse ex inaccesso illo lumine, quod ab aeterno in pleromate diuino latuit, et tandem, se vt manifestaret, radios suos emittens, per principium aliquod emanatiuum primum omnium emanationum perfectissimam et purissimam, aeonas condidit generauitque, ea lege, vt quo propiora essent emanata fonti suo, eo perfectior esset indoles, eo purior lux, eo maior diuinitas, quo magis vero ab ineffabili et profunda lucis diuinae abysso distarent, promanarentque, eo impuriora magisque materialia fierent. Luculenter satis THEODOTVS [l]: Οἱ πρωτόκτιστοι ἓν τόντε υἱὸν ὁρῶσι, καὶ ἑαυτοὺς καὶ τὰ ὑποβεβηκότα, ὥσπερ καὶ οἱ ἀρχάγγελοι τοὺς πρωτοκτίστους. Ὁ δὲ υἱὸς ἀρχὴ τῆς πατρικῆς ὑπάρχει θέας, πρόσωπον τοῦ πατρὸς λεγόμενος καὶ οἱ μὲν ἄγγελοι νοερὸν πῦρ καὶ νοερὰ πνεύματα τὴν οὐσίαν ἀποκεκαθαρμένοι. Φῶς δὲ νοερὸν ἡ μεγίστη προκοπὴ ἀπὸ τοῦ νοεροῦ πυρὸς ἀποκεκαθαρμένου τέλεον. *Prima igitur origine conditi tum filium vident, tum se ipsos, tumque etiam inferiora, vti et archangeli prima vident origine conditos. Filius autem principium est ac origo videndi patrem, qui patris facies appelletur. Atque angeli quidem ignis sunt, intelligendi facultate praediti* (intellectuales) *ac spiritus intelligentes secundum essentiam depurgati. Vt vero lux intelligens ab igne intelligente existant, profectus maximus est eius, qui perfecte depurgatus sit.* Similia et Alexandrini philosophi de λόγῳ suo, et Cabbalistae de Adam Kadmon ex Or Haënsoph prodeunte, et Simon Magus de δυνάμει τοῦ Θεοῦ virtute Dei summa praedicarunt. Omnes enim ex vno fonte, nempe philosophia Orientali id hauserunt, quae cur ita praeceperit, causas satis verisimiles suo loco indicauimus. Hac clauе adhibita, facile est, intima Valentiniani systematis adyta reserare, modo teneamus, probeque recordemur, Valentinum hominem doctum et ingenio

k) Praescript. adu. Haeret. c. 7. l) §. 12. p. 143.

pollentem, cum epiſcopatu dignior ob eruditionem, quam ceteri, videri vellet, ſyſtema hoc Orientale ad χριστολογίαν Scripturae accommodaſſe, cumque λόγου diuini varia in ea attributa enarrari cerneret, occaſionem inde captaſſe, attributa illa in aeonas, naturasque eiusmodi emanatiuas, quales ſyſtema hoc poſtulat, conuertendi, ſicque aptius, quod rebatur, et concinnius, quam reliqui Gnoſtici fecerant, aliquod doctrinae aedificium comminiſcendi. His ſuppoſitis, cauſſa patet, cur ignotum et latentem atque incomprehenſibilem Deum fontem radicemque omnium diuinorum principiorum ſtatuat, eumque ſilentio magis, quam cognitione attingendum putet. Id enim primum huius philoſophiae principium fuiſſe, ſupra luculenter demonſtrauimus, et vel vnus IAMBLICHVS [m] teſtis eſt locupletiſſimus, qui nomina quoque Valentiniana προαρχή, προπάτωρ, et ſimilia in Aegypto non ignorata fuiſſe prodit. Ex hoc Deo, neceſſe erat, principium aliquod primo-primum deriuari, quod inſeparabili coniugio cum illo Deo congreſſum, id eſt, vt philoſophica voce allegorias Orientales explicemus, eius emanationem recipiens [n], fons nouus fieret reliquorum principiorum diuinorum emanantium. Hunc fontem ἔννοιαν vocauit, ſapientiam internam latentemque, quae poſtea in aliis principiis intellectualibus minoris gradus et perfectionis ſe patefecit, dilatandoque et explicando ſe manifeſtauit. Cum his ſiue Sephiras ex Adam-Kadmon progreſſas, ſiue principia illa atque numina Aegyptiorum ex mente orta et Iamblicho memorata, ſiue aeonas Simonis et reliquorum Gnoſticorum ex Deo ſummo profectas compares, idem erit, idemque ſignificabunt omnia, in vna officina fabrefacta: illud modo teneas, quod Valentinum quoque ſtatuiſſe ſupra th. XII. diximus, aeonas in pleromate diuino diuerſi eſſe gradus, perfectionisque, id enim ſyſtema emanatiuum poſtulat. Quod cum infimas emanationes, quas ad numerum triginta extendit, multiplicauitque Valentinus, multo minoris perfectionis et limitatae eſſentiae ponendas eſſe poſtulet, ratio inde patet, cur imprimis vltimam emanationem in pleromate, Sophiam, deſiderio redeundi in ineffabilem illum lucis diuinae oceanum flagraſſe, repreſſam vero fuiſſe ab Horo, id eſt, limitante illa et definiente emanationum lege et ordine, Valentinus dixerit. Ita vero myſterium nobis pandit maximum in philoſophia Orientali, cuius gratia eam tantum non omnem excogitatam fuiſſe ſuo loco oſtendimus; nempe quomodo origo materiae inertis, tenebricoſae, et quod ei ineſſe credebatur, mali phyſici atque moralis, cum ſyſtemate emanatiuo conciliandа ſit, ſalua illa ſummae lucis puritate. Non nos latet, fuiſſe, qui Valentino duplicis principii coëxiſtentis ineptias tribuerint. Ita viſum HIERONYMO [o], et ORIGENI [p]. Fatemurque, praeſidium huius opinionis quaeri poſſe in-

m) De myſt. Aegypt. loc. cit.

n) Hoc ſexum foemininum in theogoniis indicare aliquoties monuimus.

o) Prooem. ad Philipp. T. VI. p. 211. et ad Epheſ. III. p. 173.

p) Περὶ ἀρχῶν L. IV. c. 3.

in ipſis Valentini verbis, quae ſeruauit nobis ORIGENES in *dialogo contra Marcionitas* a IO. ERN. GRABIO [q] edito, vbi, poſtquam diligenter remouerat de Deo omnem mali culpam, addit: *Quocirca viſum eſt mihi, coëxiſtere ipſi illud, cui nomen eſt materia, ex qua, ea quae ſunt, procreauit, affabreque illa prudenterque diſcernens et eleganter ornans, ex qua et mala eſſe videntur. Cum enim nec facta, nec formata illa eſſet, inſuper etiam inordinate ad illa mala ferretur, Deique artificium deſideraret, iſte non inuidit, neque illam ſemper ſibi relictam ita ferri voluit, ſed manum creationi admouit, et a peſſimis diſtinguere voluit optima, ac proinde ſic ea condidit etc.* Quae verba quae ex Platone, vel Philone potius, deſumſiſſe Valentinus videtur, perſuaſerunt viris doctis, vt coëxiſtere ſummo Deo materia ex Valentini mente illis videretur. Sed falluntur viri eruditiſſimi, vt aperte ſyſtema Valentini demonſtrat. Creator enim materialium omnium Deus, non propator et proarche eſt, ſed demiurgus, infinita diſtantia inferior illo puriſſimo ſubſtantiarum omnium fonte. Et hoc demiurgo omnino materia ſecundum leges emanationis ſuperior eſt, nec is aliter niſi e materia formare mundum materialem potuit. Qua vero ratione materiae originem ſaluo emanationis ſyſtemate ſibi conceperit Valentinus, ex ⊙. XIII et XIV. intelligi poteſt, modo abiiciantur difficiles allegoriae, et, quae ſupra in conſideratione philoſophiae Orientalis ea de re dicta ſunt, et in Cabbaliſticis quoque declarata et notata, hic quoque in memoriam reuocentur. Nempe ita paucis ſe res habet: In rebus materialibus duo ſibi concipiebat philoſophia Orientalis et Valentiniana: rerum omnium ſubſtantias et materialitatem. Subſtantias omnes qua tales, et realitates (ſit venia verbo) ex primo omnis ſubſtantiae fonte fluere et emanare, primum poſtulabat et euincebat principium: vnde cum ex nihilo nihil fiat, nec duo coëxiſtentia principia ſyſtema emanatiuum patiatur, neceſſario ponendum eſt, quicquid ſubſtantiale eſt, ſua lege, ordine et perfectione ex Deo fluxiſſe. Materialitatem autem ſub priuationis et non-entis notione ſibi concipiebant, vt clariſſime docet philoſophia Cabbaliſtica. Cuius vt originem docerent hi philoſophi, nihil aliud neceſſarium erat ſtatuere, quam vi legis emanatiuae, emanationem aliquam longius a primo fonte progreſſam ita limitatam fuiſſe, vt tandem lucis parte potiori amiſſa tenebrarum habitum induerit. Ita enim manere quidem in materialibus ſpiritualis originis et perfectionis aliquid, nempe ſubſtantialem eſſentiam, ſed oriri tamen ex non-ente priuationem, tenebras, impotentiam, inertiam, ipſamque mali capacitatem neceſſe eſt. Quo longius hae emanationes a primo fonte egreſſae ſe ſeparant, eo deteriores eas accedentis materiae culpa fieri oportet. Haec et Alexandrinos tradidiſſe et Cabbaliſtas, et Simonem Magum, ſupra veriſimilibus rationibus oſtendimus. Haec vero ad Valentini ſyſte-

q) Spicileg. PP. T. II. p. 55. ſeqq.

ma applicata, lucem ei miram conciliant. Nempe Sophia repreſſa ab Horo, id eſt a natura determinata et finitate ſua limitata, cum extra diuinum pleroma nimia cupidine proceſſiſſet, ſeparata quoad emanationis ſuae praeſtantiam et propinquitatem a ſpatio illo, quod diuina lux repleuerat (vnde pleroma dicitur) tenebras, inertiam, materialitatem concepit, et, quoad ſubſtantiam quidem ſuam effluxumque ex ſinu Deitatis, diuinae lucis manſit particula, aſt limitato et coarctato iſto lumine cum ſe pro fonte aliquo aliarum emanationum venditaret, materiam peperit, quae cum et inertia ſua, et motuum irregulari indole innumeras animorum corporumque ἀνομαλίας in ſe contineret, abortiuus hic ſophiae foetus cauſſa male extitit. Cui malo medendo cum non aliud remedium ex philoſophiae Orientalis principiis eſſet, quam vt materiales ſubſtantiae, ab inhaerentis priuationis tenebrarumque imperfectione liberarentur, idque, quod ex emanationum ordine ſpirituale et aeternum eſt, ad primum fontem reuocaretur (quo fabula quoque illa Zoroaſtrea de bello Arihmanii et Oromaſdis, huiusque de illo victoria pertinet, ex qua hoc ſyſtema enatum eſt, vt ſuo loco dictum), hinc, quod pugnae lucis contra tenebras Orientales philoſophi tribuerunt, Valentinus ad Ieſum Chriſtum retulit, vt propius Chriſtianae doctrinae ſe attemperaret; et ex influxu emanationum ſiue pleromatis Ieſum diuinis attributis inſtructum dixit, qua in re Paulum habebat praeeuntem. Inde materiae quoque ſemina ex ſpirituali natura reſuſcitata ab eo fuiſſe ſtatuit, et materiae ſiue Achamoth ita animatae deſiderium ad perfectionem ſpiritualem emergendi adfuiſſe conſtituit, et ortum rerum materialium diuina et emanatiua anima ſpirituali donatarum ex hoc fonte deriuauit, et angelos comites atque miniſtros adeſſe dixit, et triplex naturarum genus, ſpirituale, animale et corporale, pro gradu diuerſo ſubtiliſſimae illius ex materia impraegnata emanationis aſſeruit: et impreſſam eſſe in materialibus per demiurgum pleromatis diuini imaginem contendit, locumque demiurgo inter primae materiae et conditi mundi interſtitia poſuit etc. Nec finis philoſophiae Valentinianae ab hoc ſcopo abludit. Ille enim eſt, vt id, quod in animis rebusque omnibus ſpirituale eſt, ad fontem ſuum redeat, Achamoth ſiue materia, quatenus ſubſtantiam continet, et emanatio Dei vltima eſt, in pleroma, lucisque diuinae oceanum recipiatur, vna cum animalibus ψυχαῖς, id vero quod tenebricoſum, iners, priuatiuum ei inſuit, et proprio nomine materia dicitur, a vehementiſſima agitatione tanquam igne raptum et commotum conſumatur, ſicque materia iſta, qua talis, ab igne iſto philoſophico tollatur. Ita quidem nos difficillimi aenigmatis, ſi abſurdae allegoriae et quaeſita cum Scriptura S. concordia tollatur, verum ſenſum ex philoſophia Orientali planiſſime exponi poſſe, habereque haec veriſimilitudinem ſatis magnam ſumus perſuaſiſſimi. Quod vero tanto genealogiarum et theogoniarum ſyrmate fabula haec comta et ornata eſt, in cauſſa eſt methodus Aegyptiaca, quae

huic

huic docendi modo ita addicta fuit, vt haec sacra aliter prorsus non consti-terint. Ex his autem strictim, quantum nempe nostrum institutum patiebatur, allatis patet I. Valentini systema recte Orientalem doctrinam siue philosophiam a Theodoto vocari, II. eius proram puppimque esse systema emanationis, quod non inepte ita IRENAEVS *) expressit: *Omnia ex Valentinianorum mente ad vnitatem recurrere, et omnes aeonas vnum esse, etsi in vnitate distantes sunt, et generant sine alterius complexu:* III. Frustra itaque esse, qui sensum vel orthodoxum, vel saltem tolerabilem magisque sanum doctrinae Valentinianae tribuunt, et de attributis diuinis in λόγῳ Dei habitantibus intelligendum esse, clamitant. IV. Perperam etiam et Valentinum et Orientalis philosophiae omnis patronos accusari, quod materiam tanquam mali principium aliquod NB. positiuum et coëxistens summo Numini adiunxerint. V. Facile autem conciliari posse, qui Valentini haeresin filiam esse vel Platonicae vel Cabbalisticae philosophiae dicunt, cum vtraque ex eodem fonte hausta, in fundamentalibus articulis a Valentinianis deliriis non abierit. Rectius tamen VI. facere, qui vtramque philosophiam sororem magis Valentinianae dicunt, quam parentem, quo nomine Orientalis tantum philosophia hoc loco mactanda est. VII. Mirum porro non fuisse, quod haec somnia tantum applausum meruerint, cum ista pseudo-philosophia iam Pauli tempore tot hominibus imposuerit, vt ab ea cauendum sibi esse, monere necessarium duxerit. VIII. Cum autem in affini haeresi haereret Alexandrina et Cabbalistica philosophia, immo vtriusque non ignarum fuisse, et quaedam etiam ab vtraque mutuum accepisse Valentinum verisimile sit, factum inde esse, vt his philosophiae generibus solis patres Ecclesiae Valentinianam mataeologiam tribuerent, indeque IX. magnam odii, quod aduersus philosophiam conceperunt, partem habuisse originem. Quae omnia strictim expositа amplam attendenti exhibebunt occasionem haeresiologiam Sec. I, II et III, accuratiori perlustrandi oculo. Et ex his supplenda et emendanda sunt, quae alibi *) de hac re diximus. Iam in ordinem viamque a longa digressione ad patrum de philosophia iudicium redimus.

§. XII. VIII. Hactenus philosophiae, maxime Graecae, quae potissimum in orbe Romano hoc nomine superbiebat, hostes patres doctoresue Ecclesiae veteris offendimus, et lueulentis testimoniis, quomodo in eam animati fuerint, planum fecimus. Iam vt moneamus, series sermonis postulat, fuisse tamen multos inter eos philosophiae Graecae peritos, nec ab ea in vsus vertenda reipublicae Christianae commodos abstinuisse. Nempe in iuuentute eruditioni, quae tum temporis maxime vigebat, Graecae addicti, cum philosophiam Graecam didicissent, non plane omnem eius notitiam eiurandam abiiciendamque esse censuerunt, sed, vt ferebantur pio pro re Christiana zelo, ita eam ad roborandam

VIII. Philosophia tamen postliminio a PP. recepta, quos in vsus adhibita sit?

*) Lib. 2. c. 12. p. 128.

*) in opere Germanico hist. philos. T. IV. p. 1059. seqq.

dam tuendamque contra veritatis diuinae hoſtes fidem Chriſtianam adhibendam eſſe ſtatuerunt. Cui cum variae circumſtantiae locum facerent, diuerſis quoque id factum eſt modis. Nempe non tantum erat philoſophiae gentilis odium, vt et prius cognita eiicerent ex animo, et noua ſorderent, ſed deſtinauerunt eius cognitioni nonnihil temporis, et recentiorum quoque philoſophorum lectioni inſudarunt, et opiniones barbarorum et Graecorum accuratiori ſtudio excuſſerunt, vt eo abundantius haberent, vnde pharetras ſuas contra religionis purioris aduerſarios inſtruerent. Ita vero prolixa lectione de omnis aetatis gentisque placitis eruditi et philoſophicae hiſtoriae gnari aciem ornauerunt, ſcripturae S. veritates et doctrinae Chriſtianae praecepta oppoſuerunt opinionibus philoſophorum, inſtitutaque comparatione vel abſurda eſſe et falſiſſima philoſophorum decreta, vel vbi vera ſint, concinere effatis oraculorum ſacrorum, eaque mire confirmare, demonſtrabant, ſicque philoſophiae gentilis vſum aliquem ad veritatis Chriſtianae demonſtrationem admittebant. Qui licet mos ſeculi a C. N. primi non fuerit, vt ſupra obſeruatum, ſecundo tamen poſt redditam orbi ſalutem id factum eſſe, hancque de vtilitate philoſophiae ad roborandam defendendaque religionis Chriſtianae dogmata opinionem obtinuiſſe, doctorum huius aetatis ſcripta teſtantur, Inter quos CLEMENS ALEXANDRINVS memorabili loco [t], poſtquam prolixe ſatis eos refutaſſet, qui *ex his, quae ad perniciem in mundum veniſſent, nihil commemorandum eſſe* contendunt, haec addit: *Primum quidem, etiamſi inutilis ſit philoſophia, ſi inutilem eam confirmare eſt vtile, iam vtilis eſt. Deinde nec fieri poteſt, vt ii Graecos condemnent, qui nuda de eorum decretis dictione vtuntur, ſi non vna ſigillatim ad ea aperienda deſcendant resque ad cognitionem. Eſt enim vel maxime fide digna probatio, quae eſt cum experientia, quoniam vel perfectiſſima inuenitur demonſtratio eorum, quae ſunt damnata, cognitio. Multa itaque licet ad finem non conferant, artifici tamen ornamentum afferunt. Et alioquin varia ac multiplex doctrina et varie probat id, quod adducitur, et catechumenis admirationem afferens, ea quae ſunt praecipua dogmata ad eorum, qui audiunt, perſuaſionem, et ad veritatem conſtituit. Eſt autem fide digna eiusmodi oblectatio, per quam ab aliis vituperatam ſtudioſi admittunt veritatem, ad hoc vt neque ipſa philoſophia vitae perniciem afferat, cum ſit rerum falſarum atque malorum operum artifex, quam nonnulli falſo affirmant eſſe euidentem veritatis imaginem, donum Graecis datum diuinitus; neque nos a fide auellamur, a fraudulentae artis veluti quibusdam decepti praeſtigiis. Sed vt dicam, maiori adhibito munimento, exercitationem aliquam fidei demonſtratiuam vtcunque dogmatum, dum inter ſe conferuntur, veritatem oppoſitio conciliat, vnde conſequitur cognitio: non quod primum obtineat philoſophia locum, ſed quod per*

t) Stromat. L. I. p. 278.

per eum fructum, qui capitur ex cognitione verae comprehenſionis firmam ac ſtabilem ſuſcipiamus perſuaſionem, propter eorum, quae intelliguntur ſcientiam etc. Simili fere modo praeter alios HIERONYMVS [w], qui ad exemplum Origenis, Methodii, Euſebii, Apollinarii et Quadrati prouocat, eorumque reſponſiones conferre cum obiectionibus philoſophorum Celſi, Porphyrii, aliorumque iubet, Clementem quoque Alexandrinum, Hippolytum, Iulium Africanum, Dionyſium Alexandrinum, aliosque laudat, hosque omnes ait, *in tantum philoſophorum doctrinis ſuos infarcire libros, vt neſcias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſeculi an ſcientiam ſcripturarum.* Maxime vero in hoc argumento verſabatur ſanctorum virorum diligentia, vt oſtenderent, neque legislatorum ſeueritatem, neque philoſophorum ſapientiam et praecepta efficere potuiſſe, vt ingenia vere miteſcerent, et ad humanitatem atque honeſtatem redirent: adeoque ſublimiori ſapientiae manifeſtatione opus fuiſſe, quae ex coelo profecta non doceret modo homines, ſed vi quoque diuina conuerteret, de quo argumento pulchra ſunt, quae habet S. CHRYSOSTOMVS [x] verba, quae, ne nimii ſimus, non exſcribimus. Neque vero opponendi tantum philoſophiae gentili puriora Chriſtianae religionis dogmata cauſſa, eius vſum aliquem agnoſcendum eſſe ſtatuebant, ſed et ad illuſtrandam eam confirmandamque multum facere poſſe contendebant. Cum enim veritates multas ſparſim per philoſophorum ſectas detexiſſent, iis in vnum collectis, purioris alicuius philoſophiae gentilis ſyſtema quoddam formabant, idque obtrectatoribus religionis Chriſtianae obiiciebant, oſtendentes, cauſſam eos habere nullam, cur tantopere placitis Chriſtianae religionis oblatrarent, ea enim, quae ſana humanamque rationem decentia in ipſorum philoſophia inuenirentur, elegantius multo ſolidiusque inter Chriſtianos doceri. Quo modo et calumniatores philoſophos in ruborem dabant, et animos rectos et rationis patientes ad audienda veritatis Chriſtianae, quae parabant, praeſidia, inſtruebant. Multa in hac applicatione philoſophiae Graecae et barbaricae patrum induſtria fuit, qui ſeculo ſecundo, tertio quartoque floruerunt. Inter quos luculento ſimili rem illuſtrat CLEMENS ALEXANDRINVS [y] ſcribens: *Καθάπερ γὰρ οἱ γεωργοὶ παραρδεύσαντες τὴν γῆν, εἶθ' οὕτω σπέρμα καταβάλλουσιν· οὕτω δὴ καὶ ἡμᾶς τῷ ποτίμῳ τῶν παρ' ἕλλησι λόγων, προαρδεύσαντα τὸ γεῶδες αὐτῶν, ὡς παραδέξασθαι τὸ καταβαλλόμενον σπέρμα πνευματικὸν, καὶ τοῦτο εὐμαρῶς ἐκτρέψαι δύνασθαι. Quemadmodum terram prius rigant agricolae, deinde ſic ſemen iniiciunt: ita etiam nos eo, quod bibi poteſt ex Graecorum ſcriptis, id quod in eis eſt terreſtre, prius irrigamus, vt ſuſcipiant ſpirituale ſemen, quod deiicitur, et id facile poſſit alere.* Paria paſſim inculcat, prolixeque hanc animorum

w) Epiſt. 84. ad Magn. x) Homil. V. in epiſt. ad Titum. y) l. c. p. 278.

morum praeparationem per philoſophiam Graecam commendat, eamque cum diſciplinis comparat [z] encyclicis, vel inferioribus, quae ſuperioribus inſeruiunt. Eadem ratione praecipiunt BASILIVS, qui pecu'iari *homilia adoleſcentes de vtilitate ex libris gentilium percipienda* eruditiuit, ſimili deſumto a tinctoribus, qui, vt colores eo felicius inducant pannis, eos prius alio colore tingunt [a]. Eius exemplum ſecutus eſt diſcipulus GREGORIVS THAVMATVRGVS, qui in *panegyrico in Origenem* plurima dixit hanc προπαιδείαν egregie illuſtrantia, lucemque ſtudio inter Chriſtianos literario et philoſophico, quale iſto quidem ſeculo viguit, ampliſſimam accendit. Neque tamen haec ita accipienda ſunt, quod philoſophiam ad ſalutis notitiam animique emendationem neceſſariam hi doctores eccleſiaſtici poſtulauerint: immenſum enim inter has ſecularis ſcientiae ſcintillas et aeterna veritatis coeleſtis lumina diſcrimen ponebant, et his reliqua profana omnia ſubiiciebant, cuius illuſtre exemplum eſt GREGORIVS NAZIANZENVS, pie et eleganter canens [b]:

Μοῦνον ἐμοὶ Φίλον ἔσκε λόγων κλέος οὖς συναγειραν
Ἀντολίητε, δύσις δὲ, καὶ Ἑλλάδος εὔχος Ἀθῆναι.
Τοῖς ἐπὶ πολλ' ἐμόγησα πολὺν χρόνον· ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς
Ἐξαντας μεγάλοιο Θεοῦ λέγω.

Quae ita vertit BILLIVS:

Sola meum ardenti pectus ſtimulauit amore
Doctrina, Argolicae quam gloria gentis Athenae
Quaeſiuere mihi, ſolisque occaſus et ortus:
In qua multum operae poſui, durosque labores
Tempore non paruo ſubii, ſed et hanc quoque Chriſti
Ante pedes humilem pronamque iacere coëgi
Diuino verbo cedentem.

Alia paſſim occurrentia, quae ex parte quoque collegit FRANC. BALTVS [c], tacemus. Talem cum philoſophiae Graecae vſum patres noſſent, et experientia didiciſſent, haud infeliciter ita pro veritate religionis Chriſtianae pugnari poſſe, diſcipulos, quos habuerunt, ſuos eadem ratione inſtituerunt. Sicque in ſchola catechetica Alexandrina Clemens Alexandrinus Origenem et Pantaenum, Origenes Gregorium vtrumque, hique porro diſcipulos ſuos erudiuerunt. Ex quibus GREGORIVS THAVMATVRGVS [d], ſummis quantum poteſt, laudibus Origenem extollit, *quod innumeris ſe et condiſcipulos vocibus ad philoſophandum inſtigauerit, non vno duntaxat die, ſed pluribus, praeſertim diebus illis primis, quibus illum acceſſerint, ictti ceu iaculo aliquo ſer-*

z) Strom. L. I. p. 282. 283.
a) Conf. ORIGENES philocal. c. 13.
b) Carm. I. p. 33.
c) l. c. L. III. c. 1. p. 386. ſeqq
d) loc. cit.

ſermone illius, et quidem a primo ſtatim colloquio. Id quod tantam in animis ipſorum vim habuiſſe dicit, vt cum primo torquerentur, haererentque, num in philoſophiae ſtudio fortiter perſiſterent, deſiſtere tamen non potuerint, ſed verbis eius tanquam maiori neceſſitatis ſtimulo ad ipſum attraherentur, donec verbis ſuis, velut praeſtigiis captos artibus ſuis tandem huc adduceret, vt doctrinae eius non ſecus, ac ſtatuae immobiles affigerentur. His alia iungenda cauſſa eſt, quae poſtliminio in ſcholas doctorum Chriſtianorum reduxit philoſophiae omnisque literaturae Graecae ſtudium. Nempe quae naſcentis religionis Chriſtianae tempore, quo ſimplicitati ſtudebant viri ſancti, qui eccleſiam plantabant, exulauerat eloquentia, eo quod ad homines illiteratos plerumque differendum eſſet, ea redibat in Eccleſiam, cum docti viri illi reipublicae ſacrae nomen darent, et qui elegantiori cultu ornati erant, illi adhaererent. Maxime vero eloquentiam ſeculo ſecundo et ſequentibus excolebant ſophiſtae, qui cum philoſophiam quoque amplexi eſſent, diſſertationibus philoſophicis eloquentiae ſpecimina dantes, nomen ſibi oratorum et philoſophorum ſimul acquirebant, cuius exemplum eſſe poſſunt Maximus Tyrius, Themiſtius, Porphyrius aliique, ex Eclecticorum grege. Eloquentiam itaque in Eccleſiam quoque introductam ſtudioſe venantes, qui doctorum munere fungebantur, vt nimirum non plebis tantum auribus, ſed doctis quoque ſummisque viris placerent, et ad diſertiſſimorum virorum exemplum ſermonis nitorem et dulcedinem componere tentantes, auide legerunt philoſophorum et oratorum libros, et vno ſimul labore elegantiores quoque diſcebant literas. Qua ratione etiam emolumenti aliquid afferre ſe poſſe ciuitati Chriſtianae ſperabant, eo quod aures magis vaciuas commodaturi eſſent gentiles, ſi eleganter differere audirent Euangelii praecones, quam ſi nudam ſimplicemque veritatem faſtidientibus offerrent auribus. Receſſiſſe doctores Eccleſiae hac in re ab exemplo Apoſtolorum, non in eloquentiae humanae perſuaſionibus Euangelium praedicantium, ſed vim ſpiritus in ſimplicitate demonſtrantium omnino certum eſt, nec inficiandum, collapſae hoc nonnihil puritatis primitiuae Eccleſiae documentum eſſe, vnde ſeculo demum ſecundo atque tertio hoc eloquentiae ſtudium inter Chriſtianos inualuit. Ignoſcendum tamen hoc eſt viris cetera piis atque candidis, tum quod patriae diſciplinae aſſueti a iuuentute eloquentiae ſtuduiſſent, tum quod neceſſitatem Eccleſiae id poſcere crediderint, vt nempe delicatae gentilium aures eo facilius ad audienda veritatum diuinarum praeconia illicerentur. Prolixe hanc rationem inſeruiendi Eccleſiae tuetur Clemens Alexandrinus, cauſſatus omnia ita doctorem publicum fieri omnibus, et non Iudaeis tantum Iudaeum ſecundum legem, ſed et Graecis per Graecam literaturam, vt omnes lucretur, cuius exemplum ſecutus eſt Origenes, huncque diſcipuli eius reliqui, qui hoc ſtudio Eccleſiam repleuerunt. Veriſimile itaque videtur ab ipſo Cle-

mente Alexandrino vel ei aetate ſuppari hunc morem in Eccleſiam fuiſſe introductum, cum ineunte ſeculo ſecundo nondum hoc eloquentiae profanae ſtudium floruerit. Id quod de ſe ipſo fatetur IRENAEVS [e], excuſans ſeſe, quod rhetorum artes non calleret, nec eorum ornatu libros ſuos pingeret, et de S. Iuſtino obſeruat PHOTIVS [f], *eſſe eum ad philoſophiae tum Chriſtianae, tum profanae ſumnum faſtigium euectum, multiplicisque eruditionis et hiſtoriarum copia circumfluentem, ſed rhetorico artificio natiuam philoſophiae ſuae pulchritudinem pingere non ſtuduiſſe.* Aliter enim Alexandrini ſolebant, qui curioſe admodum et eloquentiae et literaturae et philoſophiae Graecae laudem affectabant, teſtibus AMMIANO MARCELLINO [g] et Anonymo geographo vetere, a DIONYSIO GOTHOFREDO edito [h]. Certe alios hanc in rem ante Clementis Alexandrini aetatem non habuit, quos produceret BALTVS [i], cum philoſophiam Graecam ob eloquentiae ſtudium a patribus cultam fuiſſe ſibi demonſtrandum ſumſiſſet. Praeſtantiſſimum tamen, quem credebant viri pii atque docti, vſum philoſophiae gentilis in ſacris Chriſtianis in eo ponebant, quod mores formari atque emendari ita poſſe crederent, ſi, quae ſanius atque melius dicta a gentilibus philoſophis eſſent, diligenter ex omnibus ſectarum praeceptis eligerent, et decretis Chriſtianae ſcholae ſtudioſe adaptarent, et ad normam Sacrae Scripturae emendando exigendoque ethicam quandam Chriſtianam multis numeris, quam gentes ſolebant, perfectiorem exhiberent. Id propoſitum habuit facundiſſimus Mediolanenſium praeſul AMBROSIVS, qui cum de officiis ſcribendum ſibi argumentum ſumſiſſet, (quam philoſophiae moralis partem Stoicos potiſſimum coluiſſe conſtat) philoſophorum tractationem ad Chriſtiana praecepta transferre conatus eſt. Vnde mox in limine monet [k], *officii nomen non philoſophorum tantummodo ſcholae aptum eſſe, ſed etiam in ſcripturis reperiri diuinis, eo tantum diſcrimine, vt cum philoſophi honeſti atque vtilis actionis rationem metiendam eſſe a vita ciuili dicant, Chriſtiani, quid deceat et honeſtum ſit, futurorum magis, quam praeſentium metiantur formula, nihilque vtile eſſe definiant, niſi quod ad vitae aeternae profit gratiam.* Vnde haud indiligentem Stoicorum, et, qui eorum plerumque veſtigiis inſiſtit, Ciceronis imitatorem in hoc libello agnoſcas, qui eorum more fontes honeſti ſiue virtutis quatuor ponit, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem et temperantiam. Eadem prorſus ratione moralem Stoicorum diſciplinam in Eccleſiam traduxit auctor *enchiridii Epicteti*, quod ad Chriſtianorum praecepta inflexiſſe dicitur NILVS monachus vel aſceta Aegyptiacus. Quem ab hac accommodationis culpa et introducti in Eccleſiam Stoicismi labe purgare quidem conatur LEO ALLATIVS [l], cauſſatus:

„Neque

e) loc. cit. L. I. p. 3.
f) Cod CXXV. p. 162. ed. Hoeſch.
g) L. XXIX. c. vlt.
h) p. 29.
i) l. c. L. III. c. 2. p. 400. ſeqq.
k) L. I. c. 8. T. I. p. 5. ed. Baſ.
l) De Nilis p. 41. ed. Fabric.

„Neque ſuccum, neque colorem dictionis Nilanae in hoc enchiridio im„mutato, neque ſpeciem eius deprehendi: Nec videri veriſimile, Nilum „alias eloquentiſſimum, et Chriſtianae philoſophiae promum condum, „a Stoica philoſophia praeſidia vitae Chriſtianae emendicauiſſe. Neque „id agere ſuſtinere potuiſſe virum Chriſtianae religionis exemplar ipſiſſi„mum, eo quod in alieno choro pedem poſuiſſet, ſi ex gentilium mori„bus et Stoica familia aſcetis modum imponere conſtituiſſet, et ab iis „praecepta viuendi petiiſſet, quorum nomina tam ſtudioſe deleuerit. „Etiam in Cod. Mſc. Nili opuſcula continente huic ſoli praeter reliqua „omnia non Nili ſed Epicteti nomen praeponi etc.„ Parum tamen ponderis habere hanc apologiam facile ſuboluerit illi, qui naſum habet. Fruſtra enim ad vnius codicis auctoritatem prouocat Allatius, cum codices Nili ſcripta continentes Nilo hoc enchiridium tribuant; neque Nili dictio ſucculenta potiſſimum requiri poteſt, qui ab Epicteto ſcriptum in paucis quibusdam tantummodo mutauit emendauitque, eoque fine id ad normam doctrinae Chriſtianae refinxiſſe videtur, vt libellus ab aliquot iam ſeculis lectus, ſublatis, quos rebatur, Stoicis erroribus, tuto et ſine offenſa ab aſcetis euolui poſſet: ad quem obtinendum neque inſigni mutatione Nili genium referente opus erat, neque praefixum requirebatur Nili nomen, qui ipſe auctor libelli, licet a ſe immutati, non fuiſſet. Neque vero mirabitur hanc aſcetae Chriſtiani curam, Stoicam philoſophiam in Chriſtianam rempublicam traducendi, qui, quae hactenus diſſeruimus, attente conſiderauerit, notaueritque magnum, quod huius aetatis homines Chriſtiani fouerunt ſtudium, ea quae pulchre a philoſophis gentilibus dicta videbantur, ſibi vindicandi. Quod eo magis accendi oportebat, cum tanta huius libelli eſſet exiſtimatio, vt, cum ipſum Epictetum auctorem non agnoſcat, ab homine Chriſtiano conſcriptus quibusdam videretur, qua in opinione ipſum Nilum fuiſſe, valde veriſimile eſt. Qui tamen ea in re nihil fecit a moribus Chriſtianorum abhorrens. Ipſe enim ORIGENES [m] refert, *Platonem ſolis doctorum tantum teri manibus, Epictetum vulgo quoque lectorum admirabilem eſſe, vtilitatis nomine, quod ſe praeceptis illius admonitos proficere ſentiant.* Talis cum fuerit communis de hoc libello perſuaſio, an veriſimilitudinis migrat limites, Nilum ſeuerioris diſciplinae moralis, qualem Stoici vrgebant, patronum rigidum, ſancto zelo accenſum, cum hunc librum vbique legi cerneret, emendatis eiectisque iis, quae offendere doctrinam Chriſti videbantur, eum aſcetis intuendum obtuliſſe? Qua in re licet teſtes, quos poſcit Allatius, deſint, qui ipſe tamen ſuae ſententiae adſtipulantem adducit neminem, ita tamen haec ſententia comparata eſt, vt nihil Nilo tribuat, quod non ſoliti ſint Chriſtiani illorum temporum, praecipue Sec. V facere, quo ſimplicitas aeui apoſtolici valde ad affectatam philoſophiae Graecae eruditionem defecit, vt vel vnius Syneſii exemplum

m) Contra Celſ. L. VI. init. p. m. 283.

emplum probat. Quicquid autem de auctore eſt, illud certum eſt, in hoc libello Stoica praecepta ad doctrinam Chriſtianorum moralem transferri, et ex hac iſta emendari. Id quod ſufficit ad probandum, hoc quoque nomine philoſophiae gentilis vſum Chriſtianos veteres adhibuiſſe.

IX. Cum cautione philoſophia gentilis in vſus Chriſtianos tradita.

§. XIII. IX. Neque tamen ſine cautione hoc opus ſuſcipiendum, ſed huic ſe pelago prouide neque ſine cynoſura committendum eſſe, viri cordati piique, qui philoſophiae gentilis vſum aliquem in Eccleſia eſſe poſſe dictabant, ſubinde monebant ingeminabantque. Eos enim non latebat, quantam fidei iacturam fecerint homines incauti, qui ſeducti a philoſophia ad ſenſus peruerſos doctrinasque minus ſanas diuerterunt. Vt itaque ſuos caute agere docerent, 1. non fidendum eſſe omnibus, nec ſimplici et incauto oculo intuenda omnia, ſed diſtinguenda accurate mala a bonis, falſa a veris, et ab illis auertendum eſſe animum monebant. Quam in rem eleganter in ea ipſa oratione, qua vtilitatem ex libris gentilium percipiendam delineauit, adoleſcentes ita monet BASILIVS: Τοῦτο μὲν οὖν αὐτὸ καὶ ξυμβουλεύσων ἥκω, τὸ μὴ δεῖν εἰς ἀπαξ τοῖς ἀνδράσι τούτοις, ὥσπερ πλοίου τὰ πηδάλια τῆς διανοίας ὑμῶν παραδόντας, ἥπερ ἂν ἄγωσι ταύτῃ ξυνέπεσθαι, κ. τ. λ. *Moneo, ne ſcriptoribus illis mentes veſtras omnino, quaſi nauis gubernacula tradatis, ita vt eos, quocunque ducunt, ſequamini, ſed quae tantum in his vtilia erunt, volo vos conſectari, ac noſſe pariter quae ſint reiicienda &c.* Cuius exemplum poſtea a poëtis affert, et *iis tantum mentem adhibendam* monet, *quae bonorum hominum facta dictaque enarrauerunt, illaque imitanda, quando vero ad nefarios homines venerint, haec omnino vitanda, auresque obſtruendas eſſe.* 2. Ad finem, ob quem leguntur ſcripta philoſophorum, identidem reſpiciendum eſſe praecipiebant, hoc enim indice iudicandum eſſe, quid vtile, quid non, vt hoc tanquam herbae venenatae fugiatur, illud vt ſuccum largientes flores decerpatur. Pulcherrime ea de re praecipit GREGORIVS NAZIANZENVS[n], dignus qui ipſe audiatur:

Haec cum tuaeque ſint opes fidae et tibi,
Serua bonisque diſciplinis expoli,
Hiſtorica ſcripta perlegens vincta et metris,
Colensque ſtudia ſedula eloquentiae,
Et tradiderunt quae Sophi ſubtiliter.
At iſta, quaeſo, cuncta fac cautus legas,
Prudenter ex his colligens, quid vtile,
Fugiensque quicquid noxium eſt et peſtilens.
Apis aemulari cura ſit ſapientiam,
Quae flore in omni ſeſſitans, ex ſingulis
Idonee carpit, eſſe quod videt vtile.

3. Porro

n) Iamb. ad Seleuc.

3. Porro non ignorabant viri doctiſſimi, illa quoque, quae bona ſunt in philoſophorum libris, innumera admixta habere mala, contaminataque eſſe erroribus intolerabilibus, multa non ferenda paucis vtilibus et commendandis inſpergi: haec itaque ſeparanda, tollendasque paleas a tritico ſcoriasque a metallo puriore inculcabant. Quam viam ſe iniuiſſe *exemplo Pauli apoſtoli edoctum, qui didicerit a vero Dauide extorquere de manibus hoſtium gladium, et Goliathi ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare*, et ita rem inſtituiſſe ſcribit HIERONYMVS [o], *vt ſapientiam ſecularem propter eloquii venuſtatem et membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiua Iſraëlitidem faciat, et ſi quid in ea mortuum, et idololatriae, voluptatis, erroris, libidinum, vel praecidat, vel radat, et mixtus puriſſimo corpori vernaculos ex ea generet Domino Sabaoth.* 4. Sed hoc quoque iubebant cauere, ne ancillae adhaerentes dominam obliuiſcerentur vel contemnerent, ſed philoſophia in ſeruitium fidei redacta Scripturae ſacrae toti ſe traderent, neque illius diligenti ſtudio ab hac auocari ſe paterentur. Vnde cum grauiter obiurgaſſet CLEMENS ALEXANDRINVS [p] eos, *qui ancillarum ineſcati philtris contemſerunt dominam philoſophiam, et conſenuerint alii quidem in muſica, alii vero in geometria, alii autem in grammatica, plurimi autem in rhetorica*, eos quoque corrigit, *apud quos ſecularis philoſophia in maiore eſt exiſtimatione, quam domina, vt Agar olim apud Abrahamum, huncque imitandum eſſe monet dicentem: ecce ancilla in manibus tuis, vtere ea vt libet, quaſi diceret, ſecularem quidem amplector doctrinam, et vt iuniorem, et vt conſeruam, ſcientiam autem tuam, vt perfectam dominam honoro et colo.* Eadem inculcauit Didymus Alexandrinus apud IOAN. DAMASCENVM [q], qui videndus. 5. His tandem, vt cuncta ſepe quaſi munirent, addebant, examinandas eſſe philoſophorum opiniones ad fidei normam, diligenterque attendendum, quid conueniat, quid diſſonet: nihil autem pro ſalutari ad vitam dogmate recipiendum eſſe, quod non cum doctrina Chriſtiana conueniat. Quem in finem AVGVSTINVS [r] *recte*, fatetur, *videri ſibi, ſtudioſis et ingenioſis adoleſcentibus, et timentibus Deum beatamque vitam quaerentibus, ſalubriter praecipi, vt nullas doctrinas, quae praeter Eccleſiam Chriſti exercentur, tanquam ad beatam vitam capeſſendam ſecure ſequi audeant, ſed eas ſobrie diligenterque diiudicent, in ceteris autem doctrinis, quae apud gentes inueniuntur, omnibus tenendum eſſe, ne quid nimis diligatur.* Qui alio loco [s] candide aperit, quod ipſi damnum huius rei neglectus attulerit, fatendo: *Cum acceſſiſſet ad Scripturam ſacram, viſam ſibi fuiſſe indignam, quam Tullianae dignitati compararet; tumorem enim ſuum refugiſſe modum eius, et aciem ſuam non penetraſſe interiora eius: et quamuis ea eſſet, quae creſceret cum paruulis, dedignatum tamen*

o) Ep. ad Magn. conf. ep. 146. p) l. c. p. 284. r) De doctrina Chriſt. L. II. c. 39.
q) Sacr. parall. T. II, opp. p. 685. s) Confeſſ. L. III. c. 5.

men se fuisse, esse paruulum et turgidum fastu sibi grandem visum fuisse. Idem pluribus contigisse LACTANTIVS [t] refert: *Nutant enim, ita scribit, plurimi, ac maxime, qui literarum aliquid attigerunt. Nam et in hoc philosophi, et oratores et poëtae pernicioſi sunt, quod incautos animos facile irretire possunt suauitate sermonis.* In sequentibus autem multos ex hac causſa taedium cepisse Scripturae sacrae obseruat. Talia innumera fere, apud patres Ecclesiae veteris occurrunt, quae heic adducere omnino locus non patitur. Videndus autem, qui diligenter in eo argumento versatus est FRANCISCVS BALTVS [u]. Pulchre rectеque haec omnia moneri, aequus iudex fatebitur quilibet: ast addendum erat, non amplectendam esse nebulam pro Iunone, nec carbones pro thesauris, et suspecta atque noxia philosophorum dogmata pro veritatis particulis habenda, sicque comparationem philosophiae gentilis cum Christiana religione et scriptura sacra caute instituendam, nec obtorto collo in commoda R. C. trahenda esse, quaecunque externa specie concordiam mentiuntur. Hoc enim cum negligerent viri cetera pii doctique, omnes illae cautelae impedire non potuerunt, quo minus frequenter laberentur, vt alibi [x] iam monuimus. Perplacet κριτικωτάτου PHOTII [y] iudicium de Anonymi *testimoniis de Christo ex gentilium scriptis: Etsi laborem viri ac scopum cordatus nemo merito reprehendat, ipsum tamen opus non perinde se habet. Non solum enim dissentanea saepe in multis dicta diuinae nostrae fidei accommodare nititur, verum etiam fabulas ac somnia, quae vel ab ipsismet, qui prodiderunt scriptoribus, si quid saperent, irrideantur, quae tamen ille Christianae fidei nostrae conducere adeo affirmare non veretur, vt studiose quoque fabularum et somniorum alienum sensum in veros, pios, purosque ac sinceros diuini dogmatis sensus traducat, vnde vt emolumentum omnino nullum verae religioni attulisse, ita criminandi occasionem cauillantibus praebuisse non iniuria videatur. Ostendere siquidem deinceps gentes poterunt e nostris quosdam, qui ad commendandam religionem nostram (quae sola pura est ac vera, neque vlla praeterea re opus habet) eiusmodi adhibeant, quae nihil ad rem pertineant, quin maximam potius partem prorsus aliena sint, qui res illorum conciliare cum nostris conentur, a quibus tamen nihilo minus, quam a lumine tenebrae, disiunctae sunt.* Quae prudenter atque accurate dicta etiam ad veteres istos pro religione Christiana athletas suo modo pertinere, fatebitur, quisquis antiquitatis et auctoritatis praeiudicium eiurauerit, et quam difficili cautelarum criticarum negotio res tractanda sit, intelligit.

X. Vera de PP. philosophia sententia.

§. XIV. X. Ex dictis manifestum esse putamus, quae doctorum Ecclesiasticorum sententia de philosophia gentili fuerit, et quid de philosophia

t) Instit. L. V. c. 1.

u) l. c. L. III. c. 19. p. 505. seqq.

x) De compar. phil. gentilis cum Scr. S. caute instituenda, Or. Vindel. Mel. I.

y) Cod. CLXX. p. 197.

phia veterum Christianorum, praecipue eorum, qui patres Ecclesiae veteris dici solent, statuendum sit? Nempe valde illi falluntur, qui fuisse eos philosophos professione vel secta tales sibi persuadent: hoc enim nec conditio eorum munusque poscebat, nec Graecae philosophiae indoles, qualis tum erat, facile admittebat; sed in id connitebantur viri optimi, vt cum docendi munus in ciuitate Christi accepissent, strenue officio facerent satis, populum erudirent, aduersarios prosternerent, veritatem religionis Christianae defenderent, et philosophiam quandam domesticam, quam a barbaris, id est Hebraeis, se accepisse dicebant, statuminarent, hisque finibus eam, quam multi satis amplam possidebant, philosophiae gentilis notitiam et lectionem librorum huc pertinentium attemperarent. Quo nomine et respectu ex philosophorum choro, paucis quibusdam exceptis, recte excluduntur. Quod vbi accurate tenetur, euitari possunt verborum contentiones et pugnae, in quas inciderunt viri quidam docti, qui de Platonismo patrum disputauerunt, eumque ita vel affirmauerunt vel negarunt, vt vel philosophos Ecclesiae doctores facerent, vel omnem illis philosophiae cognitionem denegarent. Quorum prius factum est, cum obseruarent viri eruditi, patres multos philosophorum gentilium libros legisse, et nonnullis reiectis haud pauca sibi vindicasse, dogmatibusque philosophorum doctrinas sacras nonnunquam accommodauisse: posterius tenuerunt alii, cum graues patrum inuectiuas in philosophos et philosophiam gentilem legissent, eaque notassent loca, quibus errores detestandos illi obiecerunt. In quo vtriusque partis iudicio a mente patrum praeter fas receditur. Ex adductis enim eorum locis atque testimoniis sole meridiano clarius est, non reiecisse eos omnem prorsus philosophiam, et tanquam inutilem et damnosam proscripsisse; sed vbi semel a simplicitate apostolica discessissent, philosophiae etiam gentilis studium seruauisse suis limitibus circumscriptum certisque modis determinatum, et discipulis quoque suis commendauisse: non vero id sibi ἔργον posuisse, sed ancillae instar philosophiae notitiam ad inseruiendum dominae, theologiae, habuisse, et disciplinarum encyclicarum atque προπαιδευμάτων et progymnasmatum loco admisisse, huncque vsum restrinxisse partim ad veritatis diuinae contra insultus philosophorum gentilium defensionem, partim ad doctrinarum sacrarum corroborationem, partim ad eruditionis et eloquentiae elegantiam. Ex quo, nisi nos iudicandi fallit acies, sequitur, non id habuisse pro scopo doctores Ecclesiae, vt philosophos se praestarent, certaeque se sectae, more Graecorum addicerent, vel quaedam ex diuersis sectis dogmata conciliando eligendoque sectariam quandam philosophiam, nouamque sectam, vt Electici fecerunt, conderent, hancque philosophiam suam aliis iterum traderent; sed adhibuisse eos philosophiam tantum ad illustrandas confirmandasque atque defendendas veritates illas, quas hoc aduersus hostes R. C. praesidio opus habere crederent, vel ad confun-

dendos quoque philoſophos gentiles, qui vehementer doctoribus Chriſtianis obluctabantur, vtiles atque efficaces putarent. Quare non quaerenda ſunt apud eos φιλοσοφούμενα proprie ſic dicta, quae argumentum aliquod deductis ex principiis ſuis conſectariis, ratione duce, examinant; miſcent enim in diſſertationibus ſuis ſemper rationis, reuelationis et traditionis principia, et communi quaſi ex fonte, ἀμεθόδως ſaepe, ſi fatendum, quod res eſt, ſua hauriunt, vt vel ex ſolis, quas pro religione Chriſtiana ſcripſerunt, apologiis diſci poteſt. Eximendi itaque ſunt ex philoſophorum numero, quam perſonam ſuſtinere ipſi pii viri erubuerunt, et grauiter ideo in philoſophiam inuecti ſunt, vt ex illis, quae hac de re BALTVS [z] collegit, teſtimoniis manifeſtum eſt. Quod ſi patres Eccleſiae, hac quidem ſignificatione, philoſophi non ſunt, neque Platonici dici debent vel poſſunt; id quod facile conceſſerimus Balto, tantis animi motibus contra Platoniſmum patrum illo argumento pugnanti, quod Graecam philoſophiam culpauerint, nec vlli ſectae adhaeſerint. Tales enim Platonicos inter patres reperiri, (ſi paucos quosdam, Syneſium huicque ſimiles excipias, qui Eclecticae ſiue Alexandrinae philoſophiae ex profeſſo, quod aiunt, adhaeſerunt,) quales Speuſippus, Xenocrates, Polemo, veteres, vel Apuleius, Plotinus, Porphyrius, iuniores fuerunt, nemo forte dixit vnquam, certe dicet nemo, qui Eccleſiaſticorum ſcriptorum libros cum attentione legit: licet ad excuſandum eum Platoniſmum, qui illis tribui ſolet, non ſufficiat, vt infra dicemus. Quod ſi vero patres Eccleſiae philoſophi dicendi non ſunt, nullam eos quoque ſectam prae aliis ſibi deamatam delegiſſe ſequitur. Cum enim per omnia ſectarum Graecarum, quae eo tempore florebant, quo Chriſtiani in ſcholis gentilium philoſophorum inſtituebantur, ſyſtemata graues errores ſerpere, immixtaque paucis quibusdam bonis innumera falſa atque deteſtanda deprehenderent, quibus conuelli religionis Chriſtianae dogmata, et ciuitatis ſacrae fundamenta tantum non euerti videbant, graue ideo in omnes ſectas odium conceperunt, nec vlli ſectae pepercerunt, rati nullam eorum adeo innocentem eſſe et ita ſana continere dogmata, vt non Chriſtianis placitis contradiceret, quamuis in quauis ſecta reperiri veritates quasdam ſacris doctrinis conſonas putarent. Non ineleganter ea de re differit LACTANTIVS [a], qui *ſummam veritatis*, id eſt, ſyſtema aliquod cohaerens et nullo in loco vel ſaltem fundamento deficiens, *non comprehendiſſe* ſcribit, *nec comprehendere potuiſſe philoſophos, quamuis ea fere, quibus ſumma ipſa conſtat, et viderint et explicauerint: ſed diuerſos ac diuerſe illa omnia protuliſſe: non annectentes nec cauſſas rerum, nec conſequentias, nec rationes, vt ſummam illam, quae continet vniuerſa, et compingerent, et implerent. Facile autem eſſe, docere, pene vniuerſam veritatem per philoſophorum ſectas eſſe diuiſam; nec enim ſe philoſophiam euertere,*

z) Defenſ. patrum Platoniſmi accuſat. L. I. toto.

a) Inſtitut. diu. L. VII. c. 7.

tere, vt Academici ſolent, quibus ad omnia reſpondere propoſitum ſit, quod ſit potius calumniari et illudere; ſed docere ſe, nullam ſectam fuiſſe tam deuiam, nec philoſophorum quenquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi ſtudio inſaniant, dum ſua etiam falſa defendant, aliorum etiam vera ſubuertant, non tantum elapſam ipſis veritatem eſſe, quam ſe quaerere ſimulauerint, ſed ipſos eam potiſſimum ſuo vitio perdidiſſe. Haec Lactantius grauis hoc in loco ſectariae philoſophiae inſectator. Similem in modum Iuſtinum Martyrem de philoſophia ſectaria ſtatuiſſe, ex diuerſis, quas tentando explorauerat ſectis, quarum nulla ei ſatisfecit, abunde liquet. Affert aliam huius patrum odii in ſectariam philoſophiam Graecorum cauſſam FRANC. BALTVS [b], hoc loco ſine examine non praetermittendam. Nempe putat: philoſophiae Graecae auctoritatem inde potiſſimum enatam, quod et partem gentilis conſtitueret religionis, et praeſtantiorem magisque rationalem eius partem conficeret, hanc ei inuidiam apud Eccleſiae doctores conflaſſe. Cum enim viderent, iſta auctoritate retineri multos et deterreri, quo minus ſacra Chriſtiana amplecterentur, nihil eos magis obeſſe rebus Eccleſiae proſperis credidiſſe, quam diuiſam per Graecorum ſectas theologiam gentilem, indeque omnes eos quoque ſectas reieciſſe, eo quod ita totum gentilis religionis neruum euerti crederent. In qua obſeruatione verum quidem eſt, philoſophorum de Deo rebusque diuinis opiniones prudentum religionem conſtituiſſe; ſed, id communem plerorumque opinionem fuiſſe, probari non poteſt, et ad paucos quosdam ex innumera reliquorum turba, qui philoſophari coeperunt, hocque medio ſuperſtitionis in religione dominantis turpitudinem et ἀλογίαν detexerunt, pertinet. Id quod inde luculenter probatur, quod philoſophi plerumque gentili theologiae, qualis inter ſacrificulos obtinebat, et hominibus ſeruanda et religioſe cuſtodienda tradebatur, infenſiores fuerint, inque illam vel publice, vel clanculum inſurrexerint, vt et vetus hiſtoria philoſophica, in Socrate, Ariſtotele, Diagora, Epicuro, et iunior, in exemplo Luciani teſtatur. Neque primum philoſophorum ſyſtemata aggreſſi ſunt doctores Eccleſiae, qui contra gentilem philoſophiam pugnarunt, ſed ante omnia ſuperſtitionis in religione publica legeque patria recepta dominantis ineptias, turpitudinem, contradictiones, et abſurditatem detexerunt; hacque demum euerſa ad philoſophos ſe conuerterunt. Inter quos cum inuenirent multa, nec abſurda, nec a ratione atque veritate aliena, quae nec negare poſſent nec reiicere, has veritatis reliquias pro ipſa gentilis religionis anima habere, inque eas tantis inuectiuis inſurgere non poterant, ſed haec veritatis veſtigia pro latrociniis habebant furtisque, quibus Hebraeis ſuae facultates ereptae fuiſſent, vt ipſe Baltus aliquoties recte annotauit. Aſt id ipſis ſummo erat offendiculo, quod inter quae-

b) l. c. L. II. c. 18. p. 221. ſeqq.

dam pulchra et veritati ſumme affinia mille falſa et inepta occurrerent, ſicque a capitalibus erroribus nulla ſecta ita eſſet immunis, vt inueniri poſſet ſyſtema aliquod, quod naeuo inſigni et cum Chriſtiana veritate aperte pugnante careret, quodque non veritates quasdam ab aliis propugnatas, et ſacris literis conſonas euerteret, id quod iucunda diſſertatione oſtendit LACTANTIVS [c], ipſe, ne nimis prolixi ſimus, legendus: qui ſatis luculenter hanc diſputationem his claudit verbis: *Totam igitur veritatem et omne diuinae religionis arcanum philoſophi attigerunt. Sed aliis refellentibus defendere, id, quod inuenerant, nequiuerunt, quia ſingulis ratio non quadrauit: nec ea, quae vera ſenſerant, in ſummam redigere potuerunt.*

XI. Philoſophia qualis PP. deamata.

§. XV. XI. Ex his vero porro intelligitur, qualem ſibi philoſophiae ſincerioris et facile cum Chriſtiana doctrina in concordiam redigendae faciem Eccleſiaſtici doctores pinxerint. Nempe veritates multas per ſectas varias diſperſas paſſim deprehendebant, quas cum gentilis philoſophiae acumini tribuendas non eſſe, crederent, ab Hebraeis exque horum oraculis ſurreptas eſſe ſtatuebant. Eas itaque veritatis reliquias atque purioris philoſophiae veſtigia ex omnium ſectarum placitis colligenda, ſicque philoſophiam aliquam Eclecticam erigendam eſſe inculcabant, quae veritates illas omnes complecteretur, quae inter ſectas diuiſae laterent, ſed immixtis tot erroribus nec nexum verum haberent, nec fundamento alio, niſi vel falſo vel lubrico, niterentur. Hinc magnifico commendationis genere verbisque ſuperbis in laudes huiusmodi philoſophiae Eclecticae effuſi ſunt, ex quibus luculenter iudicari poteſt, quale philoſophiae genus doctoribus Chriſtianis arriſerit. Cuius rei, cum primariam tractationis noſtrae partem complectatur, pauca quaedam, bona cum Lectoris venia, teſtimonia afferemus. Inter quae IVSTINO MARTYRI [d] primus locus debetur, viro pio doctoque, et philoſophiae Graecanicae callentiſſimo. Is diſerte: *Ἔστι γὰρ τῷ ὄντι φιλοσοφία μέγιστον κτῆμα, καὶ τιμιώτατον Θεῷ, ὥστε προσάγει καὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνῃ καὶ ἔστιοι ὡς ἀληθῶς ἐυτοί εἰσιν οἱ φιλοσοφίᾳ τὸν νοῦν προσεσχηκότες. Τίποτε δέ ἐστι φιλοσοφία; καὶ ὃν χάριν κατεπέμφθη εἰς τοὺς ἀνθρώπους, τοὺς πολλοὺς λέληθεν. Οὐ γὰρ ἂν Πλατωνικοὶ ἦσαν, οὐδὲ Στωϊκοὶ, οὐδὲ Περιπατητικοὶ, οὐδὲ Θεωρητικοὶ, οὐδὲ Πυθαγορικοὶ, μίας οὔσης ταύτης ἐπιστήμης· οὗ δὲ χάριν πολύκρανος ἐγενήθη, θέλω εἰπεῖν. Συνέβη τοῖς πρώτοις ἅψαμένοις αὐτῆς, καὶ διὰ τοῦτο ἐνδόξοις γενομένοις, ἀκολουθῆσαι τοὺς ἔπειτα, μηδὲν ἐξετάσαντας ἀληθείας, περὶ καταπλαγέντας δὲ μόνην τὴν καρτερίαν αὐτῶν καὶ τὴν ἐγκράτειαν, καὶ τὸ ξένον τῶν λόγων, ταῦτα ἀληθῆ νομίσαι ἃ παρὰ τοῦ διδασκάλου ἕκαστος ἔμαθεν. Εἶτα καὶ αὐτοὺς τοῖς ἔπειτα παραδόντας τοιαῦτα ἄττα καὶ ἄλλα τούτοις προσοικότα, τοῦτο κληθῆναι τοὔνομα, ὅπερ ἐκαλεῖτο ὁ πατὴρ τοῦ λόγου. Est namque reuera philoſophia*

c) Diuin. Inſtit. loc. cit. d) Dial. cum Tryphone p. 218.

phia maximum bonum et Deo gratiſſimum, quippe quae ſola nos ad eum adducat, eaque commendet. Atqui ii demum vere ſunt felices, qui mentem philoſophia excolunt. Quid autem ſit philoſophia, et qua de cauſſa ad homines ſit demiſſa, permultos latet. Non enim eſſent, (ſi ſcirent) neque Theoretici, neque Platonici, neque Stoici, neque Peripatetici, neque Pythagorici, cum ea vna ſit ſcientia. Quam vero ob cauſſam in plures illa abierit factiones, dicam. Qui primi hanc attigere, et ob id praeclari fuerunt, accidit vt eos ſucceſſores illorum ſectarentur: non illi quidem de veritate aliquid perquirentes, ſed fortitudinem duntaxat et continentiam ipſorum nec non nouum orationis nitorem admirantes cum ſtupore: eaque vera eſſe arbitrantes, quae a magiſtro quisque didiciſſet. Qui deinde ſucceſſoribus quoque ſuis eiusmodi omnia, atque alia hiſce ſimilia tradentes, eo appellati ſunt nomine, quod ipſius diſciplinae obtinuerat parens. Similia, quin immo luculentiora habet CLEMENS ALEXANDRINVS [e]: *Φιλοσοφίαν δὲ οὐ τὴν Στωικὴν λέγω, οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικούρειον τε καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέσεων τούτων καλῶς, δικαιοσύνην μετὰ εὐσεβοῦς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα* ΤΟΥΤΟ ΣΥΜΠΑΝ ΤΟ ΕΚΛΕΚΤΙΚΟΝ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΝ *φημί. ὅσα δὲ ἀνθρωπίνων λογισμῶν ἀποτεμόμενοι παρεχάραξαν, ταῦτα οὐκ ἄν ποτε θεῖα εἴποιμ' ἄν. Philoſophiam autem non dico Stoicam, neque Platonicam, aut Epicuream et Ariſtotelicam, ſed quaecunque ab his ſectis recte dicta ſunt, quae docent iuſtitiam cum pia ſcientia, HOC TOTVM SELECTVM PHILOSOPHIAM dico: quaecunque autem ex humanis amputata cogitationibus adulterarunt, ea nunquam diuina dixerim.* Quibus in verbis ipſum Eclecticae philoſophiae nomen iam occurrit, quod et alibi [f] habet, ſcribens: *Εἴη δὲ ἂν Φιλοσοφία τὰ παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέσεων, τῶν κατὰ Φιλοσοφίαν λέγω, ἀδιάβλητα δόγματα μετὰ τῆς ὁμολογουμένης βίᾳ εἰς μίαν ἀθροισθέντα ἐκλογήν. Eſt autem philoſophia, quae in vnaquaque ſecta (de iis loquor quae ſunt in philoſophia.) reprehendi non poſſunt decreta cum vita congruente in vnum coacta electionem.* Eandem ingreſſa eſt viam ſchola Origenis a magiſtro ſuo, qui apud Ammonium hanc philoſophandi rationem didicerat, edocta, de cuius in philoſophando methodo haec narrauit GREGORIVS THAVMATVRGVS [ff], poſtquam copioſe argumenta adduxiſſet, quibus ipſum fratremque ad philoſophiae ſtudia fuiſſet cohortatus: *Ita philoſophandum cenſebat, vt omnia veterum monumenta, quaecunque a philoſophis aut hymnodis elucubrata ſunt, qua fieri poſſit ſedulitate, nihil amandantes aut repudiantes legeremus, nondum enim iudicio nos inſtructos eſſe, exceptis quae atheorum [g] eſſent: qui etiam humanis ſimul notionibus veluti praecipites deiecti Deum aut prouidentiam eſſe negant. Indigna enim haec eſſe, quae legantur, vt nec in forte oblato quo-*

e) Stromat. L. I. p. 288.
f) L. VI. p. 642.
ff) Orat. panegyr. in Orig. p. m. 10. ed. Hoeſch.
g) Epicureos pungit, vt ex infra dictis patebit.

piam ſcripto contaminetur animus noſter, pietatis ſtudio addictus, ſed interim inaudiens cultui Dei contraria - - Reliquos vero omnes verſandos eſſe, ac quaſi colloquii cauſſa adeundos, ſed tamen ne vnum aliquod genus aut dogma philoſophicum praecipuo honore dignemur, aut plane reiiciamus, ſiue Graecum ſit, ſiue Barbarum, ſed omnia audiamus. Sapienter hoc et ſingulari ab arte [h] *profectum. Ne forte, ſi vnum aliquod per ſe horum vel illorum documentum ſolum audiatur, inque pretio habeatur, etiamſi verum non ſit, vt unice tamen verum in animos noſtros irrepens decipiat, et per ſe ita penetrans, iuri et arbitrio ſuo nos vendicet, adeo vt nec obſiſtere, neque abluere queamus, vt lanis tinctura non eluenda in fatis accidit &c.* Quae late poſtea perſequitur, et quae incommoda habeat philoſophia ſectaria, quae damna veritati mentibusque afferat, haud inseleganter explicat. LACTANTII [i] vero ea de re praecepta ex parte ſupra iam retulimus, qui inter alia: *Quod ſi extitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectasque diffuſam colligeret in vnum, ac redigeret in corpus, is profecto non diſſentiret a nobis. Sed hoc nemo facere, niſi veri peritus ac ſciens, poteſt. Verum autem ſcire non niſi eius eſt, qui ſit doctus a Deo. Neque enim poteſt aliter repudiare, quae falſa ſunt, eligere ac probare, quae vera, ſed ſi vel caſu id efficeret, certiſſime philoſopharetur &c.* Alia veterum teſtimonia paſſim viris doctis [k] laudata, heic, vbi prolixis eſſe nobis non licet, tacemus. Patres itaque Eccleſiae philoſophiam quandam Eclecticam commendauiſſe certiſſimum eſt, neque dubitandum, hanc quoque ſententiam eorum a doctoribus Chriſtianis, qui in Aegypto animum literis formauerunt, ortum habuiſſe. Hac enim in regione diu ante Eclecticae ſcholae origines hanc electiuam philoſophandi et conſarcinandi diuerſarum ſectarum placita methodum obtinuiſſe, licet ſectae formam nondum haberet, indeque ad alias quoque gentes tranſiiſſe, ſuo loco luculenter probauimus. Quamuis autem haec ſatis certa ſint, cauendum tamen eſt, ne in ſignificatione huius vocis, et definienda philoſophia Eclectica ex mente patrum aberremus. Id quod plerisque ex recentioribus accidit, qui his veterum locis ad confirmandam philoſophiae Eclecticae auctoritatem vſi ſunt. Non enim iſta voce liberam et praemeditatam eorum dogmatum electionem ex variis philoſophorum aſſertionibus adductum ſanae rationis certique et indubitati principii factam intelligebant, quam hodie huius nominis ſignificatione ſectariae philoſophiae opponimus, et libertatem magis recipiendi quicquid verum eſt, quam certum dogmatum delectum denotamus. Quamuis enim ipſi huc collineare videantur, fatentes, veritatem ſe ſparſam per ſingulas ſectas atque diffu-

b) Eclecticam philoſophiae methodum nuper introductam reſpicere videtur.

i) loc. cit.

k) Vid. BALTVS l. c. p. 20. 24. 32. 118. VOSSIVS de ſectis p. 118. ELSWICH. ad LAVNOIVM de ſort. Ariſt. §. 3. p. 6. BVDDEVS Iſagog. hiſt. theol. L. II. c. 3. §. 5. p. 553.

diffuſam colligere in vnum, et veritatis tamen notione et principii cognoſcendi, ad quod iſtas veritates exigebant, delectu, et fontis, ex quo eas deriuabant, deſignatione longe ab iſta, quam nos hodie ſequimur, ſignificatione nominis, philoſophiae Eclecticae, abiuerunt. Ita ſcilicet ſtatuebant viri pientiſſimi et eruditi, ſed accurate inter rationem et reuelationem diſtinguere non edocti: eſſe omnes veritatis et ſapientiae ſcintillas quaedam ſemina luminis diuini, ex Dei reuelatione in mentibus exorientis: hancque lucis auroram partim per prouidentiam et λόγον Dei animis philoſophorum, immo hominum omnium, inſertam excitatamque eſſe, latere vero hanc λόγου virtutem in Chriſto vnigenito Dei verbo, qui hac ratione ſe gentilium animis ex parte manifeſtauerit, ſicque animos eorum ad recipiendum ipſum Euangelicae lucis iubar diemque ingruentem praeparauerit: partim per traditionem ab Hebraeis tanquam primis veritatum diuinarum cuſtodibus ad barbaras gentes, et ab his per philoſophos, qui ad barbaros itinera ſuſceperunt, ad Graecos peruenisſe. Graecos autem cum vnam hanc veritatem, ambitione philoſophorum in partes diuiſam diuerſiſſimis opinionibus adulteraſſent, multas harum veritatum, partim mediante λόγῳ animis inſitarum, partim per traditionem ad eos delatarum amiſiſſe, vel foede tamen corrupiſſe, ſeruatis paucis fucoque alieno illitis, quae per ſectas diuerſas diſperſa eſſent. Eas vero illibatas integrasque per Moſen diuinosque viros inter Hebraeos Iudaeosque conſeruatas comparente in carne λόγῳ Dei ſubſtantiali pleniſſima luce reuelatas, et ab Apoſtolis Chriſtiano coetui luculenter traditas eſſe. Vbi itaque de ſanae ſobriaeque philoſophiae reliquiis diſputabatur, ad hanc normam confugiebant, eaque quae in ſcriptis gentilium bona et cum decretis Chriſti et Apoſtolorum conſpirantia deprehendebant, haec vel λείψανα eſſe reuelatae per λόγον mentibus gentilium veritatis decernebant, vel theſauros eſſe contendebant a gentilibus philoſophis Hebraeis et Chriſtianis, veris iuſtisque reuelationis diuinae poſſeſſoribus, furto ſubductos. Vnde ius ſibi aſſerebant, haec dogmata ſibi vindicandi, et ad manifeſtam confirmationem religionis Chriſtianae traducendi. Veritatem itaque dum per ſectas omnes ſparſam diffuſamque et in vnum corpus collectam, veritatis diuinae ſyſtema aliquod exhibere a reuelatione Chriſtianorum non diuerſum ſtatuunt, caue putes ſyſtema aliquod philoſophicorum dogmatum ex ratione deductorum intelligi: nihil enim aliud innuunt, quam theologiam aliquam Eclecticam, reuelatione vel interna vel externa gentilibus manifeſtatam, collectamque ex variis fragmentis paſſim inter ſectas philoſophicas obuiis. Plena hac de re ſunt doctorum Eccleſiaſticorum ſcripta; plerique enim, maxime vero, qui pro V. R. C. pugnauerunt, hac notione philoſophiae occupati ſunt. Ne tamen ſine teſte hic quoque diſcedamus, en e multis vnum, ſed notabilem locum CLEMENTIS ALEXANDRINI[1]: *Fun-*

1) Stromat. L. VI. p. 642.

Fundamentum autem, vt olim adnotauimus, non dicimus eam, quae in vnaquaque haereſi ſuſcipitur, vitae inſtitutionem, ſed id, quod vere eſt philoſophia, vere artificioſam ſapientiam, quae praebet experientia eorum, quae ſunt in vita. Sapientiam autem ſolidam rerum diuinarum humanarumque cognitionem, firmam quandam ac ſtabilem, et quae non poteſt excidere comprehenſionem, et quae comprehendit ea, quae ſunt, et praeterita et futura, ἣν ἐδιδάξατο ἡμᾶς διά τε τῆς παρουσίας, διά τε τῶν προφητῶν ὁ Κύριος καὶ ἔστιν ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου παραδοθεῖσα, τάυτη καὶ πάντως ἀληθὴς ὑπάρχει βουλήσει ὡς διὰ τοῦ υἱοῦ ἐγνωσμένη, *quam nos docuit per ſuam praeſentiam et per prophetas dominus, eſtque eiusmodi, quae non poſſit excidere vtpote a verbo tradita, ideoque omnino verus et voluntate, vt quae ſit cognita per filium. Et partim quidem eſt aeterna, partim autem tempori vtilis, et partim quidem vna eſt et eadem, partim autem multae et differentes, — — Hanc ergo ſapientiam concupiſcit philoſophia, animae et verbi rectitudinis, et vitae puritatis, quae eſt beneuole affecta in ſapientiam et omnia facit, vt eam conſequatur. Philoſophi autem apud nos quidem dicuntur, qui amant ſapientiam, quae eſt omnium opifex ac magiſtra; hoc eſt filii Dei cognitionem. Apud Graecos autem dicuntur philoſophi, qui diſputationes de virtute ſuſcipiunt.* His ſubiungit philoſophiae Eclecticae definitionem, quam paulo ante adduximus, additque: *Haec ipſa quoque a barbara diuinitus data ſurrepta gratia, Graeca ornata ſunt eloquentia. Nam alia quidem ſunt ſuffurati, alia vero male audierunt. In aliis autem aliqua quidem dixerunt commoti, ſed ea non reddidere perfecta, aliqua autem humana coniectura et ratiocinatione, in quibus etiam labuntur etc.* Haec ſatis luculenter patrum de hac philoſophiae indole mentem explicant, et quam longe à natiua philoſophiae ſignificatione abeant, luculenter docent. Hinc vero cauſſa quoque peti poteſt, cur nonnullis patrum, praecipue Iuſtino Martyri et Gregorio Thaumaturgo viſum ſit, quosdam philoſophos gentiles per λόγον, eiusque cognitionem ſaluatos fuiſſe. Non enim ſine filio Dei ſalutem dari ſtatuebant, at eos, qui rationis ſemina in animo latentia et per λόγον ſparſa in laetiorem meſſem eduxiſſent, qualis Socrates Platoque ex eorum mente fuerunt, hos per latentem λόγου notitiam ſalutem conſequi potuiſſe non ineptum videbatur. Id quod erroneum quidem prorſus eſt, nec labe caret, frigidam tamen illis non ſuffundit, qui tantorum nominum auctoritate ſine Chriſto ſalutem ex ratione obtineri poſſe impie ſtatuunt. Ceterum ex his quoque ratio petenda eſt, cur Chriſtianae religioni nomen philoſophiae patres vindicauerint? cur veritates illas communes ſpolia Aegypti appellauerint? cur inter plagiarios philoſophos gentiles retulerint? cur philoſophiam barbaram, depreſſa Graeca, tantopere extulerint? cur a barbaris ad Graecos peruenisſe philoſophiam contenderint? cur pueros ſuiſſe Graecos in philoſophia prae barbaris, phi-

philosophis Graecis obiecerint? Quas quaestiones ex his quae dicta sunt, illustratas, miram lucem originibus philosophiae accendere, quilibet paulo attentior facile intelliget.

§. XVI. Haec si probe teneantur, conciliari possunt diuersae et contradictionem quandam inuoluere visae veterum doctorum Christianorum voces de philosophia gentili, quibus mox laudare, mox insigniter vituperare illam videntur. Ad illas pertinent AVGVSTINI [m] effata, quibus spolia Aegypti detracta idolis philosophiam in Christianos vsus traductam vocauit, et quam vtilis, separatis noxiis et falsis, esse possit, significauit. Luculenter inter alia ea de re scribit [n]: *Doctrinae omnes gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta grauesque sarcinas superuacanei laboris habent, quae vnusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens debet abominari et vitare, sed etiam liberales disciplinas vsu veritatis aptiores, et quaedam morum praecepta vtilissima continent; deque ipso Deo vno colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum vel argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinae prouidentiae, quae vbique infusa est* (λόγον dixere PP. alii) *eruerunt, et quo peruerse atque iniuriose ad obsequia daemonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum praedicandi Euangelii.* Talia multa etiam apud alios inueniuntur Augustino antiquiores, quibus adeo orthodoxa interdum visa est philosophia gentilis, in doctrina de Deo diuinisque, vt non erubescat scribere MINVCIVS FELIX [o]: *Exposui opiniones omnium ferme philosophorum, quibus illustrior gloria est, Deum unum multis licet designasse nominibus: vt quiuis arbitretur, aut nunc Christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse iam tunc Christianos.* Ast fuisse e contrario multos, qui de philosophia pessime statuerent, eamque inter diaboli opera referrent, aperta quoque veterum loca id eorum scriptis passim obuia loquuntur, et CLEMENS ALEXANDRINVS [p] grauis testis est, qui in commendanda philosophia ad eos potissimum respexit refellendos, *qui philosophiam etiam cum maximo malo et ad hominum perniciem veniisse in vitam existimant, vt quae profecta sit a maligno aliquo inuentore.* Quos vehementer alio loco [q] improbat *cum absurdum sit, vt qui diabolo insolentiam tribuunt et iniustitiam, eum rei bonae, et quae est ex virtute, nempe philosophiae datorem constituant, legis autem proprium sit et rationis rectae reddere, quod vnicuique conuenit, et quod eius est proprium, et quod ad eum pertinet; philosophiae autem, homines faciat virtute praeditos, sicque prodat, quod sit Dei, cuius solum opus*

Diuersae PP. de philosophia gentili voces conciliatae.

m) Confess. L. VII. c. 9.
n) De doctrina Christi L. II. c. 40.
o) In Octauio c. 20. n. 1. p. 66. ed. Cell.
p) Stromat. L. V. p. 278. q) L. VI. p. 693.

opus est, benefacere. Duram hanc sententiam pronunciauit BASILIVS [r], et philosophiam diaboli opus esse pronuntiauit, Aristotelicam potissimum philosophiam pungens, vt recte obseruatum PETAVIO [s], quamuis de hoc doctore obseruauerit GREGORIVS NYSSENVS [t]: *Eum gentilium eruditionem tanquam donum quoddam Ecclesiae obtulisse, et Aegyptiorum opes in iuuenili aetate sibi egregie comparasse, Deoque sacrando verum Ecclesiae tabernaculum erexisse.* Plura huc afferre huius commatis nec licet, nec opus est. Mirari hanc patrum inconstantiam et contradicentes sibi voces queat aliquis, qui ad veras causas et diuersos sensus non attenderit. Qui si recte expendantur, omnia sibi constabunt. Quae enim de philosophia dicta sunt eleganter et in laudem, ad eas veritates pertinent, quas non esse philosophorum, sed surreptas Hebraeis vindicandas esse Ecclesiae, eximendasque ex philosophorum libris statuebant: vnde philosophorum sententias nonnullas laudando, non philosophiam gentilem se laudare, sed diuinae reuelationis atque traditionis vestigia commendare putabant. Culpando vero, grauiterque inuehendo in philosophiam gentilem, eam totam, qualis in systemate suo comprehensa erroribus concatenatis prorsus religioni Christianae aduersabatur, reiiciebant, et duris excipiebant vocibus. Neque id aegre ferendum est in viris pio pro causa Dei zelo accensis, quamuis modum interdum excesserint. Ita enim cum circumstantiis temporum illorum comparatum fuit, vt non potuerint non eiusmodi inuectiuas effundere. Nemo eo tempore Christianis rebus vehementiori studio aduersabatur, quam philosophi gentiles, partim philosophica, quae a conditoribus acceperant, dogmata mordicus magnaque vehementia defendendo, et erroribus pestilentibus quaesitos veritatis colores inducendo, vt gentili religioni, propter insultus doctorum Christianorum ruinam minanti, suamque absurditatem quotidie magis prodenti suppetias ferrent: partim doctrinam Christianam eiusque doctores amare traducendo, ineptias pueriles, naenias vulgi, puerorumque fabellas ei obiicienti, et calumniis Scripturam sacram, quaeque in ea traduntur dogmata acerbissimis onerando, et tum ipsum sanctissimum Saluatorem, tum Apostolos eius legatos tanquam impostores sannis ludibriisque excipiendo et conuiciis lacerando intolerabilibus. Exempla qui volet, Iustini contra Crescentem, Origenis contra Celsum, Eusebii, Augustini aliorumque contra Porphyrium scripta et dicta expendat, et certissimus ea de re fiet, speciminibus edoctus luculentissimis. Tales cum essent philosophi gentiles, cumque non fortius haberet munimentum superstitio philosophia gentili, an mirum videbitur, indignatos fuisse philosophiae gentili eiusque professoribus Christianos, imprimis doctores publicos, eosque impostores, canes, et his similia appellauisse, vt contra Porphyrium factum? num

r) Contra Eunom. p. 15.
s) Prolegom. ad dogm. theol. c. III. §. 5.
t) In vita Mosis apud LAVNOIVM de fortun. Arist. p. 151.

num adeo a moribus hominum alienum et in orbe literario insolens est, vsum cum abusu ex nimia vehementis affectus festinatione reiectum, et quod philosophorum vitium fuit, ipsi philosophiae imputatum esse? praecipue cum crediderint patres, nihil hoc derogare veritatibus etiam a gentilibus philosophis prolatis, eo quod sibi eas tanquam debitas possessiones, quas illi furto abstulissent, vindicarent. His et alia accessit causa, quae magna aduersus philosophos ira armauit doctores Ecclesiasticos. Nempe cum magno fulgore omnium oculos perstringeret miraculorum a Christo et Apostolis, Apostolicisque viris patratorum gloria, et imprimis potestas, quam in spiritus immundos exercebant, multos ad amplectendam fidem Christianam adduceret, philosophi huic quoque obstaculo, obuiam eundum esse rati, impostoris, fraudibus, ipsaque doctrina ad hunc scopum reformata, quaeque aliae artes fuere, quibus magia eo tempore celebrabatur, imitari hanc potestatem diuinitus Christianis concessam conabantur. Id exemplo Apollonii Tyanei prorsus illustri suoque loco ampliſſime enarrato clariſſime constat, et ex Alexandrinorum philosophorum doctrina atque conatibus supra quoque fuse expositis liquet, et ex iis, quae de Apuleio, Iamblicho, Aedesio, aliisque scholae Plotinianae alumnis supra attulimus, disci potest, nec aliis hoc loco, vbi breuitatem sectamur, exemplis, opus habet. Quae cum ita multum gloriae Christianae religionis detrahere viderentur, doctores eius, qui ad fraudes hominum versipellium non satis attendebant, adeoque hanc magiam diaboli operationi adscribebant omnem, iusta indignatione permoti et philosophos et philosophiam diaboli opus esse declarabant. Id quod imprimis ad Plotinianam philosophiam pertinuit, quam in commercio cum spiritibus definiendo procurandoque fuisse occupatissimam, *Tomo secundo* accurate docuimus. Et hinc grauia illa ἐγκλήματα his philosophis, maxime Porphyrio obiecta, qui EVSEBIO [n] audit ὁ τῶν δαιμόνων φίλος καὶ περσήγορος, *malorum spirituum amicus et accusator*, vt taceamus, quae ea ex causa illi ab AVGVSTINO [x] obiecta sunt. Deinde Aristotelica quoque philosophia hanc appellationem, vt supra iam dictum, meruit, eo quod ex ea pharetra haereticos tela sua, fortiter contra Catholicos doctores pugnando, desumsisse videbantur. Idem Stoicae quoque dialecticae obiectum fuit, cuius cauillationes et sophismata cum mire nonnunquam doctores Ecclesiasticos non satis in his Graecae philosophiae, quam contemnebant, argutiis exercitatos pressissent, idem meruerunt odium. Quod reliquum est, cum homines fuerint viri laudatissimo cetera pro re Christiana feruore toti occupati, hinc factum, vt plerumque animis non satis compositis et tranquillis ad has pugnas procedentes, inque contentionis aestu longius progressi, duriora, quam nostra ferre possunt secula, verba dixerint, nec a conuiciis abstinuerint, quod imprimis in HIERONYMO impotentis animi viro, licet longe

n) Praef. L. IV. c. 6. x) De C. D. L. X. c. 10. 11. 26. 27. 28. conf. Io. LVDOV. VIVES ad h. l.

eruditiſſimo, videre licet, qui Porphyrium non rationibus tantum aggreſſus eſt; ſed criminationibus quoque et conuiciis; eum ſtultum, impium, blaſphemum, veſanum, impudentem, ſycophantam, calumniatorem Eccleſiae, rabidum aduerſus Chriſtum canem appellando. Quem tamen alios quoque eadem ratione fuiſſe ſecutos, et nec pauciora nec leuiora dixiſſe recte notauit doctiſſimus HOLSTENIVS y). Talia ingeminabant viri optimi in pugnae ardore conſtituti, et gentilibus philoſophiae, laceſſiti innumeris eorum criminationibus, obiiciebant, qui extra pugnam tam graues obiectiones non formabant, mitiusque ſentiebant. Caute itaque in lectione Scriptorum Eccleſiaſticorum, inque illis locis, vbi de philoſophia gentili iudicant, verſandum, diſpiciendumque ante omnia eſt, vtrum extra aciem vel in ipſo conflictu conſtituti talia protulerint, reſpiciendum quoque ad methodum illorum polemicam, eaque, quamuis noſtris moribus non arrideat, illorum temporum conſuetudini atque genio tribuenda atque condonanda eſt, nihil tamen inde contra philoſophiae auctoritatem concludendum. Ceterum legi hic velimus, quae de polemica patrum methodo eleganter diſſeruit IO. DALLAEVS z), multa enim, quae is attulit, huic quoque argumento lucem foenerantur.

XII. Vnam tamen ſectam alteri praetulerunt PP.

§. XVII. XII. Nulli peperciſſe ſectae patres Eccleſiae veteris, nullique philoſophorum familiae nomen addixiſſe, euidentibus hactenus rationibus et teſtimoniis demonſtrauimus. Quod tamen non ita capiendum eſt, ac ſi pari ſectas omnes gradu contemſiſſent, aliter enim eos iudicaſſe vnamque deteriorem vel tolerabiliorem altera iudicaſſe, ex ſcriptis eorum eluceſcit. Nempe cum pro indubitato ſemel principio admiſiſſent: veritates inter ſectas diſperſas ex interna prouidentiae, ſiue λόγῳ potius, diſpoſitione, et ex antiquiſſima patriarcharum Hebraeorumque traditione ad gentes peruenisſe, eam ſectam ceteris nobiliorem magisque ferendam putabant, quae de Deo philoſophata plurimas eiusmodi veritates contineret, eam reliquis deteriorem videri, quae haec rationis a Deo inſitae ſemina ſuppreſſiſſet, iisque contraria docendo, errores dogmatibus Chriſtianis aduerſos contineret. Hoc itaque canone in iudicandis philoſophiae Graecae ſectis earumque ſyſtematibus vſi, maxime Ariſtotelicam et Epicuream philoſophiam carpebant, et errorum deteſtabilium accuſabant. Et quod ad Peripateticam philoſophiam attinet, ſola illa, quae inter IVSTINI opera legitur, *Ariſtotelicorum quorundam dogmatum euerſio* ſatis prodit, qui iſtis temporibus contemtus odiumque philoſophiae Ariſtotelicae regnauerit: licet Iuſtino eam opellam tribuere nolint, qui ſpuria a genuinis ſecernere norunt. Hoc enim loco ſufficit, ſcriptorem quendam Chriſtianum eumque antiquum et Iuſtino coaeuum Ariſtotelicam philoſophiam ſuſpectam feciſſe multorumque errorum perniciosiſſimorum conuiciſſe: quamquam nec PHOTIO a), nec aliis haud

Exoſa philoſophia Peripatetica.

y) In vita Porphyrii c. 11. p. 278. ed. Fabric. z) De vſu PP. L. I. c. 6. p. 158. a) Cod. CXXV.

haud obesae naris viris doctis [b] hic foetus Iustino abiudicandus videtur. Illud certum ex genuinis Iustini scriptis [c], contemsisse eum Aristotelicum praeceptorem, quod mercedem popoſciſſet, et graues atque deteſtabiles in eius philoſophia vidiſſe errores, eosque Platonicis dogmatibus longe poſtpoſuiſſe. Idem iudicium fuit Clementis Alexandrini, Irenaei, Tertulliani, Athenagorae, Origenis, Lactantii, Euſebii, Athanaſii, Hermiae, Baſilii, Gregorii Nyſſeni, Epiphanii, Ambroſii, Hieronymi, Simpliciani, Auguſtini, Cyrilli Alexandrini, Socratis, Theodoreti, Nemeſii multorumque aliorum inferioris aetatis, quorum loca cum attulerit diligentiſſimus LAVNOIVS [d], eiusque liber hodie in omnium manibus ſit, nolumus eorum allegatione hic Lectoris patientiae fieri moleſti, ſed ad ipſum librum elegantiſſimum eum ablegamus. Tam vniuerſalis vero fuit hic philoſophiae Ariſtotelicae contemtus, vt cum contra MELCHIOREM CANVM [e] atque DIONYSIVM PETAVIVM [f] demonſtrare vellet FR. BALTVS [g], non probauiſſe Ariſtotelis cum argumento ſacro comparationem doctores Eccleſiae veteris, is imprimis ad paucitatem locorum, ex quibus, ſtuduiſſe quosdam Peripateticis doctrinis, diſcitur, magna fiducia prouocaret. Cauſſas vero tanti patrum odii erga philoſophiam Ariſtotelicam ex antecedentibus ex parte diſcere licet. Quibus tamen peculiares quaedam rationes acceſſerunt, quibus commoti ita de Peripatetica doctrina ſtatuerent. Inter eas ſine dubio prima atque grauiſſima fuit, quod prouidentiam diuinam Ariſtoteles negauerit. Cum enim ad Θεολογέμενα in philoſophorum ſcriptis potiſſimum reſpicerent, exque iis de illorum dogmatum peruerſitate iudicarent, eos maxime, qui de Deo eiusque attributis atque operibus perperam docuere, atheiſmi ſuſpectos habebant, et procul eſſe iubebant, illosque tolerabant, qui ſobrie magis de Deo diuinisque praecepiſſent. Recte vero obſeruatum nonnemini [h]: *eiusmodi eſſe Ariſtotelis de aeternitate mundi, de prouidentia vltra lunam ſe non extendente animaque morti obnoxia dogmata, vt totam religionem Chriſtianam euertere ac conculcare recte patribus viſum fuerit. Iis enim poſitis falſum eſſe Moſen tam ſollicite nobis mundi origines pandentem, falſam ſcripturae inſpirationem, nec eſſe, cur Liberatorem complectamur, cur eius doctrinam ſanguine obſignemus, cur non potius vitiis, quam virtutibus multo labore conſtantibus ſtudeamus, hacque ratione omnem de Liberatore hiſtoriam in meras abire fabulas, cum certum ſit, egregium id prouidentiae ſpecimen eſſe, quod humana ſe induerit natura, vt orbem ab erroribus et impietate, quibus obnoxius erat, liberaret.* Sed et, quod ſupra iam tetigimus, artes ſophiſticae ab haereticis adhibitae, Ariſtotelis dialecticae imputabantur, et omnium fere

b) Conf. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. V. p. 55.
c) Loca adducit BALTVS l. c. L. II. c. 3. p. 106. ſeqq.
d) De fortuna Ariſtbt. c. II. p. 131. ſeqq.
e) LL. Theol. L. X.
f) loc. cit. c. 18. p. 217.
g) loc. cit.
h) H. VAN ELSWICH. diſſ. praeh ad LAVNOIVM de fort. Ariſt. §. 4. p. 9.

haeretiorum clypeus esse credebantur, quas eo minus ferre poterant patres, quo minus plerique in iis erant exercitati, et haereticis plerumque inferiores. Hinc graues illae de dialectica Aristotelica querelae, et TERTVLLIANI [i] voces: *Miserum Aristotelem! qui illis dialecticam instituit* (de Valentinianis et haereticis aliis loquitur) *artificem struendi et destruendi versipellem, in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionem, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit. Hinc illae fabulae et genealogiae interminabiles et quaestiones infructuosae et sermones serpentes velut cancer, a quibus nos apostolus refraenans nominatim philosophiam contestatur caueri oportere &c.* Nec minori detestatione Epicureae philosophiae infensi fuere doctores veteris Ecclesiae. Pessime eam iam diu inter ipsos gentiles audiisse, immo sectas alias maxime vero Pythagoricum institutum sequentes et Stoicos grauissime in eam inuectos fuisse, eamque tanquam omnis impietatis atque turpitudinis seminarium aliquod traduxisse, in *Tomo primo et secundo* prolixe exposuimus. Quod cum audirent doctores Ecclesiae, qui et ipsi, cum philosophorum adhuc scholas frequentassent, in deteriorem de Epicuro inclinauerant sententiam, viderentque, talia ab Epicuro praecipi, quae omnem doctrinae Christianae rationem euerterent, et ipsa ciuitatis Christi fundamenta subruerent, non potuere non summa in eam indignatione accendi. Pone enim cum Epicuro: Deum nec mundum ordinasse, nec regere, nec hominum cura tangi, fortuitoque atomorum concursu et oriri et interire omnia, non esse vel gratiae diuinae vel irae locum, nec expectanda post hanc vitam vel praemia vel poenas, an non totus salutis ordo et systematis doctrinae Christianae oeconomia prosternitur, nexusque omnis soluitur vno ictu et euertitur? Causae itaque satis graues erant viris piis, qui pro veritate religionis Christianae militabant, vt hanc haeresin procul esse iuberent, et haec ratio est, cur inter atheos Epicurum numerauerint, eiusque philosophiam cane peius ac angue fugere praeceperint. Accessit his, quod bonos mores a philosophia Epicuri morali corrumpi crederent, eamque pro voluptatis magistra haberent, qua seducti hominum animi ab omni honestatis regula auocarentur et in scelerum praecipitia detruderentur. Loca patrum ea de re, Clementis Alexandrini, Lactantii, Ambrosii iam attulit PETRI GASSENDI [k] diligentia, quibus addi potest AVGVSTINI [l] locus. Nos breuitatis causa ad vnum CLEMENTEM ALEXANDRINVM [m] eo magis prouocamus, quo magis ille philosophiae gentili, in qua diligenter in patria educatus fuerat, fauebat, proque ea commendanda operosam illam Stromatum tractationem instituerat. Is vero durissimas contra Epicurum eiusque philoso-

Execranda visa philosophia Epicurea.

i) De praescript. haeret. c. 7.
k) De vita Epicuri L. III. c. 9. p. 105 seqq.
l) De C. D. L. IV. c. 2.
m) Strom. L. V. p. 604. L. II. p. 415. L. I. p. 295.

loſophiam querelas effundit, *et deteriorem eſſe illis, qui Deum humanis obnoxium affectionibus dicunt*, conqueritur, et eum deteſtatur, *non in eſuriendo nec in ſitiendo, nec frigendo ponentem beatitudinem, vocemque illam Deo parem exclamantem, impie dicendo: ſe pro his vel cum Ioue patre pugnaturum, tanquam porcorum ſtercoribus veſcentium, et non ratione praeditorum ac philoſophorum beatam decernentem victoriam.* Alibi autem D. Pauli admonitionem de cauenda philoſophiae ſeductione adducendo, *philoſophiam quidem*, dicit, *non omnem, ſed Epicuream reprehendi, quae tollat prouidentiam, et in Deorum numerum referat voluptatem, et ſi qua alia honore affecerit elementa, quae dum eorum non conſtituat cauſſam efficientem, ne viſione quidem apprehendat opificem.* Alia hic non cumulamus, cum ſatis haec demonſtrent, quam deteſtabilis patribus philoſophia Epicurea viſa fuerit. Vnde et in ipſum Epicurum, cuius cetera vitam ſatis honeſtam fuiſſe *Tomo primo* demonſtrauimus, inſurgunt, et ſcelerum, plagii, aliorumque criminum accuſant, cuius in eodem CLEMENTE [n] exempla inueniri poſſunt.

§. XVIII. Fatendum tamen, mitius nonnullos de Ariſtotele eiusque philoſophia ſenſiſſe, et extra contentionis aleam poſitos non omnem illi detraxiſſe laudem. Certe ipſe TERTVLLIANVS [o], grauis Ariſtotelis cenſor, *Zenoni vigorem, Platoni honorem, Ariſtoteli tenorem* tribuit. Fueruntque inter ipſos Eccleſiae doctores, qui Peripateticam philoſophiam publice amplecterentur, inter quos Anatolii, Didymi Alexandrini, Zachariae Scholaſtici, Boëthii, et poſt hos Ioannis Damaſceni et Ioannis Philoponi eminent nomina, de quibus omnibus ex inſtituto dicendi in ſequentibus erit locus. Id quod potiſſimum accidiſſe videtur, cum Eclectica philoſophandi ratio circa finem ſeculi ſecundi et tertii initia Alexandriae duce Ammonio Sacca ſurrexiſſet. Cum enim illa philoſophia Chriſtiani doctores nonnulli, maxime Origenes, et quae magiſtrum ſecuta eſt, ſchola eius vehementer caperentur, Alexandrini autem hi philoſophi, cum Platone Ariſtotelem conciliare aggrederentur, eiusque dogmatibus nouos ſenſus inducerent, factum inde eſt, vt Chriſtiani quidam inducerentur vt putarent, Ariſtotelem facile in concordiam cum reuelatione redigi poſſe, eo quod diuiniores ei et cum Platone conſpirantes ſententias et Stoicis tribui viderent. Eadem quoque Stoiciſmi ratio fuit, qui cum mature ab Eclecticae ſectae Syncretiſmo ſupprimeretur, nouam magisque placituram accepit faciem. Vna Epicuri ſecta nec patronos inuenit, nec ob rationes dictas inuenire potuit, cum a conditoris ſui praeceptis ne latum vnguem diſcederet, omnemque de diuinis doctrinam tanquam mere illuſoriam et ad impoſturas referendam traduceret. Quo nomine nec ſanctiſſimo Seruatori Epicureos peperciſſe Luciani exemplo conſtat. Mirandum itaque non eſt, Epicuri defenſorem GAS-

Quidam PP. Ariſtoteli fauentes.

n) L. II. p. 365. L. IV. p. 532. L. VI. p. 629. alibique. o) De anima p. 306.

GASSENDVM [p] ne vnum quidem ex omni patrum choro inueniſſe, qui de Epicuro mitius ſenſerit, eumque vel defenderit vel excuſauerit, ſed ſatis feciſſe ſibi viſum eſſe, ſi oſtenderet, eos non ex Epicuri libris, ſed ex Stoicorum criminationibus haec ei ἐγκλήματα obieciſſe.

XIII. PP. Platoni fauentiſſimi, ſed certo tantum reſpectu.

§. XIX. XIII. Fauentiores vero Platonicae ſectae ſe praebebant veteres Chriſtiani, praecipue doctores Eccleſiaſtici, iisdem rationibus, quas modo attulimus, vſi. Et ipſum quidem Platonis ſyſtema, principiis atque concluſionibus conſtans, prout totum Platonicae doctrinae ambitum continet, nec recepiſſe patres, nec defendiſſe, immo ne excuſaſſe quidem, in confeſſo eſt, multusque in hoc demonſtrando eſt FR. BALTVS [q], qui vt Platoniſmum PP. obiectum euerteret, et ab hac eos labe liberos pronunciaret, improbaſſe eos Platonis philoſophiam atque totam doctrinam, multis teſtimoniis locisque, quibus in Platonem inſurgunt, congeſtis, probare contendit: rationes ita ſubducens, ſi ita fauiſſent Platoni doctores Chriſtiani, vt Platoniſmus eis obiici poſſet, in eo diligentes futuros fuiſſe, vt errores excuſarent, non vero tot illi abſurda atque impia dogmata exprobraſſent. Quod vtrum ad hanc, quae de Platoniſmo PP. agitur, quaeſtionem pertineat, infra melior dicendi locus dabitur: heic vero argumenta Balti audienda ſunt, quibus odium veterum Chriſtianorum erga Platonicam philoſophiam demonſtrare ſatagit, eo quod hoc praecipuum in tractatione de philoſophia veterum Chriſtianorum momentum eſt, accurate noſſe, quid de patrum in philoſophiam Platonicam animo ſtatuendum ſit, a quo multae quaeſtiones dependent, in hiſtoria critica reipublicae ſacrae enucleandae. Ita vero Baltus phalanges, quas in aciem producit, inſtruit, vt moneat: obieciſſe veteres doctores, praecipue vero, qui apologias pro R. C. ſcripſerunt, Platoni polytheiſmum, eo quod ſubſtantias ſpirituales inferiores in Deorum numerum retulerit, ſicque, cum ex Hebraeorum traditione noſſet, vnum tantum eſſe Deum adoratione colendum, vel ex metu populi, vel vt illi theologiam commendaret ſuam, iſtam Deorum multitudinem cultumque introduxerit. Id quod IVSTINI [r], EVSEBII [s], THEODORITI [t], AVGVSTINI [u] et ORIGENIS [x] locis probat, nec omittit Socratis genium, quem malum ſpiritum fuiſſe, duce vſus LACTANTIO [y] et TERTVLLIANO [z], ſtatuit, iisdemque, quibus illi, praeiudiciis ad hanc opinionem ſeducitur. Deinde obſeruat, admiſiſſe Platonem et pro diuino opere habuiſſe diuinationem, idque acerbe ipſi exprobraſſe patres. Quo in argumento tamen vel extremam ignorantiam vel ſupinam negligentiam ſcriptoris tantum eruditionis apparatum prae

p) l. c. L. VI. c. 5. p. 1160.
q) l. c. L. III. tot. p. 242. ſeqq.
r) Cohort. ad Graec.
s) Praep. L. XIII. c. 14. 18.
t) Serm. L. II. III.
u) De C. D. L. VIII.
x) Contra Celſ. L. VI.
y) Inſtit. L. III. c. 20.
z) Apologet. c. 46.

prae se ferentis mirari satis non possumus. Vt enim hanc Platoni dicam scriberet, et, quam insaniuerit Platonis philosophia in commendanda diuinatione et theurgia, ostenderet, ad Plotinianam scholam, eiusque discipulos Plotinum, Porphyrium, Iamblichum, aliosque prouocat, qui ex hoc fundamento magiam, detestabile veteribus Christianis opus, vehementer commendauerunt. Ast immensum inter Academiam veterem et scholam Platonico-Plotinianam discrimen intercedere, luculentissimis suo loco testimoniis atque rationibus confecimus. Et ipsum illud de mediatione angelorum dogma, quod pungere AVGVSTINVM [a] obseruat Baltus, ad ea doctrinae genera pertinet, quae in Aegypto ex philosophia Orientali receperunt Platonici recentiores. Quaecunque igitur hoc in capite operose cumulat Baltus, nihil prorsus ad Platonem ipsum eiusque doctrinam faciunt, sed Plotinianae scholae dogmata ferunt, quae hanc praecipue sententiam ideo incrustauit, vt labenti superstitioni suppetias ferre, et Christianae doctrinae eo fortius se opponere posset, vt alibi demonstratum. Quod summopere offendisse patres, et duras eis voces expressisse, minime mirandum. Sed et hoc porro vrget Baltus, reiecisse veteres Ecclesiae doctores Platonicam doctrinam de anima, et praecipue in eo illum reprehendisse, quod animam ex parte fecerit spiritualem, ex parte materialem, qua de re legendus EVSEBIVS [b]. Sed et fati Platonici necessitatem eos oppugnasse, hancque animabus dictam Adrasteae legem improbauisse monet, ostendens, ex hoc potissimum fonte fluxisse ineptum μετεμψυχώσεως dogma, quod patres acriter iugulabant, vt ex EVSEBIO [c], THEODORETO [d], IRENAEO [e], CHRYSOSTOMO [f] et apologiarum pro C. R. scriptoribus fere omnibus constat. Quo loco non praeter rem monet Baltus, iuniores Platonicos, Porphyrium imprimis et sequaces ad tolerabiliores sensus hanc animarum migrationem ex vno corpore in aliud transtulisse, neque tamen ferri posse allegoricam Dacierii interpretationem. Hoc enim in toto hoc de PP. de philosophia Platonica iudicio probe tenendum est, aliam fuisse Platonis et Academiae veteris, aliam Platonicorum post C. N. vel Alexandrinorum philosophorum sententiam. Inter errores porro Platonicos, hunc quoque reiiciebant atque improbabant doctores Ecclesiae, animam extitisse antequam in corpus mitteretur, peccantemque cognitionis prioris vestigia amisisse, et per reminiscentiam ea reuocanda esse, qua de re LACTANTII [ff] et AVGVSTINI [g] loca videnda sunt. Contendit etiam Baltus, tria ista principia, Deum, materiam atque ideam patres reiecisse. Quod vt euincat, THEOPHILI ANTIOCHENI

a) loc. cit. c. 20.
b) Praeparat. L. XIII. c. 15. 16. 17.
c) loc. cit. d) Serm. XI.
e) Adu. haeres. L. II. c. 59. 60.
f) Homil. II. in Ioann. et homil. IV. in Acta Apost.
ff) Instit. L. III. c. 18.
g) De trinit. L. XIII. c. 15.

NI [h], EVSEBII [i], TERTVLLIANI [k], LACTANTII [l] aliorumque multorum ea de re teſtimonia adducit, quibus mundi aeternitatem reiecerunt, Dacieriumque friuola excuſatione medicinam afferre tentantem corrigit, ideisque nuntium miſiſſe, dum probandum erat, patres eas non abieciſſe, ſed poſuiſſe in intellectu diuino, recte aſſerit, id enim luculenta eorum loca a PETAVIO [m] adducta ſole meridiano clarius euincunt. Aſt monendum erat, Platonicos recentiores ſiue Alexandrinos, vt ſe philoſophiae Orientali attemperarent, hoc etiam in dogmate a Platonis mente receſſiſſe, et metaphyſica magis vnitate eas in intellectu diuino poſuiſſe, verum ita tamen, vt ſingulari exiſtentia gaudentes, peculiare Deorum genus ſublime et Deo proximum in diuina luce ponerent. Ex quo intelligitur, Alexandrinos philoſophos ideas Platonis ad morem aeonum in philoſophia Orientali reformaſſe, quo ſenſu ferri poteſt, quod TERTVLLIANVS [n] obſeruauit, *relucere in ideis ſemina Gnoſticae et Valentinianae haereſeos.* Nec tam coeci fuere patres, vt non obſeruarent, has ideas vt deitates et numina a Platonicis induci. Id quod luculenter prodidit CYRILLVS ALEXANDRINVS [o], cuius locus, quem et BALTVS [p] Graecum produxit, legi meretur. Vnde non poterant non ideae Platonicae illis diſplicere, licet dari in intellectu diuino illas ſtatuerent, vt alibi [q] dictum. Quod tamen occaſionem obtulit nonnullis, vt non melius de ideis ſentirent, quam Alexandrini philoſophi, quorum φιλοσοφούμενα receperant, vt Pſeudo-Dionyſii et Syneſii exemplo diſci poteſt. Tandem philoſophiam quoque moralem Platonis doctoribus Chriſtianis diſplicuiſſe, ex CHRYSOSTOMO [r] et THEODORETO [s] recte probauit Baltus. Maxime vero Platonis rempublicam carpebant, legesque nuptiarum et matrimonii itemque communionem bonorum ab eo ſtatutam. Quibus in erroribus Platonis notandis ſatis prolixus et acerrimus eſt LACTANTIVS [t]. Quem tamen, vt alios, nimium fuiſſe, feruoreque diſputationis plerosque accenſos ea in Platone vidiſſe, quae hac nebula non impediti alii non vident, omnes facile deprehendent, qui eorum inuectiuas in Platonem legent ſine praeiudicio, vel ea tantum loca attente perluſtrabunt, quae collegit Baltus, patribus nec ſincerior in ea re, nec diligentior et accuratior. Ex his vero, quae paucis de patrum ſententia de Platonica philoſophia diximus, et copioſe, licet iudicio ſatis mediocri collegit Baltus, patet, Platonicam quoque philoſophiam dignam illis minime viſam fuiſſe, quam ita reciperent, vt eius ſyſtemati ſubſcriberent. Vbi vero id, quod ſupra monuimus, denuo inculcandum eſt, intelligendum id eſſe, de totō nexu et complexu philoſophiae

h) Ad Autolyc. L. II.
i) Praep. Eu. L. VII. c. 19. 20. 22.
k) Adu. Hermog.
l) L. II. c. 9.
m) Dogmat. theol. T. I. L. IV. c. 1 & p. m. 293. ſeqq.
n) De anima p. 312.
o) Adu. Iulian. L. II. p. 66.
p) loc. cit.
q) In hiſtor. de ideis Sect. II. §. 2. p. 179. ſqq.
r) Homil. in Matthaeum.
s) Sermon. XI.
t) L. III. c. 21.

ſophiae Platonicae, principiisque primariis atque fundamentis, quibus illud ſyſtema nititur, non vero de hoc illoue dogmate Platonico, quod ideo ſibi probandum eſſe ſtatuebant, quod veritas eſſet diuina ab Hebraeis ad Platonem delata, adeoque Academiae eripienda et vindicanda Eccleſiae. Repetendum quoque, quod in antecedentibus monuimus, in diſputationis conflictu ardoreque conſtitutos patres, dum gentiles philoſophos refutant, acerrime pugnauiſſe, et acerbiora, quam ſolebant extra pugnam poſiti, dixiſſe. Hinc enim factum eſt, vt quem interdum culpauerant ſatis vehementer, Platonem alio tempore nimis efferrent, id quod ſibi accidiſſe faſſus eſt D. AVGVSTINVS *, eas laudes retractando, quas nimias tribuiſſe Platoni deprehenderat. Recte itaque de iudicio PP. de philoſophia Platonica pronuntiaturis, fuiſſe illud relatiuum, dicendum eſt, nempe contemſiſſe et reprehendiſſe illos philoſophiam Platonicam, reſpectu habito tum ad nexum eius integrum et vniuerſalem complexum, tum ad dogmata Chriſtiana infinitis modis meliora et praeſtantiora: laudauiſſe vero eam, relatione habita tum ad particularia illa dogmata, quibus de diuinis praecipit, tum ad reliquas ſectas, quas de diuinis diſſerentes longius a Chriſtianis placitis abire nouerant. Poſſet id, niſi longius eſſet quam vt locum hic caperet, luculentis patrum locis oſtendi, et iudicia eorum de Platone comparata eſſe, doceri. Vnus tamen alterque AVGVSTINI * locus ſufficiet. Is enim de Platone ita ſcribit: *Platonem Labeo inter ſemideos commemorandum putauit, ſicut Herculem, ſicut Romulum. Semideos autem Heroibus anteponit, ſed vtrosque inter numina collocat. - - Nos quidem Platonem, nec Deum, nec ſemideum perhibemus, nec vlli ſancto angelo ſummi Dei, nec veridico prophetae, nec apoſtolo alicui, nec cuilibet martyri Chriſti, nec cuiquam Chriſtiano homini comparamus, cuius noſtrae ſententiae ratio, Deo proſperante, alio loco explicabitur.* Et alibi ʒ: *Quamuis enim homo Chriſtianus literis tantum Eccleſiaſticis eruditus Platonicorum forte nomen ignoret - - non tamen ita ſurdus eſt in rebus humanis, vt neſciat, philoſophos vel ſtudium ſapientiae, vel ipſam ſapientiam profiteri. Cauet eos tamen, qui ſecundum elementa huius mundi philoſophantur, non ſecundum Deum, a quo factus eſt mundus. - - Nouit ſane etiam ipſos, in quibus errant, cauere. Vbi enim dictum eſt, quod per ea, quae facta ſunt, Deus illis manifeſtauit, ibi etiam dictum eſt, non illos recte Deum coluiſſe, quia et aliis rebus, quibus non oportebat, diuinos honores illi tantum vni debitos detulerunt &c.* Alia loca breuitatis cauſſa tacemus.

§. XX. XIV. Habuiſſe vero Patres Platonem pro eo philoſopho, qui inter reliquos, quantum ab homine gentili expectari poſſet, optime de Deo deque diuinis rebus philoſophatus ſit, ob dictas rationes, et, quam *XIV. Cur Platonem PP. reliquis philoſophis praetulerint?*

*) Retract. L. I. c. 1. x) De C. D. L. II. c. 14. ʒ) L. VIII. c. 9.

quam ſibi perſuadebant, harmoniam dogmatum multorum Platonicorum cum ſacris Chriſtianorum doctrinis, omnes fere eorum loquuntur paginae. Non enim omnia, quae in Platone inueniebant, damnabant, ſed cum partim mediante Pythagorae inſtitutione, partim occaſione itineris literarii inter barbaros inſtituti complures eum doctrinas accepiſſe crederent ab Hebraeis, eas eſſe verae philoſophiae reliquias ſtatuebant, easque ad ſacras doctrinas pertinere dicebant. Hoſpitem eſſe in veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum lectione oportet, qui haec ignorauerit, adeo vbique iſta produnt. Maxime vero Clemens Alexandrinus, Euſebius atque Auguſtinus iſto praeiudicio occupati ſunt, proque Platonis philoſophia ea opinione imbuti, qua haeſiſſe illi putant ex Moſis diſciplina doctrinas haud vulgares. Id quod ita affirmat Clemens [a], vt non vereatur aſſerere, fidei dogmata nonnulla praeſtantiſſima eum ex ſcripturis Hebraicis accepiſſe: recteque vocari Platonem a Numenio Moſen atticiſſantem: eſſe eum philoſophum ex Hebraeis, doctrinamque de ſummo bono cum reuelatione omnium optime conuenire. Laudat porro eum tanquam ſcripturae concinentem, quod doceat, virtutem dari a Deo, vitamque etiam poſt hanc vitam eſſe futuram. Maxime vero *Libro Stromatum quinto* [a] totus in eo eſt, vt dogmata illa nobiliſſima explicet, quae ſurripuiſſe Platonem Hebraeis contendit. Putat enim, haec a Moſe ad Platonem peruenisſe dogmata: eſſe animam a Deo inſpiratam, corpus vero terrenumque tabernaculum ex terra formatum eſſe. Animam rationalem ingreſſam in corpus, feciſſe, vt exiſteret homo ad ſimilitudinem et imaginem Dei, et ſequi inde neceſſarium hominis finem, Deo aſſimilari. Eſſe porro et hoc Platonis ex barbara philoſophia, omnes bonos inter ſe eſſe amicos: oportereque id quod intelligit, ſe aſſimilare ei, quod intelligentia apprehenditur, conuenienter antiquae naturae. Talia multa in ſequentibus colligit, heic, vbi breuitas ſectanda eſt, non repetenda, quae vbique apud eum deprehenduntur. Immo eo vsque procedit, vt affirmet [b], Platonem in *Theaeteto* de vita Chriſtiana verba feciſſe, eamque deſcripſiſſe. Eadem via inceſſit Evsebivs [c], haud parcior Platonicorum dogmatum laudator, qui in *praeparationis Euangelicae* libris integras pericopas ex Platone deſcripſit, vt oſtenderet, ſana et ſacris quam maxime affinia in Platonis dialogis reperiri, Avgvstinvs autem tantopere Platonem extulit, vt eius illum poſtea poeniteret. Ita enim in *retractationum* exordio: *Laus quoque ipſa, qua Platonem vel Platonicos ſiue Academicos philoſophos tantum extuli, quantum impios homines non oportuit, non immerito mihi diſplicuit.* Cuius exemplum Lector petere poteſt ex libris *de ciuitate Dei* [d], quo loco Platonem omnibus reliquis philoſophis praefert, eumque inter Socraticos diſcipulos praeſtantiſſimum fuiſſe agnoſcit; eſſe autem contendit in multis dogmatibus, iis prae-

a) L. I. Strom. p. 315. 342. 274. L. II. p. 419.
b) p. 588. b) p. 596.
c) Praep. euang. L. VI. ſeqq.
d) Maxime L. VIII.

praecipue, quae de Deo agunt, philoſophum Chriſtianum, ignoto licet Chriſtianis Platonis nomine. Eam enim ſibi cauſſam, ait e), fuiſſe, cur Platonem, et aſſeclas ceteris praetulerit, quia *cum alii philoſophi ingenia ſua ſtudiaque contriuerint in requirendis rerum cauſſis, et quinam eſſet modus diſcendi atque viuendi: iſti Deo cognito repererint, vbi eſſent, et cauſſae conſtitutae vniuerſitatis, et lux percipiendae veritatis, et fons bibendae felicitatis. Siue ergo iſti Platonici, ſiue quicunque alii quarumlibet gentium philoſophi de Deo iſta ſentiant, nobiſcum ſentire.* Quam ſententiam ſuam, quae et aliorum eius et ſuperioris aetatis doctorum inter Chriſtianos fuit, vt confirmaret, *Capite ſequente* inquirit: *Vnde Plato iſtam intelligentiam potuerit acquirere, qua Chriſtianae ſcientiae propinquauit?* eo quod multos hanc concordiam mirari noſſet. Reiecta igitur, quam et ipſe prius ſecutus fuerat, nonnullorum traditione, Platonem in peregrinatione Aegyptiaca vel cum Ieremia vate conuerſatum fuiſſe, vel ſcripturas diuinas legiſſe, eo quod temporum ſupputationi illam refragari videret, quem centum ferme annis poſtea natum fuiſſe, cum Ieremias in Aegypto fuiſſet, conſtet, verſio vero Graeca legis ſub Ptolemaeo LX annis Platonis aetate ſit inferior: aliam viam, ſed ſine duce, ſine comite, ingreſſus coniicit, *Platonem, forte per interpretem, non verſionem quidem legis accepiſſe, quod ſolus Ptolemaeus pro ingenti beneficio, qui regia etiam poteſtate timeri poterat, vix meruerit; colloquendo tamen quid contineret, quantum capere potuiſſet, addidiciſſe.* Cuius rei indicia ſe habere dicit concordiam, quae intercedit inter coſmogoniam Moſaicam et Timaei ſiue Platonicam. Maxime tamen illud, quod ſe plurimum adducat, vt pene aſſentiatur, Platonem illorum librorum expertem non fuiſſe, hoc dicit eſſe, *quod cum ad ſanctum Mouſen ita verba Dei per angelum perferantur, vt quaerenti, quod ſit nomen eius, qui eum pergere praecipiebat ad populum Hebraeum ex Aegypto liberandum, reſpondeatur: Ego ſum, qui ſum, et dices filiis Iſraël, qui eſt, miſit me ad vos, tanquam in eius comparatione, qui vere eſt, quia incommutabilis eſt, ea quae mutabilia facta ſunt, non ſint: vehementer hoc Plato tenuerit, et diligentiſſime commendauerit.* Vbi tamen non poſſumus non laudare Auguſtini longe doctiſſimi praeſulis, quique iudicandi acie multos ante ſe ſuperauit, modeſtiam atque cautam ſtatuendi rationem, qui hanc Hebraeorum ad Platonem perlatam traditionem non pro certo, vt ſolent ceteri, fundamento admittit, ſed pro ſola coniectura veriſimili habet, non diffeſſus, etiam talia Platonem ex rationis dictamine potuiſſe cognoſcere. Vnde ſubiicit: *Sed vndecunque illa iſte didicerit, ſiue praecedentium eum veterum libris, ſiue potius, quomodo dicit Apoſtolus, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit &c. non immerito me Platonicos philoſophos elegiſſe, cum quibus de Deo vno colendo agam, patet &c.* Non diſquiremus heic anxie, vtrum iſta veterum

e) De Ciuit. Dei L. VIII. c. 9.

Chriſtianorum opinio de fontibus theologiae Platonicae, de qua in praeſentia ſermo eſt, rationem habeat veriſimilem, et an tanti ſit patrum in ea re conſenſus, vt credamus, Platonem ea, quae cum ſacris dogmatibus conſonant, vel talia videntur, ab Hebraeis in peregrinatione Aegyptiaca accepiſſe; ea enim de re, quantum ſatis eſt, et ad liberandum a veteri praeiudicio Lectorem ſufficit, nos *Tomo primo*, attuliſſe dixiſſeque recordamur. Hoc vero ex dictis abunde liquere putamus, doctores Eccleſiaſticos, quamuis dogmatum Platonicorum συνάφειαν totumque doctrinae aedificium multasque eius partes reiicerent, multa tamen Platonis placita, praeſertim extra ſyſtematis nexum conſiderata habuiſſe pro ſanctis, veris, quinimmo diuinis et Chriſtianis, eaque omnino probauiſſe. Quod vt vel per tranſennam patrum libros inſpicienti eſt in propatulo, ita nec Baltus negare potuit, qui, quamuis vehementer contra Platoniſmum patrum pugnaret, faſſus tamen eſt, et luculentis ipſe teſtimoniis demonſtrauit, eos veritates illas in Platonis philoſophia occurrentes, et cum ſacris ſententiis concordare viſas habuiſſe pro talibus dogmatibus, quae Hebraeis ſurrepta, Chriſtianis, veris earum poſſeſſoribus, vindicanda eſſent. Quod ne obſtaret ſuae opinioni, patres nullum Platonicis dogmatibus poſuiſſe pretium, ipſumque Platonem eiusque philoſophiam contemſiſſe, eadem ſemper chorda oberrat, patrumque ſequitur praeiudicium, clamando: has non Platonicas ſed Hebraicas veritates fuiſſe, nec alio nomine atque ſignificatione a patribus fuiſſe receptas, Platoniſmum vero, qua talem, tantopere fuiſſe illis inuiſum, vt ipſe Auguſtinus, non obſtantibus tot, quibus Platonem eiusque philoſophiam proſecutus ſit laudibus, vehementer eam improbauerit. Quo vero modo, nihil eum ad ſcopum ferire, mutare ſtatum controuerſiae, et in iis probandis occupari, quae nihil ad rem faciunt, et ſine contradictione ab omnibus, qui diſſentiunt, admitti poſſunt, eſt in propatulo. Longe enim aliud vult Platoniſmus patrum, toties illis obiectus, quam quod Baltus putat, eos Platonicum ſyſtema totum recepiſſe. Hoc enim falſum quidem eſt, at non contradicit illis, qui Platonica dogmata arriſiſſe patribus contendunt. Illi enim nihil aliud volunt, quam hoc, quod operoſe demonſtrauit Baltus, ſuaque ipſe ita vineta caecidit: nempe elegiſſe patres, non ſatis ad ſenſum dogmatum Platonicorum genuinum et ex nexu totius ſyſtematis illis debitum attentos, multas Platonis doctrinas, easque ſyſtemati Chriſtiano intuliſſe, eo quod ſacras, diuinas, ab Hebraeis profectas et cum Chriſtianis conſonas crederent, quamuis inſigniter fallerentur. Id quod veteris Eccleſiae doctoribus, viris certe eruditione et pietate illuſtribus, quorum cariſſima et veneranda nobis debet eſſe memoria, ſed in arte critica non exercitatis, et hallucinationes multas in hoc argumento critico paſſis condonandum omnino eſt, excuſari autem et defendi, et ita negari, vt non errauiſſe eos in ea re perti-

pertinaciter contendatur, in tanta noſtrorum temporum iuce, artisque criticae et hiſtoriae philoſophicae cognitione ferri non poteſt. Vnde optandum, vt Baltus eandem attentionem, iudicium, et animi recti atque praeiudicio carentis certitudinem attuliſſet, quam ex eadem ſocietate habuiſſe doctiſſimum Petauium de Platoniſmo PP. nonnullorum diſſerentem, infra probabimus. Aſt ingens inter Petauii et Balti eruditionem et lectionem diſcrimen intercedere, Lector doctus facile deprehendet. Verum haec ὡς ἐν παρόδῳ.

§. XXI. Rationes, quibus ducti PP. in hanc de Platonis philoſophia opinionem deſcenderint, ex antecedentibus iam intelligi poſſunt, iuuabit tamen paucis eas illuſtrare explicareque, vt argumentum hoc tantopere inter eruditos diſputatum ſua luce radiet. Nempe praeter internam illam prouidentiae, rationisque aeternae, quam λόγον dixere, manifeſtationem, cui tamen, vbi ad rem ventum, non multum tribuebant, per traditionem ad Platonem eas veritates perueniſſe dicebant, vt in praecedentibus dictum. Hanc itaque traditionem vt demonſtrarent, ad Platonem vsque perueniſſe, ad iter eius Aegyptiacum, ſuſceptamque philoſophiae addiſcendae cauſſa peregrinationem literariam confugiebant. In eo autem itinere Platonem in Italia prius didiciſſe multa in Pythagoreorum ſcholis, tum ad Aegyptiorum prophetas profectum philoſophiae ſtudium abſoluiſſe, et reuerſum in patriam Italicas prius ſcholas denuo inuiſiſſe, hiſtoria philoſophica teſtatur. Et haec quidem ad adſtruendam illius traditionis fidem a patribus in auxilium aduocata ſunt. Multa enim ſacris literis conſona didiciſſe eum a Pythagora cenſebant. Quem cum in itinere Orientali non Aegyptum tantum eo tempore inuiſiſſe crederent, quo relicta a Babyloniae rege turba Iudaeorum in eam regionem aufugiſſet, ſed captum quoque a Cambyſe, et ad Aſſyrios traductum et Babylonios, occaſionem habuiſſe in hoc itinere Orientali cum Iudaeorum vatibus ibi commorantibus conuerſandi ſtatuerent, inque hac opinione auctoritate quoque publici teſtimonii, quod Pythagorae totam barbaricam diſciplinam tribuebat, eſſent confirmati, tum de Platonis concordia cum Moſaica ſapientia, tum de ipſius Pythagorae philoſophia ſacris Iudaeorum dogmatibus conſona multa dixerunt, quaſi ex tripode hauſta, et nullis dubiis expoſita. Qua de re cum *Tomo primo* Pythagorae hiſtoriam enarrantes ſatis prolixi fuerimus, locaque veterum copioſe adduxerimus, breues hic erimus, nec ea otioſe repetemus, ſed id modo monemus: vidiſſe patres miram in Pythagorae quoque philoſophia concordiam cum Scriptura ſacra et Chriſtianae religionis dogmatibus, qua de re qui vŏlet, IVSTINVM [f] et CLEMENTEM ALEXANDRINVM [g] adeat, qui in ea re multi ſunt. Quamuis autem nonnulla in Pythagorae diſciplina patribus diſpliceret, quod imprimis de inepto transmigrationis animarum dogmate valet, non tamen hoc obſtitit, quo minus

Rationes cur PP. philoſophumena Platonis laudauerint.

f) Cohort. ad Graec. g) Admonit. ad gent. p. 47. Stromat. L. IV. p. 477. L. V. p. 560.

minus alia multa Pythagoram habere ſacris Hebraeorum placitis conſona, vel affinia ſaltem, crederent [h]. Eas autem doctrinae Pythagoreae particulas cum Plato in ſchola Italica didicerit, ſuoque, quod commentus eſt, ſyſtemati philoſophico inſeruerit, nactum inde eum veritates ſacras multas ſtatuebant. Sed et, vt iam dictum, ipſum eius iter Aegyptiacum in partes vocarunt, credentes, Platonem, cum omnes Aegypti ſapientes adiret, magnoque pernoſcendi philoſophiam barbaricam deſiderio flagraret, etiam ad Iudaeos penetraſſe, et eorum conſuetudine vſum ſacrae legis myſteria didiciſſe. Quod vt eo magis probarent, legis Moſaicae verſionem, ea, quae ſub Ptolemaeo Philadelpho facta dicitur, vetuſtiorem, commenti ſunt. Quibus rationibus quam parum ponderis ſubſit, ſuo loco ampliſſime confecimus, falſamque hanc traditionem rationibus, niſi fallimur, luculentis euertimus. Vehementer autem confirmati ſunt patres Eccleſiae veteris in hac opinione, cum viderent, intercedere aliquam inter Iudaicas doctrinas et Platoniſmum Alexandrinum ſimilitudinem et concordiam. Suo enim loco docuimus, ab Ariſtobuli aetate quendam inter Iudaeos viguiſſe ſyncretiſmum, Aegyptiaca, Orientalia et Platonica dogmata philoſophiae domeſticae attemperantem: cui vt ſuffragarentur eius auctores, dixiſſe, auctorem huius philoſophiae ipſum Moſen fuiſſe. Quo praeiudicio cum Iudaei Aegyptiaci, maxime Philo, tóti eſſent occupati, ab iis inepta opinio ad Chriſtianos peruenit. Id quod ex CLEMENTE ALEXANDRINO [i] clare intelligi poteſt, qui Iudaeum genus barbaris omnibus antiquius eſſe contendit, et quae apud ipſos ſcriptis mandata eſt, philoſophiam coepiſſe ante Graecam Philonis auctoritate probat, et Ariſtobuli teſtimonio roborat, et ad Megaſthenem prouocat. Cauſſas huius praeiudicii non ignorabunt, qui eorum recordantur, quae ſuperiori libro de philoſophia Iudaeorum Aegyptiacorum differuimus. Nempe eo loco pluribus oſtendimus, vbi ſemel regionis moribus, ſtudiis placitisque ſe attemperauerint Iudaei, nouumque philoſophiae genus, allegoria obſtetricante ſuis obtruſerint, perſuaſiſſe ſibi, eam philoſophiam a patriarchis ſuis ad gentes peruenisse: idque duabus ex cauſſis ſtatuiſſe; partim, vt ambitioni ſuae litarent, quae hos theſauros gentibus inuidebat, partim vt odium contribulium ſuorum inuidiamque euitarent, qui aegre ferebant, aliena idola in tabernaculum Dei introduci: Venerabili itaque traditionis nomine ad palliandas nouitates ſuas vſos, peregrinam philoſophiam legis literae, mediante methodo eius regionis allegorica ſibi pro domeſtica vindicaſſe. Haec cum a Iudaeis bona fide Chriſtiani accepiſſent, magnopere in ea opinione ab ipſis gentilium ſcriptoribus confirmati ſunt, teſtantibus, Graecos philoſophiam a barbaris accepiſſe. Cum enim inter barbaros vnam Iudaeorum gentem ex diuina reuelatione diuiniorem verioremque philoſophiam poſſidere crederent, traduxerunt iſtam

[h] Prolixe et erudite Patrum rationes adduxit, et quicquid pro hac opinione dici poteſt, attulit eruditiſſimus Io. LAMIVS de Chriſtianorum recta ſententia de SS. Trinitate L. II. et III. toto.

[i] Stromat. L. I. p. 305.

iſtam traditionem ad hunc populum, abque eo omnia illa veritatis veſtigia profecta eſſe contenderunt. Qua in re dupliciter falſi ſunt. Nam et in eo decipiebantur, quod dogmata ſua cum gentibus communicaſſe Iudaeos credebant, quos tantopere ſua celauiſſe peregrinos conſtat, quosque, certum eſt, nullam vnquam in religionis cauſſa cum gentibus aluiſſe conſuetudinem: et in eo vehementer errabant, quod Platonica illa dogmata, duce philoſophia Orientali in ſpurios ſenſus traducta, ſicque domeſticis Iudaeorum doctrinis attemperata, ſobria et γνήσια tum Platonis tum Moſis et Oraculorum diuinorum placita referre ſtatuebant. Et ex his fontibus ortum eſt omne illud, de Platonicae doctrinae veritate et praeſtantia, patrum praeiudicium.

§. XXII. XV. Mature hanc de Platonicorum quorundam dogmatum veritate et origine Hebraica opinionem inter Chriſtianos inualuiſſe, et iam ſeculo poſt C. N. primo eius veſtigia reperiri, ex ſupra dictis eſt manifeſtum. Maxime vero incrementa ea cepit ſolito maiora, vbi viri docti, qui Alexandriae philoſophiam Platonicam didicerunt, ad Chriſtiana ſacra tranſiuiſſent. Cum enim tota illa philoſophia Platonica a genuina auctoris ſui mente ad ſyncretiſmum quendam deflecteret, ea vero plurimum extolleretur, hinc factum, vt, qui ex philoſophiae huius alumnis ſacra Chriſti dogmata complexi eſſent, Platonemque tamen et eius dogmata reformata et immutata, etiam poſt conuerſionem abiicere omnia non auderent, eiusmodi ἔκλεξιν inſtituerent, rati, ita ſacra dogmata in eiusmodi ſyſtema Eclecticum vel ſyncretiſticum potius reduci poſſe. Id quod imprimis feciſſe et primos fuiſſe auctores Athenagoram et Clementem Alexandrinum eſt veriſimillimum. Certe vtrumque ex hac philoſophia, quae tum regnabat, pluſcula immiſcuiſſe dogmatibus Chriſtianis eorum ſcripta loquuntur, et infra pluribus demonſtrabitur. In apertam tamen profeſſionem erupit ſyncretiſmus ille inter Platonica et Chriſtiana dogmata, poſtquam Ammonius Saccas peſtilens hoc philoſophandi genus in Sectae habitum traduxiſſet, et quod nullam hactenus certam formam habuerat, quamuis ab aliquot iam ſeculis in Aegypto viguiſſet, tandem certo vultu depictum et in ſyſtema redactum orbi obtruſiſſet. Quam mortale ab eo tempore ſidus Chriſtianos doctores afflauerit, poſtquam ipſe Ammonius, homo fanaticus et apoſtata, ad commendandam philoſophiam ſuam, Chriſtianis quoque dogmatibus nonnullis placita ſua accommodaſſet, exque eius ſchola Origenes et innumera diſcipulorum eius cohors prodiiſſet, *Tomo ſecundo*, Ammonianae ſcholae hiſtoriam ampliſſima narratione exponentes accurate oſtendimus. Ea itaque, quae prolixe ibi dicta ſunt, hoc loco, vbi omnino repetenda ſunt, breuitatis ſtudioſi, non afferemus; Lectorem vero rogamus, vt ad iſtam quidem tractationem ipſe recurrat, ſine qua mancae erunt hae noſtrae obſeruationes. Id ob tractationis ſeriem hoc loco ὡς ἐν συνόψει monemus:

XV. Eclecticae ſectae Platonem PP. commendauit.

ſcholam Ammonii, eiusque diſcipulum Plotinum et ſequaces, iſtius ſyncretiſmi beneficio, iis dogmatibus, quae in Platonico ſyſtemate longius a Chriſtiana fide diſtare, vehementerque diſſentire videbantur, molliores induxiſſe non locutiones modo et verba, ſed et ſenſus atque opiniones, ideoque abiecto ſyſtemâte dualiſtico, quod cum Chriſtiano in concordiam redigi non poteſt, emanatiuum, ex philoſophia Orientali recepiſſe, et ita potiora Chriſtianorum placita, ſignificatione licet diuerſiſſima, imitando expreſſiſſe: quibus coloribus decepti patres cum in horum hominum ſcholis philoſophiam didiciſſent, ea in Platonicorum horum ſyſtemate eſſe purioris doctrinae veſtigia putauerunt, quae philoſophorum verſipellium aſtutia fraudulenter introduxerat, eaque tanquam ſibi debita vindicarunt. Cumque, teſte AVGVSTINO [k], Platonicorum ſibi nomen illi ſtudioſe aſſererent, factum inde eſt, vt Platonem ex Platonicorum recentiorum pede metientes, hos fauores et beneuolentiam ad eum ipſum referrent. Hoc vero praeiudicio ſemel occupati, cum a pueritia quaſi iſtis opinionibus eſſent innutriti, vbi ad docendi munus peruenerunt, diſcipulos iisdem ſententiis imbuerunt. Qua in re ſummam fuiſſe Origenis diligentiam, ex panegyrico diſcipuli eius Gregorii Thaumaturgi conſtat, vt ſupra iam obſeruatum. Illi vero, quamuis eſſet doctiſſimus, hanc ſcabiem, qua ab eo tempore Eccleſia infecta fuit, deberi, ea nos conuincent, quae in ſequentibus de eo dicemus. Adeo vero certa haec ſunt, et a viris doctis toties obſeruata, vt nec ipſi Romanae Eccleſiae doctores, quique plurimum Patrum Eccleſiae auctoritati tribuunt, id negare audeant [l]. Qua de re imprimis legenda ſunt, quae doctiſſimus MASSVETVS [m] candide et erudite diſſeruit. Vidit id aduocatus patrum BALTVS [n], nec negare ſuſtinuit, quod tot teſtimoniis confirmat hiſtoria Eccleſiaſtica. Ne vero, veritate conuincente, fateri cogeretur, patres Eccleſiae in eo lapſos fuiſſe, quod ſeducti ab Ammonii ſchola, ea Platonicorum dogmata receperint, et pro veris diuinisque myſteriis affinibus habuerint, quae Platoniſmum magis, quam Chriſtianiſmum ſapiunt, ad hunc angulum confugit, non fuiſſe Ammonii ſcholam Platonicam, ſed Eclecticam. Parum vero id cauſſam frigidi aduocati et verbis potius pictis, quam rationibus pugnantis iuuare, intelligent, qui exigua attentione fuerint vſi. Vbi enim de Platoniſmo PP. diſputatio inſtituitur, non intelligitur ille Academiae veteris, quae genuinam Platonis mentem expreſſit, Platoniſmus, ſed doctrina illa Eclectica innuitur, quae ſyſtema ſyncretiſticum Platonico attemperauit, mireque a Platonis ſententia abiit. Quam ſi Platonicam appellare quis renuerit, per nos quidem licebit, at diſcedet is ab ipſa horum hominum voluntate, quos ſibi Platonicae doctrinae gloriam nomenque vindicauiſſe, clariſſimis in *Tomo ſecundo* teſtimoniis euicimus. Addimus in praeſentia vnum tantum D. AVGVSTINI

Platoniſmus PP. quo ſenſu aſſeratur?

k) De C. D. VIII. c. 12.
l) Vid. HVET. Origen. L. II. c. 1. p. 27.
m) Diſſ. I. in Irenaeum §. 32. p. 24.
n) L. I. c. 3. p. 21.

STINI [o] quem ob oculos praesentem habemus et intuemur, scribentis: *Cum Xenocrates, dilectus Platonis discipulus, in schola eius, quae Academia vocabatur, eidem successisset, atque ob hoc et ipsi et successores eorum Academici appellarentur, recentiores tamen philosophi nobilissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos, aut Academicos, sed Platonicos: ex quibus sunt valde nobilitati Graeci, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius.* Patres itaque, Eclectica dogmata nonnulla recipientes, si Platonismi accusantur, nihil dicitur, quod non ipsorum loquendi consuetudinem exprimat. Nec meliora vel firmiora sunt, quae porro affert Baltus, vt Platonismum a schola Ammonii remoueat. Vrget, Ammonium non fuisse verum atque genuinum Aristotelicum, quamuis id asserat FRANC. PATRICIVS [p], sed id sibi constitutum habuisse Ammonium, nouae philosophiae conditorem, vt, teste Hierocle, philosophiam purgaret, purioresque veritates de Deo et prouidentia diuina, quas Christianis sacris addictus mordicus tenebat, in concordiam cum philosophia redigeret, ostenderetque, non difficili labore Platonem et Aristotelem posse inter se componi, sicque eum ab inutilibus disputationibus philosophiam liberare voluisse: huncque scopum vt obtineret, Scripturam sacram sibi normam constituisse, confectaque eius harmonia, concordiam inde in hanc nouam philosophiam introduxisse. Quae quamuis non sine verborum ornatu magnaque sui fiducia asserat Baltus, elumbia tamen prorsus sunt, et partim falsa, partim nihil ad rem facientia. Ex historia enim sectae Eclecticae vel Platonico-Alexandrinae, qualem *Tomo secundo* condidimus, et veterum testimoniis roborauimus, patet, Ammonium eum, qui harmoniam scripsit, et sacris Christianis ad finem vsque vitae addictus mansit, ab Ammonio Sacca, qui Porphyrio, eius discipulo, teste, a sacris Christianorum defecit, esse distinguendum; ex quo sequitur, ineptum illud argumentum esse, quod ab harmonia Scripturae Ammonio tributa Baltus repetit. Nec est in toto illo systemate Ammoniano et Plotiniano, quale illud *superiori Tomo* descripsimus, aliquid, quod praeter quasdam doctrinarum insanarum et ineptarum accommodationes, verbaque quaedam Christianis surrepta, gentilissimum non euidenter prodat, et ad corroborandam superstitionem gentilem euertendamque rempublicam Christianam prorsus comparatum sit. Sic vt impossibile sit, detestabile hoc systema ab homine Christiano potuisse proficisci, qui ad extremos vsque halitus in fidei Christianae professione perseuerauerit. Id quod ipsi Balto, licet supinam in hac tractatione negligentiam prodat, suboluit, qui, vbi obseruasset, laudatorem Ammonii Hieroclem, eiusdem commatis hominem, quo Syrianus fuit, aliique Platonici Sec. VI. videri ignorasse, quod Porphyrius dixit, eum a fide defeciisse, non se comprehendere aliter posse ait, cur eum tam im-

o) l. c. c. 12.

p) Discuss. Perip. T. I. L. X. Solet autem ob syncretisimum Platonico-Peripateticum huius sectae plerosque inter cultores Peripateticisimi referre, idque, si scopum eius respicias, non omnino praeter rem.

penſe laudauerit, et tantum non dubitare ſeſe, annon Ammonius Chriſtianus a philoſopho diuerſus ſit? Id quod pro certiſſimo habuiſſet Baltus, ſi eorum dogmatum deteſtabilium fuiſſet recordatus, quae Platonicis recentioribus alio loco [q] recte obiicit. Quae cum, eo ipſo auctore, ita ſint, qua quaeſo fronte potuit aſſerere, Ammonii philoſophiam non alios reſpexiſſe fines, quam vt diſcipulos eo facilius praepararet, ad recipiendas veritates Euangelii, et admittenda myſteria ſublimiora philoſophiae Chriſtianae? Verum vt totum diſputationis certamen conficiamus, concedemus, quod tamen falſum eſſe putamus, Ammonium Chriſtiana in ſocietate permanſiſſe vsque ad vitae finem; an ex hoc ſequitur, nullis erroribus Platonicis eius philoſophiam fuiſſe contaminatam? Contrarium enim etiam in Chriſtiano euenire potuiſſe, Origenis exemplum probat, quod ipſe fuſe tangit Baltus, et accurate demonſtrauit HVETIVS [r]. Quae cum ita ſe habeant, quam leue et vanum hoc Ammonianae philoſophiae praeſidium ſit, diſpaleſcit.

XVI. PP. Ante-Nicaeni a Platoniſmo non immunes.

§. XXIII. XVI. Haec ad Patres ſeculi potiſſimum tertii et ſequentis pertinent, quo tempore ſectae habitum induit ſyncretiſtica iſta Platonicorum philoſophandi ratio. Ante eam vero aetatem inter patres Ante-Nicaenos, et primi atque ſecundi ſeculi doctores occurrit aliquid, quod ad hunc quoque locum pertinet, et intactum a nobis in conſideratione philoſophiae veterum Chriſtianorum omitti non debet. Nempe viros pio et inſigni pro re Chriſtiana zelo accenſos ex Platonicorum ſcholis ad apoſtolorum limina ex parte transfugiſſe, et non contra gentiles tantum, Chriſtianam religionem laceſſentes in pugnam deſcendiſſe, ſed forti quoque conatu ſe haereticorum erroribus, et praecipue fanaticiſmo longe lateque ex Aegypto per omnes fere orbis Romani regiones ſerpenti oppoſuiſſe, ſupra monuimus. Hi igitur doctores Chriſtiani cum Platonicam philoſophiam didiciſſent, quaeque in ea veritati coeleſti propiora viderant, tanquam domeſtica quaedam et Chriſtianis propria dogmata ſibi vindicaſſent, crederent autem diſperſa per vniuerſum fere domini agrum lolia haereticae prauitatis ex horreis Platonicorum eſſe deſumta, iſtis potiſſimum armis malum expugnare radicesque ſerpentis zizaniae euellere conabantur. Nouo id Eccleſiae incommodo damnoque accidit. Cum enim maior haud raro apud viros cetera optimos atque laudatiſſimos eſſet animi candor, proque cauſſa Chriſti atque Eccleſiae ardor fidesque, quam iudicandi acies, nec tantopere quantum rei neceſſitas poſtulabat, arcanos receſſus nexusque ſyſtematum penetrando inſpicerent, factum inde eſt, vt prolixis diſputationibus aduerſus haereticorum ſomnia occupati, et de Chriſtianae fidei myſteriis differentes Platonicis phraſibus, atque dogmatibus haud raro vterentur, ſicque communi, quod rebantur, telo aduerſarios confodere ſatagerent. Haud infeliciter quidem illud interdum ceſſit, cum ipſa Platonica philoſophia argumenta quaedam ſatis fortia

[q]) L. III. c. 3. p. 257. ſeqq. [r]) Origen. L. II. et ipſe BALTVS l. c. L. II. c. 20. p. 235.

tia contra Gnoſticarum haereſium fanaticiſmum offerret; adeo vt ipſa quoque Eclectica ſecta non ſine euentu proſpero contra illos haereticos calamum ſtringeret, vt Plotini exemplo et PORPHYRII [r] teſtimonio conſtat. Sed exiguum illud, ſi rem ſpectes, commodum longe maior ſuppreſſit infelicitas damnumque haud leue. Dum enim cum Platonis dogmatibus patres ſatis incauti Chriſtiana dogmata comparant, dum Platonice de illis loquiuntur, et ex hac philoſophia rationes probandi illuſtrandique afferunt; ipſi haud raro puritati Chriſtianae religionis vim inferunt, et ſimplicitatem Chriſtianorum myſteriorum ſubtilitate philoſophica corrumpunt, et ita de iis differunt, vt verba quidem eorum ſenſum non ſatis rectum atque Scripturae conformem fundere in aperto ſit. Non moroſius refragabimur, ſi quis dicat, viros pios et cordatos melius ſenſiſſe quam ſcripſiſſe, et locutiones iſtas Platonicas non nimis premendas, neque ἀκριβῶς ſumendas eſſe; ſed explicandas iuxta tenorem doctrinae eius, quae iſto tempore publice in Eccleſia recepta fuit, et vbique in cathedris perſonuit. Certe hanc aequitatem atque pietatem viris tot in rempublicam ſacram meritis illuſtribus non inuidemus. At fatebuntur etiam, quibus veritas omni antiquitatis et auctoritatis praeiudicio ſuperior potiorque eſt, eos ita de myſteriis nonnullis diuinis, praecipue de SS. Trinitatis dogmate differuiſſe, vt, ſi verbis eorum ſtandum ſit, (cum alia de iis iudicanda norma non exiſtat) dicendum omnino ſit, eorum ἐρθοδοξίαν humani aliquid paſſam, fucoque Platonico illitam amiſiſſe non nihil ſplendoris illius natiui, quem ad eos transmiſerunt tempora apoſtolica: certe ſuſpecta ea eſſe, quae mirum in modum Platonis ſcholam redolent. Multis id exemplis illuſtrari poſſet, ſi inſtitutum noſtrum pateretur, hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcrinia expilare. Sed vt breues ſimus, quod res iubet, adiri velimus doctiſſimum PETAVIVM [s], doctrinam patrum ſeculorum primorum haereticorum vitilitigationibus oppoſitam enarrantem, is enim quanto ſtudio Platonicis locutionibus et dogmatibus ſe patres illi accommodauerint, luculentis enarrauit teſtimoniis. Vno tamen exemplo, ne prorſus cum Lectoris taedio abeamus ἀσύμβολοι, rem illuſtrabimus. Familiare patribus Ante-Nicaenis dogma eſt, filium miniſtrum atque inſtrumentum patris in creatione fuiſſe: de quo miniſterio inſtrumentali ita differit IRENAEVS [t], demiurgum Gnoſticorum refuta- *Platoniſmus*
turus, vt locutionibus vtatur, quae ferri vix poſſunt. Ait enim, *non Irenaei.*
opus habuiſſe Deum ad condendum mundum angelorum miniſterio, cum filium ſuum atque eius imaginem (Spiritum S. intelligit) *ſibi miniſtrantem habuerit.* Innuere haec ὑπουργίαν quandam, et inaequalitatem in SS. Triade inuoluere, quam in Origene et Ruffino tanquam haereticum errorem damnauit Hieronymus, recte obſeruatum DIONYSIO PETAVIO [u]. His intercedunt quidem et pro orthodoxia Irenaei pugnant

r) In vita Plotini c. 16.
s) Dogm. theol. T. II. L. I. c. 1. ſeqq.
t) L. IV. c. 17. vel 7. ed. Maſſ. p. 236.
u) I^o c. §. 7. p. m. 15.

GEORGIVS BVLLVS [y], NICOLAVS LE NOURRY [z], RENATVS MASSVETVS [a], et ex noſtris cel. DEYLINGIVS [b], qui contra WHISTONVM [c] ſimilesque contendunt, lenienda eſſe Irenaei verba, exque aliis eius locis, vbi ſatis orthodoxe de deitate et conſubſtantialitate filii cum patre differit, explicanda; ita vt per filium DEVS vnus vniuerſa condidiſſe dicatur, tanquam per inſtrumentum a ſe ipſo non diuerſum, non vero per inſtrumentum alterius naturae, inferioris et ſubordinatae; idque euinci putant iis locis, quibus filium Deum ſemper coëxiſtere patri Irenaeus aſſerit: adeoque ſolitas notiones, quibus inſtrumentum, miniſterium etc. exprimuntur, hoc quidem loco nec ſequendas nec nimium premendas eſſe. Fatemur autem, ſatis coactam eſſe hanc interpretationem vimque inferre verbis Irenaei ſatis apertis. Nec obſtare putamus, et deitatem et conſubſtantialitatem filii cum patre, eam enim recte quidem Valentinianis oppoſuit Irenaeus, demiurgum ex pleromate eiicientibus, et infra diuinas ſubſtantias ponentibus: at dum miniſterio filii vſum eſſe patrem ſcribit, locutioni Platonicorum ſe accommodat, a quibus iſta ſomnia accepiſſe Valentinum putabat, quique per λόγον tanquam inſtrumentum Deum omnia feciſſe ſtatuebant, et ita quidem diuino pleromati filium vindicat, immo coëxiſtere eum Deum cum patre innuit, verum gradu emanationis differre ſimul infert, adeoque miniſtrum tantum facit patris creationem deſtinantis. Id quod in Irenaeo viro ſancto pioque, at Platonicis doctrinis ante conuerſionem innutrito non miramur, eo quod putauerit, ſufficere, ſi dicatur filius patri conſubſtantialis verusque Deus, quamuis ob diuinae generationis ordinem aliquam ὑπερογίαν aſſereret, aliquamque ordinis et gradus differentiam agnoſceret, cum λόγος Platonicorum quoque in Deitate ſit, vnusque cum patre, licet gradu differat. Similia apud Iuſtinum Martyrem, Theophilum Antiochenum, Tatianum aliosque ſeculi ſecundi patres, in ſcholis Platonicorum occurrunt, heic breuitatis ſtudio non adducenda. Quibus ita quidem mederi ſe poſſe, patrumque ſententiam explicare melius putat illuſtriſſimus HVETIVS [d], ſi dicatur locutos fuiſſe doctores iſtos, patrem filio praeferentes, de ordine auctoritateque principii, originis, cauſſae, paternitatis et ἀγεννησίας, quamuis naturae, eſſentiae, et attributorum identitatem praeſupponerent. At monet tamen ipſe praeſul doctiſſimus, phraſes iſtas loquendique modos ex Platonicorum ſcholis deſumtos fuiſſe. Hi vero λόγον ab ὁσίας diuinae communione tantum abeſt, vt excluſerint, vt νῶν in Deo ſummo exiſtere dixerint: et tamen aliquam gradus et perfectionis differentiam ſtatuebant. Quorum locutiones ſi adhibuerunt patres, valde ſuſpecti ſunt, non accurate eos ſacrum hoc dogma extuliſſe, et incaute atque perperam de eo fuiſſe

y) Defenſ. fid. Nic.
z) Apparat. Max. T. II. Diſſ. VI. c. 6. §. 2.
a) Diſſ. II. in Iren. Art. V. p. 127.
b) Diſſ. de Irenaeo vindice verit. §. 21. p. 39.
c) Primit. Chriſtian. rediuiu. P. IV. Art. 7.
d) Origenian. L. III. c. 2. §. 14. p. 36.

fuiſſe locutos. Quae ſufficiunt, vt demonſtretur, arma iſta, quibus haereticos oppugnarunt doctores Eccleſiae, minus apte adhibita in perniciem doctrinae Chriſtianae degeneraſſe, et Platonicam philoſophiam illis non nihil labis affricuiſſe, dum Platonice de myſteriis diuinis loqui et diſputare ſuſtinuerunt. Eleganter ea de re differit IACOBVS BASNAGIVS [e], quocum conferendus IOANNES OWENVS [f].

§. XXIV. XVII. His praemiſſis et accurate explicatis facile iam erit, celeberrimam illam quaeſtionem de Platoniſmo patrum, quae ancipiti pugna hactenus ventilata eſt, et doctiſſimos viros in partes ire coëgit, ſoluere, quidque de ea ſtatuendum ſit, definire. Magnis haec controuerſia animorum motibus iactata eſt ab eo tempore, quo de ſucceſſione doctrinae, conſenſuque veterum doctorum diſputatum eſt, et pro norma aſſerta patrum ſeculorum poſt C. N. primorum concors doctrina. Cum enim ab iis, qui ab alio, niſi Scripturae S. a Spiritu S. reuelatae canone, iudicium in tam arduo, quale religionis eſt, negotio petendum non eſſe contendebant, parti aduerſae, vniuerſalem Eccleſiae primitiuae conſenſum crepanti, obiiceretur, non euinci poſſe eiusmodi conſenſum purum veteris Eccleſiae doctrinalem, vt id probaretur, Platoniſmus patrum in ſubſidium vocatus eſt, quem negauerunt, qui ex doctorum Eccleſiaſticorum ſcriptis de fide definiendum eſſe pertendebant. Impoſſibile autem hoc loco eſt, controuerſiae huius totam enarrare hiſtoriam, quamuis illa ad hos noſtros non minus, quam Eccleſiaſticae hiſtoriae limites pertineat. Sufficiet autem pauca, quae noſſe, e re noſtrae tractationis eſt, hic attigiſſe. Et in ipſa quidem Eccleſiae Romanae communione, in qua tot viri doctiſſimi ob dictas rationes pro PP. auctoritate militant, non defuere viri eruditionis atque muneris claritate illuſtres, qui Platoniſmum patrum agnouerunt. Inter quos prae reliquis nominandus eſt Io. BAPTISTA CRISPVS Gallipolitanus, qui *de caute legendo Platone* ideo diffuſum eruditumque opus conſcripſit [g], quod innumeros Chriſtianos ab iſto philoſopho deceptos indignaretur. Dabimus quaedam eius verba, cum liber adeo rarus ſit, vt magni quoque librorum heluones eum oculis non vſurpauerint [*]. *Plato humaniter, et plus quam par erat, benigne a noſtris ſuſceptus, cum ethnicus eſſet, et hoſtium famoſiſſimus anteſignanus, et vanis tum Graecorum, tum exterarum gentium ſuperſtitionibus apprime imbutus, et mentis acumine et variorum dogmatum cognitione, et famoſa illa ad Aegyptum nauigatione ingenii ſui, alioqui praeclariſſimi vires adeo roborauit, et patria eloquentia vsque adeo diſciplinas adauxit, vt ſiue de Deo,*

XVII. De Platoniſmo PP. quid ſtatuendum?

e) Hiſt. Iudaic. L. IV. p. 82. ſeqq.
f) Theologum. p. m. 494.
g) Prodiit Romae 1594. fol.

*) Vid. Acta philoſ. Vol. V. p. 922. Ven. VOGTIVS catal. libror. rarior. p. 211.

Deo, et de ipſius vna quadam neſcio qua trinitate, bonitate, prouidentia, ſiue de mundi creatione, de coeleſtibus mentibus, de daemonibus, ſiue de anima, ſiue tandem de moribus ſermonem habuerit, ſolus e Graecorum numero ad ſublimem ſapientiae Graecae metam peruenisſe videretur. Hinc noſtri prima mali labes. Hinc haeretici ſpargere voces in vulgus ambiguas auſi ſunt: hinc ſuperſtitionum, mendaciorum, et prauitatum omne genus in Eccleſiam Dei, agmine facto, coepit irruere. Hinc Eccleſiae parietibus, tectis, columnis ac poſtibus ſanctis horrificum quoddam et nefarium omni imbutum odio atque ſcelere bellum haeretici intulerunt. Et quidem tanta fuit in captiuo Platone ſapientia, tantaque leporis eloquentiae dulcedo, vt parum abfuerit, quin de victoribus, triumpho ipſe actus triumpharet. Nam vt a primis noſtrorum patrum proceribus exordiar, ſi Clementem Alexandrinum inſpicimus, quanti ille Platonem fecerit, plus quam ſexcentis in locis, dum libet, videre licet, et tanquam veri amatorem a primo fere ſuorum librorum limine ſalutauit. Si vero etiam Origenem, quam frequenter in eiusdem ſententiam iuerit, magno quidem ſui et Chriſtianae reipublicae documento experimur. Si Iuſtinum, gauiſus ipſe olim eſt, ſe in Platonis doctrinam incidiſſe. Si Euſebium, noſtra ille ad Platonem cuncta fere ad ſatietatem vſque retulit. Si Theodoretum, adeo illius doctrina perculſus eſt, vt cum Graecos affectus curare tentaſſet, medicamenta non ſine Platone praeparante illis adhibere ſit auſus. Si vero tandem Auguſtinum, diſſimulemne pro millibus vnum, quod referre piget? Platonis ille quidem, iam, non dicta, verum decreta, et eadem ſacroſancta appellare non dubitauit. Vide igitur, quantos qualesque viros victus ille Graecus ad ſui beneuolentiam de ſe triumphantes, pellexerit. Vt nec aliis deinde artibus ipſemet Plato in multorum animis ſeſe veluti hoſtis deterrimus inſinuauerit. Quem tamen vel egregie corrigi, vel adhibita potius cautione legi, quam veluti captiuum ſeruari praeſtitiſſet. Haec Criſpus Sec. XVI ſcriptor. Poſt hunc ex eodem coetu eruditiſſimus Abrincenſium praeſul PETRVS DANIEL HVETIVS nobis nominandus eſt, qui, conſenſu iſto Moſis ac Platonis a patribus iactato nixus, ob hanc potiſſimum cauſſam, ſcribit [i]: *Priſcis Chriſtianis dogmata Platonis placuiſſe, adeo vt Platonici haberentur, frequentioremque Platonicorum operum lectionem Iulianus ipſis obiiceret, quam quod recoctus ipſis et perſonatus Moſes eſſe videretur Plato, aut, vt Numenius ait, Moſes atticiſſans.* Alio vero loco [k] magis candide monet, plerosque patres fuco academico doctrinam Chriſtianam illuſtrare conatos, patresque Ante-Nicaenos in dogmate de SS. Trinitate Platonicas opiniones imitatos fuiſſe. Idem et agnouit, et, qua erat infinita lectione atque acutiſſimo iudicio demonſtrauit doctiſſime DIONYSIVS PETAVIVS [l], qui patrum de SS. Trinitate doctrinam enarraturus, praemittendam ſibi eſſe tractationem de trinitate Platonis, itemque Philonis

i) Demonſtrat. Euang. Prop. IV. p. 55. 56.
k) Origenian. L. II. c. 1. §. 4. p. 127.
l) Dogmat. theol. T. II. L. I. c. 1. ſeqq.

lonis et Pseudo-Mercurii putauit, tumque patrum synodo Nicaena aetate priorum Iustini Martyris, Irenaei, Athenagorae, Tatiani, Theophili Antiocheni et Clementis Alexandrini de hoc mysterio doctrinam ita exposuit, vt Platonis in modum eos et cogitasse et scripsisse de eo, sibi, quo erat, candore fatendum esse existimaret. Quae tamen Petauii confessio, quamuis eruditionis et integritatis eius fructus esset, multarum querelarum et accusationum caussa auctori suo extitit. Cum enim inter theologos Ecclesiae suae magna auctoritate gauderet, in patrocinium tantum virum vocabant, Vnitarii, Ariani recentiores, Sociniani, huiusque generis alii haud obesae naris viri, eiusque assertis rem quoque suam confirmare non obliuiscebantur, eo quod Arium fuisse Platonicum affirmasset, et veteres ad hunc lapidem offendisse esset fassus. Qua de re legenda sunt, quae pro caussa partis suae affert CHRISTOPH. SANDIVS [m]. Valde haec displicuere tum viris doctis extra Romanae Ecclesiae communionem viuentibus [n], tum ipsis eius coetus theologis [o], quod Arianis, concedendo Platonismum patrum in dogmate de SS. Trinitate, frigidam Petauius suffudisset. Vnde, vt a suspicione, qua vehementer premebatur, se liberaret, in *praefatione Tomi secundi* postea editi, ita mentem explicuit suam: *Patres omnes dogmatis istius caput et substantiam ipsam sine vlla labe tenuisse, atque ex tam concordi de tribus in diuinitate sententia, quoquo tandem ea genere locutionis expressserint, vim occultae et ab Apostolis transfusae traditionis colligi. At videri sibi illos, cum aduersus gentiles doctos et philosophiae deditos pro Christiana fide disceptarent, quo eam vendibiliorem facerent, ac magis persuaderent, minus accurate et subtiliter illius intima ac arcana commisisse libris istis, quos emanare in vulgus cuperent, atque ad Platonis decreta, eamque quam illi combiberant, theologiae formulam Christianum istud conformasse mysterium.* Quae ad eneruandas obiectiones a Petauii auctoritate factas repetiuerunt IACOBVS BENIGNVS BOSSVETVS [p] et FR. BALTVS [q]. Ipse vero, qui dogmata Petauii theologica recudi fecit THEOPHILVS ALETHINVS, siue vero nomine IOANNES CLERICVS, pro eo excusando nonnulla attulit. Quae an sufficiant, nostri non est, hoc loco disquirere, fatemur tamen, recte iudicasse RICH. SIMONIVM [r], ea quae scripsit de PP. circa hoc dogma Platonismo Petauius, tam clara esse, vt istis diluendis allata explicatio minime quadret, semperque Arianis futura sint receptaculo. Id quod exemplo suo probauit Anonymus auctor famosi libri: *Platonismus detectus*, quem SOVVERAINIVM ex-ministrum

m) In nucl. histor. ecclesiast. L. I. p. 156.

n) GEORG. BVLLVS defens. fidei Nicaenae prooem. §. 7. p. m. 4.

o) RICH. SIMON Lettres choisies L. III. p. 12. 13. conf. BAYLE Dict. T. III. art. Petav, p. 691. not. B.

p) Premier avertissement aux Protestans n. 27. 28. p. 28.

q) Defense des SS. Peres accusez de Platonisme L. IV. c. 9. p. 497. seqq.

r) loc. cit.

niſtrum Reformatum eſſe conſtat [r], quo an impudentior audaciorque et eruditionis ſpecie decipiens magis Platoniſmi patrum defenſor exiſtat, qui in peſſimae opinionis patrocinium eum detorſerit, merito dubitamus. Non patitur inſtituti ratio, vt libri non vbiuis obuii [s] ſummam, et rationes afferamus, monuiſſe contenti, in eo totum eſſe auctorem infreni ſcribendi ſtatuendique licentia vſum, vt demonſtraret, patres primorum ſeculorum doctrinam et religionem Chriſtianam pro nouo quodam philoſophiae genere habuiſſe, quod humilibus ſimilitudinibus ſumma philoſophiae myſteria occultaret, hacque hypotheſi inductos Scripturam Sacram ad normam philoſophiae theoreticae explicuiſſe, et vbique Trinitatem Platonicam inueniſſe. Qua in re eo feliciori ſucceſſu gauiſos eſſe dicit, cum ipſi Deo placuerit, ſub notionibus et imaginibus craſſioribus ſumma myſteria deſcribere. His argutiunculis miſeris nixus, contendit et patres, et haereticos et ſcriptores gentiles, quae de Trinitate principiorum diuinorum ſcripſerint, allegorice intellexiſſe, hucque Philonis quoque, Iudaeorum, Cabbaliſtarum, et quorumcunque aliorum placita refert, cunctisque veterum methodum hanc arcanam, vel, quo nomine eam appellat, politicam ſacram ſiue oeconomiam patrum tribuit. Qua hominis impudentia ad Platoniſmum patrum in hoc dogmate probandum an intolerabilius aliquid eſſe poſſit, dubii haeremus, adeo omnem hiſtoriae veteris et philoſophicae et Eccleſiaſticae fidem euertere apta ſunt, et ad inuidiam innocenti cetera de Platoniſmo patrum opinioni conflandam eximie facientia. Praeter hunc ad Platoniſmi veterum doctorum Chriſtianorum aſſertores referendi quoque ſunt IOANNES CLERICVS [t] et IACOBVS BASNAGIVS [u], diuerſo tamen et modo et ſcopo ea de re differentes. Alios, de Trinitatis Platonicae et Chriſtianae vel conſenſu vel diſſenſu ſcriptores heic adducere, pagina vetat, legendi autem quos nominant triumuiri celeberrimi BVDDEVS [x], FABRICIVS [y], PFAFFIVS [z]. Immo omnes illi huc pertinent, qui theologiae myſticae origines excuſſerunt, de quibus tamen alio loco dicendum eſt. A tot igitur tantisque Platoniſmi patrum aſſertoribus cum Eccleſiaſticae traditionis auctoritatem valde infringi labefactarique cerneret FRANCISCVS BALTVS ex Societate Ieſu theologus, vir elegantis ingenii et foecundi calami, tanto, quod putabat malo medicinam allaturus; prolixam *pro patribus Platoniſmi accuſatis apologiam* [a] edidit, et congeſtis immenſo labore veterum

r) Vid. Cel. PFAFF. primit. Tub. P. I. p. 61. FABRICIVS bibliogr. antiquar. p. 235. Memoires de Trevoux 1703. p. 386.

s) Vid. Cl. VOGTIVS catal. libror. rarior. p. 463. et quos laudat.

t) Vid. Bibl. vniuerſ. T. X. bibl. choiſie T. XII. epiſtolae criticae ar[illegible]riticae ſubiectae, et epiſtolae theologicae ſub nomine LIBERII a S. AMORE editae, ob quam cauſſam vehementer in eum aſpereque inuectus eſt GVIL. CAVE hiſt. lit. ſcript. eccl. P. II. p. 193. et pec. diſſ. in fine adiecta.

u) Hiſt. Iudaic. L. IV. p. 79. qui Cudworthum refutat.

x) Inſtit. theol. dogm. P. I. p. 445. Introduct. in hiſt. theol. L. II. c. 3. p. 556. ſeqq.

y) Bibl. Graec. Vol. III. p. 39. 40. 176.

z) Introd. plen. in hiſt. lit. theol. P. I. p. 305.

a) Prodiit Gallice defenſe des SS. Peres accuſez de Platoniſme, a Paris 1711. 4. charactere eleganti et ſuperbo, charta pura et magna.

rum doctorum Chriſtianorum effatis atque teſtimoniis demonſtrare fategit, inepte et inique illis Platoniſmum imputari, et graui culpa in manes piorum virorum obſtrinxiſſe ſe Clericum, Souverainium ſimilesque, quod hanc illis maculam affricuiſſent. Quamuis autem ſtili elegantia et oratorio quodam fuco arteque lectoris animum occupare ſtudeat, ſtatum tamen quaeſtionis ambiguae et obſcurae nec explicat, nec clare conſtituit, ſed praetermiſſa quaeſtionis, de qua diſputatur, explicatione probare conatur, patres in philoſophia Platonica non fuiſſe educatos; eamque neque a Chriſtianis neque a gentilibus magiſtris didiciſſe, quae vero in philoſophia rata habuerint, de philoſophia Eclectica intellexiſſe, hancque philoſophiam Eclecticam de Scriptura Sacra et religione Chriſtiana fuiſſe interpretatos; gentilem vero philoſophiam, omnesque eius partes et ſectas ſummo proſecutos eſſe odio, iisque contradixiſſe omnibus, inductos ad id a munere ſuo, quod in gentilem religionem cum philoſophia arcte cohaerentem eos armauerit. Vrget porro, falſitates, contradictiones et abſurda innumera eos in philoſophia gentili detexiſſe, bona vero, quae in ea inuenerint, Hebraeis atque reuelationi, tanquam veris fontibus ſuis, tribuiſſe, Platonicas phraſes euitaſſe, et primaria Platonis dogmata, ceu erronea, falſa et impia reieciſſe; ipſum vero Platonem pro plagiario et corruptore dogmatum Hebraeorum habuiſſe; eiusque philoſophiam et fidei et morum doctrinae noxiam declaraſſe, laudes vero Platoni datas comparate tantum intelligendas eſſe, eo quod adhuc deterius in diuinis errauerint ſectae reliquae. Haec operoſe probare contendit, et ad obiecta huic illiue doctori veteri Platonica paſſim reſpondere nititur. Non denegamus Balto lectionis Eccleſiaſticae copiam, dictionis nitorem, artemque fuco ſua illiniendi conſpicuo, iudicium vero et ſinceritatem accuratamque hiſtoriae philoſophicae notitiam, merito in eo deſideramus, ſine quibus tamen praeſidiis infelici gaudet euentu tota haec diſputatio. Quam dum his auxiliis deſtitutus inſtituit, et ſanctorum myſteriorum aduerſarios refutare ſatagit, cauſſam bonam prodit, et auctoritatis, antiquitatis, hypotheſeos receptae, ſectaeque praeiudiciis tantum munitus, facile in fugam vertitur. Certe dum a vero quaeſtionis ſenſu ſtatuque diſcedit, andabatarum more pugnat, et aërem verberat, ea vel negans vel affirmans, de quibus nulla eſt controuerſia. Nemo enim, niſi ſatis craſſa Minerua vſus fuerit, ita Platoniſmum patribus tribuit, vt ſectae ſe eos Platonicae, deſerta Chriſtianae fidei doctrina, addixiſſe, vel ſyſtema Platonis recepiſſe dicat, nemo, obieciſſe illos Platonicis graues errores, et praecipua quaedam Platonis dogmata damnauiſſe negat; nec id, quantum ſcimus, inficias iuit quisquam, ea quae tanquam Platonica patribus obiiciuntur, ab iis alio nomine, nempe velut Hebraicae traditionis veſtigia et reliquias fuiſſe recepta. Quae omnia dum fuſe probat Baltus, aperte prodit, ſe literariae pugnae leges nec intelligere nec obſeruare. Multa etiam miſcet ἀπροσδιόνυσα καὶ ἀσύσατα, ſibique alio loco aduerſa. Maxime

xime vero philoſophicae hiſtoriae ſe ſatis ignarum prodit, e. c. negando, Platonicam philoſophiam ante Plotinum floruiſſe; vel publice traditam vel a Chriſtianis veteribus diſcendo cognitam fuiſſe: dogma de λόγῳ Dei per Plotinum demum inualuiſſe; Eclecticam ſectam Platonicam non fuiſſe, patres omnem omnino philoſophiam reieciſſe, quaeque alia ſunt, iis non ignota, qui primis labris hiſtoriam philoſophicam poſt C. N. attigerunt. Vidit ſine dubio has maculas, vel monitus et edoctus fuit ab amicis Baltus; certe in libro, in quo annis poſt octo *ſententiam patrum de philoſophia morali gentilium* c) expoſuit, multa tacite correxit, et emendatiora atque accuratiora exhibuit. Sed vt miſſa controuerſiae hiſtoria de re ipſa, quae ad hos noſtros limites ſpectat, diſpiciamus, tota quaeſtio in recte definiendo controuerſiae ſtatu atque ſenſu verſatur: eo enim accurate enucleato omnes mox nebulae diſpaleſcent, videbitque quilibet, quid ſtatuendum ſit? Quando enim de patrum Platoniſmo ſermo eſt, non hoc innuitur, fuiſſe eos philoſophos Platonicos ſectae et inſtituti nomine tales, (ſi paucos exceperis, qui Alexandrinae philoſophiae publice adhaeſerunt, qualis fuit Syneſius) nec hoc vult iſta aſſertio: totum eos ſyſtema philoſophiae Platonicae, connexum principiis ſuis atque aſſertionibus recepiſſe; ſed id vult Platoniſmus patribus tributus 1. eos philoſophiam Platonicam pro praeſtantiſſima reliquarum ſectarum omnium, et pro veriore et propinquiore Chriſtianae doctrinae, ceteris ſyſtematibus habuiſſe; 2. multa eius dogmata pro veris, ſanis et cum ſacris Chriſtianorum doctrinis conuenientibus recepiſſe, quae ex ſyſtematis Platonici ſignificatione talia non ſunt. 3. Ea vero dogmata pro furtis, et Hebraeis ſurreptis bonis venditaſſe, et Chriſtianis vindicaſſe, 4. educatos ex parte in Platonicorum ſcholis ob iſtam doctrinarum quarundam ſimilitudinem vſos fuiſſe in explicandis Chriſtianorum myſteriis phraſibus, methodo, ſimilitudinibus et praeceptis atque opinionibus quibusdam Platonicis. 5. Contra haereticos iisdem armis pugnantes Platonicis hypotheſibus et locutionibus dogmata Chriſtiana nonnulla cum damno purioris doctrinae attemperauiſſe. 6. Maxime vero poſt conditam ſcholam Ammonii et Plotini, grauiſſimos quosdam eius errores in Eccleſiam introduxiſſe, quamuis orthodoxam ſe fidem illibatam ſeruare putarent. Pleraque quae hic afferuntur, clariſſimis patrum exemplis conſtant, magnaque ex parte in ſupra dictis iam demonſtrata, ita vero comparata ſunt omnia, vt aut ignoraſſe cenſendus vel ſtudio veritatem clariſſimam euertere velle iudicandus ſit, qui haec pertinacius negauerit. Certe, qui in his probandis et contra Baltum demonſtrandis verſari cupit, in vtroque viri docti libro, maxime in eo, quo veterum Chriſtianorum de philoſophia gentilium morali ſententiam enarrauit, abunde inueniet, vnde pharetras inſtruat, ſuisque eum telis aggrediatur. Verum ea de re prolixius differendi locus non eſt, ſed quae huc pertinent, in ſacra ciuita-

c) Jugement des SS. Peres ſur la morale de la philoſophie payenne a Strasbourg 1704. 4.

ciuitatis Chriſtianae hiſtoria enarrari debent. Quanquam autem Platoniſmus patrum, eo, quo diximus, ſenſu negari non poteſt, improbanda tamen eſt Souuerainii, Sandii, Whiſtoni, huiusque furfuris aliorum inepta et praepoſtera diligentia, cuncta Chriſtianae fidei myſteria ad Platoniſmum quendam reuocandi. Quod vt inuita hiſtoria, philoſophica et Eccleſiaſtica fit, ita euitari facile poteſt, ſi in hac re examinanda candor adhibeatur, et eiurentur ſectae praeiudicia; ſi ad ſacrae Scripturae traditionem ſatis claram et diſertam reſpiciatur, ſi veteris Eccleſiae conſenſus voxque doctorum publica excutiatur, ſi perſonarum, temporum, aduerſariorum, methodi et ſimiles circumſtantiae probe ponderentur, ſi viris illis pietate et martyrii quoque gloria ex parte illuſtribus nihil tribuatur, quod non leges interpretationis et fidei hiſtoricae poſtulant: ſique et publicos eos doctores veritatisque cuſtodes et homines labiles fuiſſe meminerimus. His enim ſi cautelis totam hanc diſquiſitionem circumſcripſerimus, vix accidet, vt in eo argumento aberremus. Verum de his iam ſatis ſuperque. Iam ad philoſophandi rationem, a veteribus Chriſtianis adhibitam reuertendum eſt.

§. XXV. XVIII. Pugnauiſſe et fortiter et ſaepe feliciter doctores Eccleſiae Chriſtianae veteres pro Chriſti cauſſa et veritate religionis doctrinaeque Chriſtianae, contra gentiles philoſophos et haereticos, fatendum eſt: miramurque non immerito, vaſtam quoque, quam plerique, qui apologias ſcripſerunt, prodiderunt hiſtoriae philoſophicae cognitionem lectionemque veterum librorum vberrimam, gratiasque illis debemus pro tot nobis ex illis ſeruatis fragmentis, ſine quibus in hiſtoria philoſophica multoties caligaremus. Nec negamus, multa Chriſtianae fidei dogmata pie illos eruditeque explicuiſſe, multaque naturalis theologiae capita illuſtraſſe. Aſt candide quoque fatendum eſt, nimio diſputandi feruore contradicendique ſtudio non in errores tantum eos varios eſſe prolapſos, ſed imbellem quoque haud raro ſtrinxiſſe calamum, eosque ſe demonſtraſſe, qui philoſophiae accuratioris praeceptis non ſatis eſſent exercitati. Id quod tantopere mirandum haud eſt. Quamuis enim pro cauſſa Ieſu Chriſti ciuitatisque ſacrae ab eo inſtitutae, proque Chriſtianae fidei veritate laudabili zelo arderent, tantisque coeleſtis doctrinae, quae in animis eorum actae erant, radicibus eſſent confirmati, vt non ſtrenue tantum pro ea dimicarent, ſed ſanguine quoque eam obſignarent, martyrii gloria conſpicui, vitamque probarent munere ſuo dignam, fidemque et ſinceritatem conſeruarent, hocque nomine omni laude merito ſint digniſſimi: multis tamen ea defuit iudicandi acies, ea ratiocinandi peritia, isque artis logicae vſus, quibus ſolis in eiusmodi certaminibus victoria ſperari poteſt. Hinc obſcura ſaepe artis rationalis veſtigia in patrum ſcriptis apparent, rationes afferuntur infirmae longiusque petitae, interpretationes adducuntur legibus hermeneuticis contrariae, innumeri

XVIII. Diſputationes PP. non ſatis accuratae ob ratiocinandi imperitiam.

numeri libri ſuppoſititii pro genuinis verisque admittuntur, et ad eorum teſtimonia prouocatur, infeliciterque ob artis criticae ignorantiam toties inſtituitur cum philoſophia gentili veritatis Chriſtianae comparatio. Hinc ineptus ille conciliandi pacifcendique inter tenebras et lucem modus ſtudiumque, patribus ſeculi ſecundi tertiique vſitatiſſimum, hinc moralis philoſophia ad exceſſum vsque grauis et nimia, et quae alia ſunt, quae artem ratiocinandi patres non ſatis feliciter tenuiſſe luculenter docent. Non fieri hac in re patribus iniuriam, fatebuntur, quotquot coecum auctoritatis et antiquitatis praeiudicium eiurarunt, et ad lectionem patrum, animum attulerunt veri ſtudioſum, et artis rationalis non ignarum. Vidit id ſuo iam tempore, qua erat magna iudicandi acie inſtructus, PHOTIVS [d], qui Irenaeum dogmata ſacra *νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεσθαι, ſpuriis falſisque rationibus fucare* obſeruauit. Quod dum ita refellit, vel excuſat potius MASSVETVS [e], Irenaei acerrimus defenſor, vt cauſſetur: in tam arduo argumento rationes non vbique perſpici poſſe, et ex ſtudio *ἀνθολικῆς* ſummos etiam viros labi, et accidere, vt dum rationibus cumulatim aggredi aduerſarium conentur, nonnulla infirmiora afferant; allegoricae quoque methodi vitio nonnulla adſcribenda eſſe, quae cum a Platonicis ad haereticos peruenerit, coëgerit Irenaeum, illi ſuas rationes accommodare, vt eos ad veritatem amplectendam eo facilius perduceret &c. Ipſe more Irenaei ſpuriis rationibus fucum optimi doctoris infirmitati obducit, non medicinam affert, conceditque ipſe, quod negare vult, artis logicae praecepta eum neglexiſſe, id quod ipſe inficias ire eo minus auſus eſt, quo magis omnibus paginis vir pius ita labitur, vt nec ab erroneis opinionibus ſibi temperauerit. Dum autem cauſſas huius in ratiocinandi arte *ἀβλεψίας* in Irenaeo affert, rem hanc ipſe egregie illuſtrat, fontesque detegit, ex quibus haec ratiocinandi imperitia non Irenaeo quidem propria, ſed plerisque PP. communis fluxit. Nimium enim pugnandi ſtudium non pro veritate modo, ſed et pro gloria victoriae ſuſceptum multum in cauſſa fuit, vt tanto ardore contenderent doctores Eccleſiaſtici. Cui cum ſatis facerent, non poterant non et affectu praepediti, et in rationibus inueniendis cumulandisque nimis ſeduli, infirma plurima adducere, ad quae eo minus attenderunt, quo minus leges ratiocinandi ſatis tenebant. Cumque allegoriam *κατ' ἄνθρωπον* adhiberent, non viderunt, ligneis ſe cum haereticis congredi gladiis, quos oſtenſa allegoriae abſurditate et *ἀνακολουθησίας* refutare feliciſſime licebat et oportebat: quibus ſi allegoriae conſequentias negaſſent, totum ſyſtema ineptum euertiſſent. Aſt rationalis artis ignorantia, ſtudiumque quod a pueritia in allegoricis explicationibus poſuerunt, effecit, vt ſimilibus armis ſe haereticos euertere poſſe perperam exiſtimarent. Neque hoc ſolius Irenaei vitium fuit, ſed in plerisque eadem concludendi atque ratiocinandi deprehenditur imperitia. Id quod exemplis luculentis demonſtrari poſſet, ſi ad

d) Cod. CXX. p. 161. e) Diſſ. III. in Irenaeum p. 106.

ſi ad hanc noſtram tractationem proprie pertineret. Videnda tamen luculenta exempla, quae de Iuſtino Martyre attulit NIC. HIERONYMVS GVNDLINGIVS *f)* et de Epiphanio IO. FRANC. BVDDEVS *g)*. Vnum iis addimus, et quidem clariſſimum, ne abeamus ſine ſymbolo, hominis philoſophiae ratiocinationes affectantis, LACTANTII *h)*, qui idololatriae abſurditatem demonſtraturus ita rationes ſubducit: *Quicunque igitur ſacramentum hominis tueri, rationemque naturae ſuae nititur obtinere, ipſe ab humo ſuſcitet et erectam ante oculos ſuos tendat in coelum: non ſub pedibus quaerat Deum, nec a veſtigiis ſuis eruat, quod adoret: quia, quicquid homini ſubiacet, infra hominem ſit, neceſſe eſt, ſed quaerat in ſummo: quia nihil poteſt eſſe homine maius, niſi quod fuerit ſupra hominem. Deus autem maior eſt homine; ſupra ergo, non infra eſt: nec in ima potius, ſed in ſumma regione quaerendus eſt. Quare non eſt dubium, quin religio nulla ſit, vbicunque ſimulacrum eſt. Nam ſi religio ex diuinis rebus eſt, diuini autem nihil eſt, niſi in coeleſtibus rebus, carent ergo religione ſimulacra, quia nihil poteſt eſſe coeleſte in ea re, quae ſit ex terra, quod quidem de nomine ipſo ſapienti apparere poteſt.* Quae Lactantii argumentatio contra ſimulacrorum cultum quantis et quot paralogiſmis pudendis turgeat, quilibet palpare poteſt, qui artis rationalis praecepta vel per tranſennam inſpexit. Omnes enim αἰτιολογίας, quibus totus ratiocinii huius neruus conſtat, meris verborum luſibus abſoluuntur, et a locali ſignificatione vocum ad res ſpirituales translata argumentantur. Ita vero et Deum ſupremo coeli ſpatio alligat, et in ſupremo eum coelo non vero vbique adeſſe, ridicule ſupponit, et praeſtantiam ſubſtantiarum a loci ſitu miſere deriuat, et inepta ratiocinatione idololatriae frigidam ſuffundit. Hoc enim ex argumento: quod maius eſt homine, quodque religionis obiectum eſſe debet, ſupra hominem et in coelo eſſe debet, recte infertur, ſidera pro diis colenda eſſe, eo quod ſupra hominem ſint, eamque ob cauſſam religioſe quaerenda. Deinde ſupponit id, quod tamen probandum ſibi ſumſerat, Deum eſſe localiter ſupra hominem & in coelo, eumque ſolum ideo religione colendum; et quaeſtionem demonſtrandam praemiſſis infarcit, ſicque multis modis inepto ratiocinio artis logicae leges violat. Et hoc quidem modo innumeris peccat vicibus, vt paſſim viris doctis obſeruatum *i)*. Idem de Arnobio dici poteſt, felicius ſuperſtitionem gentilem euertente, quam fidem Chriſtianam confirmante. Si tumorem enim verborum, quem ex gentis ſuae vitio ſecutus eſt Arnobius, demas, deprehendes, quam miſera ſaepe rationum ſerie demonſtrationem ſuam exponat. Vnde paſſim viris doctis *k)* vapulat Arnobius. Eadem in Hieronymo notauit

DAVID

f) Obſ. ſelect. ad rem liter. ſpectant. T. II. Obſ. 7. et 9. p. 89. ſeqq.

g) Iſagog. in hiſt. theolog. L. II. c. 3. §. 6. p. 560.

h) Inſtitut. diuin. L. II. c. 19.

i) Vid. G. I. VOSSIVS de theolog. gentili L. I. c. 12. p. m. 94. BAYLE Dict. T. II. art. Flora, not. H. p. 476.

k) Conf. DVPIN. Bibl. des aut. Eccleſ. T. I. p. 203. BAYLE l. c. art. Arnobe, not. B. C. p. 349. et laudati THOM. POPE-BLOVNT, in cenſura cel. auct. p. m. 213.

DAVID BLONDELLVS [l]. Cauſſas vero, cur tantopere hallucinati ſint patres, tamque craſſam artis rationalis ignorantiam prodiderint, praeter eas, quas iam indicauimus, varias deprehendere licet. Inter quas primo fere loco ponendum videtur, quod inter reuelationis atque rationis lumen accurate diſtinguere non didicerint. Cum enim in apoſtolorum ſcriptis legiſſent, requiri ad ſalutem fidem, et ſuperare religionis Chriſtianae myſteria, omnem rationis captum; eam autem fidei reluctantem captiuandam et ad fidei obſequium reuocandam eſſe, cauendam eſſe philoſophiam, et quae alia ſunt his ſimilia, ea non de principiis rationis materialibus temere diuinis immiſtis, nec de falſo ratiocinandi modo et ſophismatibus praeiudiciisque hominum veritatem in cupiditatum iniuſtitia detinentium intelligebant, ſed de principiis, quae vocant, formalibus, ipſaque ratiocinandi forma modoque. Non iniuriam nos facere patribus AMBROSIVS [m], vir diſertiſſimus, ſed infelix logicus teſtis eſto atque exemplum, qui fidem non deuiantis tantum rationis ineptiis, ſed ipſi quoque arti rationali oppoſuit. Ecce enim quam luculenter: *Aufer hinc argumenta, vbi fides quaeritur, in ipſis gymnaſiis ſuis iam dialectica tacet. Non quaero, quid dicant philoſophi, requiro quid faciant, ſoli in ſuis gymnaſiis remanſerunt. Vide quam fides argumentis praeponderet. Illi quotidie a ſuis conſortibus deſeruntur, qui copioſe diſputant, iſti quotidie creſcunt, qui ſimpliciter credunt. Non creditur philoſophis, creditur piſcatoribus, non creditur dialecticis, creditur publicanis.* Alios ex veteribus Chriſtianis paria commendauiſſe et dixiſſe GODOFREDVS ARNOLDVS [n] expoſuit, in eodem cum patribus luto haerens. Ad hanc cauſſam acceſſit alia, quae valde exoſam fecit veteribus Chriſtianorum doctoribus logicam. Nempe, quod ſupra iam tetigimus, arte dialectica Ariſtotelis atque Stoicorum egregie erant inſtructi haeretici, et ab hac, vt aliis quoque diſciplinis liberalibus, minime imparati. Hac cum in contentionibus, quas de fide cum catholicis doctoribus alebant, vterentur, ſophismatum glaucomata eorum obiecerunt oculis, ſicque effecerunt, vt quid ad ea reſpondendum eſſet, patres tantum non ignorarent. Et hi quidem recte ſacri codicis auctoritatem haereticis opponebant; ſique ſophiſmata detexiſſent, et inanem ſophiſticen cauillandique artem a rationali philoſophia diſtinxiſſent, nulla in re magnopere peccaſſent. At cum imperiti eſſent legum iſtarum, quibus paret intellectus humanus, nec detegere noſſent ſophiſmata, omnem dialecticae peritiam tanquam inutilem et damnoſam reiecerunt, et inter diaboli retulerunt opera. Id ſupra iam BASILII loco quodam contra Eunomium [o] pugnantis demonſtrauimus. Cum enim is Chriſtum ἀγέννητον dici contendiſſet, voce ſecundum priuationem ſumta, cum habitu priuatio ſit poſterior, non miſeram quidem Sophiſtae ratiunculam

l) De Sibyllis L. I. c. 26.
m) De fide L. I. c. 5. T. I. p. m. 56.
n) Delineat. veterum Chriſtianorum P. II. L. 6. c. 5. §. 19. p. 115. ſeqq.
o) p. 17.

lam ſoluit, ſed ita tantum refutare aggreſſus eſt, vt hanc mundi ſapientiam ſeductricem eſſe, ex Ariſtotelis categoriis deſumtam clamaret, ratus, ita ſe ſufficienter reſpondiſſe, cum humana terrenaque ſapientia, auctore Chriſto, diaboli mendacii parentis, opus ſit, quae cum Chriſtiana doctrina conſiſtere nequeat. Quod annon ſit deſerto campo aperto ad ignorantiae aſyla confugere, Lectori cogitandum relinquimus. Alia huius commatis loca ſuppeditabit GODOFR. ARNOLDVS *p*. Multum quoque ad hunc artis rationalis neglectum contulere vita moresque Dialecticorum perditi et offendiculo ita pleni, vt bonis omnibus, inter gentiles quoque, eſſent inuiſi. Quod cum laudabili pro honeſtate Chriſtiana zelo accenſi patres non ferrent, quod hominum vitium fuit, rei ipſi artique iſti tribuerunt, rati, ratiocinandi atque diſputandi leges obſeruare, adque eas reſpicere ſe non poſſe, niſi cauillationes quoque Dialecticorum imitarentur, et ad nugas eorum diuerterent: quas cum merito execrarentur, ipſam philoſophiam rationalem inuiſam habuerunt. Teſtem iterum adduçimus AMBROSIVM *q* ita diſſerentem: *Iubet apoſtolus ſtultas quaeſtiones et contentiones eſſe vitandas. Quid igitur nos agemus? inter meſſis antiquae noua zizania imprudentes accolae conſtituti? Si tãceamus, cedere videbimur. Si contendamus, verendum eſt, ne nos quoque iudicemur, eſſe carnales. Scriptum eſt enim de huiusmodi quaeſtionibus, quod generant lites. Seruum autem domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia docentem eos qui reſiſtunt.* Et alibi: *ſi quis contentioſus eſt, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Eoque ſcribere aliquid ſententiae fuit, vt ſine ſtrepitu aliquo impietati haereticorum noſtra pro nobis ſcripta reſpondeant.* Tangere his in verbis, apertum eſt, diſertiſſimum praeſulem mores Dialecticorum corruptos et contentioſos, ipſis quoque philoſophis gentilibus deteſtabiles viſos, eosque vt vitaret, noluiſſe Mediolanenſem antiſtitem eandem contentionis ferram cum haereticis reciprocare, ſed paucis et ὡς ἐν θέσει reſpondere. Alii inter Chriſtianos doctores, Graecanicae philoſophiae praeceptionibus inſtituti Logicam Graecam pro tam impia & profana non habebant, rati, vbi ſemel veritas purior admiſſa eſſet, iſtius ratiociniis religionem Chriſtianam non infeliciter fulciri poſſe: at meliorem dialecticam et efficacius demonſtrandi genus Chriſtianos habere contendebant, in demonſtratione ſpiritus et virtutis ſe exſerens, quod qui teneat, eum iſtis argutiunculis opus non habere. Haec ORIGENIS *r* mens fuit, contendentis: *Hominem exercitatum Graecanicis diſciplinis, ſi ad Chriſtianiſmum accedat, non ſolum approbare veritatem, ſed ad meditationem eius applicare animum, et ſi quid deeſſe videatur, ſuppleturum Graecanicis ratiocinationibus, ad adſtruendam Chriſtianae religionis veritatem. His*

p) l. c. §. 29. p. 216. *q*) l. c. L. V. c. 1. T. II. p. 113. *r*) Adu. Celſum L. I. p. 5.

His vero adiiciendum, demonſtrationem propriam diuiniorem quam ſint Graecorum demonſtrationes, quam apoſtolus nominet demonſtrationem ſpiritus et virtutis. Id quod in ſequentibus copioſe contra Celſum confirmat, improbantem, quosdam ne velle quidem rationem fidei vel reddere, vel accipere, vſurpareque illud dictum: ne examina, ſed crede, fides tua ſeruabit te, ſolereque dicere, mala res eſt ſapientia mundana, bona vero ſtultitia. Reſpondet enim: *Si poſſibile eſſet omnes homines relictis vitae curis vacare philoſophiae, nemini aliam viam inſiſtendam praeter ſolam hanc: inueniri enim in Chriſtianiſmo non minorem fide rationem -- ſed quia ſit impoſſibile tum propter vitae neceſſitates, tum propter infirmitatem hominum, nihil compendioſius excogitari poſſe ad ſubueniendum multitudini, quam quod Ieſus gentibus tradidit. Idque experiri multos in multitudine credentium, liberatorum a vitiorum colluuie in qua volutati fuerint antea, ſine ampliori diſquiſitione credentium poenas peccatorum ac bene geſtorum praemia, ſicque mores corrigentium etc.* Quibus poſtea addit, inter ipſos philoſophos ita euenire, vt ſecta eligatur, non ex eligentis iudicio, ſed aut a magiſtris induci, aut forte fortuna ſectae alicui ſe eum dedere. Tam exiguum vſum cum rationalem philoſophiam habere veteres Chriſtiani crederent, certe, eius neceſſitatem nullam eſſe, contenderent, quid mirum, negligenter ſatis illos in ratiocinando fuiſſe verſatos, et interdum imprudenter et inſcite, ob artis rationalis ignorantiam, interdum ſtudio dataque opera non attendiſſe, quomodo rationes ſubducerent, credentes parum referre, infirmis vel fortibus rationibus vterentur, modo argumentorum cumulo aduerſarium obtunderent? His aliam adhuc cauſſam iungimus, ex nefariis Pſeudophiloſophiae Orientalis atque Aegyptiacae artibus in Eccleſiam magno eius malo introductam. Illius enim patroni cum licitum ſibi putarent, mendaciis quoque atque fraudibus rem ſuam iuuare, ſeduxere nonnullos, qui Alexandriae philoſophiam didicerunt, vt pia, quam vocant, fraude vti, et mendacio cauſſam veritatis iuuare licere crediderint, hacque ex cauſſa argumenta ſpuria et ſubleſtae fidei non recuſauerint. Multa hanc in rem obſeruatione digniſſima afferri poſſent, niſi pleraque iam de hoc argumento occupaſſet Ven. MOSHEMII diligentia [s], qui de eo omnino adeundus eſt: ibi enim luculentis veterum teſtimoniis demonſtrauit vir celeberrimus, eiusmodi fraudes pias et mendacia officioſa patres habuiſſe pro licitis eaque commendauiſſe. Quae cum ratiocinationibus ſuis fundamenti loco ſubſternerent, intelligi absque negotio poteſt, cur falſa, ſubleſtaeque fidei et incerta, dubia, apocrypha, immo euidenter conficta pro veris, genuinis, certisque receperint, aliisque obtruſerint, exque his turbidis lacunis inepta argumenta pro cauſſa ciuitatis Dei hauſerint. Quem malum argumentandi morem merito reprehendit κριτικώτατος BLONDELLVS [t], His acceſſit magna artis criticae ignorantia,

Ignorantia PP. in arte critica.

s) Diſſ. de turbata per Platonicos recentiores Eccl. §. 46. Vol. diſſ. H. E. p. 202. t) l. c. L. I. c. 26.

rantia, qua vera a falsis, genuina a spuriis distinguere, sicque scorias a metallo puriore discernere nesciuerunt. Innumera eius rei exempla in scriptis PP. occurrunt, quae ex parte collegit inexhausta B. FABRICII [u] diligentia. Vna Aristeae historia, qua illis imposuit Iosephus, vanitati et ambitioni populi sui velificans, satis superque docet, quales in dignoscendis a veris factis fabulis, distinguendisque scriptis *νόθοις* et adulteriuis coecutiuerint. Ea enim tot suppositionis signa habet, vt impossibile fuisset, tantopere fidem illi fabulae habuisse patres, si artis criticae praesidiis melius fuissent instructi. Qui dum Iudaicam fabulam pro vera narratione recipiunt, suo postea exemplo auctoritateque seduxerunt magnae ceteta eruditionis viros, vt eadem chorda oberrarent. Vidit hanc *ἀβλεψίας* artisque criticae ignorantiam RENATVS MASSVETVS [x] in Irenaeo, cumque eam negare illumque defendere nullo modo posset, candide fassus est, culpam licet satis frigide in illorum temporum conditionem coniiciendo. Alia eius rei exempla heic breuitati litantes non adducimus, passim autem ea occurrunt, et a PHOTIO [y] quoque luculento specimine notata sunt. Abunde, quod reprehendas ea in re, habes in Clemente Alexandrino. Ceterum non errabimus, si stili quoque affectati, allegorici, tumentisque vel copiosam quandam eloquentiam venantis studium, quod in multis doctoribus Ecclesiasticis deprehenditur, inter causas neglectae ratiocinandi *ἀκριβείας* retulerimus. Quod in sui quidem temporis hominibus olim iam improbauit HIERONYMVS [z] ad Nepotianum scribens: *Ne quaeras pueriles declamationes, sententiarum flosculos, verborum lenocinia et per fines capitulorum singulorum acuta quaedam breuiterque concluſa, quae plausus et clamores excitent audientium.* Ipse tamen ea et sectatur, et alio loco laudat, et multos ex patribus ante et post suam aetatem habet consentientes, recte hunc PP. naeuum obseruante IOANNE CLERICO [a]. Ita vero, cum meteora orationis sequerentur, non potuere non frequenter in ratiocinando labi, cum nihil magis ratiocinationem seueram impediat, quam verba turgentia et nubes petentia. Pulchre candideque PETAVIVS [b]: *Multa sunt a sanctissimis patribus praesertimque a Chrysostomo in homiliis aspersa, quae si ad exactae veritatis regulam accommodare volueris, boni sensus inania videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad imperitam fere multitudinem exaggerandi causa et subito quodam impetu dicendi ac calore profusa feruntur plerumque licentius. Vnde ex aliorum comparatione lotorum vel conciliorum potius ac patrum temperanda et in gyrum veritatis reuocanda sunt.* Quod ne a recentiori homine grauius forte in patres dictum putetur, ecce grauem ea de re querelam GREGORII NAZIANZE-

Stilus PP. affectatus et allegoricus.

u) In obseru. ad Codic. Apocryphum V. et N. T.
x) Diss. III. in Irenaeum Art. I. §. 9. p. 110.
y) Cod. CLXX. p. 197. seq.
z) Ep. XXXIV. ad Nepot. et apol. contra Iouian. T. IV. p. 235.
a) Art. Crit. T. I. P. II. c. 1. c. 17. p. 348.
b) Ad Epiphan. haer. LIX. p. 244.

NIC, dignam, quam totam hic legamus. Ita vero ille: Ἦν ὅτε ἡμεῖς τε καὶ ἡμετέρα καὶ καλῶς ἔχεν ἡνίκα τὸ μὲν περιττὸν τοῦτο καὶ κατεγλωττισμένον τῆς θεολογίας καὶ ἐντέκνου ἐδὲ πάροδον εἶχεν εἰς τὰς θείας αὐλάς, ἀλλὰ ταὐτὸν ἦν ψήφοις τε παίζειν τὴν ὄψιν κλεπτόσαις τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως, ἢ κατορχεῖσθαι τῶν θεατῶν παντοίοις λογίσμασι, καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον καὶ περίεργον τὸ δὲ ἁπλοῦν τε καὶ εὐγενὲς τοῦ λόγου εὐσέβεια ἐνομίζετο· Ἀφ' ὃ δὲ οἱ Σέξτοι καὶ Πύῤῥωνες καὶ ἡ ἀντίτετος γλῶσσα ὥσπερ τι νόσημα δεινὸν, καὶ κακοηθὲς, ταῖς ἐκκλησίαις ἠμὲν εἰσεφθάρει, καὶ ἡ φλυαρία παίδευσις ἔδοξε, καὶ ὁ φησὶ περὶ Ἀθηναίων ἡ βίβλος τῶν πράξεων, εἰς ἀδὲν ἄλλο εὐκαιροῦμεν, ἢ λέγειν τι ἢ ἀκούειν καινότερον. Ω τὶς Ἱερεμίας ὀδύρεται τὴν ἡμετέραν σύγχυσιν καὶ σκοτομανίαν, ὁ μόνος εἰδὼς ἐξισοῦν θρήνοις πάθεσιν. *Fuit quondam tempus, cum res noſtrae florerent, ac praeclare ſe haberent, cum nimirum ſuperflua haec et verborum lepore atque arte fucata tractandae theologiae ratio ad diuinas aulas ne aditum quidem haberet: verum idem erat calculis ludere inuerſionis celeritate aſpectum fallentibus, aut omnigenis et laſciuis corporis flexibus ſpectatores ludificari, quod noui quidpiam et curioſi de Deo vel dicere vel audire. Simplex contra ingenuaque oratio atque doctrina pietas exiſtimabatur. At poſtquam Sexti et Pyrrhones et contradicendi libidine incitata lingua velut grauis quidam ac malignus morbus in Eccleſias noſtras irrepſit, quodque actorum liber de Athenienſibus narrat, ad nihil aliud vacamus, quam ad noui aliquid dicendum vel audiendum: o quis Ieremias confuſionem noſtram caliginemque deplorabit, qui ſolus lamentationes calamitatibus exaequare nouit.* Recentiorum in re nota teſtimonia [d] tacemus.

XIX. Philoſophia PP. naturalis fere nulla.

§. XXVI. XIX. Meliora atque ſolidiora in naturali philoſophia a doctoribus Eccleſiaſticis expectanda et in eorum ſcriptis quaerenda non ſunt, eo quod phyſicam ſcientiam prorſus neglexerint. Cauſſa eius rei primaria quaerenda eſt in arcta, quam veteres philoſophi Graeci inſtituerunt connexione inter ſcientiam metaphyſicam et phyſicam. Illam itaque cum odio merito ob peſtilentes de Deo diuinisque rebus ſententias haberent, viderentque multa quoque impia in naturalem philoſophiam dogmata inde irrepſiſſe, hanc quoque contemſerunt et repudiarunt. In quo non potuerunt non mirifice confirmari, cum obſeruarent, veteres phyſicos plerosque in doctrinam de Deo graui lapſu impegiſſe, et aut eum e mundo prorſus ſuſtuliſſe, aut prouidentiam eius negaſſe, aut mundi fabricam ſine eo conſtruxiſſe, ſicque atheiſmo tacite fauiſſe: multos etiam tam incertis rationibus et a veriſimilitudine alienis de coeleſtibus mundanisque rebus diſputare, vt incertior ab eorum libris et diſputationibus diſcedas, quam acceſſeris. Inutilia quoque eſſe, quae de rebus naturali-

c) Enchir. Athanaſ. p. 120. ſeqq. BARBEYRAC de la morale des
d) Vid. DALLAEVS de vſu PP. L. I. c. 5. Peres praef. p. 16. CLERICVS l. c. aliique.

turalibus praecipiuntur, statuebant, cum veras earum caussas pernoscere impossibile sit, et domi habeamus, quod maiori animi emolumento agamus, nempe morum emendationem. Cum Socrate itaque faciebant, quae supra nos sunt, nihil ad nos pertinere putantes, et philosophiam de coelo in terram deducendam esse statuentes. Ita vero patres praecepisse, non negabit, qui eorum scripta attente legerit. Vnus EVSEBIVS [e] luculentus testis est, qui enarratis physicorum Graecorum de rebus naturalibus opinionibus hanc ματαιολογίαν caussam esse dicit, cur inuisum sit Christianis physicae studium, Socratisque auctoritate id tuetur, speculationes Ionicorum physicas deserentis et ad moralem doctrinam philosophiam transferentis. Simili fere ratione LACTANTIVS [f] Academicorum disputationes improbans, recte tamen eas contra physicos adhiberi, statuit. *Quanto*, ait, *faceret sapientius ac verius, si exceptione facta diceret caussas rationesque duntaxat rerum coelestium seu naturalium, quia sunt abditae, nesciri posse, quia nullus doceat, nec quaeri oportere, quia inueniri quaerenda non possunt. Qua exceptione interposita et physicos admonuisset, ne quaererent ea, quae modum excederent cogitationis humanae, et se ipsum calumniae inuidia liberasset, et nobis certe dedisset aliquid, quod sequeremur.* Alia veterum loca adduxit FRANC. BALTVS [g]. Inutiles itaque et impossibiles eas disputationes esse cum crederent, ad meliora et vtiliora animum transferendum esse contendebant; qua de re luculenter EVSEBIVS [h]: ὅτι μὴ ἀγνοία τῶν παρ' αὐτοῖς θαυμαζομένων ὀλιγωρία δὲ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀνωφελοῦς σχολῆς, ἥκιστα αὐτῶν πεφροντίκαμεν τῇ τῶν κρειττόνων ἀσκήσει τὰς ἑαυτῶν ἀναθέντες ψυχάς. *Non vlla rerum, quas tantopere admirantur, ignoratione, sed inanis eorum studii contemtu omnem prope nos illarum curam exuisse, animis ad meliorem vsum exercitationemque traductis.* Hac itaque opinione de physicae doctrinae impossibilitate et vanitate occupati patres, cum de rebus naturalibus disserendum esset, nec domi meliora haberent, quae afferrent, egregie in explicandis iis hallucinati sunt, et in iis potissimum Scripturae Sacrae locis lapsi, quibus res naturales tanguntur. Vnde miras de rebus physicis apud patres inuenias ineptias, quae hodie exsibilantur. Testes volumus eos, qui de rebus naturalibus inter Christianos veteres disputarunt, qualis COSMAS est, monachus Aegyptius cognomento Indopleustes a V. C. BERNARDO MONTFALCONIO [i] editus, qui *Topographiam Christianam, siue Christianorum opinionem de mundo* scripsit, et cum aliis sui temporis terrarum orbis figuram non sphaericam sed planam esse statuit, exque hoc terrae situ miras de siderum rationibus et phasibus lunae solisque Eclipsibus nugas struit. Quam hominis ineptam opinionem, iam notauit PHOTIVS [k]. Nec melioris com-

e) Praepar. Eu. L. XV. c. 61.
f) Instit. diu. L. III. c. 2.
g) Defens. SS. Patrum Platonismi accusator. L. I. c. 9. p. 49. seqq.
h) loc. cit. c. 1.
i) In collectione noua patrum scriptorumque Graecorum T. II. p. 113. seqq.
k) Cod. XXXVI. p. 9.

commatis ſunt, vel accuratiorem diſciplinam produnt, quae auctor *phyſiologi*, qui liber falſo EPIPHANIO [l] tribui ſolet, habet, qui vbi animalium, de quibus tractare inſtituit, naturam explicare, et ad rationes theologicas applicare ſatagit, pueriliter ſaepe delirat. Quae vbi excuſat interpres opuſculi ſpurii CONSALVS PONCE DE LEON Hiſpalenſis, mire et ſuam et auctoris imperitiam prodit, faſſus animalium naturas incertas afferri, trita, plebeia ac in omnium ore verſantia adduci. Id quod adeo verum eſt, vt vix alium inter veteres libellum inuenire liceat, qui adeo anilibus ſcateat fabulis, easque in ſenſus ſpirituales miſere inepte traducat. Qua de re, ſi Lector fidem cupit, eum ipſum libellum mole non magnum, adire iubemus, certi, miraturum eum, quod veteres tam pueriliter in phyſicis nugari potuerint. Haec cum ad ſacram oraculorum interpretationem patres traducunt, dici non poteſt, quam grauiter offendant. Exemplum eſſe poſſunt, qui hexaëmeron explicuerunt, quippe qui rerum phyſicarum ignoratione ridiculas ſaepe gerras et vanas ratiunculas afferunt. Cuius labis nec AMBROSIVS [m] expers eſt, doctor cetera et eruditus et facundus, qui vbi creationis opus explicandum ſuſcepit, nullius cauſſae phyſicae, veriſimilis modo rationem habet, ſed ſenſui literali, prout ipſe ſibi perſuadet, intentus, quaecunque dicunt philoſophi, pro ſophismatibus habet. Exemplo eſſe poſſunt, quae de aquis ſupracoeleſtibus habet [n]; ibi enim, cum obiectiones eorum, qui aquas iſtas negandas ſibi eſſe ſtatuebant, attuliſſet, illas refutaturus, verſutias dialecticae eſſe clamat, et ad Dei potentiam miraculoſam confugit, et quod probandum eſt, probationis loco affert, ita Deum ordinaſſe, et verba Scripturae inepte huc aduocat; et miſerandam, ſi fatendum quod res eſt, tractationem atque elumbem inſtituit. Condonari haec poſſe, immo ignoſcenda eſſe Ambroſio, viro cetera immortalibus in Eccleſiam meritis et facundia dulciſſima conſpicuo, facile largimur, eo quod inuitus a foro et tribunali ad cathedram ſacram traductus eſt, nec naturali doctrinae operam poſuit: grauioribus etiam negotiis in epiſcopali munere occupatus his ſpeculationibus vacare nec potuit, nec ob creditam eo tempore impoſſibilitatem ſcientiae naturalis voluit. Sed hoc ferri non poteſt, eum, cum ſuam hac in re curtam ſupellectilem noſſet, ad explicandum argumentum aliquod phyſicum ſe accinxiſſe, cumque oneri ferendo impar eſſet, ſiculneis ratiunculis, ineptis dictorum ſacrorum allegationibus, contemtuque potius quam refutatione obiectionum in eo tractando fuiſſe verſatum. Verum hoc non illius ſolius vitium eſt, ſed plerorumque, qui de hoc argumento tractarunt. Ex quibus iam, quid de philoſophia naturali patrum ſtatuendum ſit, nobis non monentibus quilibet intelligit.

§. XXVII.

l) T. II. Opp. p. 189. ſeqq. m) Comm. in hexaëmeron. n) L. II. c. 3. T. III. p. 17.

§. XXVII. XX. Moralis doctrina propius veterum doctorum Chri- *XX. Moralis philosophia PP. qualis fuerit?*
ſtianorum curam tangebat, cum munus eorum poſceret, de moribus ad populum differere. Parcior tamen patrum ſeculi primi, ſecundi et tertii in ea re fuit diligentia: cum enim aduerſus philoſophorum inſultus et haereticorum ſophiſmata ipſis ſaepiſſime pugnandum eſſet, contenti fuerunt, ſi ea, quae ad mores pertinent, viua voce in orationibus ſuis populum edocerent. Inſperſere tamen ſcriptis ſuis moralibus haud pauca ad mores formandos pertinentia, quae hoc loco enumerare cum alia agenda ſint, non licet, videnda autem quae attulere doctiſſimi viri GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS[o] et IO. FRANCISCVS BVDDEVS[p]. Id vero hoc loco annotare non abs re erit, AMBROSIVM[q] ſi non primum, certe inter primos fuiſſe, qui doctrinam moralem in compendium redegerit. Qui cum Ciceronem de officiis praecipientem ſibi imitandum eſſe conſtituiſſet, ad eius capita ſuppoſito reuelationis principio regulas honeſti reuocauit. Poſt ſeculum vero tertium frequentes ſatis patres in moralibus fuiſſe, catalogi ſcriptorum illorum oſtendunt, et vel ſolae homiliae frequentiſſimae euincunt. In hoc vero argumento morali parum quoque feliciter eos multoties verſatos fuiſſe, ipſa ſcriptorum eorum prodit lectio. Quamuis enim laudabili inſtituto conſeruare inter ſuos morum ſanctitatem atque innocentiam, more Eccleſiae Apoſtolicae laborauerint, multae tamen cauſſae fuerunt, quibus impediti metam, prout cupiebant, attingere non poterant. Inter eas ignorantiam ſermonis Hebraei omnino referre licet. Cum enim dicta Scripturae fundamenti loco in argumentis moralibus ſupponerent, nec alia verſione, quam LXX virali vterentur, eo quod eam θεόπνευστον eſſe putarent, nec ad fontes recurrere poſſent, merito inde concluditur, falſas interpretationes inepta quoque praecepta moralia genuiſſe. Plerosque vero patres, excepto Hieronymo et Origene, linguae Hebraicae ignaros fuiſſe, ipſorum ſcripta ſatis probant: nec reiicienda ex toto eſt IOANNIS CLERICI[r] ſententia, *cum facile fuiſſet doctoribus Eccleſiaſticis linguas Orientales addiſcere, maluiſſe eos ſtatuere abſurdiſſime diuinitus fuiſſe afflatos ſeptuaginta interpretes, quam laborem ſubire, qui exantlandus fuiſſet, in addiſcenda lingua Hebraica. Maluiſſeque in linguae ſuae cognitione acquieſcere, et allegoricum interpretandi genus, quo nihil futilius vel facilius erat, ſectari, quam grammatice ſingula, vt decuit explicare, ita enim quemlibet, qui ſumma capita theologiae atque ethicae Chriſtianae norat, et facultatem aliquam vernacula lingua dicendi ſibi comparauerat, ex quolibet loco Scripturae, quidlibet potuiſſe deducere? allegoricis, nimirum, machinis, prout libebat adhibitis.* Vera haec eſſe, ipſa patrum ſcripta moralia loquuntur, et de omnibus fere valere erudite demonſtrauit acutiſſimus BAR-

o) Introd. in theol. moralis ſtudium c. IX. p. 621. ſeqq. q) In libro, de officiis.
p) Iſagog. in hiſt. theol. L. II. c. 4. §. 4. r) Epiſt. crit. IV. p. 110.

BARBAYRACIVS [s] exemplisque illustrauit luculentis. Inter quae locus imprimis luculentus S. AVGVSTINI eminet, qui rem omnem in clarissima luce ponit [t]. Verum his vltra immorari hoc loco non licet, quare ad reliqua progredientes, obseruamus porro de doctrina PP. morali, non potuisse eis feliciter cedere eius tractationem, quod reuelationis et rationis lumen saepe inter se confuderint, et cum Graeca philosophia, quam tanto odio prosequebantur, hoc quoque tantum non omne reiecerint. Factum enim inde est, cum se solam Scripturam Sacram ducem normamque eligere dicerent, vt et accuratis atque adaequatis notionibus moralibus minime vterentur, et principia iuris naturalis et diuini, rationis et reuelationis, officiaque hominis, ciuis, et Christiani turpiter inter se confunderent, et inepta assertione praecepta moralia apud philosophos occurrentia Hebraeis atque Christianis vindicarent, quamuis ex communi hominibus omnibus fonte essent hausta. Qua ratione confusionem haud paruam in doctrina morali regnare coepisse, euentus luculenter testatur [u].

Philosophiae moralis PP. absurdus nimiusque rigor.

§. XXVIII. Ex his alius moralis doctrinae veterum Christianorum naeuus ortus est, partim ineptae locorum quorundam Scripturae Sacrae interpretationi, partim confuso rationis principio cum reuelationis norma, partim ineptis et sine iudicio atque philosophiae moderamine conceptis hypothesibus adscribendus: nempe ille, qui circa praecepta morum nimium rigorem poscentia, et in emendandis moribus rationis et reuelationis dictamina supergressa versatur. Rem, ad theologiae moralis campos pertinentem heic ex instituto tangere non licet, fuse vero et accurate excussit omnia et ad frigidam Remigii Ceillierii apologiam respondit eruditissimus BARBAYRACIVS, cuius *de doctrina morali patrum* tractatio elegans atque solida ab iis legenda est, qui patrum de morali philosophiae parte opiniones et merita cognoscere, et sine partis studio atque praeiudicio iudicare ipsi suisque oculis cernere cupiunt. Vt exemplis paucis rem illustremus, grauem philosophiae sanae ignorantiam prodit nuptiarum secundarum reiectio, patribus solennis [x], quae licet rationem et reuelationem habeat contrariam, non puduit tamen non neminem ex veteribus [y] scribere: *Apostoli praeceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundum praeceptum apostoli est, secundum autem veritatis rationem vere fornicatio est, sed dum permittente Deo, publice et licenter committitur, fit honesta fornicatio.* Quibus verbis vtrum possit esse aliquid a ratione et pietate alienius, merito dubitamus. Nec habuit, quod pro excusandis eiusmodi naeuis moralibus PP. afferret REMIGIVS

s) De la morale des Peres c. II. §. 3. p. 14.
t) Vid. IDEM c. XVI. §. 13. seqq. p. 290.
u) Conf. IDEM l. c. praef. p. 16. BVDDEVS hist. I. N. praefixa, sel. I. N. et G. §. 10.
x) BARBAYR. l. c. c. IV. §. 13. seqq. p. 33.
y) CHRYSOST. homil. XXXIII in c. XIX. Matth. Qui locus adducitur quoque in Iur. Can. C. XXXI. q. I. can. 9.

GIVS CEILLIERIVS [z], monachus Benedictinus, quam hoc: non ex phraſium duris vocibus, ſed ex ſcopo animoque ſcribentium eos explicandos et in mitiorem partem interpretandos eſſe. Qua ratione ipſe fatetur, peccaſſe eos in hoc moralis doctrinae aſſerto ſtatuendo. Eadem ratione philoſophiae accurationem deſideres, quando illicitum ſtatuunt, cum vxore grauida concumbere, quando moderamen inculpatae tutelae improbant quando vſuras omnino omnes damnant, et iusiurandum abſolute reiiciunt, vel artem muſicam eiusque vſum ex Eccleſia proſcribunt, quaeque alia ſunt humanae naturae rerumque moralium indolem euertentia, et a Barbayracio luculenter demonſtrata [a]. In quibus omnibus euitandis feliciores patres fuiſſent, ſi philoſophiae praeſidiis fuiſſent inſtructi: quibus qui carent, in eiusmodi ὑπέρσοφα καὶ ἄσοφα more Stoicorum incidere neceſſe habent, vt noſtrorum quoque temporum exempla demonſtrant. Adeo vero rationis fere omnis vſum in conſtituendis honeſti licitique regulis euerterunt doctores Eccleſiae veteris nonnulli, vt in ridendos nonnunquam lapſus inciderent. Exemplum dabit CLEMENS ALEXANDRINVS doctrinae moralis rigidioris ad exceſſum vsque cultor. Is enim inter alia [b] ſpeculorum vſum tantopere in foeminis damnat, vt eas meretrices vocare non erubeſcat, eo quod ex vultibus ſuis perſonas faciant. His ſubiungit: *Nobis autem ſuadet ſermo* (i. e. ratio interna) *non ea conſiderare quae videntur, ſed ea, quae non videntur: quae enim videntur, ſunt temporalia, quae autem non videntur, aeterna. Quo autem dici ac fingi nihil poteſt abſurdius, fictae iſtius formae ſuae, perinde ac ſi res ab eis bene geſta ac confecta ſit, ſpecula excogitarunt, cum huic fraudi eſſet potius admouendum operculum - - Quod ſi Moſes praecipit hominibus nullam facere imaginem, quae Deum arte repraeſentet, quomodo hae recte fecerint mulieres, quae fallaci perſonae fictione ſuas per reuerberationem imitantur imagines?* Quibus an ineptum magis aliquid eſſe poſſit, et a ſenſu reuelationis et rationis alienum, ipſe iudicet Lector beneuolus. Talia plurima habet Clemens Alexandrinus, ſeueriſſimae doctrinae praeceptor, qui tamen adeo incaute alicubi [c] differit, vt bonos mores laeſiſſe ſcandalumque praebuiſſe non immerito videri queat.

§. XXIX. Maxime vero doctrina moralis a patribus corrupta fuit, ex quo peſtilens philoſophandi genus, quod ineunte ſeculo tertio in neruum erupit, et Alexandriae primo caput extulit, moxque totum orbem Romanum peruagatum eſt, doctores quoque Chriſtianos infecit, et per eos in Eccleſiam irrepſit. Ita enim factum eſt, vt ad falſa quaedam

Philoſophia Alexandrina doctrinam morum PP. corrupit.

z) In apologia pro doctrina morali PP. Barbayracio oppoſita. p. 31. ſeqq.
a) C. VI. IX. X. XV. et paſſim.
b) Paedagog. L. III. c. 2. p. 220.
c) L. II. c. 10. p. 187. ſeqq.

dam et impia dogmata patres nonnulli delaberentur fundamento ex iſta philoſophia ſubſtrato. Exempla qui volet, facile ea inter ſcriptores Eccleſiaſticos ſeculi tertii et ſequentium ad ſeculum ſeptimum vsque inueniet, et vnius Origenis, infra exhibendum, obſeruationem hanc luculenter illuſtrabit. Vnum, quod ex huius ſectae principiis fluxit dogma ſatis ſuperque eam probat, dolis et fraudibus licere veritatem defendere, de quo ſupra iam dictum. Quoniam vero ſyncretiſtica illa philoſophia, priusquam in nouum tranſiret ſectae habitum certumque ſyſtema acciperet, liberiori licet vultu diu iam in Aegypto, et in Syriae, Aſiaeque regionibus quibusdam viguit, hinc factum, vt errores morales haud pauci paſſim inter Chriſtianos etiam antiquiores ſeculo III, ei philoſophiae ſe addicentes caput extollerent. Cuius rei ſpecimina complura in Clemente Alexandrino deprehenduntur, qui et Stoicis et Platonicis erroribus, quos iſta philoſophia miſcuit paſſim doctrinam Chriſtianam moralem turbauit, de quo infra pluribus dicemus. Alia Iuſtini Martyris, Irenaei, Athenagorae, Tertulliani exempla, a Barbayracio ex parte producta tacemus, non diffitente magno patrum aduocato R. CEILLIERIO[d], patres primitiuae Eccleſiae malae cuiusdam philoſophiae praeceptis imbutos in moralibus doctrinis quibusdam fuiſſe lapſos, et ex hoc quoque fonte ineptum errorem de angelis filiabus hominum commixtis fluxiſſe. Ex his porro ſcaturiginibus quaedam profluxere, quae Hermas habet, quaeque Apoſtolicam ſimplicitatem non ſapiunt, vt ſupra dictum. Maxime vero corruptio illa, quae ex hac philoſophia in moralem Chriſtianorum doctrinam ſe effudit, ſe prodidit in fanaticiſmo, in myſtica, et perfectiori quadam quam nonnulli ſibi finxerunt theologia morali conſpicuo. Cum enim et Platonici, et Gnoſtici, et qui vtrisque ſe certo modo parentes praebebant, Orientales philoſophi, γνῶσιν quandam et μυσταγωγίων arcanam ad magis eximium quendam ſanctitatis gradum referrent, et de deſcenſu redituque animae ad fontem ſuum, Deum, deque purgatione ad hunc finem neceſſaria multa garrirent, noluerunt Chriſtiani doctores in hoc ſanctitatis genere commendando illis eſſe poſteriores, et huic ſe methodo, deſerta ſimplicitate Apoſtolica, attemperauerunt. Non prouocabimus ad Pſeudo-Mercurium, Dionyſium Areopagitam hisque ſimiles, qui Platoniſmum Alexandrinum dogmatibus Chriſtianis ita admiſcuerunt, vt quid vtrique parti debeatur, vix diſtinguas: ſed Clementem Alexandrinum teſtem excitamus, hanc γνῶσιν vehementer commendantem, eoque hominem perducere tentantem[e], vt eum ad hanc cognitionem, ſiue quo nomine alibi vtitur, ἐποπτικὴν θεωρίαν, voce ex hac philoſophia deſumta, reuocet. Qua in re eum ad multos errores declinauiſſe, erudite demonſtrauit IACOBVS THOMASIVS[f], qui quam grauia Eccleſiae vulnera hic affectatus morum ſanctitatisque fanaticiſmus ex philoſophia Platonica et Orientali in Eccleſiam

d) l. c. p. 452. e) Strom. L. VI. p. 412. f) de Definit. Capient. §. XLV. p. 87.

ſiam irrepens inflixerit, graphice delineauit, merito ea de re legendus. Hinc enim et ἀμαρτησία et ἀπάθεια commendata, hinc purgatoriae illae myſticorum virtutes profectae, hinc enthuſiaſmus, multorum dogmatum erroneorum parens, enatus, et monſtra in rem quoque Chriſtianam profecta ſunt plurima. Qua de re tamen cum infra adhuc aliquid dicendum ſit, heic plura non cumulamus. Paucis omnia egregie ita complexus eſt MOSHEMIVS *g*: *Longe minor profecto fuiſſet omni aetate hominum fanaticorum numerus, niſi extitiſſent huius ſapientiae alumni, qui abſurda de theurgia, mentisque quam vocabant, in Deum aſcenſione ſupremique Numinis contemplatione inuenta, cum ſanctiſſimis de vitae caſtitate ac integritate praeceptis coniungere ſtuduiſſent.*

§. XXX. Sunt etiam alia, quae ex hoc infauſto fidere philoſophiae Aegyptiacae, Orientalis atque Platonicae Eccleſiam eiusque doctrinam moralem afflarunt mala, veramque morum ſanctitatem praepoſtere commendando perdiderunt. Nempe ſupra ſuo loco demonſtratum eſt, inter Aegyptios, homines naturae et climatis vitio triſtes atque atra bile refertos ſolitarium vitae genus introduxiſſe, ſacerdotum forte gentem in ea regione imitatos, quos ſeparatim non ſine ingenti populi reuerentia habitauiſſe conſtat. Feciſſe hoc philoſophos Pythagoreos vltimos, in Aegyptum profugos, et hos ſecutos fuiſſe Iudaeos, propriumque ſolitariae vitae inſtitutum expreſſiſſe, et Therapeutas vocatos eſſe, eodem loco diximus, et quale id fuerit, luculenter expoſuimus. Factum inde eſſe, vt hi homines perfectiorem quandam ſanctimoniam colere viderentur, vel ex ſolo PHILONE *h*, diſci poteſt. Cui opinioni cum accederent ἀσκήσεις philoſophicae, et labores duri, ieiunia et auſteritates aliae, quibus animum a corporis contagio purgari, et ad aſcenſum diuinum praeparari dicebant, magna inde horum hominum fuit exiſtimatio. Quae cum multis huiusmodi inſtituta perſuaderet, et ex ipſa huius pſeudo-philoſophiae inſtitutione error ille damnabilis in Chriſtianam Eccleſiam ſerpere coepiſſet: quo magis a materia corporisque commercio liberari poſſit animus, eo propius ad Deum accedere eique iungi poſſe, dici non poteſt, quam exarſerint multi Chriſtianorum veterum ſeculo iam ſecundo, vt eiusmodi vitam philoſophicam et aſceticam eligerent, qua meliorem, quam vulgo fit, ſanctitatem ſeſe conſectari, propiusque cum Deo coniungi et ad intimam eius communionem pertingere liceret. Id quod non facilius euenire poſſe ſperabant, quam ſi corporis et, quae ad materiae commercium ſpectant, rebus extinctis, ſolamente ad Deum quaſi euolarent. Hinc in loca deſerta diſceſſere μονάζοντες, et euitata hominum conſuetudine ſolitarii fugam materiae meditati ſunt, corporis cruciatus haud leues commenti. Ita vero et ſibi philoſophiam quandam perfectiorem conſecuti fuiſſe videbantur, et aliis admira-

Alia philoſophiae moralis Chriſtianae mala ex philoſophia Aegyptiaca et Eclectica.

g) Hiſt. eccleſ. Sec. II. p. 211. *h*) De vita contemplatiua.

mirationi ſummae erant, qui illis ἄσκησιν φιλοσοφωτάτην καὶ σοφοτάτην *aſceticam philoſophiam maxime perfectam*, vt EVSEBIVS [i] vocat, tribuebant, eosque philoſophorum nomine, ſenſu vocis quodam eminentiore, venerabantur. Quae ita ſe habere, res ipſa et inſtituta inter aſcetas Aegyptiorum philoſophorum et Chriſtianos comparatio, et dogmata ab illis transſumta euidenter probant. Illi enim cum ζῆν ὑπὲρ φύσιν poſtularent, et ſeueram aliquam abſtinentiam commendando peculiares βασάνους et moleſtas exercitationes atque cruciatus iniungerent, vt ſuo loco dictum, idem perſuaſerunt Chriſtianis aſcetis, nouamque itaque perfectionem quandam et ſanctitatem morum comminiſcendi auctores fuerunt [k]. Dici non poteſt, quot et quantos errores peſtis illa in Eccleſiam introduxerit, et quam atrociter moralem doctrinae Chriſtianae partem corruperit. Quae tamen mala enarrare omnia hoc loco non licet, et in Eccleſiaſtica hiſtoria accurate explicari debent. Praetermiſſis reliquis, vnum in praeſentia coelibatus atque virginitatis cum ſingularis et perfectioris ſanctitatis laude commendatae dogma notamus, quod ex impuro hoc fonte in Eccleſiam traductum ſeduxit patres, vt coelibatum matrimonio, licet diuina inſtitutione commendato, praeferrent, donec, quod perfectioris vitae conſilium fuerat, tandem in legem degeneraret Eccleſiaſticam. Cuius rei hiſtoriam ab aliis ſatis fuſe traditam heic exponere nec libet nec licet, obſeruandum vero hoc loco eſt, hanc corruptionem moralis huius dogmatis philoſophiae Aegyptiacae ſiue Alexandrinae deberi, qua magiſtra et Therapeutae, et Eſſeni coelibatum coniugio praetulerunt, et Platonici perfectiores abſtinendum ſibi ab vxore cenſuerunt, cuius exemplum *Tomo ſecundo* in Iſidoro Alexandrinae philoſophiae addicto attulimus. Nec ſtatuere poterant aliter, qui in materiam corporisque commercium mali moralis originem referebant. His vero doctrinae inſanae principiis imbuti cum ad ſacra Chriſtiana nonnulli acceſſiſſent, et ex Therapeutis quoque, vt veriſimile, multi puriorem Chriſti diſciplinam amplecterentur, qui ſolitariae coelibisque vitae rationes ob perſecutiones inſtantes ſibi expedire intelligebant, rationes inde facile ſubduci poſſunt, qui factum ſit, vt in laudes coelibatus patres tantopere effuſi ſint, isque ſupra matrimonium caput extulerit. Doctores enim illi, more ſuo phaleratis verbis encomia virginitati ſuſpendentes, cum inter animi caſtitatem et corporis virginitatem, (quarum illa in matrimonio quoque ſeruari poteſt, haec ad ſolum corpus ſpectat, animum interdum minime caſtum complectens,) accurate non diſtinxiſſent, errori illi gentili frigidam ſuffuderunt, et in errore deuiantes confirmauerunt. His acceſſit nuptiarum ſecundarum reiectio, qua, dum veram coniugii indolem nec ſciebant, nec explorabant, viduos ad amplectenda ſolitariae, coelibisque vitae inſtituta perducebant. Id quod aliter euenire non poterat, cum, quod vel laudabant, vel

i) Hiſt. eccl. L. II. c. 16. k) Vidit id faſſusque eſt HOLSTENIVS ad vit. Pythag. n. 20. p. 27.

vel vituperabant, modum illi ponere nescirent, mosque hic apud eos, recte obseruante DALLAEO [1], vigeret, *vt, cum ingenio essent feruido et concitato, quam in partem propenderent, eo tanto impetu ferrentur, vt, quos quidem laudant, eos inter angelos, quos vero vituperant, inter diabolos collocare videantur: quaeque credenda putant, non aliter commendent, quam si totidem essent Christianissimi fundamenta: quae reiiciunt ac refutant, non aliter explodant, quam si merum atheismum spirarent.* Quorum illud in laudanda et commendanda virginitatis obseruatione cultuque, hoc in condemnandis nuptiis secundis accidisse, horum et sequentium temporum scripta testantur. Quae corruptio instituti ab ipso sanctissimo Numine profecti cum iam seculo primo et secundo inualescere coeperit, vt ex HERMAE et ATHENAGORAE locis probari potest, mirum non est, succedente tempore, cum tot corruptelae ex prauis philosophiae Alexandrinae seminibus largis messibus in Ecclesia propullularent, incrementa hunc errorem moralem accepisse latissima, donec, suadente hierarchiae Ecclesiasticae tandem introductae vtilitate, in legem conuerteretur. Possent haec aliis quoque exemplis comprobari, et quibus inutilibus ritibus atque ceremoniis ex his impuris fontibus hausti Christianae doctrinae, quae ad mores pertinet, simplicitas turbata sit demonstrari, nisi hoc esset extra oleas vagari, vnde theologis haec enarranda relinquimus.

§. XXXI. XXI. Et haec quidem omnia, fuse, vt argumenti postulabat necessitas atque dignitas, atque instituti nostri ratio flagitabat, enarrata, luculenter docent, quid de veterum Christianorum, maxime doctorum Ecclesiasticorum philosophia statuendum sit. Quibus omnibus rite perpensis, fatendum est, parum inde emolumenti atque incrementorum ad philosophiam veram sanamque accessisse. Id tamen non ita accipiendum est, ac si nulla inter veteres doctores Ecclesiasticos ingenia fuerint philosophica ac critica. Talia enim passim se prodebant, quale infra in Nemesio ostendemus. Plerisque tamen sui temporis mores atque circumstantiae supra memoratae obstiterunt, quo minus se talia praestarent. Quae cum postea immutarentur, philosophari quoque multi ex doctoribus Christianis coeperunt, at euitare lapsus, quae humani ingenii est imbecillitas, non potuerunt. Hi enim cum plurimi philosophiam facerent, relicta Eclectica philosophandi methodo, a patribus commendata, sectariam elegerunt, cumque ipsi Eclectici philosophi Aristotelem cum Platone coniunxissent, illi tanquam meliori magisque solide philosophanti adhaeserunt, eaque in opinione Saracenorum studiis et exemplo confirmati sunt. Qua ratione aliud malum medio aeuo genitum fuisse, nempe philosophiam et theologiam scholasticam, in sequenti libro trademus. Neque tamen intercidente secta

XXI. Iudicium de philosophia PP.

1) De vsu PP. L. I. c. 6. p. 177.

Eclectica, quod Sec. VII. factum esse supra diximus, intercidit omne Platonis et Platonicae vel potius Alexandrinae philosophiae inter Christianos studium, sed inter Graecos vsque ad Graeci imperii extinctionem floruit; apud Latinos, mature ad eos perlatis Pseudo-Dionysii Areopagitae libris, ab huius furfuris homine consarcinatis innotescere coepit, et theologiam mysticam genuit; sicque Ecclesia monstro bicipiti vexata est. Haec vero cum ad historiam philosophicam medii aeui pertineant, ea infra enarrabimus, iam philosophiam PP. in specie consideraturi.

CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIA VETERVM CHRISTIANORVM, PRAECIPVE ECCLESIAE DOCTORVM, SPECIATIM CONSIDERATA.

§. I.

Ordo tractationis.

Quid generali consideratione de veterum Christianorum, praecipue Ecclesiae doctorum, philosophia statuendum sit, quae iis sententia de philosophia Graecanica fuerit, quaque ratione eam variis circumstantiis inducti ad Christianam doctrinam traduxerint, fuse, vt argumenti dignitas postulabat, explicuimus, sicque vsum, quem historia philosophica in enarrandis Ecclesiae fatis habet, plurimis exemplis demonstrauimus. Iam praecipuorum quoque doctorum Ecclesiae veteris exempla intuenda sunt, quae quidem ad hos nostros limites pertinent. Fuerunt enim ab apostolicorum virorum aetate, seculique post Seruatorem natum secundi initio ad seculum vsque octauum, a quo medium aeuum auspicari plerique solent, multi viri doctissimi, quibus philosophiae vsus eo sensu, quo capite praecedenti explicatus est, tribuendus est. Et poterant haec quidem praetermitti omnia, et ad annalium Ecclesiasticorum scriptores vel eos, qui Ecclesiasticorum doctorum historiam literariam enarrarunt, ablegari Lectores. Cum autem momentum res non in historia modo Ecclesiastica, sed in philosophica quoque haud vltimum habeat, multaque monenda sint, quae haud mediocrem habuere in dogmata, ritus et consuetudines veteris Ecclesiae influxum, nonnulla etiam ignorari nequeant sine historiae philosophicae iactura, praesertim in rebus ad philosophiam Alexandrinam spectantibus, ideo attingenda quoque illa sunt, et heic, ea, qua licebit, breuitate et accuratione enarranda, vt quem vsum philosophia inter veteres Christianos habuerit, omnibus constet. Distinguuntur autem doctores Ecclesiastici, qui huc reuo-

reuocari possunt, in duas classes, quarum vna ante conditam sectam Eclecticam, altera illa inualescente viguit. Quamuis enim syncretisticum illum philosophandi morem iam ante Christum natum in Aegypto obtinuisse, et a patribus seculi quoque primi nonnullis incaute satis admissum esse, ex supra dictis constet: accessit tamen seculo ineunte tertio Ammonii industria nouus eius habitus, forma et constitutio, quodque vaga prius licentia disseminatum infinitas, teste Hierocle, apud PHOTIVM [a], litigandi et disceptandi occasiones suppeditauit, innumeraque peperit sententiarum diuortia, eo quod quilibet sibi peculiare quoddam doctrinae aedificium construeret; tandem in vnum systema coaluit, et definitas accepit rationes, ita tamen vt πανδοχεῖον esset, in quod omnis gentis, opinionis et religionis placita recipi possent. Ex qua schola cum nonnulli viri docti essent progressi, qui muneri publico in Ecclesia admoti sunt, nouam inde faciem philosophia Alexandrina Ecclesiasticae philosophiae, si ita fas est dicere, induxit. Seculi igitur secundi doctores prius illos contemplabimur, qui ante conditam eam sectam vixere, tum, qui tertio et sequentibus, Alexandrina vel Aristotelica quoque φιλοσοφούμενα adamarunt, considerabimus. Vbi tamen omissa eorum literaria historia integra ad ea tantum respiciemus, quae ad constituendas illorum philosophicas opiniones studiumque in Graecanicam philosophiam adhibitum aliquid contulisse videntur. Reliqua enim in historia literaria scriptorum Ecclesiasticorum enarrari debent, et a multis haud indiligenter enarrata sunt.

§. II. Patres seculi primi, qui apostolos viderunt audiueruntque, et ex eorum disciplina prodierunt, simplicitati magis apostolicae, quam eruditioni et philosophiae studuisse, contentos virtutem Euangelii in demonstratione Euangelii vidisse, paucisque exceptis, ab omni cum philosophia Graecanica et Aegyptiaca commercio abstinuisse *capite*, *huius libri primo* luculenter demonstrauimus. Ita vero fieri par erat, cum et ipsius sanctissimi atque perfectissimi doctoris Iesu Christi exemplum id doceret, et apostoli alium docendi modum non adhibuissent, et alia non postularet necessitas, cum plerumque cum illiteratis res esset apostolis eorumque discipulis. Vbi autem ad literatorum quoque oculos penetrauit iubar Euangelii, et viri philosophiae cognitione haud incelebres de eius veritate coepere conuinci, factum est, vt etiam de philosophia triumpharet Christiana religio, nec obstaret typhus ille, qui plerosque Graecae eruditioni, et imprimis philosophiae, litantes eo tempore occupauerat, luculento testimonio, sapientiam coelestem, licet hominibus humilem et abiectam visam, virtute et efficacia diuina omnem eruditionem humanam etiamsi splendentem infinitis superare parasangis. Inter hos vero philosophos, qui veritati Euangelicae victas porrexere manus, primus et celeberrimus fere fuit IVSTINVS, qui ob testimonii de V. R. C. san-

Philosophia Iustini M.

a) Cod. CCXIV. p. 283.

C. ſanguine ſuo morteque obſignati gloriam MARTYR dici ſolet. Vixit is ſeculi poſt C. N. ſecundi parte priore, et pietatis, doctrinae zelique pro Chriſti domini cauſſa, nomine magnam famae celebritatem ad noſtra vsque tempora nactus eſt. Is cum mature literis eſſet inſtitutus, philoſophiae ſtudia feliciter attigit, quae ei viam ad amplectendam Chriſtianam religionem parauit. Id qua ratione euenerit, eo magis operae pretium eſt, ex eius ore [b] audire, quo magis incomparabile pro veritate et praeſtantia religionis Chriſtianae argumentum praebet, et quam ſalutarem illuſtri Chriſti teſti vſum philoſophia ad amplectenda meliora dogmata praeſtiterit, euidenter docet. Eo ipſo enim auctore nobis relicta eſt rei huius memorabilis hiſtoria, quae haec eſt. Cum ſe philoſophiae ſtudiis mancipaſſet, primum ſe Stoico cuidam dedit. Ea enim ſecta circa ſeculi ſecundi auſpicia maxime omnium florebat, et reliquas ſectatorum numero, philoſophantium gloria, virtutisque opinione ſuperabat, vnde mirum non eſt Iuſtinum ſe Stoico primum tradidiſſe. Cum hoc vero ſe longe verſatum eſſe dicit, cum tantis ambagibus conſtaret diſciplina Stoica, tamque ſubtiliter differeret, vt non niſi ſatis longo tempore comprehendi poſſet. Aſt cum praeceptor iſte potiſſimam philoſophiae partem, quae de diuinis agit, nec ſatis intelligeret, nec ſatis curaret, mature ab eo Iuſtinus defecit, eo quod de Deo amplius nihil diſceret. Vbi prima quidem fronte obſcurum videtur, cur in Stoica philoſophia de Deo nihil amplius Iuſtinus didicerit, curque illam diſciplinam non adeo neceſſariam eſſe Stoicus ille philoſophus dixerit, cum conſtet ex phyſiologia Stoica, doctrinam de Deo, tanquam eſſentiali mundi parte, et cauſſa rerum omnium agente praecipuum eius caput abſoluiſſe, compluraque praecepiſſe Stoicos de Deo ſubtiliſſima et a vulgi opinionibus longe remota. Cui difficultati occurri quidem poteſt, dicendo, Stoicum hunc ſectae ſuae principia non ſatis tenuiſſe: cum autem hoc nodum ſecet magis quam ſoluat, alia ratio merito perquiritur, praecipue cum tam ſollicita Iuſtini cura de erudito philoſophiae praeceptore vix patiatur credere, eum in hominem ita leuem incidiſſe, vt prima ſectae ſuae principia ignoraret. Recte vero, niſi fallimur, ipſa theologia Stoica in culpa fuiſſe, dicitur. Ea enim de Deo quidem praecipiebat, ſed mundo immerſo, quique eſſentialis eius pars eſſet, et naturali atque neceſſario fati vinculo ita cum materia, ſiue parte mundi patiente eſſet connexus, vt cum ea vnum totum conſtituat. Qua ratione cum diuina natura materialibus rebus ita immergeretur, vt nullus eius extra mundum locus eſſet, non potuit animus natura edoctus, omnem a materiae contagio diuinitatem ſecernere, in impio Stoicorum dogmate acquieſcere. Iuſtinum vero, procul eſſe iuſſis corporeis omnibus, incorporeorum notionem animo inſidentem habuiſſe, ex ipſa eius confeſſione apparet, qua ſe delectatum eſſe

b) In dialogo cum Tryphone, quem γνησίον eius opus eſſe contra Kochium clariſſime demonſtrarunt viri docti nominati FABRICIO Bibl. Graec. Vol. V. p. 57. not. n.

esse τῶν ἀσωμάτων νοήσει, *incorporeorum notione* asserit. Relicto itaque Stoico ad Peripateticum Iustinus perrexit, hominem, vt ipsemet existimabat, acutum. Tales enim ob Dialecticas disputationes, notionesque, quas sequi solebant, abstractas, vniuersales, metaphysicas, Peripatetici plerumque habebantur, vt aliquoties obseruatum. Huic cum se dederet, valde offendit eum, quod cum paucos eum dies apud se esse passus esset, postea mercedem ab eo sibi designari petiisset. Quod adeo molestum Iustino fuit, vt eum ob hanc vnam causam relinqueret, metuens, ne infructuosa sibi cum illo esset consuetudo. Qua in re eorum morem secutus est Iustinus, qui ἐυγενεστέρως philosophari cupiebant. Illi enim infra dignitatem philosophi esse putabant, sapientiam mercede docere. Qua de re videnda sunt, quae Socrates apud LAERTIVM [c] dicit, quem in Aristippo mercede docente id aegre tulisse *Tomo primo* diximus. Nec alia philosophorum nobiliorum post C. N. fuit opinio, qui philosophiae auctoritatem ita infringi putabant, adeoque ignauum pecus eorum, qui mercede conducti docerent, insectabantur, id quod de Apollonio Euphrati eam ob rem indignanti refert PHILOSTRATVS [d], exque eius epistolis patet. Cumque Sophistae quoque arte sua magnam pecuniae summam colligerent, et diuitiis aucti philosophiam polluere viderentur, tantam iis illud inuidiam conflauit, vt peculiari apologia defendi debere iudicauerit LVCIANVS [e], qui hoc loco haud contemnendam argumento huic lucem affundit. Cum itaque Iustinus, de vera sapientia et coelesti cognitione sollicitus verum philosophiae nucleum appeteret, facile ex Peripatetici huius moribus vidit parum eum de coelestibus sollicitum esse, qui humana desideraret, et sapientiae mercede non coëmendae praemium poscceret. Deceptus itaque a Peripatetico cum tantum abesset, vt ita philosophiae amor extingueretur, vt potius impensius illud cuperet, quod philosophiae proprium atque praecipuum est, ad Pythagoreum quendam, magni nominis multique in philosophia supercilii virum accessit, et cum eo egit, vt ad interiorem eum disciplinam et arctam doctrinae familiaritatem admitteret. At ille more Pythagoreorum de disciplinis eum παρασκευαστικοῖς, sine quibus ad interiorem sapientiae doctrinam, ipsaque philosophiae adyta penetrare posse neminem, Pythagoras docuerat, interrogauit: versatusne esset in musica et astronomia et geometria? et an crederet, nihil se quidquam eorum perspicere posse, quae ad felicitatem faciunt, nisi haec prius cognouerit, quae animum a sensibilibus ad intelligibilia percipienda aptum commodumque reddunt, vt ipsum quod pulchrum et bonum est, contemplari queat? Quae studia cum is vehementer laudasset, ignorare vero se fateretur Iustinus, eum a se dimisit. Aegre

c) L. II. s. 65. 64.
d) Ep. 42. et Vit. Apoll. L. VIII. c. 7. s. 3. p. 332.
e) In apolog. pro mercede conduct. Tom. I. p. 385.

Aegre hoc tulit Iuſtinus, quod ita ſpe potiundae philoſophiae excidiſſet, cum a Pythagoreo iſta, ſublimia et diuina atque incorporea, quae quaerebat, diſcere ſe potuiſſe, putaret. Re itaque expenſa, cum differendum diutius non eſſe conſtituiſſet, eſſetque conſilii inops, placuit ei, cum Platonico quoque conuerſari. Cum enim diuini nomen diu Plato meruiſſet, quod de Deo rebusque diuinis melius ceteris philoſophis atque elegantius et copioſius differere crederetur, ad eum confugere, non ineptum Iuſtinus iudicauit. Itaque in vrbe ſua cum viro prudenti atque inter Platonicos excellenti conuerſatus eſt diu, maximeque, quod ipſe fatetur, promouit, creuitque quotidie, eo quod incorporeorum scientia delectatus idearum contemplatio alas quaſi animo adderet, vt ſublimius aſcendendo, ad ſapientiam veram breui ſe appropinquaturum eſſe ſperaret. Ex quo patet, idearum doctrinam, quam alatam facere animam ad euolandum ad Deum ipſum fontem boni Plato dixit [f], maxime placuiſſe Iuſtino. Qui etiam poſt conuerſionem tantum abeſt, vt ideas reiecerit, vt potius earum veritate, quod putabat, adductus ſtatueret, Platonem tantum myſterium Moſi ſurripuiſſe [g]. Quare caute legendus eſt BALTVS [h], Iuſtinum inter eos PP. nominans, qui ideas Platonis exterminauerint. Locus enim ille ex *cohortatione ad Graecos* [i] ad quem prouocat, Platonem non minus quam Ariſtotelem exagitat, eosque inter ſe committit, eo quod Plato ideas in primo ſupremi coeli, eoque immobili, orbe, Ariſtoteles autem ſecundum principem Deum, non ideas ſed alios intelligibiles Deos, ſiue intelligentias conſtituat, ſicque prodat vterque de diuinis ſe coecutire et incertam eſſe eorum opinionem. Quae certam quidem doctrinae de ideis circumſtantiam euertunt, ideasque Deos eſſe ſeparatim exiſtentes negant, non vero ideas omnes reiiciunt. Quas ita contemplari ſe poſſe tum quidem ſperabat Iuſtinus, vt breui ſe Deum conſpecturum eſſe ſibi perſuaderet. Cui ſcopo obtinendo vt inſeruiret, vitare hominum conſortium et ſolitudinem conſectari ſtatuit. Locum itaque mari vicinum cum ſibi elegiſſet, nec longe abeſſet, vt ſolus ibi ſecum ageret, vetulus quidam ſenex, non contemnendi vultus, ſanctosque mores prae ſe ferens modico interuallo eum affectatus eſt. Quem fuiſſe Polycarpum quidam ſuſpicati ſunt, apoſtolicum ſane virum fuiſſe et EVSEBIVS [k] teſtatur, et Methodius apud PHOTIVM [l], et ipſe IVSTINVS [m] haud obſcure prodit, qui ſe apoſtolorum diſcipulum nominat, quod non de ipſis apoſtolis, ſed eorum diſcipulis, virisque apoſtolicis intelligendum eſſe temporum ratio euincit. Quisquis vero ille fuit, digna eſt, quae attente expendatur, venerandi ſenis diſputatio, quae haud leuem Platonicae philoſophiae notitiam prudentiamque quandam paedagogicam, Iuſtinum Platonicis principiis deditum eorum miniſterio ad

f) Vid. quae diximus in hiſt. phil. de ideis Sect. I. §. 7. p. 120.
g) Ibid. Sect. II. p. 182.
h) Apolog. PP. L. III. c. 10. p. 328.
i) pag. 7.
k) H. E. L. II. cap. 3.
l) Cod. CCXXXIV. p. 160.
m) Epiſt. ad Diognet. p. 501.

ad veritates puriores et rectiores ducendi prodit, quam hic tamen afferre totam non licet, cum instituto nostro sit prolixior, facile vero intelligi ab eo potest, cui summa philosophiae Platonicae capita non ignota sunt. Summa huc redit: Agitata quaestione de definitione philosophiae, occasionem inde enatam illi fuisse de Deo differendi, exque mentis facultate vique ens illud inconspicuum, quod omnium entium prima causa est, contuendi innata animae immortalitatem et cognationem cum Deo demonstrandi, hacque ratione viam illi ad cognitionem Christi struendi, ostendendo, ea quae in his mysteriis nec Plato perspexerit, neque perspicere possit ratio, reuelata esse ministerio vatum philosophis longe vetustiorum, qui, quod spiritu diuino essent repleti, ob testimonii fidem demonstratione omni superiorem praestantissimi eius rei testes sint, et virtute rerum, quas praedicant, et miraculis confirmati. Quorum scripta cum diuina luce opus habeant, eam vt ad Christum ducatur, precibus impetrandam esse. Haec cum senex ille differuisset, ille quidem abiit, vehementem autem in Iustini animo ardorem reliquit, scripta prophetarum et apostolorum perlustrandi. Ita vero, dum haec animo volutaret expenderetque, quae iste senex differuisset, comperisse se fatetur, *τάυτην μόνην φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ καὶ σύμφορον, hanc solam esse certam ac vtilem philosophiam.* Ex quo patet, eandem philosophiae notionem Iustino insediisse, quam reliqui quoque patres huius temporis habuerunt, qui cognitionem Dei et λόγε ea voce comprehenderunt, quodcunque etiam cognoscendi principium habeat. Alio vero loco [n] lucem his haud contemnendam conciliat, narrando: „Ipsum, Platonicae adhuc disci„plinae sectatorem, cum per calumniam audiret Christianos deferri, in„trepide autem ad mortem et alia, quae terribilia censentur omnia adi„re conspiceret, secum ipsum statuisse: fieri haudquaquam posse, vt „illi in vitiorum prauitate et voluptatum amore viuerent, qui cum ista „martyrii cupiditate constare nequeat: hinc que obtentum illarum ac„cusationum adulterinum risisse, et vt Christianus fieret, omnibus vo„tis optauisse, et omnibus viribus concertasse, *οὐχ ὅτι ἀλλότριά ἐστι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τῦ Χριστῦ, ἀλλ' ὅτι οὐ κατὰ πάντα ὅμοια, ὥσπερ οὐδὲ τὰ τῶν ἄλλων.* Quae verba, licet hoc quoque significare possint: *Doctrinam quidem Platonis a Christi placitis non alienam quidem totam esse, sed nec in omnibus quoque ei similem, vt reliqua quoque sectarum placita*, menti tamen Iustini conformiter magis vertendum esse videtur: *Non equidem alienam esse a Christo Platonis doctrinas, sed tamen non sibi ipsis omnino constare, sicut neque aliorum, Stoicorum videlicet, et poëtarum et historicorum*, qua ratione quoque vertit LANGVS. Rationem porro affert, cur Platonis doctrinam cum Christiana concordare credat, eam, quae supra dictis de puriore philosophia gentilium et λόγε notitia a patribus gentilibus tributa, miram lucem conciliat. Addit enim: *Ἕκαστος γὰρ*

n) Apologia II. sed tempore prima, pro Christianis p. 50. 51.

τις ἀπὸ μέρους τῆ σπερματικῆ θείᾳ λόγῳ τὸ συγγενὲς ὁρῶν, καλῶς ἐφθέγξατο· οἱ δὲ τἀναντία αὐτοῖς ἐν κυριωτέροις εἰρηκότες, οὐκ ἐπισήμην τὴν ἄποπτον καὶ γιῶσιν τὴν ἀνέλεγκτον φάινονται ἐσχηκέναι. Ὅσα οὖν παρὰ πᾶσι καλῶς εἴρηται, ἡμῶν τῶν χριστιανῶν ἐστί. τὸν γὰρ ἀπὸ ἀγεννήτου καὶ ἀῤῥήτου Θεοῦ λόγον μετὰ τὸν Θεὸν προσκηνοῦμεν, καὶ ἀγαπῶμεν, ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς, ἄνθρωπος γέγονεν, ὅπως καὶ τῶν παθῶν τῶν ἡμετέρων συμμέτοχος γενόμενος καὶ ἴασιν ποιήσηται· οἱ γὰρ συγγραφεῖς πάντες, διὰ τῆς ἐνέσης ἐμφύτου τοῦ λόγου σπορᾶς ἀμυδρῶς ἐδύναντο ὁρᾶν τὰ ὄντα· ἕτερον γὰρ ἐστι σπέρμα τινὸς καὶ μίμημα κατὰ δύναμιν δοθὲν, καὶ ἕτερον αὐτὸ δι' οὗ κατὰ χάριν τὴν ἀπ' ἐκείνου ἡ μετουσία καὶ μίμησις γίνεται. *Pro se enim quisque ex parte natiuae sibique insitae diuinae rationis, id quod affine et cognatum sibi esse cernens, recte promulgauit. Qui autem hisce contraria de rebus maioris momenti dixerunt, scientiam consistentem et notionem irreprehensibilem eos consecutos non esse apparet. Quaecunque ergo apud omnes recte dicta sunt, nostra Christianorum sunt. Ingeniti namque atque ineffabilis Dei rationem ac verbum secundum Deum et adoramus et complectimur, quoniam nostra causa id homo factum est, vt perpessionum nostrarum participatione medicinam nobis faceret. Nam scriptores omnes propter rationis semen illis inditum perquam tenuiter ea, quae sunt, cernere potuerunt. Aliud enim est semen alicuius, et imitatio pro virili parte concessa, et aliud semen ipsum (primarium) per cuius gratiam inde prouenientem participatio et imitatio illa existit.* Qui locus B. martyris valde luculentus est, et quid patribus de fonte veritatum illarum, quas in philosophia gentili, praecipue Platonica, se deprehendisse credebant, visum sit, satis clare exponit. Quod argumentum cum supra iam copiose explicuerimus, eo Lectorem, ne actum agamus, nimisque prolixi simus, remittimus. Qualem se depinxit fortissimus Christi testis, talem vita se quoque praestitit, nempe philosophum Christianum. Cum enim circa A. C. CXXXIII. fidem Christianam esset amplexus, habitu adhuc indutus philosophico doctrinam euangelii, teste EVSEBIO [a] praedicauit, et cum in gentili philosophia praecipue secundum Platonem esset exercatissimus, eius cognitionem ad veritatem Christianorum dogmatum stabiliendam euertendosque errores philosophiae sectariae adhibuit. Qua de re loca Iustini diligenter collegit BALTVS [b], qui tamen finistre haud raro scopo suo ea applicuit. Illud quidem ex scriptis sancti viri certum est, comparando Platonis et Aristotelis dogmata theologica, eorumque discordiam in tam graui negotio demonstrando, theologiam illum gentilem euertere studuisse; explosisse quoque Platonis opinionem, Deum in essentia quadam ignea collocantem. At quae Baltus ex adductis a se locis colligit, etiam indifferentes Platonis opiniones eum reiecisse, nos quidem perspicere non potuimus, nec Lectorem sine praeiudicio ea legentem perspecturum

a) Hist. eccles. L. IV. c. 11.

b) Apolog. PP. Platonisini accusat. L. II. c. 3. p. 196. seqq.

ſpecturum eſſe credimus. Ex verbis enim ſupra adductis manifeſtum eſt, Iuſtinum reiectis dogmatibus illis, quae, in Platone viderat, neque cum doctrina Chriſtiana conuenire, neque inter ſe concordare, reliquorum tamen ſummam et Chriſtianis vindicauiſſe, et ex innata de λόγῳ notitia deriuauiſſe, id quod omnes Balti ratiunculas et argutiolas vno ictu euertit. Huc enim eruditus martyr, aſt praeiudicio ſui temporis praepeditus, reliqua, quae contra gentiles diſputauit omnia collineare iuſſit: nihil ineſſe gentili philoſophiae ſanum veritatique concinens, quod non vel ex inſito λόγῳ rationisue diuinae, ſiue filii Dei ſemine, in mentibus philoſophorum ſe manifeſtante prodiiſſet, vel prophetis Moſique a veteribus philoſophis furto eſſet ſurreptum. Haec vero vindicanda eſſe Chriſtianis omnia, nec philoſophiae gentili adſcribenda. Ex quibus neceſſario ſequitur, cum plurima ex mente Iuſtini in philoſophia Platonica ſint, a Chriſtianis placitis non aliena, eum magnam partem Platonicae philoſophiae, quam ſaniorem putabat, eiectis ſecretisque erroribus, diuini verbi intrinſecus ſe in animis philoſophorum manifeſtantis reuelationi implicitae adſcripſiſſe. Quae ſi probe ponderentur, intelligi poteſt beati martyris de ſalute philoſophorum gentilium ſententia, quae non nihil labis memoriae eius affricuit, multaque de orthodoxia Iuſtini diſputandi occaſionem viris doctis exhibuit, quorum loca adduxit THOMAS ITTIGIVS [q], quibus addendi, CLERICVS [r] et SOVVERAINIVS [s] contra Iuſtinum, BALTVS [t] pro eo differentes. Adducemus ipſa Iuſtini verba, eo quod cum iis, quae ſupra diximus λόγῳ philoſophis innoteſcente arcte cohaerent, lucemque magnam opinioni patrum de philoſophia gentilium foenerentur. Ita vero Iuſtinus duobus locis [u]: Τὸν Χριστὸν τὸν πρωτότοκον τῷ Θεῷ εἶναι ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα, ἧς πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε· καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἵτε ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης, καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς· ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραὰμ, καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαὴλ, καὶ Ἠλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί. *Chriſtum primogenitum Dei eſſe inſtituti ſumus, et rationem ſiue verbum eſſe, cuius vniuerſum genus humanum eſt particeps, antea oſtendimus. Et quicunque ſecundum rationem et verbum vixere, Chriſtiani ſunt quamuis athei, id eſt, nullius numinis cultores habiti ſint, quales inter Graecos fuere Socrates, Heraclitus et his ſimiles, inter barbaros autem Abraham, et Ananias, et Azarias, et Miſaël, et Elias et alii complures* [x]. Et altero loco [y], quem Latine tantum breuitatis cauſſa damus: *Longe ampliores eſſe res noſtras doctrinis humanis, omnibus conſtat, ob id, quod qui noſtra cauſſa apparuit, Chriſtus rationalis ex parte factus eſt*

 corpore,

q) Sel. cap. hiſt. eccl. ſec. II. c. III. §. 4. §. 4. p. 206.
r) Biblioth. vniuerſ. T. X. p. 403.
s) l. ſupra cit.
t) l. c. L. IV. c. 5. p. 457. ſeqq.
u) Apol. II p. 83.
x) Turpiter haec verba in ſenſum contrarium detorquet CHR. SANDIVS Nucl. hiſt. eccleſ. L. II. p. 76.
y) Apol. I. vel potius ſecunda p. 48.

corpore, ratione et anima. Et quaecunque recte quouis tempore dixerunt et inuenerunt philosophi aut legumlatores, iuxta eam partem, quae rationis, inuentionis et contemplationis est, id ab eis est factum. Quia autem non omnia, quae rationis sunt siue verbi, id quippe Christus est, et peruiderunt et promulgarunt, cum diuersa a seipsis et contraria persaepe dixerunt, tum, qui ante Christum fuerunt, quod ratione pro captu humano innixi res plerasque contemplari, explorare et arguere contenderint, tanquam impii et curiosi ad iudicum tribunalia sunt protracti. Qui autem ad hoc omnium inter eos vehementissimus fuit Socrates, eiusdem nobiscum est accusatus criminis, nam illum dictum est noua inferre daemonia, et quos ciuitas censeret esse, ipsum non putare Deos. At ille daemones quidem malos, et eorum, quae poëtae descripserunt patratores, vrbe exegit: hominesque, vt Homerum et poëtas alios vitarent, docuit, et ad ignoti eos Dei per rationis siue verbi inquisitionem cohortatus est, dicens [z]*: parentem autem et opificem vniuersorum neque inuenire facile, neque inuentum in vulgus promulgare tutum est. Quae Christus noster virtute et potentia ipse sua praestitit atque fecit. Ac Socrati quidem certe nemo tantum fidei habuit, vt pro placito eiuscemodi mortem perferret, Christo autem, qui et a Socrate ex parte est agnitus (ratio enim siue verbum fuit et est, in vniuersitate rerum sexistens, qui et per prophetas, quae futura erant, vaticinatus est, et per e ipsum haec, par nobis affectibus factus docuit) non philosophi soli et philologi, sed etiam manuarii artifices rudesque idiotae prorsus gloriam, metum et mortem flocci facientes persuasione firma adducti crediderunt.* Ex his locis satis luculentis omnibus, qui praeiudicia exuerunt, constare arbitramur 1. Iustinum non de rationis quidem lumine vsuque principiorum, quae natura nobis innotescunt, tanquam facultate quadam animae connata loqui, sed de λόγῳ siue ratione essentiali et peculiariter existente, quam ob eam existentiam ὁ ὢν ἐν παντὶ, more Platonico vocat, ideoque vocem etiam λόγος ex hac philosophia satis notam adhibuit. 2. Eum hunc λόγον siue rationem arctissime cum Deo coniunxisse, ita vt in λόγῳ ipse Deus cognoscatur; 3. Huic quoque λόγῳ vaticinia vatum Hebraeorum tribuisse, statuisseque, ea, quae innatae hominibus omnibus notitiae desint, illum per prophetas hominibus patefecisse. 4. Docuisse porro martyrem hunc λόγον eundem esse Christum, qui in carne apparuit, hancque imperfectam cognitionem perfecerit: 5. Socratem vero, Heraclitum aliosque philosophos, qui ex rationis instinctu melius de Deo eiusque cultu senserint, eodem fere, quo Abrahamus reliquique patriarchae Hebraei, loco collocandos, hunc λόγον ex parte agnouisse, et secundum eius dictamina, instinctumque et vaticinia per traditiones successiua communicatione manifestata edoctos vixisse,

z) Platonis haec verba sunt, non Socratis, in Timaeo T. III. p. 28. adeoque non ad Socratem referenda. Plato enim a Pythagoreis hanc arcanam disciplinam accepit.

vixiſſe, et ita, 6. omnes, qui ita vixerint, et hunc λόγου inſtinctum ſecuti fuerint, non philoſophos modo, ſed et illiteratos, eo quod filii Dei Chriſtique participes ex parte facti fuerint, Chriſtianos, id eſt ſaluos factos eſſe. Haec qui in verbis Iuſtini contineri negat, aduerſus ſolem loqui cenſendus eſt[a], adeo clara ſunt eius verba, quae adduximus. Vnde friuola ſunt et ingenium magis audax auctoris ſui, quam veritatem ſanamque interpretationem ſapiunt, quae pro excuſando Iuſtini errore affert Baltus: ſermonem eſſe pio martyri de rationis facultate omnibus hominibus connata, et in principiis veri rectique ita ſe exſerente, vt eorum vſu homo ad agnitionem Dei eiusque attributorum ei immortalitatis animae etc. peruenire queat, hancque rationis facultatem munus eſſe ſummi λόγου verbi Dei ſubſtantialis, Ieſu Chriſti, creatoris rerum omnium. Quam explicationem vim facere verbis Iuſtini apertis quilibet videt, qui non ſponte coecutit. Diſerte enim philoſophus Chriſtianus eam rationem, cuius ope dixerunt vel inuenerunt philoſophi et legislatores ea, quae rationis, inuentionis et contemplationis ſunt, Chriſtum eſſe pronuntiat. Aut itaque nihil, quod intelligi poſſit et cohaereat, dixit Iuſtinus ſcriptor planus et perſpicuus, aut id dixit, quod tota ſermonis ſeries euincit; Deum vnum eſſentialem, verbumque ab eo genitum, per quod omnia ſint, ſe eſſentialiter ita omnibus impreſſiſſe atque infudiſſe, vt vſu rationis huius connatisque iſtis, quae ſecum affert, principiis ipſum cognoſci queat. Hancque notitiam verbi ſubſtantialis internam creuiſſe eiusdem manifeſtantis ſeſe in vatibus diuinis lumine. Eas itaque veritates, quas hac ratione duce gentiles philoſophi agnouerint, e. c. Deum eſſe infinitum, bonum, creatorem, verbum diuinum, ex Deo progreſſum omnia condidiſſe, animam eſſe immortalem, et ad Deo fruendum mediante verbo deſtinari, et quae his ſunt ſimilia, ex his innatis λόγου diuini ſeminibus exortas illis manifeſtatas eſſe, lumenque adeo diuinum ſupponere, quo mediante prudentiores inter gentiles hoc verbum diuinum ex parte cognouerint, et de eo teſtati fuerint. Hoc vero verbum ſiue rationem et Chriſtianorum Seruatorem vnum idemque eſſe, adeoque gentiles Chriſtum quoque ἐκ μέρους, ex parte (implicite ſcholaſtici philoſophi vocarunt) agnouiſſe. Cum autem per prophetarum vaticinia amplior de λόγῳ cognitio hominibus accenſa eſſet, eaque per traditionem vocemque famae publicam gentilibus quoque innotuiſſet, magnopere horum notitiam de λόγῳ ſiue Chriſto creuiſſe; quoniam vero ignorauerint, quod et patriarchae Hebraeorum neſciuerunt, hunc λόγον futurum eſſe Ieſum Nazarenum, Chriſtiani quem colunt, ideo notitiam eorum imperfectam fuiſſe, multos autem connato iſto λόγου lumine abuſos ad iniquitatem et falſas hypotheſes ſana et diuina principia deflexiſſe, ſuisque ſyſtematibus euertiſſe. Inde vero ſequi, quaecunque in philoſophorum gentiliumſcriptis

a) Ex his intelligi poſſunt, quae reſpondenda ſint ad ea, quae afferuntur in P. Zornii Bibl. antiq. T. I. p. 88.

ptis cum Christianorum doctrina conueniant, ea communicatae huis rationis diuinae, siue verbi substantialis particulas esse, et Christianis eapropter vindicanda: quae vero dissonarent, pro detorsionibus esse habenda, et tales inter omnes omnino philosophos reperiri. Hanc verborum Iustini παρεάφρασιν et textus confirmat συνάφεια, et cetera quoque huius scriptoris loca παρεάλληλα postulant, et veram esse patrum fere omnium, Clementis Alexandrini, Origenis, Gregorii aliorumque supra adductorum testimonia comprobant. Ea vero ita exposita, palam est, laterem lauare eos, qui ab omni errore Iustinum liberant, idque iudicabit sine negotio, quisquis animum a praeiudicio auctoritatis liberum attulerit. Quam graui autem errore lapsus sit Iustinus et ἐμόψηφοι, hoc loco disquiri non potest, et ad theologiam patrum criticam pertinet. Nobis sufficit monuisse, eos frustra esse, qui Iustinum sine Christo, rationis ductu salutem philosophis promisisse asserunt. Christum enim verbum Dei illis innotuisse, supponebat. Quem errorem ex Platonismo ad Christianam fidem Iustinus attulit. Cum enim, duce Platone, in idearum cognitione, ipsius Dei notitia lateat, eaque medium sit ad eam necessarium, ideae autem radicaliter et essentialiter menti siue rationi diuinae insint, habeatque humanus animus ex parte naturae suae diuinae ex anima mundi emanantis insitas illas ideas diuinas, quibus ad cognitionem Dei ascendat, sequitur inde necessario mediante λόγου siue rationis diuinae cognitione salutem in Dei cognitione et intuitione nanciscī hominem. Haec cum a Platone Iustinus didicisset, nec auderet, quae saniora videbantur, gentilibus concedere, velut propria, Christum autem Dei filium λόγον dici ex Scriptura sacra nouisset, ad hanc implicitam internamque λόγου omnibus hominibus inhabitantis notitiam ea omnia retulit, erroremque condidit, si non primus, certe inter primos, quem ne hodie quidem deposuerunt Christiani nonnulli, Christum siue verbum aliquod internum, substantiale, diuinum, pro vno vero luminis diuini fonte venditantes. Quos homines deliria sua ex hoc patrum fonte Platonico hausisse, egregie et acute monuit Cel. MOSHEMIVS [b]. Sed haec ὡς ἐν παρέδῳ. Ex his vero clarum esse putamus, Iustinum a Platonismo liberari totum non posse, eum enim minus alienum a Christi dogmatibus statuit, cum illum exacte teneret, et huic se philosophiae totum tradidisset. Vnde non iniuriam facimus beato martyri, si inter philosophos eum numeremus Platonicos, quod et recte fecit Cl. HEVMANNVS [c], sed ex Platonis castris ad Christi militiam transfugas. Dudum enim obseruatum PHOTIO [d], eum non ad philosophiae tantum nostrae, sed potissimum profanae summum euectum fastigium fuisse. Idque et scribendi ratio prodita Iustino adhibita, quae philosophum prorsus decet: quamuis enim, iudicante eodem

b) Ethic. Christ. P. II. p. 66. vbi locum Origenis adduxit, cui loca hic allata omnia addi possunt, omnes enim PP. qui Platonicam philosophiam calluerunt, ita docuerunt.
c) Act. phil. Vol. III. p. 907.
d) Cod. CXXV. p. 163.

eodem PHOTIO *e*, *pollens alioqui et valida fit, ſcientificumque ſeruet ſtilum, rhetoricae tamen condimenta non ſpirat, nec illecebris et blandimentis vulgus auditorum attrahit f.* Nihil autem magis eius ſtudium ſeruandae, quantum Chriſtianam religionem permittere putabat, Platonis doctrina probat, quam dogmata nonnulla, quae tanquam viles Platonis pannos purpurae Chriſtianae doctrinae affuit, quaeque ſi non ſenſus, quod nonnulli negant, Platonicos, certe verba Platonica in ciuitate Chriſtiana non ferenda innuunt, et de myſteriis diuinis Platonice magis quam Chriſtiane differunt. Abſit quidem pollicem premamus CHRIST, SANDIO *g*, SOVVERAINIO *h*, huiusque furfuris aliis, nouaturientes ſuae partis opiniones et impia in Chriſti θεανθρώπου gloriam placita Iuſtino Martyri ἔχοντι ἄκοντι tribuentibus vel obtrudentibus: fatendum tamen eſt candide, nonnulla Iuſtinum Platonice definiuiſſe, ea praecipue, de quibus in Scriptura ſacra nihil certi ſtatutum eſſe crediderat. Cuius generis dogma de angelis eſt, quos errore patribus eius ſeculi communi, cum filiabus hominum concubuiſſe, adeoque corpora habere generationi apta, Platonice diſputat *i*. Angelos quoque elementorum atque terrenarum creaturarum gubernationi praefectos fuiſſe, aliosque coeleſtia corpora, alios terreſtria regere, Platonem ſecutus aſſerit *k*. Quae ex Platonis ſchola, diis inferioribus adminiſtrationem ſphaerae noſtrae tribuente hauſta eſſe, et collatio opinionum euincit, et recte obſeruatum eſt eruditiſſimo PETAVIO *l*. Qui in doctrina quoque de λόγῳ Chriſtoque creatore rerum omnium Iuſtinum quaedam ſcripſiſſe minus ſana obſeruat *m*, cum Chriſtum miniſtrum patris eiusque voluntatis eſſe dixerit, quae, Petauium more ſuo plagiario exſcribens repetiit CHRIST. SANDIVS *n*, nec negauit doctiſſimus HVETIVS *o*. Defendere vero eum et pro orthodoxia Iuſtini Martyris verba facere conati ſunt, orthodoxiae veteris eccleſiae aſſertores ſtrenui NIC. LE NOVRRY et GEORGIVS BVLLVS, qui locis illis, quibus Platonice de λόγῳ ſcribit, et quandam ὑπουργίαν ſupponere videtur Iuſtinus illa loca opponunt, quibus de ὁμοουσίᾳ filii cum patre ſatis orthodoxe differit. Quod hoc quidem loco, vbi de huius argumenti rebus diſputare non licet, facile conceſſerimus, fatendum vero eſſe omnino putamus, verba tamen ex Platonis ſchola hauſta Iuſtinum adhibuiſſe maxime impropria et incommoda, ſanosque ſenſus non fundentia, communique hoc PP. qui philoſophiam Platonicam didicerunt, vitio lapſum fuiſſe. Ex quibus patet, quid de BALTI *p*, apolo-

e) Cod. CXXV. p. 163.

f) Quae PAGANIN. GAVDENTIVS de phil. Rom. p. 24. de Iuſtini philoſophia habet, ſcopae diſſolutae ſint et inutiles.

g) loc. cit. p. 76.

h) loc. cit. P. I. c. 14. p. 137. c. 17. p. 175. 180.

i) Apol. I. p. 44. conf. BARBAYRAC de la morale des PP. c. II. §. 2. p. 13. CEILLIER Apologie de la morale des PP. p. 482.

k) Epiſt. ad Diognet. p. 498.

l) Dogm. theol. III. c. 2. p. 162. ſeqq.

m) De Trin. L. I. c. 3. p. 11. ſeqq.

n) loc. cit.

o) Origenian. L. II. c. 2. q. 2. §. 10.

p) loc. cit. L. V. c. 13. p. 523. c. 3. p. 456.

apologia pro Iuſtino Platoniſmi accuſato ſtatuendum ſit. Poſſent his alii pii quidem et eruditi doctoris ſed in arte critica et rationali non ſatis exercitati naeui addi, ſi locus pateretur. Adeundi autem ſunt viri κριτικώτατοι et in perſpiciendis PP. naeuis acute videntes NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS [q] et IO. BARBAYRACVS [r], quorum hic nimiam quoque virginitatis laudem in Iuſtino M. recte taxat. Sunt et alia inter ſcripta ſancti viri, philoſophiae eius haud obſcura teſtimonia. Inter quae, ſi BELLARMINO, CAVEO, FABRICIO ſtandum, quibus iudicio ſuo praeiuit PHOTIVS [s] referendae quoque ſunt *euerſiones Ariſtotelicorum dogmatum* ſatis luculentae doctaeque, quas tamen alii Iuſtino abiudicant, eo quod nec genius, nec ſtilus, nec diſputandi ratio illi ſolita adhiberi in eo ſcripto inueniatur, isque non rationibus philoſophicis ſed Chriſtianis euertere ſyſtemata philoſophorum gentilium conſueuerit. Quae rationes an ſufficiant, vt eripi Iuſtino Martyri foetus elegans queat, alibi diſquirendum eſt. Illud certum nobis videtur, aut Iuſtinum adhuc Platonicum haec ſcripſiſſe, aut opus tamen eſſe ſeculi ſecundi, et Iuſtino coaeuum. Ceterum Cynicam philoſophiam maximo eum proſecutum fuiſſe odio, in ruborem quoque dediſſe Creſcentem, hominem et doctrina et moribus Cynicum, ita vero grauem ſibi eius inuidiam et perſecutionem concitaſſe, *Tomo ſecundo* iam enarrauimus. Huius vero accuſatione apud Aurelium Antoninum, philoſophorum tutelarem Deum, tandem capitis ſupplicium meruit, quod quo anno euenerit, incertum quidem eſt, rationibus vero a veriſimilitudine non prorſus alienis A. C. CLXIII eueniſſe euinci poteſt [t]. Ita quam humanae ſapientiae omni, (licet id more inter homines ſolenni non ſemper caute ſatisfecerit,) praetulit diuinam Chriſti philoſophiam, ſanguine ſuo obſignauit, et illuſtre martyris nomen meruit, qua de re in hiſtoria eccleſiaſtica dicendum eſt.

Tatiani philoſophia. §. III. Iuſtini Martyris diſcipulus fuit Tatianus, gente Syrus, profeſſione Sophiſta, religione gentilis, qui ad Chriſtianos tranſiens, diſciplinae Iuſtini Martyris ſe tradidit, eumque Romam comitatus Creſcentis Cynici odia et perſecutiones cum magiſtro pertulit. Quo e viuis ſublato, cum ingenium haberet imaginandi, quam iudicandi facultate praeſtantius, duxque illi deeſſet, priſtinam, quam gentilis didicerat philoſophiam orientalem et Aegyptiacam ad Chriſtiana dogmata transferendo, incitatus forte Valentini haereſiarchae exemplo, a fidei puritate defecit, nouumque errorum ſyſtema, condidit, de quo cum ex inſtituto in hiſtoria eccleſiaſtica ſeculi ſecundi tractari ſoleat, et plerique, qui veteris eccleſiae res attigerunt [u], de eo egerint, hoc quidem loco nihil adducimus, ea tantum anno-

q) Obſ. Hal. T. II. obſ. 7.
r) loc. cit. c. II. p. 13.
s) loc. cit. p. 162. conf. laudati TENZELIO exercit. ſelect. P. I. p. 179. ſeq. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. V. p. 56. CAVE H. L. Scr. Ecl. p. 38.
t) Vid. PETAV. doctr. tempor. L. XIII. TENZEL. loc. cit. et quos laudat.
u) Praeter hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores videndi TENZELIVS Exerc. ſelect. P. I. p. 218. ſeqq. FABRICIVS Syll. ſcript. de V. R. C.

annotantes, quae Tatianum in hiſtoria philoſophica ſeculi ſecundi valde faciunt memorabilem. Quamuis enim praeter apologiam pro V. R. C. quam elegantiſſimum et vtiliſſimum librum veteres vocant, nihil genuinum ex infinitis ſcriptorum voluminibus, quae ei tribuunt EVSEBIVS *) et HIERONYMVS y), ſuperſit, in hac tamen apologia, licet eam orthodoxus adhuc ſcripſerit, potiora impurae illius philoſophiae veſtigia ſuperſunt, quae ad fanaticiſmum orientalem eum poſtea ſeduxerunt. Id quod eo minus mirandum eſt, quo magis Syris ingenium obtigit, ad imaginationis foecundioris exceſſus, ſuppreſſa iudicandi acie, valde procliue, et iisdem, quibus Aegyptii, morbis laborans, vnde fanaticiſmus philoſophicus et theologicus locum apud eos inuenit exoptatiſſimum. Et haec quoque Syrorum inclinatio, qua ad arcanos cultus et myſteria, quae fanaticiſmi ſolent eſſe fulcra, magno ſtudio ferebantur, occaſionem ſubminiſtrauit Tatiano, orientalem philoſophiam et arcanas magicasque in ea artes diſcendi; his enim theſauris homines illicere ſolebant eius magiſtri: quibus perſpectis ad Graecam demum philoſophiam animum applicuit, homo philoſophiae ſtudium profeſſus. Id quod ipſe fatetur, teſtatus z): *Se magnam terrae partem peragrauiſſe, et philoſophum egiſſe* (hoc enim vult vox σοφιστεύσας a) *et artes arcanas atque inuentiones plurimas perdidiciſſe, adeoque omnium oculatum teſtem eſſe.* Vbi cum abominabiles gentilium philoſophorum errores, et inanem atque ſcurrilem Graecorum dicacitatem perſpexiſſet, relicto gentiliſmo ſacra Chriſtiana complexus Iuſtini Martyris diſciplinae ſe tradidit, et ad eius vsque martyrium illi adhaeſit. Quo gladio percuſſo, in Syriam profectus b), vberiores philoſophiae animo reconditae fructus prodidit, et Encratitarum haereſin condidit, de cuius placitis haereſiologi videndi ſunt c). Quibus hoc loco dogmata Tatiani poſt defectionem a fide orthodoxa enarranda relinquimus, quamuis illa quoque nec intelligi nec explicari queant, ſine orientali philoſophia, qua parente, genita ſunt. Ea vero doctrinae capita hoc loco ex Tatiani oratione afferemus, quae ſole meridiano clarius euincent, eum, adhuc orthodoxum, infauſto iſto fidere fuiſſe afflatum, ita tamen, vt eius myſteria arcane ſatis tecteque ad Chriſtiana dogmata applicuerit. Quae ratio fuit, cur doctores eius et ſequentis aetatis, qui orientalem et Aegyptiacam philoſophiam parum intellexerunt, hunc librum,

c. II. §. 8. p 50. et Bibl. Graec. Vol. V. p. 81. quique peculiari diſſertatione de Tatiano egit LVDOVICVS DVFOVR DE LONGVERVE, quaeque Tatiani Orationi a ſe editae praemiſit GVIL. WHORT.

x) Hiſt. eccl. L. IV. c. 29.

y) De S. E. c. 29.

z) p. 170. edit. Paris.

a) Vid. p. 173. vbi nomen Sophiſtae pro philoſopho adhibet. Alia de philoſophiae eius ſtudio loca allegat FABRICIVS loc. cit. not. a.

b) EPIPHAN. haereſ. XLVI. 1. T. I. p. 390. qui tamen pro Aurelio Antonino Pium nominat, quo imperante ab orthodoxa fide Tatianus defecerit, reclamantibus temporum rationibus. Pii tamen cognomento interdum Aurelium appellauiſſe veteres, obſeruat PAGIVS Epiphanium excuſaturus Crit. Baron. A. C. 162. n. 3.

c) Conf. ITTIG. de haereſiarchis aeui apoſtol. c. XII. p. 199. ſeqq. ex veteribus EPIPHAN. loc. cit. THEODORIT. haeretic. fab. L. I. c. 20. PHILASTRIVS de haer. c. 48. p. 100, ed. Fabric. et haereſiologi tantum non omnes.

non perſpectis eius naeuis atque ſyſtemate, a puritate et ſimplicitate Chriſtianae fidei valde deuiante, tantopere laudauerint et commendauerint. Vt vero Lectorem in rem praeſentem deducamus, ecce breuem Tatiani doctrinae σκιαγραφίαν.

I. Philoſophiam Graeci non inuenerunt, ſed ea omnis a Barbaris ad Graecos tranſiit. Hoc in ipſo libri huius limine et per totam fere apologiam ſuam vrget Tatianus, et Graecos omnem literaturam a Barbaris accepiſſe demonſtrare contendit [d], et Graecos philoſophos, ipſo Platone non excepto, vehementer ſugillat. Qua in re PP. quidem praeiudicium ſequitur, ita tamen intelligendus, vt ad eam philoſophiam barbaricam reſpexerit, cui adhaeſiſſe ex dicendis apertiſſime conſtabit. Quam reliquit quidem cum impuriſſimas artes fraudesque intellexiſſet, (τέχναις καὶ ἐπινοίαις ἐγκυρήσας πολλαῖς) et ad Chriſtianam fidem ſe conuertit, at ea ratione, vt videtur, inductus, quod ſyſtema illud emanatiuum, quod commendabat philoſophia orientalis et Aegyptiaca, purius et elegantius inter Chriſtianos doceri crederet. Cuius coniecturae fidem facit, partim quia myſteria Chriſtiana eundem in morem explicuit, vt poſtea oſtendemus, partim quia diſerte ſcribit: *Se valedixiſſe Romanorum iactantiae et Athenienſium frigido ſermoni et diſſentientibus illorum ſtudiis* (quibus ſectarum diuerſa inter ſe placita ab vno traditionis principio non pendentia, tacite pungit) *et barbaricam philoſophiam Chriſtianorum amplexum eſſe.* In qua opinione valde confirmatus eſſe Tatianus videtur, cum eandem philoſophiam Aegyptiacam et Orientalem inter Iudaeos quoque obtinere et in Cabbaliſticis myſteriis vigere proque vetuſta illa Abrahami, Moſis, aliorumque ſapientum Hebraeorum traditione et re et nomine vendi videret. Cum enim hos, relictis magicis illis artibus et impoſturis, quibus hanc philoſophiam ſuam commendauerunt philoſophi gentiles, maxime qui in Aegypto et in Syria Aſiaque viuebant, decreta illius ſyſtematis emanatiui, quod ſuggerit philoſophia Orientalis et vere barbarica, recepiſſe obſeruaſſet, audiretque ex praeceptore Iuſtino, ab Hebraeis ad Chriſtianos veterem veramque philoſophiam deſcendiſſe, non potuit non in ea, quam de hac barbarica philoſophia habuit, opinione, magnopere confirmari atque credere, Chriſtianam fidem Orientalia placita emendauiſſe, et ita purgata et reſtituta priſtino, quem inter veteres, barbaras gentes habuerunt, honori et puritati, exhibere. Quo praeiudicio occupatus, ita porro de diuinis Chriſtianorum myſteriis, dogmatibus Orientalibus accommodatis praecepit:

II. Deus non conſpicitur oculis hominum, nec arte vlla comprehenditur [e].

III. Deus

d) Laudant hoc in Tatiano Clem. Alex. c. 16. 29. Hieronymus de S. E. Strom. L. I. p. 320. Origen. contra Celſ. c. 29. L. I. p. 16. Euſebius H. E. Lib. IV. e) p. 144.

III. Deus non conſiſtit intra tempus, ſolus ſine principio, cum ipſe ſit principium rerum omnium quae inceperunt.

IV. Deus eſt ſpiritus non inſinuans ſe materiae, ſed ſpirituum materialium et formarum in materia opifex, inuiſibilis, intactilis.

V. Deus eſt pater omnium et ſenſibilium et inuiſibilium. Parum vel nihil ab orthodoxa fide (ſi ſpiritus materiales aſſertos excipias) haec aſſertionum quaternio abire videtur. Si autem barbaricam eam philoſophiam cogitamus, quam ſe amplexum eſſe Tatianus fatetur, quamque ſyſtemati Chriſtiano illum affuiſſe, aliae aſſertiones liquido demonſtrant, hoc ipſo monemur, has quoque doctrinae Tatianeae particulas ita explicare, vt poſtulat philoſophia Orientalis. Ea autem horrebat ſyſtema dualiſticum, ſiue duorum principiorum, quod vel Deum materiae opponebat, vel eum tanquam formam illi infuſam conſiderabat, vt fecere Stoici. Nec aliter Tatianus, qui diſerte, Deum ἐ διῆκον τῆς ὕλης animam materiam permeantem non eſſe teſtatus eſt. Huic errori, quem in Magico ſyſtemate damnabat philoſophia Orientalis, opponebat ſyſtema emanatiuum, ſecundum quod Deus fons in aeterna luminis abyſſo latens eſt, qui ex beneplacito ſuo cum res omnes condere vellet, ex inacceſſo lucis ſuae oceano, radiorum ſuorum partem emiſit, vt cum ipſe a nemine vel cognoſci vel conſpici poſſet, in emanationibus ſe diuinis manifeſtaret, ſicque ex tenebris, in quibus ab aeterno occultus delituit, particula eius prodiret conſpicua. Idem Tatianus, vocibus ex Scriptura ſacra deſumtis ſtatuit, et Deum ab aeterno latere, nec conſpici vllo modo poſſe dixit, et ſine tempore ſe ab aeterno intra ſeſe continuiſſe aſſerit, et materiales atque ſpirituales res omnes ex ſe produxiſſe, ſiue parentis primi inſtar genuiſſe affirmat, et haud obſcure ita emanationis ſyſtema ſtabilit. Non facere nos Tatiano iniuriam, ſequentes aſſertiones luce meridiana clarius demonſtrabunt, dabimus autem teſtimonia veterum, quibus luculenter Tatiani ea de re mens et ſententia explicatur, et veſtigia orientalis philoſophiae clariſſima oſtenduntur. ORIGENES haec habet[f]: *Non conſiderans Tatianus, τὸ γενηθήτω non ſemper optatiuo, ſed interdum imperatiuo quoque ſenſu ſumi, impiiſſimam hanc de Deo opinionem fouit, illum nempe cum diceret: fiat lux, optaſſe potius, quam imperaſſe, vt fieret, ἐπὶ ὡς φασὶν ἐκεῖνος ἄθεος νοῶν, ἐν σκότῳ ἦν Θεός. eo quod, vt dixit ille ſatis atheiſtice ratiocinatus, in tenebris erat Deus.* Quae verba Tatiani non intellexiſſe Origenem, et ita accepiſſe, ac ſi ſtatuiſſet Tatianus: Deum eſſentia ſua tenebras eſſe, vehementer miramur, cum ipſe Alexandrinae philoſophiae adhaeſerit. Nihil aliud enim vult Tatianus, niſi hoc, in tenebris abditum et in occulto latuiſſe Deum, cum ſolo voluntatis ſuae actu lucem ex his tenebris, ſiue latente ſua eſ-

f) De orat. dom. §. 13. p. 77. quae in excerpt. Theodoti ad Calc. CLEM. ALEX. p. 806. ex parte quoque repetuntur.

ſentia lucidiſſima, progredi voluiſſet opitauiſſetque. Quae ipſiſſima Orientalis, Aegyptiacae et Cabbaliſticae philoſophiae decreta et πρῶτον ψεῦδος ſunt. Quae quamuis tum demum aperte dixerit Tatianus, vbi haereſin condidit, patet tamen ex ſequentibus aſſertionibus, eum adhuc in Iuſtini diſciplina verſantem hoc ſyſtema iam amplexum fuiſſe, vel potius quam iam inter gentes didicerat, doctrinam, Chriſtiano ſyſtemati affricuiſſe. Ita enim porro docet:

VI. Dominus mundi cum ipſe ſit vniuerſorum ſubſtantia (ὑπόϛασις) nondum condito mundo ſolus erat, ſi vero reſpicias potentiam eius, ipſe eſt viſibilium et inuiſibilium omnium ſubſtantia, in quo ſubſiſtunt, et omnia cum eo fuerunt. Paulo clarius quid ſibi velit, Tatianus eloquitur, quaque ratione Deum fontem rerum omnium ſtatuat, exponit, nempe radicaliter, potentialiter [g] omnia in eo eſſe et fuiſſe, ſic vt ante effluxum mundi ille quidem ſolus eſſet, rerumque omnium forma et hypoſtaſis in eo lateret, atque exiſteret. Quae ſatis clare fontem illum rerum et ſubſtantiarum omnium innuunt, et latentis diuinitatis oceanum deſcribunt, quem ſuppoſuerunt philoſophi Orientales, Aegyptiaci, Platonici, Cabbaliſtae, Gnoſtici, fratres omnes eorundemque parentum ſoboles vterina. Clariſſime enim his verbis fons emanationum omnium, et mundus ille contractus indicatur, qui in ſyſtemate Orientali proram puppimque conſtituit. Saniori itaque ſenſu verba haec accipi non poſſunt, dicique, id voluiſſe Tatianum, in ſola potentia pro lubitu creandi ante conditam rerum faciem omnia Deum continuiſſe. Hac enim ratione dicere non potuiſſet, omnia in eo tanquam in hypoſtaſi, et radice eſſentiali fuiſſe. Nec aliud patitur ſequens aſſertum, quod ſeriem emanationis mediante emanatione prima, aeoneque illa primitiua, verbo, quod Adam Kadmon vocarunt Cabbaliſtae, λόγον Alexandrini Platonici, δύναμιν τῦ Θεῦ Gnoſtici, explicat, et haec non ſola productionis potentia, ſed emanationis neceſſitate extitiſſe, mediante illo principio emanatiuo docet. Nempe

VII. In ipſo per potentiam verbi et ipſe, et verbum quod in eo erat, ſubſtitit [h]. Vides hanc potentiam radicari in ipſo verbo, quod cum eſſentialiter in eo ſubſiſteret, reliquis quoque omnibus, ex eo emanantibus hypoſtaſin dedit, dum fons et principium emanationum factum eſt. Ita enim in hac rerum γενέσει explicanda pergit Tatianus.

VIII. Cum voluit ipſe, verbum ex eius ſimplicitate proſiliit, et verbum non inaniter prolatum, primogenitum opus fuit eius ſpiritus. Dabimus ipſa Graeca verba Tatiani, vt clariſſime pateat, in hoc eum luto haeſiſſe; Θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτῦ προπηδᾷ λόγος· ὁ δὲ λόγος ἐ κατὰ κενῦ, χωρήσας ἔργον τῦ πρωτότοκον πνεύματος γίνεται, In quibus verbis

c

g) Potentiam autem fontem emanationis indicare ex ſequentibus conſtabit, et vel ſola Simonis Magi doctrina de δυνάμει τῦ Θεῦ, emanatione diuina prima et ſumma docet. h) p. 145.

verbis non ſenſus tantum, ſed et ipſa loquendi ratio fontem, ex quo hauſta ſunt produnt, nempe philoſophiam Orientalem. Ea enim, vti in liberis ſe ſuis prodidit, (Cabbaliſticam, Gnoſticam, Alexandrinam philoſophiam intelligimus) hoc primum principium totius ſyſtematis emanatiui ſupponit: Deum cum ab infinito tempore in abdito perfectiſſimae et diuinae plenitudinis lucisque oceano latuiſſet, tandem voluntatis ſuae decreto, vt ſe manifeſtaret, ex ſe ſuaque hypoſtaſi principiatum illud primum, quod in ſe radicem eſſentiae, hypoſtaſinque habuiſſet, produxiſſe, ſicque illud principium, (λόγον Tatianus cum Alexandrinis Platonicis vocat) primum emanatiuum primogenitumque fuiſſe, quo mediante omnia reliqua ex Deo effluxerint. Emanationem hic cogitaſſe Tatianum, ſi reliqua quae ſequuntur, et mox afferentur, non euincerent, ſola vox προπηδᾶν proſilire ſignificanter ſatis explicaret, quae eiusmodi principii ex fonte fontium ſcaturientis atque proſilientis originem luculenter indicat. Hanc vero doctrinam non Chriſtianam, ſed gentilem eſſe, et dudum a Cabbaliſticis et Platonicis admiſſam, viderunt iam viri docti paſſim, vnde Tatianum Cabbaliſtis frigidam ſuffudiſſe B. BVDDEVS [i] et Cl. I. G. WACHTERVS [k] obſeruarunt, Platonicorum vero veſtigia preſſiſſe, ſuique temporis philoſophiam ſanctiſſimo Trinitatis myſterio nefarie intuliſſe, ex Romana eccleſia DIONYSIVS PETAVIVS [l] et PETRVS DANIEL HVETIVS [m], ex Proteſtantium coetu B. ITTIGIVS [n] annotarunt, et res ipſa clare loquitur. Laterem itaque lauare cenſendi ſunt eruditiſſimi viri GEORGIVS BVLLVS [o] et NIC. LE NOVRRY [p], omnem in eo operam adhibentes, vt ſaniorem verbis Tatiani ſenſum affingerent. Et ingenium quidem atque eruditionem eos hac in re probauiſſe, non negamus, parum vero attuliſſe fatemur, quod veriſimilitudinem habeat. Nam in eo cardo rei non verſatur, annon verbis Tatiani ſenſus affingi poſſit tolerabilis et ſanior quaedam mens atque ſignificatio? id quod facile concedimus, quia Tatianus philoſophiam, quam in iuuentute didicit, Chriſtianis dogmatibus verbisque ſcripturae, quantum pote, attemperauit. Sed de ea verborum Tatiani ſignificatione quaeritur, quam totum eius ſyſtema, et praemiſſa tractationi principia poſtulant, quam habuiſſe, ſtudiorum, educationis, praeiudiciorum, et hypotheſium omnium ratio indolesque produnt. Quae ſi admittantur et expendantur omnia, vt leges hermeneuticae poſcunt, clarum inde eſt, non alium habere ſenſum verba Tatiani, quam quem ſyſtema emanatiuum ei ſuggeſſit, quemque et Platonici Alexandrini et Cabbaliſtae quoque ex hoc fonte hauſerunt: adeoque ſyſtema Tatiani verum philoſophiae Orientalis in Aegypto a Platonicis et Iudaeis varie modificatae foetum eſſe, non vero Chriſti do-

i) De haereſi Valentin. §. 18. p. 688. ſeqq.
k) In elucidario Cabbaliſtico c. 3.
l) Dogmat. theol. de Trin. L. I. c. 3. p. 70.
m) Origenian. L. II. c. 2. q. 2. n. 10. 25.
n) Select. cap. hiſt. eccleſ. Sec. II. c. 3. §. 7. §. 4. p. 226.
o) In defenſ. fid. Nicaenae Sect. III. c. 6.
p) Apparat. ad Bibl. PP. T. II. diſſ. II.

doctrinam referre q. Qua de re ne dubitet Lector, ecce, ipsa fere verba Cabbalistis vsitata, qui primogenitum, siue Adam Kadmon ex emanantis diuini luminis communicatione deriuant. Ita enim de πρωτοτόκῳ λόγῳ Tatianus:

IX. Natum est verbum, quod est principium mundi non per auulsionem, sed per diuisionem. Quod enim auellitur, a primo separatur, quod vero diuiditur, id functione donatum propria nihil imminuit illum, a quo vim suam sumsit. Quemadmodum enim ab vna face multae aliae accenduntur, nec tamen primae facis lux inde minuitur, propter plures inde succensas; sic etiam verbum ex patris potentia progressum non relinquit genitorem verbi expertem. Haec natiuam emanatiui principii, siue principiati primi naturam explicant, qua diuiditur quidem, ex quo emanauit, a fonte suo, peculiarique gaudet substantia, at radicitus cum eo ita cohaeret, vt vnum constituat. Qua de re cum subtiles ratiocinationes Cabbalistarum *Tomo secundo* fuse explicuerimus, eoque etiam libro Alexandrinorum de λόγῳ hypotheses his per omnia similes descripserimus, ea hoc loco repetendo actum non agemus, sed Lectorem ad illa remittimus, quibus cum his Tatiani verbis comparatis nulli dubitamus, quin euidentissimam deprehensurus sit inter vtrosque concordiam.

X. Quemadmodum verbum in principio genitum est, ita mundum et nos vicissim genuit, cum sibimet ipse materiam produxisset (αὐτὸς ἑαυτῷ τὴν ὕλην δημιουργήσας.)

XI. Materia principii immunis haud est, et cum aliquando inceperit, parem cum Deo potentiam habere nequit.

XII. Genita est materia, et non ab alio quodam facta, sed ab rerum omnium architecto producta, vel potius, ex sinu eius eiecta, (προβεβλημένη.) Tribus hic assertionibus systema suum tanquam proprio charactere insignit, quaeque eius de originibus rerum omnium sententia fuerit, clarissime prodidit. Secunda enim reiicit systema dualisticum, cui se philosophiam orientalem oppositisse suo loco euicimus: Prima et tertia systema monadisticum (vocibus barbaris veniam deprecamur) stabilit, et materiae originem ex eodem principiato primo, quod ex Deo effluxisse atque scaturiuisse ex hoc fonte supra dixerat, deriuat. Et, ne creationem ex nihilo cogitemus, non voces tantum Gnosticorum et Alexandrinorum philosophorum adhibet, sed diserte quoque materiam hunc rerum omnium conditorem ex sinu suo eiecisse, siue expulisse asserit, idque eodem modo factum esse ait, quo verbum in principio genitum est. Materia itaque λόγου demiurgi filius et essentiale opus est, isque illius radix, fons et hypostasis, quamuis materia ex sinu demiurgi progressa peculiarem suam subsistendi rationem acceperit. Quae vt claris Tatiani verbis

q) Parum rei Christianae interesse putamus, quid Tatianus, quid veterum alii a sui temporis praeiudiciis seducti de Christi deitate statuerint. Solis enim scripturae verbis stamus apertis.

verbis continentur, ita κατὰ τὸ ἑητὸν Alexandrinorum philoſophorum, Gnoſticorum et Cabbaliſtarum opinionem de origine materiae exprimunt, euincuntque Iuſtini diſcipulum materiam per emanationem ex λόγῳ deriuauiſſe. Ita vero concordia quidem ſyſtematis Tatiani cum Orientali confirmatur, omnis vero, quam cum Chriſtiana doctrina habere dicitur, conſenſio prorſus euertitur. Ceterum et IAMBLICHVS[r], et PHILO[s] de eodem argumento diſſerentes, mundique et materiae originem ex demiurgo deriuantes, hic cum Tatiano conferendi ſunt, vt eosdem hos omnes fontes conſuluiſſe ex harmonia dogmatis fanatici pateat.

XIII. Verbum illud coeleſte, ſpiritus a patre genitus, et ratio, ex rationali potentia hominem immortalitatis imaginem fecit, ad imitationem ſui genitoris, vt quemadmodum immortalitas apud Deum eſt, eodem modo diuinam portionem nactus homo immortalis quoque euaderet. Ita hominem quoque ex fonte immortali deriuat Tatianus. Qui non moralem tantum ſimilitudinem intelligit, ſed eſſentialem quoque, ipſiusque diuinae immortalitatis, quae cum eſſentia eius vnum eſt, communicationem: vnde λόγον ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως hominem immortalem feciſſe ſcribit, id eſt ex potentia ſua intrinſeca alia entia immortalia et rationalia producendi expellendique. Hunc enim verborum eius ſenſum ſyſtema emanatiuum poſtulat, et vox δύναμις innuit, quam in aſſerto ſexto et ſeptimo eiusmodi facultatem ſcaturiendi ex ſeſe alia principia, quae in eo tanquam radice fundentur, indicare, ſupra innuimus. Ceterum haec aſſertio Tatiani non de anima, ſed ſpiritu hominis ſiue imagine Dei intelligenda eſt, vt ex ſequentibus patebit. Cabbaliſtas et Valentinianos qui cum his contulerit, miram iterum obſeruabit concordiam.

XIV. Verbum ante creatos homines angelos produxit. Etiam hoc ſyſtemati Orientali, Cabbaliſtico, Gnoſtico, Alexandrino conuenienter dictum eſt, et id ordo quoque emanationis poſtulat.

XV. Vtraque creatura arbitrii ſui libertati permiſſa eſt, boni tamen rationem non ſibi natiuam, ſed apud ſolum Deum repoſitam[t] habens.

XVI. Relicta eſt humano generi voluntas libera, vt in improbos iure animaduertatur, vtpote ſua culpa tales, iuſti contra laudes de praeclaris actionibus merito auferant, qui libere et ingenue Dei voluntatem non aſpernati ſunt.

XVII. Vniuerſa mundi machina, et quicquid in ea conditum eſt, factum eſt ex materia, et materia a Deo, producta (eiectam ex ſinu ſuo eſſe, vox προβεβλημένη innuit, vt ſupra monitum) ita vt partim rudis et infor-

r) De myſter. Aegypt. Sect. V. c. 23. p. 138.
s) De mundi opificio p. 3.
t) Nempe in fonte ſuo radiceque ex qua prodierat, ſed ita vt ſine ea non germinauit. Declinare vero poteſt ad materiam ſeque a fonte ſuo auellere, haecque illa libertas eſt, origo et materiae et mali.

informis intelligatur ante discretionem, partim digesta et conformata (κεκοσμημένη) post peractam discretionem w. Ita emanantis materiae formationem explicat Tatianus, verbis ab Alexandrinis philosophis transsumtis, qui prorsus eodem modo de materiae formatione et discretione scripserunt. Ita enim IAMBLICHVS x, loco his Tatiani παραλλήλῳ: *Materiam Deus produxit* (παρήγαγεν, quod in hac schola idem valet ac προβέβληκεν) *discernendo materialitatem ab essentialitate, quam demiurgus accipiens vitalem, ex ea simplices incorruptibilesque sphaeras fabricauit, ex ipsius vero postremo corpora generabilia et corruptibilia conformauit* (διεκόσμησε).

XVIII. Ergo coelum quoque et stellae coelestes in mundo materia participant; similem etiam terra et quaeuis alia mundi pars constitutionem sortitur, ita vt vna sit omnium communis generatio.

XIX. Diuersa tamen genera sunt eorum, quae ex materia constant, et aliud quidem pulchrius est, aliud licet pulchrum, vincitur tamen ab aliquo praestantiori.

XX. Mundus cum partes alias splendidiores et alias his dissimiles ex opificis sui potentia habeat, insinuatum toti materiae spiritum per architecti voluntatem accepit y. Hic spiritus materiam penetrans diuino spiritu multum inferior est. Etiam hoc philosophiam orientalem sapit, quam eiusmodi spiritum ex demiurgo ortum rebus materialibus adscripsisse, systema Valentinianum demonstrat. Nec aliter Cabbalistae, et Alexandrini Platonici, illorum enim Sandalphon horumque mundi anima ex demiurgo profecta emanationis ordine, rerum fonte longe inferiores sunt.

XXI. Quin etiam daemones ex materia concreti et spiritu ex ea sumto luxurioси et delicati euaserunt; alii quidem ex ipsis ad puriorem vitam conuersi, alii vero vilioris materiae ratione assumta pro eo modo agentes. Hos adorarunt gentes. Κύριον δόγμα orientalis philosophiae tangit: angelos a demiurgo creatos ex inclinatione in materiam, quamuis spiritum mundi sibi inesse scirent, factos malos et degeneres, vexatores mundi esse, aliis spiritibus meliorem sortem ob puriorem et a materia remotiorem naturam nactis. Id quod ex hoc fonte hausserunt et Cabbalistae et Gnostici et Alexandrini Platonici. Illorum enim Klippoth siue cortices, et horum mali angeli mundi tyranni, et postremorum antithei daemonesque impuri, cum his Tatiani daemonibus accurate conueniunt, nouo specimine, omnes hos ex vno fonte ista hausisse. Et huc quoque pertinent, quae de daemonum horum saeuitia et tyrannide in mundum hominesque porro hunc in modum statuit:

XXII. Dominus vniuersorum permisit his daemonibus, hominibus illudere, donec mundus consummatus olim dissoluatur. Similia vel eadem

w) Apol. pro V. R. C. p. 151. x) loc. cit. S. VIII. c. 3. p. 159. y) pag. 144.

dem prorſus cum docuerit philoſophia Orientalis, et humanum genus a tenebrarum poteſtatibus in mundi per ignem purificatione liberatum iri ſtatuerit, ita iam praecipiente Zoroaſtre, mirum non eſt, omnes huius philoſophiae propagines, et cum his Tatianum, id docuiſſe: qui, quae de euerſione Satanae futura in die iudicii Scriptura dixit, commode ſyſtemati ſuo attemperare potuit, quamuis ex totius doctrinae eius nexu pateat, Gnoſtico magis, quam orthodoxo ſenſu eum hanc liberationem intellexiſſe.

XXIII. Cum ſpiritus mundo vniuerſo inſit, ſequitur inde, ſpiritum quoque ineſſe ſtellis, angelis, ſtirpibus, aquis, hominibus, animalibus [z].

XXIV. Quamuis autem hic ſpiritus vnum idemque ſit, differentias tamen habet ex conditione ſubiecti, in quo eſt, oriundas. Neceſſaria haec conſectaria ſunt, ex admiſſo ſemel ſpiritu mundi oriunda, quae ex primis philoſophiae orientalis principiis fluunt. Cum enim ſecundum emanationis ſyſtema cuncta, ne materialibus quidem exceptis, ex ſpiritualis et diuinae lucis fonte infinito fluxerint, neceſſarium eſt, vt omnibus rebus, ne materia quidem excepta ſpiritus quidam, ſiue ſpiritualis natura inſit, quae originis ſuae veſtigia referat, quamuis propter diſtantiam a primo fonte lux illa compacta magis, et coarctata materialitatem receperit, et actiuam illam vim, ſuo modo menſuraque, amiſerit. Spiritus itaque ille, qui materialibus rebus ineſt, emanationis effectus eſt, hincque fiet, vt materia per ignem in conſummatione ſeculi combuſta, id quod ſpirituale illi ineſt, ſiue ſpiritus hic, ad fontem ſuum rediturus ſit. Qua ratione in materia quauis ineſſe eſſentialitatem ſpiritualem diuinae naturae capacem aſſeruerunt Alexandrini Platonici, teſte IAMBLICHO [a], et Cabbaliſtae, vt *ſuperiori Tomo* demonſtratum. Hi enim cum Tatiano hanc quoque doctrinam, in materia omni ineſſe ſubſtantiam quandam ſpiritualem, ex vno fonte hauſerunt. Frontem itaque perfricuiſſe et exuiſſe pudorem cenſendus eſt Tatianus, quando hoc dogma ſe non probabilibus rationibus, vel ſummis vt aiunt, labris comprehendiſſe, aut ſophiſtico apparatu attuliſſe dicit, ſed ex diuinis eloquiis hauſiſſe mentitur. Non enim haec vatum Hebraeorum, ſed Chaldaeorum, Perſarumque ex Zoroaſtris diſciplina progreſſorum doctrina eſt, vere barbarica, ſed non ſanctis viris tribuenda.

XXV. Corpora, moriente homine ad ſubiectum materiae, ex quo progreſſa ſunt, cum naſcerentur, redeunt, condunturque in hoc penu, (materia mundi) praediuitis domini [b].

XXVI. Non immortalis eſt anima ſuapte natura, ſed mortalis, eadem autem ne moriatur, fieri poteſt.

z) Apol. pro V. R. C. pag. 152. a) loc. cit. S. V. c. 32. p. 138. b) pag. 146.

XXVII. Moritur enim et diſſoluitur cum corpore, quae viritatis ignara eſt, reſurgit autem poſtea in conſummatione ſeculi, vna cum corpore, mortem in ipſa immortalitate per cruciatum et poenam ſentiens.

XXVIII. Rurſus anima, quae Dei cognitione inſtructa eſt, licet ad tempus ſoluatur, non moritur.

XXIX. Nempe anima per ſe tenebrae eſt, et nihil habet lucis; non enim ſpiritus ab anima ſeruatus eſt, ſed ipſe animam ſeruauit, et lux comprehendit tenebras: eſt autem λόγος lux diuina, anima imperita, tenebrae.

XXX. Anima igitur cum ſola degit, deorſum ad materiam vergit, carni commoriens: ſpiritu autem diuino coniuncta, non caret auxilio, ſed aſcendit illuc, quo deducitur a ſpiritu: huius enim ſedes eſt ſublimis, at illius generatio inferne eſt.

XXXI. Et factus quidem eſt ab initio ſpiritus animae familiaris, ſed cum non vellet ſpiritum ſequi, ab eo deſerta eſt.

XXXII. Adhuc igitur reliquias et fomitem quendam ſpiritualis virtutis retinens, ſed propter eius ſeparationem, quae perfecta ſunt, perſpicere non ſufficiens inquirendo Deum, errore ducta Deos coluit, aduerſariorum daemonum fraude ducta. Comprehendit hac heptade aſſertionum [c] ſatis paradoxarum Tatianus pſychologiam barbaricam quidem, at non Hebraeam, pro qua tamen venditat, vnde paſſim viris doctis vapulat. Nihil vero in his aſſertis eſt, quod non ex ſyſtemate emanatiuo fluat, et in orientali philoſophia affirmatum ad Platonicos Alexandrinos, Iudaeos, Aegyptiacos, Cabbaliſtas, Gnoſticosque peruenerit, vt ex locis IAMBLICHI [d], PHILONIS [e], R. CORDVERO [f] et ſyſtemate Valentini patet, quae cum his Tatiani aſſertis comparari facile et harmonia inde demonſtrari poſſet ſatis manifeſta, niſi breues nos eſſe, haecque Lectoris induſtriae relinquere cogeret inſtituti ratio. In cuius tamen gratiam oſtendendum eſt, quomodo ad haec dogmata a ſacris Chriſtianorum placitis tantopere diuerſa delatus ſit Tatianus, quaque ratione cum emanationis ſyſtemate cohaereant. Inter ratas enim ſententias ſyſtematis Orientalis emanationem ſupponentis, haec quoque eſt: ſpiritum ex primo principiato, miniſtroque emanationis praecipuo in hominem delapſum diuinum, ipſamque λόγῳ, primogeniti, Adam-Kadmon, potentiae diuinae, quaeque alia illud principiatum primum nomina habet, naturam referentem eſſe, eo quod eius particula ſit, quae ex eo emanauit: animam autem ex materia ſubtiliſſima eſſe compoſitam, adeoque materialem quidem, et mortalem, ſed capacem tamen ſpiritus illius diuini, eo quod omni materiae ſpiritus talis ineſſe ob emanationis legem debeat. Haec ſtatuiſſe

c) Ap. pro V.R.C. p. 152. d) l. c. S. IX. c. 6. 7. p. 169. e) De profug. p. 466. de eo quod deterius meliori inſid. p. 170. f) De anima, Cabbal. denud. T. II. P. III. p. 188. ſeqq.

ſtatuiſſe omnes illos, qui huic philoſophiae natales debent, ex paralleliſmo dogmatum euidenti argumento euincitur. Ex hoc ſuppoſito principio, quod Tatianus neceſſario admittere debuit, ſi cohaerere voluerit ſyſtema ſemel electum, ſua ſponte fluunt omnes illae aſſertiones pſychologiae Tatianeae. Nam 1. quemadmodum anima cum ſpiritu diuino, qui ex Deo vel λόγῳ potius, illoue principiato primo, quod eſt emanatiuorum omnium radix atque ὑπόςασης, immediate effluxit, confundi non debet, vt ex Θ. XXIX. XXX. XXXI. liquet, ita 2. ſpiritus ille, qui hominis animae ineſt, ex δυνάμει τῦ λόγυ, emanatiua principiati primi virtute (quo ſenſu vocem δύναμις ſupra Tatianus adhibuit) profectus eſt, Θ. XXIX. hincque 3. ſpiritus ille lux eſt tota ex infinitae lucis fonte emanando eradiandoque progreſſa et eiaculata, et ex ſupernis ſedibus lucis diuinae proſiliens, Θ. XXIX. XXX. 4. quoniam autem materia capax et ſpiritualis naturae Θ. XXIII. inde ſequitur, animam quoque iſtum ſpiritum recipere poſſe, et ita lucem tenebras comprehendere. Θ. XXIX. 5. Anima autem ex materia generata neceſſario ob naturam materiae, tenebrae eſt, eo quod nimis remota ſit materia a fonte ſuo, indeque ſibi relicta anima ad materiam inclinat, Θ. XXX. quae κυρία δόξα fuit omnium aſſeclarum ſyſtematis orientalis. 6. Λόγυ vero virtutisque diuinae ex ſummae lucis abyſſo progreſſae Θ. IX. beneficio, cum immortalem imaginis diuinae ſpiritum ex ſe produxiſſet Θ. XIII, immiſſus eſt ſpiritus in materiam, et factus illi familiaris, Θ. XXXI. 7. Animae autem ad originem ſuam, materiam, inclinantis vitio non potuit ea a ſpiritu reddi ſpiritualis et purificari a materiae contagio. Θ. XXXI. 8. Quoniam tamen nulla materia eſt ſine ſpiritu Θ. XX. XXIII. ideo animae materiali ineſſe neceſſe eſt, reliquias et fomitem quendam virtutis (i. e. emanationis) ſpiritualis Θ. XXXII, qui tamen quamdiu ſupprimitur, homo ad impuras illas emanationes, quae materiales ſunt, nempe daemones malos, inclinat Θ. XXXII. 9. Agitante autem ſpiritu illo, Deique cognitione animam inſtruente ſpiritualis virtus excitatur, et anima ad emanationum fontem perducitur Θ. XXX. 10. Ex quibus omnibus infertur: animam per ſe immortalem ſua natura non eſſe, fieri autem immortalem, exuta materialitate per inhabitantem ſpiritum Θ. XXVII. 11. quod cum in hac vita ob commercium animae cum materia non plene fiat, in conſummatione fiet mundi, vbi materia exuretur, quod cum 12. tempus poſtulet longiſſimum, duratura eſt anima, donec tota exuſta et purgata et ſpiritualis reddita, immortalitatis praemia in fonte primo accipiat. Haec totius pſychologiae Tatianeae connexio eſt, ſibi accurate reddita, quae ſi cum pſychologia Cabbaliſtica et Alexandrina confertur, vel cum Simonianis, Valentinianis Gnoſticisque placitis aliis comparatur, mira dogmatum patebit conſenſio. Nihil enim hic Tatianus habet, inter ſpiritum hominis diuinum et animam diſtinguens, quod non affirmauerint Cabbaliſtae, Zelem a Nepheſch, Alexandrini νῦν a ψυχῇ, Valentinus et Gnoſtici hominem

ſpiritualem ab animali diſcernentes: quae omnia hauſta ſunt ex philoſophia Orientali, licet Platonicis quoque hypotheſibus, a quibus Tatianus, more Aegyptiorum et Syrorum, non abſtinuit, attemperata ſint. Ex his ſequentia quoque Tatiani dogmata lucem accipient. Ita enim porro praecipit g):

XXXIII. Spiritus Dei non omnibus contingit, ſed apud nonnullos, qui iuſte viuebant, diuertens, et animas complectens, per praedictiones ceteris animabus ſe reuelabat, quae quidem obediendo ſapientiae, cognatum ipſae ſibi ſpiritum attrahebant, vel non obediendo ſapientiae et miniſtrum Dei pro nobis paſſi ſpernendo impugnare Deum, potius quam venerari ſe declarabant. Hac Θέσει philoſophiae ſuae hypotheſes ad ſtabiliendam religionem Chriſtianam adhibet Tatianus, eodem argumento vſus, quo Iuſtinus Martyr praeceptor eius, et reliqui huius et ſequentis ſeculi doctores eccleſiaſtici veritatem Chriſtianam confirmare aggreſſi ſunt, nempe: λόγον illum, ſiue principiatum primum, primogenitum Dei, vel primam et immediatam emanationem virtutemque Dei hypoſtaticam, quae in carne poſtea apparens pro nobis paſſa eſt, manifeſtaſſe ſe hominibus in illa particula λόγϖ diuina, quae rationis diuinae compos eſt, et per hanc obtigiſſe quoque vatibus diuinis, quinimmo philoſophis nonnullis inſito λόγϖ inſpiratione parentibus reuelationem de ſalute ex illo ad homines deſcendente: neminem autem effectus huius ſalutaris participem fieri, qui non illi inſpirationi et reuelationi obtemperauerit, adeoque religionem Chriſtianam quae huius λόγϖ miniſterio patefacta ſit, recipiendam eiusque praeceptis parendum eſſe. Ita diſciplinam magiſtri accurate Tatianus exprimit, filiumque Dei ſiue λόγον internum, in hominibus reſidentem, cum aliis Aegyptiaca et Platonica placita cum Chriſtianis confundentibus adſtruit.

XXXIV. Non facile moriuntur daemones ſeductores, cum carnei non ſint, ſed negotia mortis viuentes exercent. Toties nimirum et ipſi morientes, quoties illos, quibus praeeunt, peccatis imbuerint. Quocirca quod in praeſentia peculiare habent, nempe non ſimiliter, vt homines, mori, id quoque punitionis ipſorum tempore habebunt, neque pro morte, commutata immortalitate, vita fruentur aeterna. Et hoc quoque a ſuperioribus non abludit, modo vox, mori, non intelligatur de reſolutione materiae, ſed eo ſenſu accipiatur, qui ſyſtemati emanatiuo ſolennis eſt, quo id mori dicitur, quod a fonte lucis ſe ſeparat, et ad ſtatum impotentiae, materialitatis, malitiae, tenebrarum vertitur. Quo magis itaque daemones peccare pergunt, hominesque a lucido fonte ſeducunt, eo magis a fonte vitae, lucis, ſpiritus, boni, disiunguntur, adeoque hac ratione moriuntur. Id quod ſimili ratione de Klippoth corticibusque praedicant Cabbaliſtae. In eo tamen a philoſophiae orientalis placitis

g) Apol. pro Ver. Rel. Chr. p. 153.

placitis abit Tatianus, quod hanc mortem aeternum duraturam esse dicat, cum illi cortices quoque malosque daemones abiectis corticibus malignis et materialibus, quoad spiritualitatem suam redituros esse, ad Deum fontem lucis, vi systematis emanatiui, quod periodum talem regressumque emanatiuorum in fontem suum postulat, statuant. Aut itaque hac in re accommodauit se Christianis dogmatibus Tatianus, aut immensum et indefinitum tempus, quo duratura sit poena malorum daemonum, intellexit: de quo cum nihil certi dixerit, nos quoque nihil definimus.

XXXV. Oportet id nunc inquirendo repetere, quod olim amisimus, et animam Spiritui sancto coniungere, et sollicite procurare coniunctionem cum Deo perficiendam. Hunc sibi scopum proponit non Tatiani tantum philosophia, sed disciplina Orientalis, Cabbalistica, Gnostica, Alexandrina omnis, nec sequi aliter ex praemissis potest. Cum enim reditus ad fontem omnis emanationis, Deum, cardinem totius philosophiae emanatiuae constituat, ille vero non nisi mediante principio illo, per quod ex Deo effluxerunt omnia, effici queat, hoc autem principium sui partem homini instillauerit, sequitur inde, hominem, si ad pristinam felicitatem aspirare velit, hanc diuini λόγου particulam spiritumque sanctum sibi, suaeque animae iungere debere. Ita vero ista συζυγία efficitur, qua homo cum Deo essentiali vinculo, tanquam fonte suo iungitur; hoc enim vox ista euincit, vt ex philosophia Valentiniana notum est. Ex his vero luculenter constare putamus, non moralem quandam cum Deo coniunctionem, Christianae doctrinae conformem Tatianum hic commendauisse, sed essentialem, qua humanus spiritus suo fonti redditur, arcteque cohaeret, et aequali quasi gradu iugoue constituitur. Quae vt satis impia sunt, et manifestum enthusiasmum produnt, ita clarissime demonstrant, non iniuriam nos feciſſe Tatiano, ad hunc scopum totum eius systema referentes, et ita ex emanationis legibus eius doctrinam explicantes. Omnia enim in nexu suo considerata huc collineant, satisque clarum est, Tatianum aut nunquam diuina Christianorum mysteria pura traditione recepisse et intellexisse, aut philosophiae Orientalis et Aegyptiacae notionibus et axiomatibus occupatum, siniſtre ad hanc normam ineptam ea applicuisse. Sane post magistri discessum, quem haec exorbitantis ingenii deliria in discipulo repressisse nulli dubitamus, eum ad Valentinianos defeciſſe, eo minus mirandum est, quo magis ipsa fundamenta systematis Valentiniani adhuc inter orthodoxos versatus iam fouebat. Quod licet scriptores ecclesiastici non animaduerterint, accommodatione Tatianeorum dogmatum ad phraseologiam Christianam decepti, ignoscendum tamen illis est, cum philosophiae Orientalis placita non satis intellexerint, error tamen eorum non imitandus, et oratio haec Tatiani pro orthodoxa habenda. Verum haec ὡς ἐν παρόδῳ. Iam ad reliquas Tatianei systematis opiniones considerandas accedendum.

XXXVI. Ho-

XXXVI. Hominum anima non eſt ſimplex, ſed ex multis partibus conſtat, componitur enim, vt manifeſte apparet, ex corpore. Nam nec ipſa ſine corpore poſſet apparere, neque caro ſine anima reſurgit *h*. Et hic quoque, quam ſemel elegerat, ſcholam ſequitur, quae corpus pro vinculo, carcere, et vbi mitiſſime loquitur, pro veſtimento animae habet. Ita Platonici Alexandrini, ita Cabbaliſtae, qui ſuperueſtire vnam emanationem inferiorem alteram ſuperiorem, corpusque eſſe veſtem vel vehiculum Nepheſch, Nepheſch veſtem Ruach etc. ſtatuunt, vt ſupra dictum.

XXXVII. Homo eſt, non vt quidam crocitant, animal rationale, mentis et ſcientiae capax, nam bruta quoque ſecundum ipſos mentis et ſcientiae capaces oſtenduntur. Solus autem homo imago et ſimilitudo Dei eſt. Ariſtotelicos pungere videtur Tatianus, qui formam hominis ex inſita eſſentiali parte deriuat, et brutis rationem quandam tribuit, quia, vt ſupra dixerat, omnibus rebus ſpiritus mundi ineſt.

XXXVIII. Homo carne conſtat, anima carnis vinculum eſt, et caro per animam continetur.

XXXIX. Corpus autem ita conſtitutum ſi fuerit inſtar templi, libenter a Deo, ſpiritu, conciliante, inhabitatur, ſin tale non ſit, ſola voce articulata differt homo a brutis, cetera ſimilis eis eſt, quoad viuendi rationem.

XL. Daemones omnes non carnea, ſed ſpirituali concretione conſtant, qualis eſt ignis et aëris, quae corporum conſtitutio ab illis ſolis videri poteſt, qui ſpiritu Dei muniuntur, non item ab illis, qui ſola reguntur anima. Etiam hoc ex Aegyptiaca philoſophia eſt, et tum Cabbaliſtis tum Platonicis ſolenne, qui daemonibus aërea et ignea corpora tribuunt. Ratio patet ex ordine emanationum.

XLI. Daemonum ſubſtantia poenitentiae locum non habet, materia enim et improbitas in eis relucent, materia autem voluit imperare animae.

XLII. Aliquando videntur daemones etiam ab iſtis, qui anima reguntur (ψυχικοῖς) cum ipſi ſponte conſpectui ſe offerunt, vel vt aliquid eſſe exiſtimentur, vel vt hominibus noceant, vtpote inimicis, amicitiam ſimulantes ex ingenii malignitate, vel vt ſui ſimilibus conferendi in ſe cultus occaſionem exhibeant. Eadem praecepiſſe Aegyptios ſui temporis, IAMBLICHVS *i* teſtatur, et magiae diſciplina in ea regione ſolennis et ad auerruncandos hos ſpiritus adhibita, probat. Mirandum itaque non eſt, iſta quoque ἄτερ γραφῆς ſtatuere Tatianum.

XLIII. Daemones qui vincere velit, materiam repudiet, armatus thorace coeleſtis ſpiritus, quicquid ſuum eſt, ſeruare poterit *k*. Lucu-

lenta

h) Apol. pro Ver. Rel. Chr. p. 154. *i*) loc. cit. *k*) pag. 155.

lenta iterum Orientalis et Aegyptiacae philoſophiae veſtigia Tatianus exprimit, vt inſultus malorum daemonum, ita victoriam de iis ad materiam referendo. Paria enim praecepere et Cabbaliſtae, et Gnoſtici, et Platonici recentiores, materiae omnes inimici, quam tamen in ſe habere diuinum ſpiritum cum Tatiano ſomniant. Pridem exemplum hac in re praeiuit Philo, et quicunque hoc philoſophandi genus ſecuti ſunt.

XLIV. Fiunt etiam morbi et tumultus quidam oboriuntur in materia noſtra, et eorum cauſſas, cum contingunt, daemones ipſi ſibi adſcribunt, eodem tempore accedentes, quo morbus inuadit. Interdum etiam ipſi tempeſtate vecordiae ſuae habitum corporis concutiunt, qui perculſi verbo potentiae diuinae territi diſcedunt, et acger ſanatur. Celebrem inter veteres tangit hypotheſin, daemones, cum materiae praefecti ſint, morborum cauſſas excitare, eosque, pulſis iſtis malis ſpiritibus, virtute inſita diuina tolli quoque poſſe. Qua de re quid Simon Magus, Menander ſimilesque haeretici ex philoſophia orientali prognati dixerint ſtatuerintque, *Tomo ſecundo* oſtendimus. Idem placuit Platonicis Alexandrinis, vt ex IAMBLICHO *l* diſcimus, itemque Iudaeis philoſophia Aegyptiaca imbutis, quorum ſomnia enarrat EISENMENGERVS *m*. Aliorum philoſophorum gentilium hac de re placita, ne nimii ſimus, ſilentio praeterimus *n*. Ex impuris itaque fontibus haec quoque hauſit Tatianus.

XLV. Coelum non eſt infinitum, ſed limitibus ſuis circumſcriptum, finibusque conſtat. Supra eum autem aeones ſunt meliores, finium terminorumque illorum expertes, ex quibus morbi oriuntur, ſed iucundiſſima temperie praeditae diem habent perpetuam et luce radiant hominibus inacceſſa *o*. Ipſa Graeca, quae hic expreſſimus intuenda ſunt, quae non ſatis aſſecutus eſt interpres GESNERVS. Loca vero extramundana dum deſcribit Tatianus, iterum Aegyptiaca, Cabbaliſtica et Platonica ſequitur. Aegyptii quid de his ſedibus beatis ſtatuerint, ex PHILONE diſci poteſt, quid aliis viſum late exponit IACOBVS WINDETVS *p*, qui videndus: inde enim ſua depromſit Tatianus. Cabbaliſtarum vero de ſuperiori paradiſo ſomnia et Platonicorum Alexandrinorum opiniones ex PLOTINO *q* *Tomo ſecundo* depinximus, quae hoc loco non repetimus, cum his vero comparanda ſunt ea omnia, vt lucem Tatiani praeceptis concilient. Vnum obſeruamus, et αἰώνων nomen, quamuis ſeculorum continuatam ſeriem heic indicare videatur, ſimul tamen emanationum diuinarum locum connotare, nam eas in inacceſſa luce habitare

l) De Myſt. Aegypt. S. II. c. 6. p. 47.
m) Iudaiſm. derect. P. II. c. 8. p. 454.
n) Vid. Cl. Trillerus in B. WOLFII Curis Philolog. ad Luc. XIII, 11. p. 676.
o) Apol. pro V. R. C. pag. 159.
p) De vita functor. ſtatu Sect. VII. p. 129.
q) Enn. vlt. L. vlt.

tare ait Tatianus. At hoc pleroma Gnosticorum et omnium, ex Orientali philosophia progressarum sectarum est. Dabimus verba Simonis Magi apud *Recognitionum* auctorem [r], vt cum Tatiani verbis conferri queant: *Vide, quia debet esse locus aliquis, qui sit vltra mundum, in quo neque coelum sit, neque terra, ne vmbra horum etiam tenebras operetur. Et ob hoc, cum neque corpora aliqua in eo sint, neque ex corporibus tenebrae, necessario sit lumen immensum, et lumen considera cuiusmodi esse possit, cui tenebrae nullae succedunt. Nam si vniuersum hunc mundum solis repleat lux, quantum aestimas esse illud lumen incorporeum et infinitum.* An non haec Tatiani verbis sunt prorsus similia? quae cum idem systema supponant, eodem etiam modo interpretanda sunt. Et hoc etiam reditus spiritus in homine diuini ad fontem suum poscit; hic enim in pleromate est, exque hoc lucis inaccessae oceano effluxit, illucque reuertetur, hinc porro praecipit Tatianus:

XLVI. Potest quilibet nudatus hunc ornatum sibi comparare, et ad veterem cognationem redire.

XLVII. Nempe mundus ad se nos detrahit, et propter infirmitatem mentis materiam quaerimus. Ab initio quidem profecto spiritu anima tanquam alis erigebatur, quibus amissis peccati culpa pulli instar volauit, et humipeta euasit, et cum a diuina familiaritate recessisset, inferiorum rerum desiderauit commercium. Igitur nos oportet, impedimentis omnibus reiectis pristinam conditionem, in luce inaccessa magno desiderio repetere. Habes hic breuem totius systematis Tatianei ἀναπεφαλαίωσιν eo simili expressam, quod dudum de lapsu animarum differens PLATO [s] adhibuit. Cuius dogmata philosophiae orientali attemperata in Aegypto vel Syria Tatianus didicisse videtur. Hac enim in assertione spiritus, qui in homine est, et animae praeexistentiam originemque illius ex infinitae lucis fonte asserit, lapsumque animae ex secessu a fonte suo et inclinatione ad materiam deriuat, et poenam animae lapsae in materiae commercio ponit, et liberationem a materia ascensumque ad supernas lucis immensae regiones et replens omnia spatium vrget. Quae cum clauis instar sint ad systema Tatiani referandum, facile supra dicta ex his intelligent, qui paulo diligentius, quam scriptores ecclesiastici Eusebius, Hieronymus, aliique fecerunt, ad orationem Tatiani attendent, rite nos philosophiam Tatiani explicuisse. Ex his autem ea propter larga manu appositis, quod inter patres non nobilius memorabiliusque exemplum philosophiae Orientalis et Aegyptiacae Christianis dogmatibus attemperatae exstitit, sole meridiano clarius est, Tatianum, qui, vt supra dictum, philosophiam in Oriente tum et in Aegypto florentem didicit, barbaricae, quam commendat, philosophiae nomine, illam istius systematis accommodationem ad dogmata Christiana intellexisse, quam fuse hactenus

r) Lib. II. c. 21. p. 522.

s) In Phaedro T. III. p. 246.

hactènus delineauimus, ideoque Graecorum theologiam risisse, quod huic systemati emanatiuo vereque fanatico obstaret. Qui cum Hebraeorum veterum hanc doctrinam fuisse statuat, fallitur quidem, at deceptus sine dubio est, cum videret, eadem dogmata a Iudaeis Aegyptiacis in arcana sua metaphysica proponi recipique. Nec a verisimilitudine longe discedit, Tatianum ob hoc praeiudicium nonnulla Cabbalisticis dogmatibus attemperauisse: sane id suadet tot Cabbalisticorum dogmatum cum Tatiani assertis concordia, fierique eo magis potuit, quoniam ex philosophia Orientali Cabbalistica quoque exorta est. Cum autem Tatianus Graecanicae postea philosophiae studuisset, et cognouisset Platonica, ad eundem fere modum reformata, quibus ipse Iustinus eius praeceptor magnum statuebat pretium, ea quoque Platonica, quae cum recepto systemate concinebant, illi infarsit, et hoc syncretismo instructus nouum, quod putabat, doctrinae aedificium Christianis pinxit coloribus phrasibusque explicuit sacris. Mirandum itaque non est, Tatianum, quem dum viueret, luxuriantem repressit Iustinus, cum iam tum philosophiae Orientali adhaesisset, post praeceptoris martyrium ad Valentinianos defeciſſe, et contemtis mysteriorum scripturae dogmatibus arguta magis et imaginationem ferientia appetiisse. In hac enim Oratione Valentinianorum deliriorum semina iam delitescere, data eius explicatio manifeste euincit, dudumque viris doctis obseruatum est. Ipsi quoque, qui Tatiano haeretico tribuuntur errores eiusmodi sunt, vt fontem atque fundamentum in hac oratione iam habeant. Quas enim Irenaeus apud EVSEBIVM,[t] eum commentum esse aeonas inuisibiles refert, eas in spatio supramundano iam in oratione hac posuit, eo tantum discrimine, vt ad explicandam rerum in mundo γένεσιν non nisi vnam, λόγον siue δύναμιν, adhibuerit. Quod vero matrimonium pro fornicatione, teste eodem, habuerit, si modo recte intellexit Irenaeus, ex eo enatum est, quod generationem ad animae lapsum poenamque referret, et animae inclinationem in corpus, veluti in materiam omnis mali caussam, diceret, quod vbique in hac oratione spargit. Neque miramur, quod CLEMENS ALEXANDRINVS [u] de Tatiano refert, eum veterem et nouum hominem aliq, ac orthodoxi facere solebant, modo distinxisse. Idem enim in ista oratione fecit, cunctaque ad hominem πνευματικὸν, σαρκικὸν καὶ ψυχικὸν, qui Valentinianorum creatura fuit, retulit. Neque magnopere a placitis suis in hac oratione propositis abiit Tatianus ad Valentinianos transiens, cum, teste HIERONYMO [x], veritatem humanae naturae in Christo negaret. Eam enim tribuere λόγῳ non poterat, quam ex tam mala origine progressam statuebat. Immo tota Encratitarum haeresis, quae Tatiano auctori tribui solet, eo fundamento nititur, quod Θ. XLVI et XLVII Tatianus expressit. Cum enim nudandam a materiae contagio corporisque vinculis et impedimentis animam, adhuc

t) H. E. L. IV. c. 29. u) Strom. L. III. p. 335. seq. x) De S. E. c. 29.

orthodoxus poſtularet, facile fuit haeretico, continentiam, ſiue ἐγκράτειαν talem commendare, quae a matrimonio contrahendo, eſuque ἐμψύχων more Orientali philoſophiae recepto et Platonicis quoque recentioribus vſitato [y], vt ſupra iam monitum, abſtineret: qua in re, ſi modo vera ſunt, quae ex Irenaeo EVSEBIVS [z] refert, nouam haereſin non condidit, ſed communem horum hominum, qui ex hac ſecta continentiam philoſophicam ſectari cupiebant, morem legis inſtar iniunxit. Reliqua, quae iis tribuit EPIPHANIVS [a], valde nobis ſuſpecta ſunt, praeſertim quando dicit, Encratitas plura principia, et inter haec diabolum, quoque poſuiſſe. Id enim toti ſyſtemati emanatiuo, quod amplexus eſt Tatianus, aduerſum eſt, et veriſimile, Epiphanium, qui haeretica ſyſtemata ex philoſophia Orientali progreſſa non intellexit, inque iis explicandis nec fidem nec iudicium ſatis probauit, perperam hoc iis tribuiſſe.

Platonica ſecta ſeculo II. inter Chriſtianos valde celebris.

§. IV. Non ſolus vero Iuſtinus Martyr et Tatianus ex ſeculi ſecundi doctoribus in hiſtoria philoſophica notari merentur, ſed et alii fuere, qui cum in iuuentute philoſophiam Platonicam eo tempore magna celebritate vbique, maxime Alexandriae, perſonantem, variaque ratione ad placita Orientalia et Aegyptiaca reformatam, atque modificatam didiciſſent, ad ſacra Chriſtiana conuerſi, eius quidem profeſſioni renunciarunt, cum philoſophorum tamen habitu, (vt Ariſtidis [b], Iuſtini [c], Athenagorae exemplis conſtat [d]) ea quoque dogmata retinuerunt, quae Hebraeis deberi, et velut ab iis profecta Chriſtianis vindicanda eſſe cenſuerunt, quaeque et gentilibus et haereticis mira ſomnia venditantibus felici ſucceſſu opponi poſſe credidere. Id quod nemo mirabitur, qui cogitauerit, quod *ſecundo Tomo* demonſtrauimus, Platonicam ſectam, intercidente Academia noua, caput, circa nati Seruatoris tempora maxime in Aegypto, vehementer extuliſſe, multosque nactam eſſe aſſeclas, magnaque auctoritate fuiſſe gauiſam, praeſertim vbi theologiae, quae tum inualeſcebat, gentili ex Oriente ad Aegyptios perlatae fuiſſet attemperata. Valde hoc conatibus ſuis PP. a Platoniſmi accuſatione, dicta apologia liberandi obſtare vidit FRANC. BALTVS [e]: vt itaque felicius in aſſerto ſuo confirmando: patres Platoniſmo non fuiſſe deditos, verſaretur, haec omnia neganda ſibi putauit. Qua in re vtrum magis viri cetera docti ignorantiam, vel audaciam et impudentiam in re tam manifeſta mirari debeamus, ambigui haeremus. Quamuis autem ſine refutatione ineptam hypotheſin dimittere liceret, eo quod contraria veritas *Tomo ſecundo* luculenter demonſtrata ſit, audiemus tamen rationes eius, ne non auditis illis nos eum damnauiſſe videamur. Vrget nempe et phaleratis, more ſuo, verbis clamat: I. In ſcholis Chriſtianorum ſeculis primis,

y) Vid. PORPHYRIVS περὶ ἀποχῆς.
z) loc. cit.
a) loc. cit.
b) HIERONYM. S. E. c. 20.
c) IDEM c. 33. EVSEB. H. E. L. IV. c. 11.
d) Conf. SALMASIVS ad TERTVLL. de pallio p. 68. DODWELLVS ad fragm. PHIL. SIDETAE p. 496.
e) Defenſe des SS. Peres L. I. toto.

mis poſt C. N. viuentium philoſophiam gentilem neminem docuiſſe, multo magis doctores eam refutauiſſe, eiusque horrorem et abominationem Chriſtianis excitauiſſe. Hanc ſcholae catecheticae, quae Alexandriae fuit, Origenisque, Heraclis, Pantaeni et Clementis in ea docentium conſuetudinem fuiſſe, qui philoſophiam gentilem ideo tantum didicerint, vt eo melius eam refutare poſſent, nec eius ſtudium, et profeſſionem illis fuiſſe obiectam: II. Habuiſſe quidem Chriſtianos Alexandriae ſcholas, etiam philoſophicas, nempe Ammonium, Origenem et Anatolium, eos vero nullae ſe ſectae addixiſſe, ſed Ammonii illuſtris philoſophi Chriſtiani, exemplo gentilem philoſophiam ex Chriſtiana emendauiſſe; Origenemque ideo diſcipulos monuiſſe, ne vlli ſe ſectae addicerent. Idem quoque vehementer commendauiſſe Clementem Alexandrinum, Lactantium aliosque, eo quod ſectas philoſophicas fulcra eſſe gentilis theologiae crederent, quae vero melius ab iis dicta ſint, Hebraeis Chriſtianisque, tanquam furto ſurrepta vindicarent. III. Exiguam inter gentiles quoque fuiſſe, et reſpectu ad ceteras ſectas habito, fere nullam famam et auctoritatem ſectae Platonicae primis iſtis naſcentis eccleſiae ſeculis. Multoties enim immutatam fuiſſe Academiam poſt vltima conditoris fata, exoriente vero Chriſtianiſmo eam prorſus intercidiſſe, et a Plotino demum reſtauratam eſſe. Idque patere ex Stoicae ſectae, numero auctoritate et flore, quae ſola fere in orbe Romano regnauerit. IV. Chriſtianos vero qui ex ſcholis gentilibus ad fidem puriorem tranſiuerint, rhetorum, non philoſophorum, praecipue Platonicorum, ſcholas frequentauiſſe, plerosque autem iuuentutem a ſcholis philoſophorum ob impietatem dogmatum arcuiſſe. Hi arietes ſunt, quibus rem tot hiſtoriae veteris teſtimoniis confirmatam euertere ſe poſſe credit Baltus. Cui generali quadam reſponſione obuerti poteſt, non aduertiſſe animum diſputatorem nimis ferocem et inſultantem aduerſariis ad ſtatum quaeſtionis. Supra enim iam monuimus, eos, qui Platoniſmum inter Chriſtianos ſeculorum trium priorum ſtatuunt, non hoc ſibi velle: didiciſſe Chriſtianos et docuiſſe iterum philoſophiam Platonis ſectariam, eamque ſectam fuiſſe profeſſos; ſed de eo tantum contendere; et tenuiſſe eos Platonis dogmata et multa ex iis ſibi vindicaſſe, et opinione ὀρθοδοξίας ad Chriſtiana dogmata, ea retuliſſe, ita vero is labem intuliſſe haud vulgarem. Hoc vero ne ipſe quidem Baltus negare potuit, et de ſolo tantum Platoniſmi nomine, quatenus ſectae profeſſionem innuit, diſputat, ſicque cum laruis pugnat, aëremque verberat. Sed ipſe quoque arma ſubminiſtrat Baltus, quibus inepta retundi poteſt opinio. Fatetur enim patres ſyſtemata philoſophorum gentilium didiciſſe, vt ea refutare poſſent, eoque fine illa quoque in ſcholis docuiſſe: id quod ſatis clare docet, falſum eſſe, quod contendit, nullam tunc Platonicam doctrinam in Chriſtianos perſonuiſſe. Dum vero ea affert, quae nihil prorſus ad rem faciunt, ſatis prodit, andabatarum more eum dimicare. Parum enim refert, vtrum in ſchola

Alexandrinorum catechetica philoſophia gentilis fuerit propoſita nec ne, cum alio loco et occaſione, inque ipſis gentilium philoſophorum phrontiſteriis id fieri potuerit, ſchola quoque catechetica alium longe ſcopum habuerit. Docuiſſe vero ipſos Chriſtianos philoſophiam gentilem, ipſe Baltus Ammonii, Origenis et Anatolii exemplo probat, ſicque ſua ipſe vineta caedit. Minime vero ferri poteſt, quod de Platonica ſecta tantum non intercidente circa illa tempora veteris philoſophicae hiſtoriae parum gnarus differit. Aperte enim Academiam ſecundam et tertiam cum prima reſuſcitata vel potius cum noua Platoniſmi reformati ſecta confundit, nec cogitat tot illuſtres Platonicos, quos *Tomo ſecundo* ante ſectae eclecticae natales vixiſſe et floruiſſe demonſtrauimus; inepte quoque Ammonii et Plotini ſcholam Platonicam non fuiſſe aſſerit, quod tamen

Et pueri norunt, et qui nondum aere lauantur.

Vt tamen Baltum PP. tantum auctoritate pugnantem retundamus, AVGVSTINVM ei opponimus, ita ſcribentem[f]: *Cum ſucceſſores Platonis Academici appellarentur, recentiores tamen philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt ſe dici Peripateticos aut Academicos, ſed Platonicos. Ex quibus ſunt valde nobilitati Graeci, Plotinus, Iamblichus, Porphyrius: in vtraque autem lingua Graeca et Latina Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis.* Auguſtino iungimus ZACHARIAM MITYLENAEVM [g], qui ita: Καλῶς, εὖ ἑταῖροι τῇ σοφῇ Πλάτωνος τὰς δόξας ἀνασκευάζειν ὑμεῖς μεμαθήκατε· καί ταγε μαθητικῇ αὐτῷ ἐπαγγελλόμενοι, καὶ Πλατωνικοὶ προσονομάζεσθαι πρὸ τῶν ἀνθρώπων γλιχόμενοι. *Bene o amici, ſapientis Platonis ſententias conuellere didiciſtis, etſi vos eius diſcipulos profitemini, et Platonici audire apud homines expetitis.* Alia allata a cel. MOSHEMIO [h], cum haec ſufficiant, breuitatis cauſſa praeterimus, ex AVGVSTINO [i] monentes: *Hos philoſophos appellatos Platonicos, a Platone doctore vocabulo deriuato, nullum, qui haec vel tenuiter audiuit, ignorare.* Quae hoc quoque loco Balto dicta ſint. Hos igitur, vt IDEM Hipponenſium doctor [k] ait, reliquis antepoſuerunt patres, et Chriſtianis propinquiores faſſi ſunt, ideoque cum ſecum ſentire crederent, eorum φιλοσοφέμενα ad Chriſtianam ciuitatem traduxerunt. Quod, licet non ſine fructu in diſputationibus contra philoſophos gentiles et haereticos κατ' ἄνθρωπον inſtitutis fieret, idem tamen contraxit viris reliquis piis, qui in hoc ſtadio cucurrerunt, malum, quod in Iuſtino notauimus, vt vel ipſa philoſophemata Platonicorum myſteriis ſacris temere immiſcerent, vel Platonicas tamen phraſes, et philoſophandi modum iis incaute accommodarent.

§. V. In-

f) De C. D. L. VIII. c. 12. et VIVES ad h. l.
g) De opificio mundi p. 189.
h) De turb. per Platonicos eccleſia §. 10. Diſſ. H. E. p. 109.
i) loc. cit. c. 1. Nec obiici poteſt, haec ad ſolos Plotini diſcipulos pertinere. Contrarium enim euincit Apulcii exemplum, quem Platonicum ſe haberi voluiſſe er talem quoque habitum eſſe, ſuperiori tomo oſtendimus.
k) loc. cit. c. 9.

§. V. Inter hos ſeculi ſecundi doctores, quibus non diſplicuit Platonis philoſophia, quamuis Platonici non eſſent, THEOPHILVS ANTIOCHENVS eſt, parentibus gentilibus ortus. Qui cum in omni ſecularis eruditionis genere fuiſſet verſatiſſimus, omnesque philoſophiae et theologiae angulos perreptauiſſet, tandem de vanitate gentilis ſuperſtitionis conuictus, deque veritate religionis Chriſtianae perſuaſus, illa deſerta ad huius caſtra confugit, et circa A. C. CLXVIII Antiochenae eccleſiae praeſul datus eſt. Is cum amicum haberet Autolycum hominem gentilem, at eruditum, et librorum heluonem, veritatis autem cupidiſſimum, doctrinam illi Chriſtianam demonſtrare veram eſſe, gentilem vero ſuperſtitionem innumeris ſcatere abſurditatibus, aggreſſus eſt [l]. Id quod haud infeliciter exſecutus eſt vir varia eruditione ornatiſſimus, et diſciplinae philoſophicae non ignarus. Sunt tamen in eo quaedam, quae ſatis demonſtrant, Platonicam eum philoſophiam adamaſſe, et eam quoque certis in dogmatibus Chriſtianis placitis accommodauiſſe. Id imprimis in doctrina de λόγῳ factum eſt, de cuius ex patre generatione, et in condendo mundo opere Platonice diſſeruit. Ita enim inter alia de iſto myſterio [m]: *Iam primum omnium vno conſenſu docuerunt nos, Deum ex nihilo omnia creaſſe. Nihil enim cum Deo floruit, ſed cum ipſe ſibi locus eſſet, nullius indigens, et ante ſecula ſubſiſtens, voluit hominem, a quo cognoſceretur, condere. Huic igitur praeparauit mundum. Hic factus ac proinde egens eſt; ille vero infectus nullius rei eget. Deus igitur in ſuis viſceribus λόγον habens, ipſum vnà cum ſua ſapientia, proferendo genuit ante haec vniuerſa. Hunc λόγον adminiſtrum habuit operum ſuorum, et omnia quae condidit, per ipſum fecit. Hic principium dicitur, quia dominium habet in omnia, quae per ipſum facta ſunt. Hic igitur exiſtens ſpiritus Dei, principium et ſapientia, altiſſimique potentia, deſcendit in Prophetas, per quos tam de mundi creatione, quam de reliquis omnibus locutus eſt. Non enim erant Prophetae, cum mundus crearetur, ſed ſapientia Dei, quae in ipſo eſt, et λόγος eius ſanctus, qui ipſi ſemper adſuit.* Grauem ob haec verba dicam ſcripſit Theophilo DIONYSIVS PETAVIVS [n], eo quod in Platonicorum errore haeſiſſe illum putaret. Quem vero magno apparatu defendere aggreſſi ſunt eruditiſſimi viri NIC. LE NOVRRY [o] et GEORGIVS BVLLVS [p], qui ſatis acriter eam ob rem in Petauium inſurgit. Nobis ea hoc loco prouincia data haud eſt, vt, quid de Theophili doctrina ſtatuendum ſit, exponamus, et argumenta partis vtriusque excutiamus, hoc enim ad theologiam patrum criticam

Theophili Antiocheni philoſophia.

l) Videnda, quae doctiſſimi editores Theophili Io. FELLVS et Io. CHR. WOLFIVS ad editiones ſuas praefati ſunt.

m) L. II. §. 14. p. 118. ed. Wolfii.

n) Dogm. theol. T. II. de Trin. L. I. c. 3. §. 6. cuius veſtigia more ſuo preſſit SANDIVS Nucl. Hiſt. Eccl. p. 90. qui ὁμοψήφους adducit Centuriatores, Eraſm. Brochmandum, Abr. Sculteum, Gerhardum, Mornaeum et HVETIVM Origen. L. II. c. 2. q. 2. §. 10.

o) Apparr. ad Bibl. max. PP. T. II. diſſ. IV. c. 3. p. 491. ſeqq.

p) Defenſ. fidei Nicaenae Sect. II. c. 4. p. 122.

ticam, quae praecipuum hiſtoriae ſacrae caput conſtituit, pertinet. Id vero hoc loco monendum eſt, ſi inſtituti huius legibus parere velimus, verba Theophili ſi cum ea doctrina, quae de mundo λόγου miniſterio facto ſeculo ſecundo paſſim perſonuit, comparentur, et Platonicorum iuniorum hypotheſes, de λόγῳ, quas Chriſtianis proximas eſſe iudicabant patres nonnulli incauti, ſimul conferantur, magna nobis veriſimilitudine perſuadere, quod Platonice Theophilus, ſi non ſenſerit, certe ſcripſerit, eas locutiones adhibendo, quae tunc Platonicis magis familiares fuere, quam Apoſtolis apoſtolicisque viris. Et fatetur ipſe quidem doctiſſimus BVLLVS, in eo loco τῷ λόγῳ et filio Dei generationem quandam a Theophilo tribui, quae creationem mundi paulo anteceſſit; excuſari autem defendique Theophilum contendit, eo, quod eam generationem intelligat, non quae ſit perſonae prius actu non exiſtentis, ſed eius, quae ſemper apud patrem ab aeterno extitit, quaeque adeo metaphorice et figurate, non proprie intelligi debeat. Non diſputabimus hoc loco, vtrum recte Theophilo tribuatur, quod ὑπόςασιν τοῦ λόγου in patre diſtincta ratione ab aeterno extitiſſe docuerit? qui λόγον ἐνδιάθετον eum vocat, eumque tum demum factum eſſe προφορικὸν dicit, cum condendi eius opera mundi conſilium Deus cepiſſet; nec vrgebimus vocem ἐξερευξάμενος, qua generationis actum Theophilus indicat, plus dicere, quam metaphoricam quandam generationem, vel, exiſtentiam λόγου in patre non inferre ὑπόςασιν peculiarem, ſed δύναμιν tantum, immo contraria ſenſiſſe Theophilum, vltro largiemur. Hoc tamen nemo, a praeiudicio auctoritatis liber diffitebitur, Theophilum mere Platonice de tanto myſterio, ſcriptura non praeeunte, ſcripſiſſe et locutum eſſe, ſine dubio, vt Autolyco, homini gentili et in Platonicorum ſcriptis verſato, perſuaderet, ea apud Chriſtianos tradi, quae inter ipſos gentiles oculatiores iam vidiſſent. Id quod nobis ſufficit ad demonſtrandum, Platonica Theophilum nonnulla non ſatis ſobrie ad explicanda diuina myſteria adhibuiſſe. Quamquam Arianiſmi Theophilus accuſari non poſſe videatur. Placet doctiſſimi Operum Damaſceni editoris MICHAELIS LE QVIEN [q] modeſtia, ita de hoc Theophili loco pronunciantis: *Haec plane accurata non ſunt. At ſufficiebant, vt homini gentili rudiori ſtilo ex Platonicorum placitis myſterium hoc delinearet, verique ſimilitudinem ei conciliaret. Verum procul abeſt tum ab Arii tum a Sabellii impietate. Non enim duplex verbum poſuit, vt putauit* Petauius, *ſed vnum idemque, quod intimum eſſet et prolatum,* τοῦτον τὸν λόγον *hoc ipſummet verbum, inquit, ſic prolatitium genuit, vt illud ſecum perpetuo, conuerſans habeat* [r]. *Arius e contra docuit per verbum interius, ſapientiam-*

q) Ad Damaſcen. T. I. p. 151. ſeqq.

r) Recte hoc et conuenienter ſyſtemati Alexandrino, Orientali et Cabbaliſtico dicitur: λόγον, πρωτότοκον, Adam-Kadmon, δύναμιν τοῦ Θεοῦ, quae prius in ipſo Deo latuerat, tum ex eo emanando progreſſam eſſe, cum condendi mundi conſilium cepiſſet. At haec Chriſtiana non ſunt, licet Arianam et Sabellianam quoque ſententiam non exprimant.

tiamque Dei creatum e nihilo esse verbum illud, quo velut instrumento vniuersum hoc conderetur. Sed et Sabellium ferit, dicendo, verbum istud ex Deo esse genitum, primogenitum omnis creaturae, Dei administrum, qui assumta patris persona in paradisum venerit, et cum Adamo collocutus sit. Ex initio Euangelii secundum Ioannem concludit; verbum, cum sit Deus, ortumque sit ex Deo, quandocunque vult vniuersorum pater, ab eo mitti ad quemuis locum, eoque cum venerit, et audiri et videri. Eiusmodi profecto locutiones, gigni, ortum habere, mitti, venire, videri, audiri, in loco reperiri, non nudam ἐνέργειαν operationum, sed rem in se subsistentem indicant. Quamobrem si quis error ex hoc Theophili loco inferatur, ille saltem nec Sabellianicus nec Arianicus fuerit. Quae sobrie satis et modeste monentur, caute tamen accipienda esse, docent, quae Platonice de hoc mysterio Theophilus dixerat. Qui, vt verisimile, sufficere putauit, si demonstraret Autolyco, quod Platonismum iuniorem secutus negare non posset, λόγον ab aeterno inesse Deo, tanquam rationem essentialem in eo subsistentem, vbi autem mundi condendi consilium Deus cepisset, eum ὑπουργον voluntatis suae progredi ex essentia sua iussisse, id est, verbum hoc protulisse. Quae emanationis systemati supra explicato affinia magis sunt, quam Christiano, a Theophilo vero ad instruendum tantum hominem gentilem adhibita videntur, vt alios quoque patres ad haereticos et gentiles refutandos Platonicis placitis suas demonstrationes accommodasse constat. Verum de his in theologorum scholis plura.

§. VI. Potiori adhuc iure inter huius seculi philosophos refertur ex doctoribus hac aetate viuentibus ATHENAGORAS, quem cetera satis obscurum oblata imperatori *Apologia pro Christianis* et liber *de Resurrectione carnis* fecit celebrem. Quamuis pauciſſima sint, quae de eius rebus vitaeque circumstantiis veteres referant, ex eius tamen scriptis nouimus [s], Athenis natum inter philosophos sui temporis iuuentutem exegisse. Id enim philosophi nomen, quod is ad Christianos transiens retinuit, euincit. Cum autem more illius aetatis, conuersus ad puriora sacra, non nomen tantum, sed et habitum philosophi seruauerit, recte inde colligimus, a philosophiae studio eum non totum abstinuisse Christianam fidem amplexum, sed nomen illud atque industriam suam transtulisse ad sanctiora dogmata, habitu philosophico exornata [t]. Id quod eo magis fieri potuit, cum et habitus philosophorum esset modestissimus, et nomen summa auctoritate fulgeret, sicque Christiani doctores sperarent, gentiles huius nominis obtentu et sapientiae secularis opinione faciliores aures ipsis esse largituros. Cum autem eius temporis philosophia tota, quod

Athenagorae philosophia.

s) Omnia, quae ad huius doctoris historiam literariam pertinent, diligenter collegit ANDR. POLYC. LEYSERVS pec. diss. de Athenagora philosopho Christiano. Lipsi. 1736. 4.

t) PHIL. SIDETA, cuius fragmenta edidit. H. DODWELLVS p. 496.

quod nomen et profeſſionem attinet, fuerit ſectaria, quoad philoſophandi autem methodum ſyncretiſtica, Athenagoras autem omnium fere ſectarum exploratorem ſe quidem praeſtiterit [w], maxime tamen Platonicis dogmatibus fauerit, facilis inde quoque coniectura eſt, cui ſe ſectae addixerit, cum adhuc in philoſophorum commilitio haereret. Accurate autem philoſophari eum didiciſſe, elegantiſſima magnaque et iudicandi acie et dicendi facundia conſcripta Apologia docet, [x] in qua melius plerumque ceteris apologiarum ſcriptoribus argumentatur, et fundamentales Graecorum philoſophorum errores in apricum producit atque ita refutat, vt pateat, et accurate eos illum tenuiſſe, et fontes eorum atque abſurditates perſpexiſſe. Quibus tamen omnibus opponit non modo rationes philoſophicas, ſed potiſſimum fidem quoque diuinam, vatumque diuinitus inſpiratorum auctoritatem, quam appoſite ex ipſo quoque Platone teſtimonio petito roborat. Ex quibus intelligi poteſt, quid de opinione Cel. MOSHEMII ſtatuendum ſit, qui Athenagoram primum inter Chriſtianos fuiſſe coniicit, qui Eclecticum philoſophandi genus in Eccleſiam introduxerit. Nobis, pace viri magni, Athenagoras non quidem primus fuiſſe videtur, qui hanc ſyncretiſticam philoſophandi methodum in Aegypto enatam, et in ſcholis Platonicorum receptam, ſcholis Chriſtianorum intulit, talem enim ſentiendi et confundendi dogmata morem iam in Hermae paſtore, qui antiquior eſt Athenagora, obſeruamus, inter primos vero fuiſſe eo facilius largiendum eſſe putamus, quo magis veriſimile eſt, habitum et profeſſionem philoſophi, quam ad ſacram Chriſtianorum fidem translatus ſeruauit Athenagoras, multum auctoritatis illi inſtituto attuliſſe. Ita vero, dum Eclecticum concedimus, non negamus, ſecutum eum fuiſſe placita Platonica. Eos enim omnes, qui Platoniſmi nuper in Aegypto reformati ſectatores ſe praebuerunt, eiusmodi ſyncretiſticam philoſophandi methodum ſecutos fuiſſe, ſuo loco probauimus. Fatendum tamen, caſte magis ea in re atque ſobrie verſatum fuiſſe Athenagoram, et quae in diuerſis ſectis in vno conuenire viderat, ſecundum diuerſorum tamen principiorum ſenſum explicuiſſe. Id quod egregio ſpecimine docuit, vnitatem Dei ex ipſis quidem Platonis, Ariſtotelis atque Zenonis ſyſtematibus demonſtrans, ſimul autem oſtendens, quo quisque ſenſu Deum definiuiſſet, accurate etiam exponens, quo momento Chriſtiana diſciplina, illis longe ſublimiora et perfectiora afferens, a philoſophorum gentilium praeceptis differret. Qua in re eo accuratiorem eum eſſe oportuit, quod ad imperatorem M. Aurelium Antoninum diceret [y], quem in omni Graecanica philoſophia inſtitutum fuiſſe ſuo loco docuimus,

w) Probat id Athenagorae Apologia, bonae frugis ex Graecanica philoſophia plena, ipſeque hoc ſtudium omnes ſectas explorandi laudat in imperatoribus p. 6. ed. Paris.

x) De turbata per recentiores Platonicos eccleſia §. 4.

y) Ita enim in inſcriptione Apologiae: „Imperatoribus Marco Aurelio Antonino, et L. „Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis „ſummisque philoſophis.“ Vbi quantae lites de illo Commodo ſint, aliis pro L. Vero, aliis pro Commodo filio Antonini certantibus, in H. L. enar-

docuimus, et ipſe Athenagoras teſtatur [z]. Quamuis autem ſatis perſpicacem ſe in hac gentilis et Chriſtianae philoſophiae comparatione Athenagoras probauerit, non potuit tamen communem ſeculi ſui naeuum effugere, vt non ex iſta Platonica vel Eclectica philoſophia quaedam ſacris dogmatibus aſſueret, quae ferri vix poſſunt. Quod vt ſuo iudicio vſus intelligat Lector, potiorum placitorum philoſophicorum Athenagorae ſyllogen, quantum inſtitutum noſtrum, arctos nobis limites ponens, permittit, hoc loco exhibebimus. Ita enim, cum philoſophi nomen inter Chriſtianos quoque ſeruauerit Athenagoras, luculento exemplo conſtabit, qua ratione Chriſtiani hoc ſeculo philoſophati ſint. Solam autem conſiderabimus, breuitatis cauſſa, Apologiam, quamuis de reſurrectione quoque ſubtiliſſime philoſophatus dignus ſit, qui reſpectu habito ad Graecorum de partibus corporum eſſentialibus, formisque rerum materialium ſententiis diligenter audiatur, examineturque: id quod tamen hoc loco prolixum nimis, iisque relinquendum eſt, qui Athenagorae philoſophiam ex inſtituto enarrant [a]. Ita vero philoſophus elegantiſſimus, et Atticam eloquentiam cum acumine philoſophico mire iungens:

I. Deus ingenitus eſt, generari enim non poteſt, id quod eſt, ſed quod non eſt [b].

II. Deus inuiſibilis loco nullo includi poteſt, nec aliter quam ſola mente ac ratione comprehendi, qui pulchritudine, ſpiritu et potentia ineffabili continetur [c].

III. Eſt Deus ſibi omnia, lux inacceſſa, mundus perfectus, ſpiritus, potentia, verbum [d].

IV. Deus ingenitus, et ea, quae ipſius ſunt, ita mundum excedit, vt impleat vndiquaque, quicquid ſupra ipſum eſt, nec locum vllum ſe vacuum relinquat.

V. Deus ingenitus et impaſſibilis, nullam diuiſionem admittit, neque ex partibus conſtat [e].

VI. Deus a materia ſeparandus eſt, aliud enim eſt materia, aliud vero Deus, alia vero quam plurima in medio partim materiae, partim Deo propiora [f].

VII. A principio Deus, qui eſt mens aeterna, ipſe in ſe ipſo λόγον habet, cum ab aeterno rationalis ſit [g],

L. enarrari ſolet, nec huius loci eſt. Nobis ideo poſterior ſententia arridet, quod diſerte Athenagoras p. 17. dicat: ὡς γὰρ ὑμῖν πατρὶ καὶ υἱῷ πάντα κεχείρωται. „Vt vobis patri et „filio in poteſtate ſunt omnia.“ Verus autem frater non filius fuit. Nec obſtat, quod diſſentientes obiiciunt: Commodum vita turpiſſimum philoſophum nunquam egiſſe. Athenagoras enim, cum patrem cum filio alloqueretur, in argumento philoſophico recte nomen, quod Aurelius affectabat, ad vtrumque, captandae beneuolentiae cauſſa, tranſtulit, cum talem filium ſuum Marcus vellet, eumque, teſte Herodiano, ab optimis philoſophis inſtitui curaret. Dubium itaque non eſt, Commodum, viuo parente, philoſophiae amorem ſimulauiſſe.

z) Apol. pro Chr. p. 6.

a) De philoſophia Iuſtini M. et Athenagorae Diſſ. edidit Cl. RAV nobis non viſam.

b) Apol. pro Chr. p. 5.

c) p. 10. d) p. 25.

e) p. 26.

f) p. 5.

g) p. 10.

VIII. Filius Dei eſt λόγος patris in idea et efficacia (ἐνεργείᾳ) ab ipſo enim et per ipſum facta ſunt omnia, cum pater et filius vnum ſint.

IX. Primigenia haec eſt patris progenies, quae non vt facta, ſed vt cunctarum rerum idea foret, progreſſa eſt [h].

X. Hac idea indigebat materia informis, ſiue illa natura, quae ſe ſubiectum formandum praebebat, quae confuſa inter ſe adhuc nec dum diſcretis craſſioribus ab eis, quae leuiora erant, digeri perficique opus erat [i].

XI. Hoc Dei verbo facta ſunt omnia, eius quoque ſpiritu continentur (συνέχεται) [k].

XII. Plato excelſo animo mentem aeternam et ſola ratione comprehendendum Deum eſt contemplatus, nempe id, quod vere eſt ens, et quod eſt vniforme, porro quod ab eo emanat (ἀποχεόμενον) bonum, hoc eſt veritatem, deque poteſtate ſuprema diſſeruit, et quod circa regem ſint omnia bona, et omnia ipſius gratia, quodque ipſe ſit cauſſa omnium, et rebus omnibus adſit [l].

XIII. Angelos opifex et architectus mundi Deus verbo ſuo tanquam in claſſes ordinauit, centuriauitque, vt elementa, coelos, mundum, et quae in mundo ſunt, vicesque et ordinem omnium moderarentur [m].

XIV. Idcirco Deus angelos creauit, vt rebus a ſe digeſtis prouiderent, quamuis enim ipſe vniuerſali ſua et communi prouidentia vniuerſis prouideat, particularem tamen rerum ſingularium, quae cuique fuerint commiſſae, curam angelis impoſuit [n].

XV. Pulcherrimus eſt mundus, nam et magnitudine excellit, et ordine et pulchritudine eorum, quae in eo ſunt [o].

XVI. Elementa quamuis pulchra ſint propter artificis artem, a materiae tamen natura non degenerant [p].

XVII. Dei bonitati, quae ei adiuncta copulataque eſt, vt corpori color, ſpiritus materiae adhaerens aduerſatur [q].

XVIII. Spiritus tamen ille a Deo ipſe creatus eſt, vt reliqui angeli, et materiae eiusque formis adminiſtrandis praefectus [r].

XIX. Angeli libertate vſi alii vltra boni manſerunt, et fideles in munere, alii res ſibi concreditas contumelioſe tractarunt et praeter officium ſe geſſerunt.

XX. Eorum princeps, materiae eiusque formarum conſtitutus praeſes, et alii ex illis, qui circa mundi primum fundamentum erant.

XXI. Hi et libidine in virgines et carnes, princeps vero nequitia, negligentia et improbitate circa procurationem ſibi creditam peccauit.

XXII. Angeli cum coelo excidiſſent, circa aërem et terram obuerſantes non amplius ſupra coelum euehi potuerunt, vt et animae gigantum,

h) Apol. pro Chr. pag. 14.
i) p. 5.
k) p. 26.
l) p. 14.
m) p. 27.
n) p. 15.
o) p. 16.
p) p. 26.
q) p. 27.
r) p. 28.

tum, adeoque daemones circa mundum oberrant, et Dei procurationi se opponunt.

XXIII. Quamuis ratiocinandi vis eadem et communis sit omnium, vnusquisque tamen, prout partim ingenio suo inclinat, partim a principe materiam obtinente, et affectis eius, malis geniis afficitur, alius aliter fertur moueturque [s].

XXIV. Genii qui ad idola pertrahunt, ii sunt, qui sanguine victimarum gaudent, easque lambunt.

XXV. Irrationales et phantastici circa opiniones motus alias alia idola siue spectra partim a materia trahunt, partim ipsimet sibi fingunt, et pariunt. Et hoc tunc maxime in animam cadit, quum spiritum materialem in se admisit, eique vnione quadam permissa est: quod fit, quum non ad coelestia eorumque conditorem, sed deorsum ad terrestria respiciens tota ad terram declinat, nihil aliud quam sanguis et caro, non amplius spiritus sincerus [t].

XXVI. Quum autem mollicula et flexibilis anima rudis et expers sanae doctrinae, quae nec veritatem est contemplata, neque patrem et opificem vniuersorum cogitatione complexa, fallis ipsa de se opinionibus fuerit imbuta, daemones illi materiae dediti, nidoris et sanguinis victimarum auidi et hominum impostores, per falsos illos et vanos in vulgi ac imperitorum animis motus imaginationes quasdam tanquam ab idolis et simulacris profectas eis infundunt.

XXVII. Hac mortali defuncti vita, alteram hac terrestri longe meliorem, nempe coelestem victuri sumus.

XXVIII. Recte praecipiunt philosophi, qui de rebus intellectualibus et sensibilibus aliquid prodiderunt, corpora subtilissima et intellectu tantum percipienda priora antiquioraque illis esse, quae sensu percipiuntur [u].

XXIX. Ex principiis illis et elementis intellectualibus, vnde ab initio concreta sunt corpora, rursus postquam dissoluta fuerint, coalescere et constitui denuo quid prohibet?

Potiora haec ex multis sunt in Athenagorae Apologia, ad quae respiciendum illis esse putamus, qui de philosophia eius iudicium formare cupiunt accuratum. Et subtiliter quidem in his omnibus ratiocinari Athenagoram, adeo vt philosophum professione talem facile sentias, omnino fatendum est. Aft luculenta quoque his inesse Platonicae philosophiae in Aegypto reformatae et ad Christiana dogmata translatae vestigia, Platonismi huius vel mediocriter gnarus intelliget. In plerisque enim his assertis et locutiones Platonicae et opiniones respiciuntur. Placuit enim huic sectae, Deum sola mente intelligi, esse Deum lucem inaccessam et mundum omnia in se continentem, sibique locum existentem, et a materia separandum qua talem. Esse porro inter Deum et materiam innumeras

s) Apol. pro Chr. p. 29. t) p. 30. u) p. 39.

meras claſſes entium partim materiae, partim Deo propiorum, et ab vtriusque natura participantium. Κυρία δέξα quoque fuit in hac ſchola Deum λόγον, in ſe habere, eo quod ſit rationalis, eſſeque λόγον ab aeterno cum patre, eſſeque illum ideam rerum omnium, et ideo cum ab aeterno in ſinu Dei latuiſſet, effuſum eſſe, atque progreſſum, vt inconditae informique materiae ſe ideam praeberet, eaque, quae non ordinata eſſent, ordinaret. Mundum, quoque dicebant eſſe pulcherrimum opificis artificium, quoad tamen natura eius pateretur, eius quoque partes omnes anima diuina infuſa continere conſtringique. Eſſe quoque dicebant in materia ſpiritum malignum, brutum, refragantem demiurgo. Angelos praecipiebant formandis gubernandisque rebus materialibus praefectos eſſe, et daemones omnes habere corpora intelligibilia coeleſtia, ſubtiliſſima, malos autem circa materiam in aëre craſſo verſantes eam turbare, hominibus illudere, antitheos ſe praeſtare, et inordinatos in animis motus efficere, nidore quoque et ſanguine victimarum veſci, et in hominum leuium et cupiditatibus carnalibus deditorum animis miras illuſiones efficere. Nihil horum eſt, quod non Platonicis Alexandrinis placuiſſe ex vno Iamblicho, allatis eius teſtimoniis demonſtrari poſſet, niſi prolixam eorum doctrinae διατύπωσιν *ſuperiori Tomo* dediſſemus, vnde Lector plura, quae huc pertinent, facili hauriet negotio. At haec omnia ita exprimit Athenagoras, vt clariſſimum ſit, in ſchola eiusmodi eius philoſophiam fuiſſe formatam. Is vero tantum abeſt, vt Platonis nomen refugiat, vt in maximo de Deo et SS. Trinitate myſterio, deque reſurrectione corporum, itemque de ſpiritibus intermediis ad eum potiſſimum auctorem non ſine encomio prouocet. Non negamus tamen, emendauiſſe Athenagoram Platonica dogmata et Scriptura duce refinxiſſe; quale e. g. dogma eſt, de ſpiritu materiae, a Deo creato, qui vero ſua libertate abuſus malus factus ſit. Vtrum autem Athenagoras vbique ſaniorem ſenſum expreſſerit, et annon Platonicorum magis ſubtilitates, quam Scripturae ſimplicitatem ſecutus fuerit, noſtri hoc loco non eſt, definire, et ad hiſtoriam theologiae veteris Eccleſiae pertinet, facile autem ipſe iudicium interponet Lector ſuum, ſi doctrinam Athenagorae, de lapſu, operationeque angelorum expenderit, vt alia ipſamque de λόγῳ doctrinam ad creationem demum ex Deo per emanationem progreſſo taceamus; quam vbi ad orthodoxos ſenſus reuocat BVLLVS [x], oſtendit magis, quam ſignificationem verba eius habere debeant, quam, quem ſenſum fundant [y]. Quanquam hoc loco difficiles eſſe nolumus, ſi quis contendat, Athenagoram melius ſenſiſſe, quam ſcripſiſſe, cum nobis ſufficiat, quod ad imperatores, vt ipſe vocat philoſophos dicendo Platonicos Alexandrinos in φιλοσοφουμένοις ſuis imitari ſibi conſtituerit, vt ita faciles apud eos reperiret aures. Nec alia nobis ratio eſſe videtur, cur materiae

x) Defenſ. fidei Nicaenae l. c.

y) Errorem eius de angelis materiae praefectis, iam notauit PHOTIVS Cod. CCXXXIV. pag. 280.

teriae a Deo creatae mentionem faciat nullam, vel, vt Theophilus Antiochenus fecit, ex nihilo Deum produxiſſe omnia dixerit, niſi, ne nimium imperatorem Stoicae philoſophiae addictiſſimum offenderet. Vnde licet, paſſim more Platonicorum Stoicos pungat, id tamen tacite quaſi et aliud agendo facit, et ſaepe, more Platonicorum iuniorum, eorum opiniones Platonice explicat. Ceterum in morali philoſophia communes ſeculi ſui, naeuos eum ſecutum fuiſſe, paſſim ex eius ſcriptis patet. Nam et vſum coniugis non niſi ad procreationem liberorum extendit, et in coelibatu maiorem ſperari poſſe cum Deo coniunctionem, ait, et ſecundas nuptias decorum aliquod adulterium eſſe ſtatuit [z]. Quas hypotheſes Platonica dogmata redolere dudum viris doctis obſeruatum eſt [*]. Fertur quoque paſſim fabula Mileſia, philoſophicis ſententiis plena ſub Athenagorae nomine. Sed ſuppoſititiam eſſe, paſſim viri docti annotauerunt [a]. Quidam Athenagoram primum catecheticae ſcholae apud Alexandrinos doctorem faciunt, PHILIPPI SIDETAE [b] teſtimonio nixi [c]: ex quo coniicit celeberrimus MOSHEMIVS [d], ad eum introductae in eccleſiam philoſophiae Eclecticae initia referenda eſſe. Verum et illud extra dubium nondum poſitum eſt [e], et nondum euictum, in hac ſchola doctores praeter Chriſtiana dogmata etiam philoſophiam iam tum docuiſſe. Quare eam coniecturam in medio relinquimus, melius, niſi fallimur, facturi, ſi infauſti huius Syncretiſmi epocham ad Origenem referamus, quamuis ab infelici iſto contagio nec Clemens, nec Pantaenus ſibi cauerint, morem Alexandrinum ſecuti.

§. VII. Legitur inter ſcripta quoque doctorum ſeculi ſecundi HERMIAE *irriſio gentilium philoſophorum*, elegans doctumque opuſculum, de cuius tamen neque auctore neque tempore certi aliquid conſtat. Parentem vero id habuiſſe philoſophum quendam ad Chriſtianorum caſtra transgreſſum tota docet tractatio, et ipſa inſcriptio commonſtrat, quae philoſophum Hermiam appellat, quo ab Hermia Sozomeno, Hermia Alexandrino aliisque diſtinguitur. Ille enim non philoſophum ſed hiſtoricum ſe praeſtitit, hic philoſophus quidem fuit, vt ſuo loco dictum, ſed gentilis non Chriſtianus. Digna vero breuis, at erudita tractatio, quae accurate legatur, cum haud inelegans Graecae philoſophiae compendium offerat, multaque habeat, quae dogmatibus Graecorum phyſiologicis de principiis de Deo, et de anima, miram lucem affundunt, et euertendo inepto, *Hermiae philoſophia.*

z) Apol. pro Chr. p. 37.

*) Vid. BARBAYRAC. de la morale des Peres c. 4. §. 33. p. 41. BAYLE Dict. T. I. art. Athenagoras not. E. p. 371. ITTIG. Sel. Cap. H. E. Sec. II. c. III. ſ. 6. p. 228. aliique.

a) Vid. HVETIVS de fabul. Roman. p. 53. CAVE Hiſt. Lit. Scr. Eccl. p. 47. TENZEL. Exerc. ſel. P. I. p. 199. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. V. p. 88.

b) Fragment. l. c.

c) DODWELLVS l. c. inuito SAM. BASNAGIO Annal. T. II. p. 160. aliisque.

d) Suſpendit tamen vir. cel. iudicium de hoc Athenagorae officio in diſſ. de aetate Apolog. Athen. Vol. diſſ. H. E. p. 317.

e) Sunt enim Sidetae fragmenta vel falſae vel negligentis tamen narrationis ſuſpecta, nec fide ſola digna.

inepto, qui ſeculo ſecundo, tertioque longe lateque inualuit, Syncretiſmo aptiſſima ſunt. Vnde bene meriti de philoſophorum hiſtoria ſunt Auguſtani noſtri, Io. Iacobus Fuggerus, Raphaël Sailerus, Hieronymus Wolfius, quorum primus e codice mſc. eum libellum ſubminiſtrauit, ſecundus verſione inſtruxit [f], tertius annotationibus in vſum iuuentutis ex hiſtoria philoſophica petitis illuſtrauit [g]: quam operam quoque praeſtitit vir magnae in veteri philoſophia eruditionis THOMAS GALEVS [h]. Notiori nomine magnisque in rempublicam ſacram meritis inclaruit

Irenaei philoſophia.

IRENAEVS, virorum apoſtolicorum diſcipulus, et non ſacrarum modo literarum, ſed et philoſophiae Graecanicae peritiſſimus, cuius literariam hiſtoriam, qui volent, praeter alios haurient a MASSVETI [i] diligentia, qui egregie de eius ſcriptis meruit. Plurimum operae poſuit doctor eccleſiae vigilantiſſimus, in refutandis haereticorum deliriis, ex Syncretiſmo philoſophiae Orientalis, Aegyptiacae, Platonicaeque, cum dogmatibus Chriſtianis commixtae, quae diligenter recenſuit, fontesque indagare conatus eſt, ob quam rem debitas iam a veteribus laudes retulit, alibi recenſendas [k]. Dolendum tamen, doctorem optimum, et vt pio, pro cauſſa Ieſu Chriſti zelo accenſum, ita eruditione Graeca ſatis inſtructum, philoſophiam Orientalem et Aegyptiacam non intellexiſſe, et ad eius hypotheſes, quod debebat, non attendiſſe, vnde, Gnoſticorum, et imprimis Valentinianorum errores, explorando, labi eo magis debuit, quo magis ad vnum Platoniſmum, certe ad Graecanicarum ſectarum confuſionem pleraque referret, id quod falſum eſſe verasque haereſium illarum origines non pandere ex hactenus dictis conſtat. Facile tamen hoc in viro cetera de doctrina Chriſti meritiſſimo ferri, emendarique ab hiſtoriae philoſophicae accurate perito poteſt. Aſt transtuliſſe eum ex Platoniſmo ſuo tempore inualeſcente et ad iſta placita reformato nonnulla in Chriſtiana dogmata, eaque fuco Alexandrino illeuiſſe, vt eo fortius haereticos confunderet, conſilii magis incogitantia excuſari, quam defendi poteſt [l]. Quamuis autem omnem lapidem mouerit, omnesque ingenii et eruditionis neruos adhibuerit Maſſuetus [m], vt Irenaeum ab obiectis doctrinae naeuis purgaret, eumque rectiora docuiſſe ſenſiſſeque, quam multi indignantur, oſtenderet, adeo tamen manifeſte Platoniſmi Alexandrini veſtigia in nonnullis expreſſit, vt ipſe Maſſuetus negare ea non potuerit, ſatisque eluceat, Irenaeum, de Platonica philoſophia eandem opinionem fouiſſe, quae plerosque patres ſeculi ſecundi in transuerſum egit. Ita enim, vt paucis hos errores tangamus, in hiſtoria critica, veteris

f) Baſil. 1553. 8.

g) Subiunctam tabulae compendioſae Hiſt. phil. a G. MORELLIO Tiliano collectae p. 180. ſeqq. quae editio apud FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. V. p. 97. adiici enarratis debet.

h) Ad calc. Tatiani a GVIL. WHOSTON. Oxon. 1700. 8. editi.

i) In Diſſertationibus ad Irenaeum.

k) TERTVLL. in Val. c. 5. HIERON. ep. 83. EPIPHAN. haer. 31. c. 33. T. I. p. 204.

l) Idem praeter multos iudicium eſt PETAVII l. c. et HVETII Origenian. L. II. c. 2. q. 1. §. 14. p. 38.

m) l. c. §. 59. p. 132.

teris doctrinae Christianae latius explicandos, LXXvirali versioni θεοπνευστίαν tribuit, hocque falso principio ductus, in praeceptis moralibus quibusdam ex Scripturae sacrae explicatione deriuandis, labitur. Contra Gnosticorum quoque, praecipue Valentinianorum, βδελύγματα Platonicis armis, more seculi sui, disputans, errores systematis Alexandrini si non re ipsa, (de quo hoc loco pertinacius contendere nolumus) certe locutionibus docendique et tradendi modo ad mysteria Christiana sanctissima de SS. Trinitate deque λόγῳ transfert. Cuius generis plusscula sunt, quae in Irenaeo notauit DIONYSIVS PETAVIVS [n], et qui more suo eum exscripsit CHRISTOPHORVS SANDIVS [o], quos sequuntur recentissimi nonnulli Christi diuinitatis hostes [p], quae tamen huc transferre omnia instituti non patiuntur limites. Obseruamus tamen, in distinguendis inuicem tribus diuinitatis personis iis vti locutionibus Irenaeum, quae quandam subordinationem dignitatis et auctoritatis atque originis inuoluunt, ad quas imprimis pertinet, quod more aliis quoque huius seculi doctoribus recepto, ὑπερογίαν quandam filio Dei siue λόγῳ in condendo mundo tribuit [q]. Quamuis autem fatendum sit, male in Arianismi recentioris patrocinium ea trahi, cum quae ea de re habet Irenaeus alium longe sensum postulent, quam quem illi diuinitatis Christi hostes affingunt, eo quod et vere esse Deum filium et semper coëxtitisse professus sit [r]: apertum tamen, illum, vt eo melius haereticos retunderet, qui inter λόγον et demiurgum ingens discrimen intercedere statuebant, communibus eos, quod credebat, armis, oppugnando, talia ex philosophia Alexandriae in Platonicorum scholis personante, adhibuisse verba, phrasesque, quae excusari lenirique, nisi nescio quibus machinis violentis sane et arte excogitatis, non possunt. Vnde quod de aliis patribus in hoc luto haerentibus supra dictum, ad Irenaeum quoque applicandum est, non diffitente P. D. HVETIO [s]. Praeter haec et alia sunt manifesta Platonicarum hypothesium ab Irenaeo incaute, admissarum specimina, quae ipse MASSVETVS [t] negare non potuit. Tribuit enim angelis corpus subtile, communi sui seculi praeiudicio inescatus. Sic de anima quoque errores haud leues admisit, ex Platonicis lacunis hausstos nulloque fuco illiniendos. Immortalitatem animae quidem tribui, eam tamen corporalem vel materialem potius esse, habereque illud ἔχημα, quod tantopere deperierunt recentiores Platonici. Vnde statuit animas corporibus solutas figuram hominis habere ac conseruare, vt etiam cognoscantur [u]. Quam opinionem animae materialitatem inferre recte vidit

n) Theol. dogm. loc. cit.
o) In nucleo histor. eccles. p. 91.
p) GVIL. WHISTON in prim. Christ. reuiu. P. IV. art. 7. q. 10.
q) L. III. c. 8. n. 3. L. IV. c. 7. n. 4. c. 38. n. 3.
r) L. II. c. 30. n. 9. p. 163. c. 25. n. 8. L. III. c. 4. n. 1. haec vero Arianus nullus dixerit.
s) l. c.
t) Diss. III. art. 9. p. 153. seqq.
u) L. II. c. 34. p. 168. L. II. c. 19. n. 7.

vidit NATALIS ALEXANDER [z], faſſusque eſt MASSVETVS [a]. Quod licet neget, et Irenaeum excuſet doctiſſimus CVDWORTHVS [b], eo quod incorporalem animam Lugdunenſis doctor dixerit, recte tamen et erudite obſeruatum acutiſſimo MOSHEMIO [c], id ex Irenaei mente tantummodo intelligendum eſſe, reſpectu functionum corporis habito, et quoad actiones animae, quae a corpore edi nequeunt; cum cetera animam non minus, quam angelos ex ſubtiliſſima materia conflatam putauerit. Vnde animae quoque immortalitatem non a natura ſua intrinſeca, quamuis id putet quoque S. Reu. DEYLINGIVS [d], ſed a voluntate diuina deriuat. Id quod luculento Irenaei loco conficitur, vbi ita docet *: *Quemadmodum coelum etc. multo tempore perſeuerant ſecundum voluntatem Dei, ſic et de animabus et ſpiritibus et omnino de omnibus his, quae facta ſunt cogitans quis minime peccabit, quod omnia, quae facta ſunt, initium quidem facturae ſuae habeant, perſeuerant autem, quoad vsque et Deus et eſſe et perſeuerare voluerit.* Quam tamen ſententiam ab H. DODWELLO in ſuas partes eam vocantis opinione differre agnoſcimus. Talia cum de anima cogitaret non potuit non afferere, animas corpore ſolutas characterem corporis cuſtodire, et habere hominis figuram. Quod ita quidem emollire conatur RENATVS MASSVETVS [f], vt dicat, *accipi debere de certis quibusdam characteribus et notis, quibus a ceteris ſpiritibus ad informandum corpus haud quaquam deſtinatis diſtinguantur, et quibus animae humanae potius, quam angeli conſtituantur: neceſſe enim eſſe, vt in mentibus humanis etiam in coelo degentibus certi quidam characteres ſint, et certus quidam ordo ad corpus, quibus ab aliis corporibus diſtinguantur.* At nec verbis haec Irenaei eorumque contextui reſpondere, nec ſignificare aliquid clarum, et quod rationem characteriſticae iſtius notae exprimat, quilibet videt, qui non ſponte coecutit, et alius IRENAEI [g] locus aperte euincit, quo animam figuram corporis habere dicit, vt aqua in vas miſſa huius habet formam. Sed nec accuratum quoque eſt, nec a Platonicorum opinione longe remotum, quod tres quidem homini Chriſtiano partes tribuat, ſpiritum, animam et corpus, illum autem ſpiritum, ex Dei ſpiritu imaginem diuinam conſtituente deſumtum eſſe, adeoque ſolis fidelibus dari, non vero aliis hominibus dicat [h]. Qua ratione emendare voluit Platonicam de ſpiritus in homine diuina origine ſententiam, quam feliciter? Lector iudicet. Naeuos eius morales non tangimus. Oſtendit eos perſpicue Cl. BARBAYRACIVS [i].

§. VIII.

z) H. E. Sec. II. diſſ. V.
a) Diſſ. III. art. 9. p. 153. ſeqq.
b) Syſt. intell. c. V. ſ. III. §. 27. p. 106. ſeqq. qui verba Irenaei ad ὄχημα tantum pertinere putat.
c) Ad h. l.
d) Diſſ. de Irenaeo Teſt. verit. §. 42. p. 77.
e) L. V. c. 7. p. 300.
f) Ad l. c. p. 168.
g) L. II. c. 19. n. 6. p. 142.
h) Vid. DEYLING. l. c. MOSHEIM. l. c.
i) loc. cit. c. III. §. 4.

§. VIII. Circa eadem tempora TERTVLLIANVS quoque inclaruit, a rhetorum et iureconsultorum subselliis ad Christiana castra traductus, vnde veteris iurisprudentiae vestigia complura apud eum cernuntur [k]. Hunc veteris philosophiae fuisse callentissimum, et scripta eius ostendunt, et VINCENTIVS LIRINENSIS [l] luculentus testis est, qui hoc eius eruditionem encomio ornat, quamuis discessum eius ad Montani errores graui postea indignatione prosequatur: *Hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps iudicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam, et cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam graui ac vehementi excelluit, vt nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Iam porro orationis suae laudes quis exequi valeat? quae tanta, nescio qua, rationum necessitate conserta est, vt ad consensum sui quos suadere non potuerit, impellat, cuius quot pene verba tot sententiae sunt, quot sensus tot victoriae.* Quae si non omnia [m], pleraque tamen vera esse, facile largientur doctissimi scriptoris lectores attenti, et imprimis Graecanicae philosophiae notitiam deprehendent haud vulgarem. Quam tamen, praecipue Platonicam, cum verum vnicumque fontem haeresium omnium statueret, ignoraretque Orientalis philosophiae mysteria in explicandis refutandisque Marcionis, Praxeae, Hermogenis, Gnosticorumque erroribus necessaria, non semper verum vidit atque attulit, nec vbique, quamquam id ei tribuit LIRINENSIS [n] *illorum blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus euertisse*, censendus est. Verum id communi cum reliquis Christianae fidei προμάχοις ex hoc seculo, qui calamum in haereticos strinxerunt, habet commune. In philosophia autem eum ingenio, quod habebat elegantissimum, quam iudicio praestantiorem, nonnunquam lapsum fuisse, vel vna illa inficeta, si dicendum quod res est, opinio euincit, qua non substantiis modo spiritualibus, sed ipsi quoque Deo corpus tribuit, non visibile quidem, verum tamen et reale. Ita enim [o]: *Quis negabit Deum corpus esse, etsi spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua affine. Sed et inuisibilia illa quae sunt, habent apud Deum et suum corpus, et suam formam, per quae soli Deo visibilia sunt, quanto magis, quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit.* Quae verba cum satis crassum errorem inferant, occasionem dedere viris doctis varia ratione Tertulliani excusandi, rati, a communi eum corporis notione recessisse, et

Tertulliani philosophia.

k) Obseruauere id post Eusebium recentiores passim, vid. DALLAEVS de vsu PP. L. I. c. V. p. 140.

l) Commonit. c. 24. p. m. 81. ed. Baluz.

m) Vid. DALLAEVS l. c.

n) loc. cit.

o) Aduerf. Praxeam c. 7.

per corpus id, quod ſubſtantiam, vel (vt Scholaſtici appellarunt) realitatem exiſtentiae et eſſentiae habet, intellexiſſe. Aſt recte monuit eruditiſſimus HVETIVS [p], proprietatem ſermonis hanc explicationem non admittere, cum non corpus tantum ſed formam quoque requirat Tertullianus, vt res nobis inuiſibiles Deo viſibiles eſſe queant. Neque dubitandum eſſe putamus Tertullianum, reiecta illa ſpiritus notione, quae immaterialem eum prorſus facit, cum imaginationis ductum ſecutus aliam ſibi ſubſtantiam concipere non potuiſſet, quam quae intrinſecam corporis naturam ſubtiliſſimam ſane et inuiſibilem haberet, et Deo et ſpiritibus aliis corpus aliquod tribuiſſe, ſed quod eandem naturam haberet, quam ſpiritibus mere intellectualibus et immaterialibus tribuebant alii, et a quo omnia ea remouerentur, quae vllam imperfectionem, diuiſibilitatem, paſſionem, et his ſimilia inuoluunt. Quo fere modo et Indos veteres, et Stoicos, et Epicurum corpus Deo tribuiſſe ſuis locis docuimus. Videturque, ſi coniecturae locus eſt, ad hunc errorem Tertullianus praeter imaginationis, quo ducebatur, imperium, quod in eius ſcriptis vbique eluceſcit, impulſus fuiſſe odio philoſophiae Platonicae, quae in eiusmodi ſpiritibus intellectualibus conſtituendis proram puppimque philoſophiae ſuae ponebat, et ex qua ſpirituum intellectualium catena aeonas quoque Gnoſticorum ortas eſſe putabat, quemadmodum quae de materia, eiusque mala origine, Gnoſtici ſtatuebant, Heraclito, et qui eum ex parte ſecuti ſunt, Stoicis, diſputandi vero acumen, Ariſtoteli tribuit, ſicque philoſophiam Graecanicam haereſeos promtuarium facit. Adſcribamus verba eius integra, vt ſuo Lector vti queat iudicio. *Hae (haereſes) ſunt doctrinae hominum et daemoniorum, prurientibus auribus natae de ingenio ſapientiae ſecularis, quam dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam philoſophiae ipſius elegit. Ea enim eſt materia ſapientiae ſecularis, temeraria interpres diuinae naturae; et diſpoſitionis, ipſae denique haereſes a philoſophia ſubornantur. Inde aeones et formae neſcio quae, et trinitas hominis apud Valentinum, qui Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate a Stoicis venerat. Et vt anima interire dicatur, ab Epicureis obſeruatur. Et vt carnis reſtitutio negetur, de vna omnium philoſophorum ſchola ſumitur. Et vbi materia cum Deo aequatur, Zenonis diſciplina eſt, et vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eadem materia apud haereticos et philoſophos volutatur, iidem retractatus implicantur. Vnde malum et quare? et vnde homo, et quomodo? et quod proxime Valentinus propoſuit, vnde Deus? Scilicet de enthymeſi et ectromate. Miſerum Ariſtotelem, qui illis dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi et deſtruendi, verſipellem in ſententiis, coactam in coniecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit.*

Nolumus

p) Origenian. L. II. c. 2. q. 1. §. 8. p. 30.

q) De praeſcript. c. VII. p. 232.

Nolumus ex hoc luculento loco pluribus demonſtrare, quam infenſo Tertullianus in philoſophiam Graecanicam fuerit animo, eo quod crederet, vt alibi pronuntiauit [r], philoſophos haereticorum eſſe patriarchas. Legant, qui volent, loca eius, quibus vehementer in philoſophiam inuectus eſt, collecta a IACOBO PAMELIO [s]. Neque operoſe, quod nonnulli viri eruditi fecerunt [t], diſputabimus, vtrum omnem prorſus philoſophiam reiecerit Tertullianus, an tantum gentilem? Ea enim quaeſtio ex iis lucem iam accipit, quae ſupra de PP. mente hac de re in genere diſſeruimus. Ab iis enim Tertulliani quoque ſententia parum abire videtur. Hoc autem ad faciendam coniecturae noſtrae fidem omnino ex iſtis eius verbis notandum eſt, Aeonum inuiſibilium et intellectualium errorem Platonicae Tertullianum tribuiſſe philoſophiae, eamque temerariam interpretem diuinae naturae et diſpoſitionis ideo vocaſſe. Aſt κυρίαι δόξαι Platonicorum erat, ideas eſſe prorſus intellectuales. Cum itaque his erroribus ſe opponeret Tertullianus, iudicio minus, quam ingenio, inſtructus, facile fieri potuit, vt ſtudio τῆς ἀνθολκῆς illis opponeret Deum et ſpiritum omnem eſſe corpus, certa quidem ratione ab omni materiali corpore diuerſum, talem tamen quoad ſubſtantiam. Qua ratione ex contradicendi pruritu ſaepius in errores lapſos fuiſſe patres, ſupra iam monuimus. Verum de his iudicium Lectori relinquimus. Sunt et alii in Tertulliano, ex hoc fonte promanantes errores, quo pertinet, quod ſcripſerit, fuiſſe tempus, quo filius Dei non eſſet. Quamuis enim haec non ſine veriſimilitudine emolliant NATALIS ALEXANDER [u] et GEORGIVS BVLLVS [x], negare tamen nequeunt, locutionibus Tertullianum vſum fuiſſe minus ſanis. Id quod aliter fieri non potuit, cum, vt alii quoque doctores, Eccleſiae, ita ille quoque notiones et locutiones ad explicandum SS. Trinitatis myſterium afferret ex Platonica philoſophia hauſtas easque ad retundendos haereticos adhiberet.

Naeuos vero ab eo in morali doctrina admiſſos examinare huius loci haud eſt: praeſtitit id perſpicaciſſimus BARBAYRACIVS [y], qui lapſum eum eſſe in dogmate de votis nuptorum ſecundis, de bello, de magiſtratus poteſtate deque matrimonio etc. oſtendit, quamque imbelles et meris paralogiſmis nixas ratiunculas afferat, luculenter oſtendit. Id quod in Tertulliano non miramur, more ſui ſeculi, de numero magis, quam pondere, rationum ſuarum ſollicito feruoreque diſputandi nimio abrepto in praecipitium, quem eius naeuum inſignem et rationalis philoſophiae ignorantiam luculenter notauit LVD. ELLIES DVPINIVS [z], qui legendus. Nec dubitamus ad eam ineptam quoque praeſcriptionis methodum, quam is primus ingreſſus eſt, referre, ad conuincendos errantes minime ido-

r) Adu. Hermogen. c. VIII. p. 269.
s) Ad TERTVLL. de praeſc. c. VII. p. 285.
t) CHRISTIAN. LVPVS ad h. l. p. 197. Rechenbergii et Cypriani Diſſertationes de hac re ſupra adduximus.
u) H. E. Sec. II. Diſſ. IX. p. 490.
x) Defenſ. fid. Nic. ſect. II. c. 7. f. III. c. 10.
y) De la morale des Peres c. VI. §. 2. ſeqq. c. VIII. §. 2. ſeqq.
z) Bibl. Script. eccleſ. T. I. p. 104.

neam, ſophiſmatis vero multis frigidam ſuffundentem. Ceterum vtrum ad conuerſionis notam, ringentibus philoſophis, exprimendum pallium induerit, quod PAMELIO [a] viſum, an, vt arctioris, cui ſe mancipauerat, vitae vinculi ſymbolum eſſet, togam cum pallio ad imitationem philoſophorum commutauerit, quod CAS. OVDINVS [b] contendit, de eo in hiſtoria eccleſiaſtica diſquirendum eſt. Nobis hoc loco non incommodo id modo obſeruatur, quod ad inſtitutum noſtrum pertinet, pallium illud, quod tanquam modeſtiſſimi habitus genus induere ſolebant Chriſtiani, quamuis ideo γραικοὶ ἐπίθετον, arguto conuitio dicebantur [c], a philoſophis transſumtum fuiſſe, et id ſibi vindicaſſe Chriſtianos illos, qui aſceticam quandam et ſtrictiorem vitam, velut peculiare quoddam, philoſophiae genus affectaſſent. Monuit id ὁ πάνυ SALMASIVS [d]: *Pallium illud, quod Chriſtiani geſſerunt, non fuiſſe Graecorum commune pallium, ſed proprium ac peculiare philoſophorum, et τρίβων vel τριβώνιον vocatum eſſe, quae vox vilem vſuque detritam veſtem ſonat, vnde et τριβωνοφόροι philoſophi dicti. Quemadmodum autem Graeci generis haud alii ferme τρίβωνα ſiue pallium ſoliti fuerint vſurpare, quam qui philoſophos profiterentur, ſic inter Chriſtianos habitum illum philoſophicum, hoc eſt, pallium neminem tunc temporis vſurpauiſſe, niſi qui Chriſtianum vere philoſophum agere vellet. Nam qui diſciplinae Chriſtianae diligentiſſimos et exactiſſimos cultores praeſtare ſe voluiſſent in omnibus, hos Chriſtianos philoſophos fuiſſe dictos. Tales Tertulliani aetate epiſcopos, presbyterosque, et omnes Clericos, ac poſtea monachos fuiſſe.* Id quod etiam ex ſupra dictis confirmatur, vbi obſeruatum, Iuſtinum, Ariſtidem, Athenagoram pallium philoſophicum etiam poſt conuerſionem ſeruauiſſe. Ex quibus patet, qualem philoſophi characterem ſibi Tertullianus vindicauerit?

Clementis Alexandrini philoſophia.

§. IX. Nemo tamen maiori ſtudio animique contentione ſeculo ſecundo poſt C. N. philoſophiam ſectatus eſt, proque ea verba fecit, et ad ſacram Chriſtianorum diſciplinam eam admiſit, quam CLEMENS ALEXANDRINVS, vir eruditiſſimus quidem et in veteri tam Barbarica,

a) In vita Tertulliani §. 2.
b) De Scr. eccl. T. I. p. 214.
c) Luculenter id explicat B. RHENANVS ad librum de Pallio, vbi inter alia: „Quoniam „Graecorum geſtamen erat pallium, vt toga „Romanorum, et Chriſtiani frugalitatis gratia „pallio veſtiebantur, tanquam veſte ſimpliciore, „et philoſophica, factum eſt, vt vulgari con„uicio, qui noſtris ſacris initiati eſſent, Graeci „vocarentur, et ab iniectione pallii, quod tu„nicae ſuperimponebant, etiam imponentes, vt „ita dixerim, ſiue impoſitores. Nam pallium, „vt Tertullianus inquit, interulae ſupereſt, „cuius tota moliſio operire ſolutim, id eſt vno „circumiectu. Quoties ergo Chriſtianus ali„quis prodiiſſet, ſtatim illud de triuio audiebat, „ὁ γραικὸς ἐπίθετος. Id ſimpliciter accipiebat „indoctum vulgus ob pallii, ſuperimpoſitionem; „ceterum literati figuratum morſum intellige„bant in vocabulo ἐπίθετος, in quo fieret ad im„poſtoris nomen apud Latinos alluſio, id eſt de„ceptoris et hominis ſanctitatem mentientis, at„que hoc eſt, quod Hieronymus ad Furiam ſcri„bens, vbicumque inquit, viderint Chriſtianum, „ſtatim illud de triuio ὁ γραικὸς ἐπίθετος, vo„cant impoſtorem, detrahunt. Et alibi, in ep. „ad Marcellam: Si tunica non canduerit, illud „e triuio, impoſtor et Graecus eſt.“ Sed et reliqua legenda ſunt lucem argumento foenerantia. Conf. Cel. LAMIVS de erudit. Apoſt. c. IV. p. 72. ſeqq.
d) De Pallio ad libr. Tertull.

Barbarica, quam Graeca, praecipue vero ciuium ſuorum philoſophia exercitatiſſimus, qui vero inter praecipuos doctores numerandus eſt, qui hoc philoſophiae ſtudio in transuerſum acti ſunt. Sine partium ſtudio itaque et cum attentione conſideranda eſt eius hiſtoria, ne, quod recentiori aetate GVILIELMO CAVEO, et FRANCISCO BALTO contra IOANNEM CLERICVM diſputantibus [e] contigit, ea excuſemus, et pigmenta illinamus talibus, quae naeuo non carent. Legenda itaque ſine praeiudicio ipſa ſcriptoris elegantiſſimi, et lectionis multiiugae copia iucundiſſimi, verum parum accurati ſcripta ſunt, et cum iis comparanda eius hiſtoria eſt, quaeque ſupra de philoſophia PP. in genere diſquiſiuimus repetenda, ſine quibus rectum de philoſophia Clementis Alexandrini iudicium interponere haud licet. Aegyptium fuiſſe Clementem Alexandriae natum, cognomen innuit, et communis veterum tradit opinio. Fuerunt tamen inter eos, teſte EPIPHANIO [f] nonnulli, qui Athenienſem eum dixere. Ex quo coniecit CAVEVS [g], Athenis Clementem natum et educatum indeque accitum ad ſcholam Alexandrinam translatum eſſe, ex ea enim vrbe etiam antiquiſſimis temporibus ſcholarum ſuarum moderatores petere ſolitos fuiſſe Alexandrinos. Quam coniecturam ſuam ex eo firmat, quod teſte PHILIPPO SIDETA [h], Athenagoram praeceptorem habuerit, qui Athenis docuerit. Parum tamen huic coniecturae tribuendum videtur. Nam incerto tantum rumore quosdam Clementem Athenienſem feciſſe, ex Epiphanii loco eſt manifeſtum, id quod vnanimi veterum teſtimonio opponi non poteſt. Naſcenti autem ſcholae catecheticae Chriſtianos Alexandrinos alienigenas praefeciſſe, demonſtrari prius debebat, nec ex eo euincitur, quod Athenis accerſere doctores publicos Alexandrini conſueuerint; illud enim ad gentiles tantum ſcholas pertinet, ſaltem exempla, quae adduci ſolent, eos ſolos tangunt. Nec veriſimile eſt, Alexandrinos, apud quos Eccleſia hoc ſeculo iam erat florentiſſima, Athenis Chriſtianiſmi profeſſione nondum conſpicuis doctorem nouae ſcholae aduocare voluiſſe. Ipſa quoque ſtudiorum, et imprimis philoſophiae, quam Clemens ſectatus eſt, ratio, ſatis ſuperque prodit, et Alexandrinum in eo regnaſſe temperamentum, et in hac celebri Muſarum ſede, prima eum literarum rudimenta, ipſaque philoſophiae, quam deperibat, ſyncretiſticae

e) Dederat Clementis Alexandrini vitam vir clariſſimus GVIL. CAVEVS in Hiſt. liter. ſcript. eccleſ. p. 53. prolixius vero in Antiquitatibus eccleſiaſticis, Anglico ſermone editis. In his excuſare Clementem haud raro anniſus eſt. Aliter IOANNES CLERICVS, vir celeberrimus, cum PP. quorundam vitas a ſe conſcriptas Bibliothecae vniuerſali T. X. p. 175. ſeqq. inſeruiſſet, in hoc argumento verſatus, naeuos Clementis libero detexit calamo, parique ratione de Euſebio quoque, Gregorio et Prudentio diſputauit. Male id habuit Caueum, qui praecipue ob obiectum Euſebio Arianiſmum in Clericum inſurrexit nec. Diſſ. Hiſt. lit. Scr. Eccl. in fine adiecta. At defendit denuo CLERICVS iudicium ſuum in Epiſtol. crit. I. Quod ferri non poſſe ratus FRANC. BALTVS in Defenſione PP. Platoniſmi accuſatorum grauem Clerico dicam ſcripſit L. IV. c. 2. p. 431. ſeqq. quo ſucceſſu, ex dicendis apparebit.

f) Haeref. XXXII. c. 6. p. 213.

g) Hiſt. Liter. Scr. Eccleſ. P. II. p. 54.

h) loc. ſupra cit.

cae elementa more ciuium suorum didicisse. Quos ille praeceptores ibi habuerit, ipse refert [i], nempe *vnum ex Graecia Ionicum, alios vero in magna Graecia alterum eorum fuisse ex Coelesyria, alterum ex Aegypto; alios autem ex Oriente, et eius alterum quidem Assyrium, alterum vero in Palaestina Hebraeum ex alto ducta origine, in quem cum incidisset, quieuisse se in Aegypta ait, venantem ea quae latuerant. Hos viros beatos maximi pretii et aestimationis fuisse* ait. Qui locus notatu maxime dignus est, non ob solum tantum Clementem, de cuius eruditione et potissimum philosophia ex praeceptoribus iudicium fieri potest [k], sed ob vniuersalem quoque illam addiscendae philosophiae methodum, quae in Aegypto tum inualuit, et syncretisticum illud doctrinae genus inuexit. Ex eo enim luculenter patet, eos qui maiorem, quam quae apud vulgus obtinebat, eruditionem affectassent, non Graecanicam modo philosophiam literasque, sed et Orientalem disciplinam didicisse, sibique magistros elegisse, ex Orientis regionibus profectos. Quos cum Alexandriae Clemens inueniret, mirum non est, eum in Aegypto conquieuisse, nec ad alias philosophiae sedes iter literarium instituisse. Vltimum autem ex Hebraeis Christianum ait, *Siculam revera apim prophetici et apostolici verbi florem decerpentem sinceram quandam et incorruptam cognitionem ingenerauisse eorum, qui audiebant animis.* Qui vero isti praeceptores fuerint, non prodidit, locumque variis eruditorum coniecturis fecit. Cum enim, habuisse se vnum ex Graecia Ionicum narret, nec Ionicus nomine proprio aliquis veteribus alibi memoretur, in mentem venit Io. Clerico [l], fuisse hunc Graecum sectae Ionicae deditum. Huius enim sectae, a Thalete conditae physiologiam in quibusdam capitibus cum Hebraeorum cosmogonia pulchre conspirare, indeque facile occasionem captare potuisse Clementem, propius reuelationem diuinam in Hebraeorum oraculis contentam inspiciendi. Sed recte monuit Baltvs [m], non enarrare Clementem sectas, cui praeceptores addicti fuerint, sed eorum patriam, nec intelligi posse aliud, quam in Ionia hunc eius praeceptorem fuisse natum. Merito his addimus: demonstrari non posse Ionicam sectam post Christum natum ita reuixisse, vt peculiare philosophandi genus constitueret. Quod ita quidem euitare conatur Clericus, vt moneat, dudum quoque Pythagoream sectam eo tempore intercidisse, et tamen passim inuentos fuisse Pythagoreos, qui sibi solis Pythagorae institutum reuocauerint, adeoque Ionicam quoque sectam nonneminem potuisse ex cineribus reuocare in vitam. Verum nihil hoc probat, nisi hoc, possibile esse, vt secta quaedam, quae dudum exspirauit, reducatur a quibusdam in vsum: at factum id esse, nondum inde sequitur, et aliis indubitatis exemplis hominum

i) Stromat. L. I. p. 274. qui locus etiam occurrit apud Evsebivm Hist. Eccles. L. V. c. II. sed paulo aliter. vid. Valesivs ad h. l.

k) Monet id erudite Clericvs l. c. p. 181. fugillat Baltvs l. c. p. 432. satis inepte, obseruationem Clerici confirmante tota historia philosophica et ecclesiastica.

l) loc. cit.

m) l. c. p. 435.

minum Ionicam philoſophiam profitentium prius euincendum eſt, qualia tamen, quantum meminimus, in tota hiſtoria philoſophica poſt C. N. non occurrunt, vsque ad renatas literas, quibus Claudium Berigardum tale quid molitum fuiſſe ad recentiora tempora delati dicemus. Aliam de hoc doctore Graeco coniecturam affert BARONIVS [n], nempe intelligendum eſſe Dionyſium Corinthium, de quo celeberrimo doctore videndi EVSEBIVS [o] et HIERONYMVS [p], verum hic quoque veriſimilitudinem deſideramus. Certe difficile eſt, obſcuro loco lucem accendere, praecipue cum omnes quoque Graeci interdum Ionici vocentur, eo quod ex Ionia in Graeciam deſcenderint, vt obſeruatum STEPHANO BYZANTINO [q], et ita Athenienſem quoque quendam Clemens indicare potuerit; Graecum namque genere fuiſſe, Clemens ipſe docet. Vnde ſi paulo certior Philippi Sidetae fides eſſet, Athenagoram Clementis praeceptorem nominantis, facile eſſet, hunc iſto Ionici nomine intelligere, licet fuerit Athenienſis. Reliquos, quos nominauit praeceptores ſuos Clemens, fuiſſe Theophilum Antiochenum, Tatianum vel Bardeſanem [r], et Theophilum Caeſarienſem vel Theodotum viris doctis probabile viſum, quos tamen meras coniecturas afferre, tacente ipſo Clemente, quilibet videt. Immo fuiſſe eos omnes a Sacris Chriſtianorum, excepto vltimo, alienos, verba nobis Clementis ſatis innuere videntur, quibus doctorem eum, quem animum ſuum ad propheticos et apoſtolicos flores adduxiſſe dicit, reliquis in hac quidem re opponit. Vnde malumus hoc quidem loco nihil definire.

§. X. Illud tamen dubitandum non eſſe videtur, ſi veterum teſtimoniis ſtandum, doctorem illum, quem Siculam apem vocat, et a quo puriorem ſe doctrinam accepiſſe fatetur, fuiſſe Pantaenum. Ab hoc enim Clementem doctrinae Chriſtianae praecepta hauſiſſe veteres teſtantur [s]. Quem cum ex Palaeſtina fuiſſe dicat, patet inde, Pantaenum aut ipſum natiuitate Iudaeum fuiſſe, aut Iudaicis parentibus ortum. Quod vero Siculam apem vocat, in cauſſa eſſe videtur VALESIO [t], quod parentes ille habuerit generis Siculi. Quod ab omni quidem veriſimilitudine non abhorret, cauſſam tamen hanc quoque habere poteſt, quod Pantaenus, priusquam catecheticae Alexandrinorum ſcholae praeficeretur, Siciliae aliquamdiu haeſerit, ibique virum quendam, quod PHOTIVS [u] de

Pantaenus Clementis Alexandrini praeceptor.

n) Ann. T. II. ad ann. 185.
o) Hiſt. Eccl. L. IV. c. 23.
p) De S. E. c. 27. p. 97. ed. Fabric.
q) In Ἴωνία.
r) Ingenium eius philoſophicum admirationi fuiſſe teſtatur HIERONYMVS in Oſeae c. X. conf. viri docti ad HIERON. de S. E. c. 33. p. 102. Eum Valentini ſomnia amplexum fuiſſe, deinde propriam opinionem ſecutum, veteres teſtantur, quae vero illa fuerit, nusquam dicunt. Ex his vero conſtat, Orientalem philoſophiam eum amplexum fuiſſe.
s) Vid. quos laudat HALLOIX in Vit. illuſtr. Eccl. Orient. Script. T. II. p. 849.
t) Ad EVSEB. L. V. c. 11.
u) Cod. CXVIII. p. 160.

de eo teſtatur, apoſtolicum audiuerit, a quo cum ſalutarem Euangelii doctrinam percepiſſet, inde per omnium ſcriptorum diuinorum hortulos pererrando, aliis quoque veritatem diuinam tradere potuerit. Fuiſſe autem Pantaenum Clementi, philoſophiam vehementer depereunti, gratum doctorem, ratio potiſſimum inde deducenda videtur, quia Pantaenus Sacris Literis philoſophiae haud vulgarem cognitionem iunxerat. Veterum enim teſtimoniis ſi ſtamus, ſectae potiſſimum Stoicae fuit addictiſſimus. Ita enim *ad Magnum* D. HIERONYMVS [x]: *Pantaenus Stoicae ſectae philoſophus ob praecipuae eruditionis gloriam a Demetrio Alexandriae epiſcopo miſſus eſt in Indiam, vt Chriſtum apud Brachmanas, et illius gentis philoſophos praedicaret.* Idem EVSEBIVS [y], Syncellus aliique teſtantur. His tamen, omni, qua pollebat, eruditione adhibita ſe oppoſuit HENRICVS DODWELLVS [z]; is enim nixus teſtimonio PHILIPPI SIDETAE, cuius Fragmenta edidit, Pantaenum Athenienſem fuiſſe philoſophum, ſectaeque Pythagoreae diſcipulum, et ex diſciplina Clementis Alexandrini prodiiſſe pronuntiat, idque rationibus anxie conquiſitis probare contendit. Cum autem obſtare ſibi veterum teſtimonia videret, quae vnanimi conſenſu Pantaenum Stoicum faciunt, ita in illis cum Sidetae narratione conciliandis verſatus eſt, vt probare conaretur, Pythagoream atque Stoicam ſectam ſeculo ſecundo in vnam confluxiſſe. Quod vtrum verum ſit, illi definient, qui vtriusque ſectae hiſtoriam *Tomo ſecundo* accurate enarratam expenderint. Illud ex hiſtoriae philoſophicae annalibus certum, ex iis, qui Pythagoreorum inſtituta reuocauerunt, quosdam Stoicae quidem ethicae ſe accommodauiſſe, manſiſſe tamen ingens inter vtramque ſectam diſcrimen, nec Stoicos vnquam Pythagoreorum nomen ſibi arrogauiſſe; ita vt Stoici et Pythagorei appellatio fuerit ὁμώνυμος: immo Pythagoreos illos paucos Stoicos tanquam hypocritas traduxiſſe, vt exemplo Apollonii et Euphratis ſupra memorati conſtat. Nec obiici praetendique pro Dodwelli opinione poteſt, Syncretiſmum Aegyptiacum Stoicam et Pythagoream doctrinam commiſcuiſſe. Id enim ſuo quidem more verum eſt, ad nomen vero et appellationem referri non poteſt. Syncretiſtae enim illi, aut Chaldaicae ſiue Orientalis ſe ſectae aſſeclas eſſe praetenderunt, vel ſi Graecam philoſophiam elegiſſent, in Platonicorum et Ariſtotelicorum nomine haeſerunt, horumque ſyſtematibus reliquarum ſectarum placita attemperauerunt: Quo euenit, vt ſyncretiſtica hac philoſophandi conditione vel Eclectica, quod videri voluit, philoſophia, in certum ſectae ſyſtema a Potamone, et huic re non feliciter cedente, ab Ammonio redacta, tota fere Stoicorum ſecta nomenque interciderit, vt in eius hiſtoria luculenter *Tomo ſecundo* probatum dedimus. Non negauerimus tamen, arriſiſſe Pantaeno praeter Stoicam diſciplinam, inſtituta quoque Pythagorea, quae propius

x) HIERONYMVS Ep. 84.
y) In Chronic. an. 2. Seueri, conf. LIPS. Manud. ad phil. Stoic. L. I. c. 17.
z) l. c. ad calc. Diſſ. in Irenaeum.

propius accedere videbantur ad vitam Chriſtianorum, quam hoc ſeculo meditabantur accuratiorem et ſeueriorem ſiue aſceticam, illudque philoſophiae ſanctioris genus, quod multi hoc tempore commenti ſunt. Cum enim meteorologiam Stoicam mire admiraretur, hincque in praeceptis morum commendandis ſeueriſſimis rigidioris diſciplinae inſtitutionibus vteretur, id quod ex diſcipuli, Clementis, doctrina morali merito colligitur, Pythagorea autem inſtituta praxin huius doctrinae exhibere viderentur, et Platonica doctrina, quae his iungebatur, puriorem de Deo opinionem tradere crederetur, veriſimillimum eſt, Pantaenum, in morali philoſophiae parte potiſſimum occupatum, Stoicae quidem philoſophiae nomen recepiſſe, illi vero et Pythagorea et Platonica dogmata attemperauiſſe, ſicque Syncretiſmo gentis, in qua viuebat, manus quoque ſocias porrexiſſe. Qua tamen ratione Pythagoreus dici non potuit, retenta, vt dictum, Stoici appellatione, quamuis eiusmodi ἔκλεξιν, vel Syncretiſmum potius, probaret. Negare hoc conatus eſt Baltvs [a], non recordatus, infelicem illam gentilium dogmatum cum doctrina Chriſtiana commixtionem a patribus huius ſeculi pro diuinae doctrinae reliquiis piisque poſſeſſionis diuinae vindiciis habitam fuiſſe. Opponimus ei Origenis confeſſionem apud Evsebivm [b], inſanum Syncretiſmum, quem in Eccleſiam malo exemplo induxit, Pantaeni auctoritate excuſantem. Ex his itaque intelligi poteſt, quid huic patrum defenſori, Stoicae philoſophiae ſtudium in Pantaeno neganti reſpondendum ſit, eo quod nec Stoicam, nec Ionicam, ſed Eclecticam philoſophandi methodum Pantaenus ſeruauerit. Non attendit enim ad Eclecticae, quam cum Clemente tantopere deperiit Pantaenus, philoſophiae indolem. Illa enim non reiecit Stoicam philoſophiam, vt nec Ariſtotelicam contemſit, ſed eam cum Platonica, et Graecanicam philoſophiam omnem miro ſelectu inuicem in vno ſyſtemate copulatam cum philoſophia quoque Orientali vel Chaldaica, in Aegyptum dudum iam introducta coniunxit. Mirum itaque non eſt, Pantaenum, etiamſi Stoicae diſciplinae decreta potiſſimum recepiſſet, et diſcipulo Clementi tradidiſſet, variis tamen locis et Pythagorico-Platonica, et Ariſtotelica praecepiſſe, prout nempe ſyſtemati, quod ſibi formauerat, ſyncretiſtico, et cum ſacra Chriſtianorum doctrina confuſo, eſſet aptum, et receptas confirmaret ſententias. Vnde rationem non habuit magnopere Baltus, cur ſuccenſeret Clerico, ſtatuenti, Pantaenum poſt Ionicum, Stoicum, et poſt hunc Potamonicum fuiſſe ſecutum. Cum enim non neget Baltus eiusmodi ſyncretiſticam philoſophiam Pantaeno placuiſſe, id ipſe incautus largitur, quod oppugnat. Ea enim horum hominum conſuetudo fuit, vt omnium ſectarum placita explorando, illa ſibi ſeligerent, et vno ſub iugo ire cogerent, quae ſcopo ſuo inſeruire poſſe videbantur. Nec dubitamus, quin Pantaenus ab epiſcopo Alexandrino Demetrio ad Indos miſſus, vt Euangelium iis praedicaret, et philo-

a) Defenſ. Patr. loc. cit. b) H. E. L. VI. c. 20.

ſophica eruditione Brachmanes quoque conuerteret[c], eandem philoſophiam et adhibuerit, vt philoſophos Indos ſuos faceret, et ex Indorum quoque doctrina locupletauerit, ſeruato tamen, cui ob moralis doctrinae rigorem adhaerebat, Stoico nomine. Hoc itaque a praeceptore, cui tum gymnaſii Chriſtianorum Alexandrini, ſiue ſcholae catecheticae regimen commiſſum erat, Clemens Alexandrinus inſtitutus eſt, nec audiendus eſt Sidetas, hunc inter praeceptores Pantaeni referens, quod, quam multis argumentis falſum eſſe demonſtrari queat, in hiſtoria eccleſiaſtica exponendum eſt.

Ratio philoſophandi a Clemente Alexandrino adhibita.

§. XI. Plurimi feciſſe Pantaenum Clementem, huncque diſcipulum ſummo amore et familiaritate complexum fuiſſe, vel ex eo colligi poteſt, quod in Indiam ablegatus Pantaenus, Clementem in munere catechetico vicarium conſtituerit, quem illi quoque locum decedens ex vita reliquit[d]. Ex hoc vero praeceptore de philoſophia Clementis iudicium faciendum eſt. Eum enim ſequendo non nomini quidem Stoico ſe dedit, Stoicam autem ethicam, vt infra dicemus, ambabus amplexus eſt manibus: Eclecticam vero philoſophandi methodum magno ſtudio et commendauit et ſecutus eſt, de quo locum eius memorabilem in *antecedente capite* iam produximus, plura vero loca huc facientia congeſſit BALTVS[e], fruſtra tamen haec CLERICO[f] obiiciens, cum nec ipſe id negauerit, et Platonica atque Stoica Clementis dogmata Eclecticae philoſophiae Clementis non contradicant. Et ex hac quoque cauſſa toties ſectariae philoſophiae obloquitur Clemens[g], ratus, nullam ita ſectam ſequendam eſſe, vt reliquae reiicerentur. Nempe obtemperabat Clemens et praeceptorum exemplo, et gentis locique, vbi viuebat, moribus. Alexandriae enim iam ante natum Chriſtum eiusmodi Syncretiſmum caput extuliſſe, ſeculo vero ſecundo in infinitam opinionum licentiam degeneraſſe, hocque occaſionem ſubminiſtraſſe Potamoni, et huic negotio non feliciter ſuccedente Ammonio, vt, abiectis inutilibus diſputationibus, cum quilibet propriam ſibi ſyſtematis noui Eclectici faciem pinxiſſet, in certam doctrinae formam hanc philoſophiam Eclecticam redigeret, indubitatis veterum, maxime Hieroclis, locis, *Tomo ſecundo* planum fecimus. Ex his vero iudicandum quoque eſt, vtrum Clemens Potamonicam vel Ammonianam philoſophiam ſecutus fuerit, quod nonnullis viris doctis placuit: vel an Clemens ante Ammonium hanc philoſophandi viam iam ingreſſus, probet, ſectam Eclecticam ſeculi tertii initiis, quibus eam condidiſſe dicitur Ammonius, vetuſtiorem eſſe, quod illi vrgent, qui Potamonem non circa finem ſecundi, et initia tertii ſeculi, vixiſſe, ſed Auguſti temporibus floruiſſe, Suidam ſecuti, contendunt? Prius et nobis[h] olim placuit, cum non prorſus temporum ſeries repugnet, vt Clemens

c) EVSEB. l. c. L. V. c. 10.
d) PHOTIVS l. c.
e) L. I. c. 5. p. 33. ſeqq. L. IV. c. 3. p. 437. ſeqq.
f) Bibl. vniu. T. X. p. 193. Epiſt. crit. I. p. 17.
g) Loca cumulauit BALTVS c. 4. p. 450.
h) In Germanico Hiſt. phil. op. T. IV. p. 1240.

Clemens Ammonium ſeculo exſpirante audiuiſſe dici queat. Re tamen paulo curatius conſiderata hanc coniecturam dimittendam eſſe putamus, cum notae illae characteriſticae, quae ſectariam Potamonis, vel potius Ammonii philoſophiam diſtinguunt, in Clemente Alexandrino non inueniantur omnes, licet et nomen et res iſtius electiuae philoſophiae apud Clementem inueniatur. Neque tamen ideo aetatem Eclecticae ſectae, ipſiusque Potamonis antiquiorem faciendam eſſe cenſemus, nec id ex Clementis exemplo ſequitur, immo nec ea exempla euincunt, quae ſeculo I. ἔκλεξιν iam obtinuiſſe probant, quale eſt Ammonii, praeceptoris Plutarchi. Non enim confundenda eſt iſta ſyncretiſtica philoſophandi methodus cum ſtudio Potamonis et Ammonii, eam ad certam ſectae formam reuocandi. Nempe iam ante eam aetatem, qua vixiſſe Potamonem viri docti ſtatuunt, eiusmodi Syncretiſmum Alexandriae obtinuiſſe, ea luculenter probant, quae de philoſophia Aegyptiaca in *ſuperiore Tomo* diximus, vnumque Philonis eius antiquitatem laudantis exemplum luculenter probat. Placuiſſe autem hanc philoſophandi viam plerisque ingeniis exercitationibus et ſectarum inſomnia ridentibus, et per vniuerſi orbis Romani latitudinem paſſim inualuiſſe, ſuo quoque loco diximus. Quae cum more et conſuetudine Alexandrini populi in hac potiſſimum Muſarum ſede tandem in eam licentiam degenerarent, vt nouam quilibet viam conſarcinandi ſpecioſo Eclecticae philoſophiae titulo ac iure, diuerſiſſimas philoſophorum et Graecorum et Barbarorum opiniones ingrederetur, ſicque innumerae eſſent inter Alexandrinos philoſophos litigationes et diſſenſiones, ad certam demum formam ſectaeque habitum reuocare anniſus eſt Potamo, eiusque exemplo, Ammonius, ampliores ſibi in eo negotio limites conſtituens. Quae ſi accurate quis ſecum reputet, intelliget inde, potuiſſe Clementem philoſophiam Eclecticam ſequi profiterique, quamuis eam ob temporis rationem a Potamone et Ammonio non didiciſſet. Hi enim philoſophiae Graecanicae, maxime Platonicae, reliqua doctrinae genera adaptabant, et eius nomine et auctoritate iſtum Syncretiſmum inſtituebant, ſic vt Ammonius ipſam Chriſtianam doctrinam expilando, Platonicum ſyſtema inde refingeret. Clemens vero contrarium inſtituens, Platonica, Stoica, Orientalia dogmata ad Chriſtianam fidem transtulit, et philoſophiam ex his quandam ſanctiorem et diuiniorem excogitauit, ductus communi patrum illius ſeculi praeiudicio, eſſe haec dogmata veſtigia manifeſtationis per λόγον gentilibus factae, et ex parte quoque veteris traditionis reliquias, et hoc ideo nomine Chriſtianis eſſe vindicanda, iisque rite adhibitis gentiles ad Chriſtianam religionem poſſe perduci. Quod pluribus locis *) ſatis luculenter profeſſus eſt, eiusque ea de re loca nonnulla ſuperiori capite iam adduximus, quibus alia, ne nimis longi ſimus, non addimus. Ipſe vero Clemens eo docendi genere, quod ſibi elegit, rem hanc in ſcriptis ſuis probauit abundantiſ-

*) Luculenter ea de re diſſerit. Stromat. L. I. p. 313. ſeqq.

ſime. Cum enim hanc Eclecticam philoſophandi rationem non Alexandriam modo, ſed et omnem fere orbem literatum atque philoſophicum, occupaſſe cerneret, multaque paſſim adduci videret, quibus commendari poſſe gentilibus philoſophis Chriſtianam religionem credebat, eandem viam ſibi ingrediendam ſtatuit, vt rem Chriſtianam iuuaret. Magna itaque, qua pollebat lectionis copia ex omnium fere gentilium ſcriptorum, et Barbarorum et Graecorum libris et fragmentis, ea in ſyllogen collegit, quae ad confirmandam veritatem ſanctiſſimae fidei Chriſtianae facere poſſe ſperauerat. Hinc enatum doctiſſimum *Stromatum* ſiue *Collectaneorum* opus, cui hoc ſtragularum variarum nomen indidit, quod *continere debebant admixtam veritatem philoſophiae decretis, vel potius coopertam atque abſconſam, ſicut teſta operitur id, quod eſt in nuce eſculentum* [k]. His Collectaneis catechumenos praeparari poſſe ſperabat, vt faciliores veritatibus diuinorum myſteriorum aures praeberent. Diſerte enim ſcribit [l]: *Varia ac multiplex doctrina et varie probat id, quod adducitur, et catechumenis admirationem afferens ea, quae ſunt praecipua, dogmata, ad eorum, qui audiunt, perſuaſionem et ad veritatem conſtituit.* Hunc vero finem vt obtineret, et auctoritatem atque aditum ſibi in gentilium animis pararet, methodum quoque, quae magna veneratione Alexandriae recepta erat, adhibuit myſtagogicam, Chriſtiana dogmata, quantum poſſet, optima ita ratione commendaturus. Scripſit itaque triplex opus, *Protrepticum*, *Paedagogum* et *Stromata*, de quibus eleganter obſeruatum praeſtantiſſimo DANIELI HEINSIO [m], *in his, quemadmodum in multis aliis* Πυθαγόρειόν τε καὶ μυσηριώδην *eſſe Clementem. Primum enim librum eſſe* ἀποκάθαρσιν, *ſecundum* μύησίν τε καὶ κατήχησιν, *tertium* ἐποπτικὸν *ſiue* ἐποπτείαν. *Nam in primo, qui futuri Chriſtiani ſint, purgari, in ſecundo, factos iam initiari, in tertio ad ſacra maxima, ſupremamque Dei admitti notitiam et aeternam contemplationem.* Quod recte et ſcopo Clementis conuenienter dictum eſſe, ex luculentis aliquot eius locis euinci poteſt. De *paedagogon enim* ait: *Eum verſari in iis, quae ſint agenda praecipiendis, et prohibendis iis, quae ſunt contraria; eſſe autem alterum genus ſermonis cuius ſit inſtitutum docere, quod quidem ſit ſubtile et ſpirituale, et accuratam tractandi rationem ſequatur et in arcanis contemplandis myſteriis verſetur. Quae myſteria tandem eo dicit* [o] *collinearе omnia, vt mens, quae ſit munda et ab omni vitio libera apta fiat ad poteſtatem Dei ſuſcipiendam, cum diuina in eo aſſurgat imago.* Placuiſſe vero Clementi hanc methodum, vt myſteria haec non niſi praeparatis panderet, nemo mirabitur, qui nouit, eam et inter gentiles, maxime in Aegypto obtinuiſſe, et in Eccleſia quoque hanc arcani diſciplinam ob varias cauſſas fuiſſe adhibitam. Cui ideo inſtare voluit Clemens, vt

k) L. I. p. 278. l) pag. 279. m) L. I. c. 3. p. 83.
m) In limine notarum in Clementem. o) L. III. Stromat. p. 443.

vt eo feliciorem laetioremque domino meſſem colligeret. Quem finem ſcopumque laborum Clementis laudabilem in ſe eſſe, neque vituperandam, eo magis fatendum eſt, quo magis omnem, quam poſſidebat eruditionem, emolumento Eccleſiae obtulit. Verum et ſeculi ſui, et ſuomet vitio optime cogitata nonnunquam peſſime ceciderunt. Nam et infauſtus ille Syncretiſmus, qui animum Clementis totum occupauerat, bona omnia corrumpebat, et doctorem eruditiſſimum praeiudiciis ingentibus replendo, diuitem, quam ille pollicebatur, meſſem infelici lolio et ſterilibus ſupprimebat auenis: et ipſe Clemens tanti oneri impar multoties non ſine detrimento cauſſae Chriſtianae labebatur. Suffocauerat vir eruditiſſimus immenſae lectionis copia iudicium, vt et ad accuratas rationis leges minus attenderet, et illas debito loco non adhiberet. Cuius plurima exempla poſt ſe reliquit doctor cetera praeſtantiſſimus. Inter quae eminet, quod libris ſuppoſititiis et antiquitatem atque nomina ſummorum in ciuitate Dei virorum nefario haereticorum auſu mentientibus fidem adhibuerit, quales iſto tempore non minus, quam vermium γεννήματα veris auſpiciis, excuſos fuiſſe innumeros, conſtat. Malumus hoc loco famae memoriaeque tanti viri conſulere, hancque inaduertentiam iudicii defectui et incogitantiae tribuere, quam malam eius fidem accuſando ſtatuere, ſecutum eum fuiſſe regulas Alexandrinorum, ne a Chriſtianis quidem reiectas, piaque fraude aduerſus religionis Chriſtianae hoſtes pugnare licitum putaſſe [p]. Rem tamen ipſam nemo negauerit, qui non animum ex lectione Clementis retulerit plane hoſpitem. Cuius vt exemplum vnum alterumque adiiciamus, ecce ad *Praedicationem Petri et Pauli* prouocat [q], quem foetum adulterinum eſſe, iam monuit B. HIERONYMVS [r]. Eadem ratione Ariſtobuli, Ariſtaei aliorumque ὑποβολιμαῖα pro genuinis admittit, hocque fundamento Θεοπνευσίαν verſionis LXXviralis ſtabilit, vt alia in praeſentia taceamus, quae iam olim in eo reprehendit Euſebius [s]. Quae quidem doctori de re Chriſtiana bene mereri cupienti forte condonanda, excuſanda vero minime ſunt, cum periculum haud leue alant. Aliud vero exemplum, iudicii acumen a praeiudiciis liberum Clementem non attuliſſe, eſt, quod ſyſtemata philoſophorum gentilium perperam explicuerit, cum ad πρῶτα ψεύδη non ſatis attenderet, et ex principiis ſuppoſitis ſplendida effata explicare, et genuinum iis ſenſum reddere negligeret. Qua in re tam grauiter lapſus eſt Clemens, ſuamque incogitantiam et praecipitantiam ita prodidit, vt nec in doctrina Chriſtiana interpretanda iuſtum ſemper modum ſequeretur. Exempla, qui volunt, plurima in ſcriptis Clementis offendent. Nos breuitatis cauſſa vno fidem dictis faciemus. Vrget Clemens [t], *conſpirare Platonem cum Moſe, mundum*

p) Velimus tamen expendi locum Strom. L. VII. p. 730. D.

q) Strom. L. VI. p. 636. conf. FABRIC. Cod. Apocryph. N. T. p. 397.

r) De Scr. Eccl. c. 1. p. 19.

s) Conf. RICH. MONTACVTIVS Orig. Eccl. L. II. p. 52. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. V. p. 112.

t) Strom. L. V. p. 592.

mundum genitum dicente. Id inde probat, *quod Plato affirmauerit, mundum ortum esse,* (γεγονέναι) *vt qui coeperit ab aliquo principio, idque eo quoque prodere Platonem, quando Deum conditorem et patrem vniuersi vocet. Ita enim eum declarauisse, mundum non solum genitum, sed etiam ex se ipso genitum esse, tanquam ex patre filium etc.* Quae quam graviter impingant in veritatem, et peregrinos sensus affingant et Platonis et Mosis systemati, vtriusque non ignari manibus palpant. Mosi enim impium dogma de generatione mundi ex Deo tanquam filii ex patre tribuit, et quod sit discrimen inter γίνεσθαι ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ, et inter ὑποστῆναι ἐκ μὴ ὄντος, quae satis imperite coniungit, non obseruat. Platoni vero eam opinionem assignat, quae nunquam ei in mentem venit. Ille enim quamuis mundum intelligibilem, in Deo poneret, mundum tamen sensibilem non ex Deo, sed ex materia praeexistente factum, et ex inordinato eius fluxu in ordinem redactum statuit, quod ab eo sensu, quem Clemens Platoni tribuit, plurimum differt. Neque tamen magnopere mirandum, ita Clementem lapsum fuisse, notum enim, talia syncretisticam philosophiam sequentibus saepissime euenire, et accidere multoties, vt genuinos systematum sensus peruertant. Ita enim in hoc quoque argumento factum. Cum enim Plato, Aristoteles et Stoici cum Christianis placitis essent conflandi in vnum doctrinae corpus, necessario mutandus erat systematis sensus, et principio duplici reiecto emanatiuum surrogandum, sicque statuendum, mundum ex Deo, vt filium ex patre, genitum esse, adeoque non materiae aeternae, sed Deo ἐκ μὴ ὄντι, id est, nulla praeexistente externa materia eum ex se producenti tribuendum esse. Quem foetum adulterinum, Clementis aetate iam natum et formatum, lambisse et ornauisse Ammonii scholam, excogitataque distinctione inter mundum ὑπερκόσμιον et ἐγκόσμιον Syncretismo huic magis aptum reddidisse, suo iam loco diligenter ostensum est. Alia ex Clemente exempla huius generis plurima, quibus, confundisse eum verum systematum et dogmatum sensum, probari potest, in praesentia breuitatis causa praeterimus, locaque Clementis quaedam in fine paginae adiicimus [a], vt Lectoris diligentia ea intueri queat. Non vero hoc solo modo peccauit Clemens, sed in eo quoque potissimum lapsus est, quod Pythagorico-Platonica et Stoica pro Christianis haberet, et ciuibus suis obtruderet. Ex eo enim larga errorum messis Clementi enata est, quam negare, et Platonismum atque Stoicismum Clementis in dubium vocare velle, idem est, ac contra solem loqui. Quod vt manifestis exemplis probemus, et quam parum sibi doctores ecclesiastici ea in re cauerint, imprimis illi, qui Alexandriae philosophiam vel didicerunt, vel docuerunt, pauca quaedam eius rei afferemus specimina. *Libro sexto Stromatum* [x] haec praecipit CLEMENS: *Gnosticum, id est, perfectae cognitionis participem talem esse, vt in eum illae solae passiones sine affectio-*

a) Strom. L. V. loc. cit. p. 593. 594. 595. x) p. 1649.

affectiones cadant, quae oriuntur, vt corpus maneat, nempe fames, ſitis, et ſimilia, ita vero Saluatorem paſſionis omnis expertem fuiſſe, vt quem nullus ſubiret motus affectionis, neque voluptas, neque dolor, ſimilique ratione apoſtolos cum iram et metum et cupiditatem per dominicam doctrinam ex vberiori quadam γνώσει ſuperaſſent, ne ea quidem, quae videntur bona, ex iis, quae paſſionem inferunt motionibus ſuſcepiſſe, vt qui propter firmum quendam et ſtabilem ſtatum mentis nihil penitus mutarentur, ſed in exercitationis habitu ſemper manentes, alieni ab alteratione poſt domini quidem reſurrectionem. Nam etſi ea, quae prius dicta ſunt, ſi cum ratione, fiant, aliquis bona eſſe accipiat; at in perfecto quidem certe non ſunt admittenda, qui neque habet εὐθυμίαν. Erroneum hoc et inſulſum dogma eſſe, quod non tantum a naturae humanae indole, ſed etiam a natura Chriſtianiſmi, immo ab ipſo ſaluberrimo ſalutis per paſſionem Seruatoris praeſtitae negotio vehementer abhorreat, intelligent, qui elementa diuinioris doctrinae norunt. Verum hunc errorem ex Stoica philoſophia manaſſe, quae in ſapiente perfecto ἀπάθειαν tantopere commendauit, πολυθρύλλητον eſt, et in vulgus notum, et ex hac impura lacuna iſta deliria hauſit Clemens. Quem cum contra Clericum ab obiecta gentilis philoſophiae ſacris Chriſtianorum placitis intruſae labe vindicare vellet BALTVS [y], non habuit quod regereret, ſed ſicco tantum naeuum pede praeteriit. Alter vero, qui pro patribus defendendis prodiit velitarius miles REMIGIVS CEILLIERIVS [z], anxie ex Clemente corraſit loca quaedam, quibus demonſtrari poſſe credidit, Clementem hanc Stoicorum ἀπάθειαν nullo colore pingendam excuſandamque improbauiſſe. Quod vbi etiam concederetur, id vnum euinceret, Clementem ſibi ipſi non conſtitiſſe: recte vero conſideratum docet, loqui Clementem aut de perfecta Dei ſimilitudine, aut de affectibus naturalibus, et ad illam aſſequendam ἀπάθειαν poſtulauiſſe, hos vero Gnoſtico conceſſiſſe; id quod erudite demonſtratum IO. BARBAYRACIO [a]. Alterum Stoiciſmi a Clemente adamati exemplum exhibent paradoxa ad Stoicorum mentem moremque formata, e. g. ſolum ſapientem, i. e. Chriſtianum diuitem eſſe, et quae his ſunt ſimilia, a laudato viro [b] accurate quoque obſeruata. Platonica vero dogmata Clementi non minus placuiſſe, omnes eius libri, immo fere paginae oſtendunt, et in praecedenti capite illuſtria quaedam Clementis loca adducta ſunt, ex quibus conſtat, quanti Platonem Clemens fecerit. Cui argumento tamen prolixe immorari locus non patitur, adeunda vero CLERICI [c] diligentia, quem acute magis quam ſolide refutare aggreſſus eſt BALTVS, ſatis acerbe aduerſarium traducens. Qua de re Lectoris

y) Defenſ. Patr. p. 436.
z) Apologie des St Peres p. 64. ſeqq.
a) loc. cit. c. V. §. 46. p. 63. ſeqq. conf. CLERICI Ep. Crit. I. p. 18. Otium Vindel. Mel. I. p. 114.
b) l. c. §. 28. p. 54. ſeq.
c) ll. cc.

ctoris arbitrium expoſcimus, loca vero ea tantum allegamus, et ad ea dogmata a Clemente tradita prouocamus, quae a Platoniſmi labe liberare velle, idem eſt ac laterem lauare, vel Aethiopem dealbare. Statuit enim [d]: Mundum ex Deo genitum, velut ex patre filium; dari duos mundos ſenſibilem et intelligibilem [e], angelos ad gubernationem populorum diuiſos eſſe, et per inferiores angelos Graecos ſapientiam accepiſſe [f]. Eſſe angelis corpora, adeoque libidine inquinari potuiſſe, hacque ex cauſſa lapſos fuiſſe [g]. Eſſe in homine duas animas rationalem et irrationalem [h]; perfectum hominem in idearum contemplatione viuere Deum inter homines: paſci animas philoſophia Graecorum [i], abſtinendum eſſe Gnoſtico perfectioni inhianti a carnis eſu [k]; ineſſe aſtris animam rationalem [l], etc. Talia in Clemente fere innumera occurrunt, quae Platonica eſſe, non niſi ille negat, qui, quid Platonicum ſit, ignorat. Dudum hos Clementis naeuos viderunt et reprehenderunt veteres et imprimis acutiſſimus PHOTIVS [m], qui ex *hypotypoſeon* libris hodie deperditis (ex quibus fragmenta tamen Theodoto tributa hodie ſupereſſe nonnullis creduntur,) hos imprimis errores atro carbone notauit: *Materiam eſſe aeternam, et ideas veluti certis decretis induci. Filium quoque in rebus creatis eſſe, eſſeque animarum migrationes, multosque ante Adamum mundos fuiſſe. Angelos cum foeminis congreſſos liberos procreaſſe, duo eſſe verba patris, quorum vnum Deus ſit, alterum vis quaedam et poteſtas Deo tanquam a verbo profluens, mens effecta, quae hominum animos inuaſerit.* Quae placita Gnoſticis, Valentinianis, Aegyptiacisque valde affinia eſſe, ex vtrorumque comparatione manifeſtum eſt. Coniicit tamen Photius, poſſibile eſſe, vt alius nugator quidam eius perſonam induens talia ſcripſerit. Quae in excuſationem Clementis conuertunt CAVEVS [n] et BALTVS [o], in eius accuſationem CLERICVS [p]. Nobis de his erroribus Clementi tributis operoſe diſquirere non licet, fatemur tamen, valde ſuſpectum eſſe Alexandrinum doctorem, eo quod illi errores omnes Aegyptiaca dogmata redoleant, et in genuinis Clementis ſcriptis loca occurrant, quae eadem fere ratione praecipiunt. Tradit enim: Materiam eſſe ex Deo genitam [q]; idearum doctrinam accepiſſe Platonem a Moſe [r]; eſſe λόγον imaginem patris, vt eſt homo imago verbi [s]; progreſſum fuiſſe ex Deo λόγον propter creationem [t]; transmigrationem eſſe vetus dogma Aegyptiorum, ex quo probari poſſit, multa gentes ab Hebraeis accepiſſe [u]; angelos propter incontientiam ex coelo pulſos eſſe [x]. Quae omnia vt indubitatis Clementis verbis

d) Strom. L. V. p. 592.
e) Ibid. p. 593.
f) L. VII. p. 702.
g) Paedagog. L. III. c. 2. p. 222. L. I. c. 6.
h) Stromat. L. VI. p. 648.
i) L. I. p. 272. k) L. VII. p. 718.
l) In Eclogis. m) Cod. CIX. p. 154.
n) Vit. PP. Vol. I. p. 119.
o) loc. cit.
p) loc. cit. p. 10. conf. quos nominat ITTIG. ſel. cap. H. E. Sel. II. c. 3. ſ. 10. p. 231.
q) Strom. L. V. p. 592. r) p. 583.
s) Admonit. ad Gent. p. 62.
t) Strom. L. V. p. 553.
u) L. VI. p. 633.
x) Paedagog. L. III. p. 222.

verbis docentur, ita iis, quos Photius traducit, erroribus valde sunt affinia, et nullo colore excusari, vel aliis Clementis locis, quibus magis sobrie nonnunquam locutus est, detorqueri, more Balto recepto possunt. Placet itaque illustrissimi HVETII [y] candor, fatentis, Clementem pigmento Academico caussam Christi haud raro illustrare studuisse, et de filio Dei, angelisque animarum in corpora demissarum custodibus ignota sacris literis tradidisse. Talis cum fuerit Clemens, qui summa auctoritate Alexandriae gaudebat, multosque habebat discipulos, facili coniectura assequi licet, quos fructus eius schola produxerit. Ex qua cum prodierit Origenes, ille malum hoc ad iustam maturitatem perduxit, et ex Clementis schola in Ammonii subsellia traductus nouam pristinae corruptioni faciem induxit. Id quod ex dicendis constabit, vbi de philosophia eorum PP. agendum est, qui post conditam Ammonii et Plotini scholam, conformatamque certo et definito systemate philosophiam Alexandrinam vixerunt, et innumera in rempublicam Christianam mala induxerunt.

§. XI. Prima haec doctorum ecclesiasticorum classis est [z], qui philosophiam peculiari ratione scopoque attigerunt, illi nempe, qui ante conditam sectam Eclecticam, siue Ammonio-Plotinianam vixerunt, vagumque illud nulloque certo systemate definitum Eclecticae philosophiae genus sectati sunt. Alteram classem constituit illa doctorum series, quae exorta est condito nouo et suis legibus circumscripto Eclecticae philosophiae genere, quod omnibus pene religionibus et opinionibus, ne Christiana quidem excepta, adaptatum est, et syncretisticam illam theologiam et philosophiam, quae ab aliquot seculis in Aegypto Asiaque iam obtinuerat, in certam formam redegit, licentiaeque consuendi quaecunque placerent, nouum et definitum doctrinae genus opposuit. Ammonium Potamonis consiliis inductum reformationem hanc susceptisse, prolixa narratione *Tomo secundo* expositimus, quae heic omnino repetenda est: locus enim non patitur, ea hic quoque apponere, sine quibus tamen illa philosophandi ratio, quam plurimi patres a seculo tertio medio ad scholasticae vsque philosophiae origines secuti sunt, intelligi non potest. Habuit autem Ammonius, qui a Christianis ad gentiles transgressus est, et auctoritatem sibi summam apud Alexandrinos comparauit [a] discipulos non gentiles modo, sed Christianos quoque, et in his Origenem, ab alio Origene, Ammonii discipulo, gentili homine, diuersum, vt *Tomo secundo* iam monuimus. Qui cum omnibus naturae muneribus instructissimus, hanc nouam philosophiam ab Ammonio didicisset, eruditione sibi acquisita, quantum fieri poterat, maxima, nouam disciplinam in ciuitatem Christianam introduxit, eamque sacris dogmatibus secundum institutum Alexandrinae

Philosophia patrum post conditam sectam Eclecticam.

Ammonii philosophia ab Origene in Ecclesiam introducta.

y) Origen. L. II. c. 1. q. 4. p 27.
z) Conferenda quae huius capitis §. I. dixi-mus.
a) Conf. HIEROCLES de Prouid. apud PHOTIVM Cod. CCXIV. p. 283.

drinae philoſophiae (quo nomine ſupra eam ab aliis philoſophandi generibus diſtinximus, et porro quoque diſtinguemus,) attemperauit. Qua re cum auctoritate ſumma valeret, et eruditionis ac ſanctitatis opinione vehementer in Orientali Eccleſia commendaretur, multos ſibi conciliauit fautores, multos nactus eſt diſcipulos. Qui vbi hanc nouam philoſophiae ſpeciem ſacris dogmatibus accommodatam propagauiſſent, ſicque inualeſcerent inſigniter Origenis affectae, magni inde motus inter Origenianos et alios ab eius placitis abhorrentes exorti ſunt, de quibus tamen heic nihil ob limites nobis poſitos dici poteſt, ſed annales eccleſiaſtici conſulendi ſunt. Quamuis autem plurimi a nouis placitis diſſentirent, damnarentque incauta, quae in Eccleſiam malo exemplo inuexit Origenes dogmata, infauſto tamen ſidere factum eſt, vt non ſatis peſtem illam pernoſcerent, multaque pro innocuis haberent et puris, quae latentis veneni ſemina, impuraſque opiniones produnt. Nouam itaque philoſophiae PP. periodum ab Origene merito auſpicamur, eius hiſtoriam dogmaticam ita enarraturi, vt, quod ad noſtrum inſtitutum pertinet, diligenter afferatur, reliqua quae ad hiſtoriam literariam tanti viri pernoſcendam faciunt, omittantur, quae ab aliis diligenter enarrata ſunt. Conſuli autem debent praeter Euſebium GREGORII THAVMATVRGI *Panegyricus* [b], praeceptoris honori dictus, qui plurima ſcopo noſtro inſeruientia attulit, quae alibi fruſtra quaeruntur, quaeque ſtatum philoſophiae in Eccleſia Chriſtiana ſeculo tertio mirifice illuſtrant. Inter recentiores vero maxime commendanda eſt praeſtantiſſimae eruditionis viri, magnique, dum viueret Galliae ſuae ornamenti PETRI DANIELIS HVETII induſtria, qui vt multiiuga eruditione et lectionis copia, veterisque doctrinae cognitione mire pollebat, ita de Origenis hiſtoria et literaria et dogmatica omnium optime meruit [c], inque ea et accurationem et candorem attulit eum, quem argumenti dignitas poſtulabat, et quo veri fontes recte detexit. Alios, qui in hoc ſtadio cucurrerunt, hoc loco praetermittimus [d], et ipſa ſimul Origenis ſcripta, noua et ſplendida editione vulgatiora facta, conſuli, praecipue vero variae et diffuſae eruditionis opus contra Celſum euolui cupimus, vt rectum de Origene iudicium fieri poſſit.

Origenis philoſophia.

§. XII. Magna eruditionis fama inclaruit ORIGENES, cui inexpugnabilis induſtria et improbus labor, inque perferendis ſtudiorum aerumnarumque moleſtiis patientia, Adamantini nomen comparauit [e], quo

b) Eum non malo conſilio ſubiunxit ORIGENIS Libris contra Celſum D. HOESCHELIVS, omiſit autem Io. SPENCERVS, ſurrogata eius philocalia.

c) In Diſſertationibus de vita et doctrina Origenis, quas ſub Origenianorum nomine eius Comm. exegeticis a ſe editis praemiſit.

d) Diligenter eos enarrauit FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. V. p. 237. Maxime huc vero referri debet PAGANINI GAVDENTII Diſſ. de comparatione dogmatum Origenis, cum dogmatibus Platonis Flor. 1639. ſubiuncta eius ſalebris Tertullianis. Quam tamen videre hactenus non licuit, nec diffitemur, parum nobis fiduciae in Gaudentio eſſe, quem in philoſophica hiſtoria exiguum iudicium actuliſſe, eius liber de philoſophia Romanorum ſatis ſuperque loquitur.

e) Adamantini nomen ipſum ſibi tribuiſſe Origenem EPIPHANIVS Haer. LXIV. c. 73. p. 603. tradit, quod tamen alienum prorſus eſt a laudatiſſima

quo ab aliis huius nominis distinguitur. Patre is natus Leonida, viro literarum non ignaro, mature ab eo, teste EVSEBIO [f], tum ad sacrarum literarum studium, tum ad profanae eruditionis, et praecipue Graecanicam encyclopaediam, more illius temporis, per orbem Romanum recepto, adductus est. Paulo vero annis maturior in scholam Alexandrinorum catecheticam missus est, in qua magna tum nominis celebritate docuit, Clemens Alexandrinus [g]. Qui cum eam potissimum philosophiae Alexandrinae vtilitatem commendaret, qua ex variis opinionibus collectis vnum doctrinae genus conficitur, idque ad praeparandos animos adhibetur, vt eo largiores aures Christianae veritati praeberent, eandem versandi circa philosophiam exotericam rationem discipulus quoque hausit, hocque modo Syncretismi studium imbibit. Quod cum diu multumque inter Alexandrinos iam regnasset, et praestantissima ingenia corrupisset, Christianis vero doctoribus ob eximiam, quam sperabant ad attrahendos et praeparandos gentilium animos, vtilitatem se commendauisset, a tantae auctoritatis praeceptore discipulo traditum totque exemplis illustrium virorum comprobatum non potuit non vehementer occupare Origenis animum. Qui cum et sacras et profanas literas a Clemente doceretur, eandem cum praeceptore viam, quam in antecedentibus fuse delineauimus, puer adhuc ingressus est. Cum autem in constituendo certo Eclecticae philosophiae genere, quam suis commendauisse discipulis Clementem supra demonstrauimus, catecheta Alexandrinus, sacris potissimum laboribus intentus, industriam peculiarem non posuisset, exorto in Ammonio nouam tunc sectam Syncretisticam moliente sole philosophico, Origenes totus philosophiae amore raptus ad eius iubar, quod incauti perstrinxit oculos, conuersus est, eique, teste EVSEBIO, in disciplinam se tradidit [h]. Repetendum vero memoria est, qualem philosophandi methodum Ammonius ingressus sit? et ex suo loco dictis reuocandum in memoriam, hominem fanaticum, relictis quidem, quorum simplicitatem contemnebat, Christianorum dogmatibus ad philosophos gentiles defeciſſe, et conciliatis inter se vel confusis potius et in peregrinos sensus detortis Pythagoreorum, Stoicorum, Platonicorum et Aristotelicorum placitis nouum Graecanicae philosophiae systema condidisse, quod externa quidem facie Platonicum esset, re ipsa tamen omnibus se attemperaret. Neque vero his contentum Platonicam hanc philosophiam dudum iam ex Orientali philosophia reformatam et in alios prorsus, quam Plato tradidit, vultus transformatam, πανδοχεῖον opinionum et religionum tantum non omnium exceptis iis, quae atheae habebantur, constituisse, et vt defectionem a Christiana fide vel excusaret atque pingeret, vel aliis quoque

tissima eius industria, ita vt fidem non mereatur Epiphanius, inuidia contra Origenem occupatus. Vnde magis verisimile est, nomen hoc ei haesisse vel ob eloquentiam, quod iudicat PHOTIVS Cod. CXVIII, vel ob studiorum industriam, vel ob aerumnarum patientiam. Inde etiam Hieronymo aliisque ad exemplum Didymi dictus est χαλκέντερος.

f) Hist. Eccl. L. VI. c. 3. g) Ibid. c. 6.

h) c. 19. SVIDAS in Orig.

commendaret; nouum ſyſtema Chriſtianis dogmatibus, quantumpote adaptauiſſe, ſicque repurgatae atque reconciliatae diuina inſpiratione philoſophiae gloriam, teſte Hierocle, ſibi vindicauiſſe. Talis cum eſſet Ammonii diſciplina, cogitari facile coniicique poteſt, quos ſibi mutos doctores Origenes huius ſcholae diſcipulus elegerit, quosque auctores ſibi legendos conſtituerit. Teſte enim EVSEBIO *i*, quem SVIDAS more ſuo ſatis confuſe exſcripſit, quanta potuit, diligentia Platonis, Numenii, Cronii, Apollophanis, Longini, Moderati, Nicomachi aliorumque Pythagoricorum et Platonicorum ſcripta legit, nec Stoicos, et inter hos Chaeremonem imprimis atque Cornutum contemſit, ſed eorum opiniones eo, quemadmodum Ammoniana methodus poſtulabat, fine legit, vt, quae poſſet, cum Pythagorico-Platonicis in vnum ſyſtema confunderet. Teſtem eius rei adducit Euſebius quoque Porphyrium, quem in pueritia ad Origenem, eruditionis eius fama commotum confluxiſſe, in Porphyrii hiſtoria *Tomo ſecundo* narrauimus. Vbi tamen fides Porphyrio habenda non eſt, tradenti Origenem a parentibus gentilibus prognatum ad Chriſtiana caſtra transfugiſſe. Aliud enim ſcriptores teſtantur eccleſiaſtici, vixque dubitandum eſt, quin Porphyrius ſeduci ſe paſſus ſit a defectione Ammonii; quae cum ſacra is Chriſtianorum deſeruiſſet (quamuis contrarium teſtetur Euſebius, duos inter ſe Ammonios confundens, vt ſuo loco euictum) habuiſſetque Origenem diſcipulum familiarem, Porphyrio perſuaſit, vt crederet, non frequentaturum fuiſſe diſcipulum Chriſtianum hanc apoſtatae ſcholam, indeque coniecit, gentilem natum et educatum, gentilem quoque ſibi philoſophum praeceptorem elegiſſe, et poſtea demum ad Chriſtianos defeciſſe: qua in re, vt dictum mire falſus eſt, cum ſuffecerit Origeni Clementis commendatio philoſophiae Eclecticae, vt hunc praeceptorem, licet μεταθέμενον adiret, et philoſophiam ab illo diſceret. Sed nec audiendus eſt BARONIVS *k* fidem Euſebio denegans, Origenem Ammonii diſcipulum facienti, eo quod Ammonio fere aequalis aetate fuerit Origenes, et iam tum, cum Ammonius doceret, catechetae munus Origenes in ſchola Alexandrina ſuſceperit, ante annum trigeſimum publico iam officio admotus. Recte enim his opponitur, non inſolens eo tempore fuiſſe, vt viri triginta annorum philoſophiam diſcerent: quem morem in ſchola Eclectica obtinuiſſe, Plotini, Amelii, aliorumque exempla comprobant *l*. Praeterea confundit annalium ſcriptor, ſeductus ab Euſebio duos Ammonios Chriſtianum et gentilem, et de illius temporibus loquitur, quod eum praeceptorem Origenis putaret. Aſt diſtinguendum vtrumque eſſe, vel ex eo luculenter patet, quod philoſophus fuerit ἄγραφος, Chriſtianus inter eccleſiaſticos ſcriptores numeretur. Gentilem autem Ammonium iam circa ſeculi a C. N. tertii initia floruiſſe, in eius vita demonſtrauimus. Ex quo conſequitur, potuiſſe Origenem iuuenem audire Ammonium, eumque

Hiſt. Eccl. ll. cc. *k*) Ann. T. II. ad an. 234. *l*) Conf. HVETIVS l. c. §. 6. p. 4.

eumque inter primos eius discipulos fuisse. Tanto igitur sub duce scientiarum ingressus stadium Origenes, per omnem disciplinarum campum impiger cucurrit: cumque naturae munificentia ingenium accepisset praestantissimum, multisque iudicandi et imaginandi viribus instructum et scientias, teste HIERONYMO [m] encyclopaediam Graecanicam constituentes, grammaticam, rhetoricam, musicam, arithmeticam, geometriam et dialecticam didicit, et omnium sectarum placita rimatus est, ita vt omnem philosophiam exacte teneret. Ita postquam animi facultates immensis diuitiis locupletauerat, ad docendum praeparatus, animum ad tradenda disciplinarum praecepta applicuit. Cui consilio eo magis obtemperare coactus est, quod patrem Leonidam martyrio coronatum amisisset. Ex eo enim tempore patris facultatibus in fiscum redactis, cum matronae cuiusdam Alexandrinae beneficiis nutriretur, vt matrem cum sex paruulis liberis aleret, ad tradenda iuuentuti grammaticae et philosophiae praecepta se accinxit [n]. Id quod euentum habuit laetissimum, multos illi discipulos conciliante eruditionis fama, ita vt non Christiani modo ab eo elegantiores discerent literas, sed et gentiles nonnulli atque haeretici profanas scientias ab eo haurirent, quem morem a quibusdam reprehensum peculiari epistola ipse defendit Origenes [o]. Qua priuata institutione eam sibi famam comparauit, vt vix annos natus XVIII. priuatae catechumenorum institutioni praeficeretur. Quibus laboribus dum magna industria inuigilat, et facultates eius augentur, et discipulorum crescit numerus. Vtroque tamen nimium aucto, tradendae grammaticae prouinciam reliquit, et vt de necessariis sumtibus sibi prouideret, libros magna cura scriptos vendidit. In schola autem catechetica per integrum fere diem teste EVSEBIO [p] docens, discipulos in duas partes diuisit, et praeparandos atque initiandos Heraclae, viro eloquentia valenti, et philosophiae non ignaro erudiendos tradidit, perfectiores suae institutioni seruauit, quam discipulorum distinctionem a Clemente praeceptore eum didicisse, et in hoc quoque momento se consuetudini philosophorum sui aeui attemperauisse, ex supra dictis intelligitur. Post praeceptoris Clementis ex hac vita discessum eruditissimo magistro non indoctior successor datus est discipulus, qui eodem, quo is inceperat, tramite ire perrexit. Cum enim plurimum prodesse philosophiam sacrae ciuitatis rebus, et Christianam doctrinam valde commendari illius praeparatione posse a Clemente edoctus crederet, ad eum finem magnam, qua praestabat, philosophiae Graecae pariter atque Barbaricae et antiquitatum cognitionem adhibuit, et, qua in re ipsa profana eruditio religionis Christianae causam iuuaret, tanta eruditionis copia et lectionis vbertate demonstrauit, vt gentiles quoque in admirationem raperet, et de veritate Christianae doctrinae passim conuinceret, haereticos autem multos feliciter in viam reuocaret;

m) De Scr. Eccl. c. 54.
n) EVSEBIVS l. c. L. VI. c. 2.
o) Apud EVNDEM c. 20.
p) loc. cit. c. 3.

uocaret; Cuius rei exempla allegant Plutarchum et Heraclam EVSEBIVS [q], et Ambroſium, hominem haereticum, EPIPHANIVS [r]. Eadem vero docendi ratione in diſcipulis quoque inſtituendis vſus eſt, quos magna doctrinae copia ita ineſcauit, vt dies noctesque ab eius ore penderent, et quod GREGORIVS [s] fatetur, tanquam ſtatuae immobiles eius praeceptis audiendis inhaererent. Inde vero magnus diſcipulorum confluxus exortus eſt, inter quos feminas quoque eruditione Origenis illectas inter eius ſubſellia compariſſe veteres teſtantur [t]. Quam auditorum turbam et ſacras profanasque literas fideliter docuit, et exemplo non philoſophico modo, ſed auſtero quoque, omnemque diſciplinam Barbarorum rigidam ſuperanti formauit. Cuius ſeueritatis exemplum eſſe poteſt, quod teſte EVSEBIO [u] nec duas tunicas haberet, nec geſtaret calceos, et ne carnis ſibi cupiditates obſtarent, virilitatem ſibi ipſe exſcinderet. Ad quam inſolitam auſteritatem inepta praeceptorum Chriſti explicatio virum cetera acutum, ſed praeiudiciis nimis impeditum, ſeduxit. Hoc itaque in loco munereque conſtitutus cum peculiare ſibi doctrinae aedificium conſtruxiſſet, adaptata ſcilicet philoſophia Alexandrina ad myſteriorum Chriſtianorum explicationem, id non Alexandriae modo, ſed in Palaeſtina quoque, Syria, aliisque locis, (ad quae eum partim eccleſiaſtica, quae rogatus ſuſcepit, negotia, partim ſeditiones domeſticae et perſecutiones gentilium, partim inuidia et fulmina Demetrii, epiſcopi Alexandrini, gloriae et eruditionis eius aemuli compulerunt, miraque ei fata et calamitates graues concitarunt,) docuit, multorumque motuum in Eccleſia excitatorum vel cauſſa, vel occaſio extitit, et εὐφημίας et δυσφημίας illuſtris factus eſt. De quibus tamen omnibus hoc loco dicere nihil attinet, cum ad rerum eccleſiaſticarum ſcriptores ea cura pertineat, qui plerique fuſe res Origenis, vniuerſam fere Eccleſiam commouentes enarrare ſolent [x]. Id vero notare poſtulat inſtituti ratio, Origenem iam in publico doctoris munere conſtitutum per Achaiam iter feciſſe, et in eo itinere Athenas aliquantiſper haerentem auditoria philoſophorum ibi docentium adiiſſe, exque illorum ore praecepta philoſophiae percepiſſe, de quo itinere videndi EPIPHANIVS [y] et NICETAS [z], Quod occaſionem dedit BARONIO [a], PETAVIO [b] et CAVEO [c], hanc moram Origenis Athenienſem ab eo itinere per Achaiam diſtinguendi, cuius meminit EVSEBIVS, quo ſub Alexandro imperatore aetate et eruditione iam firmatus in Graeciam e Palaeſtina perrexit, Athenisque etiam commentarios in Ezechielem ſcripſit. Cuius tamen diſtinctionis cauſſam nullam videmus, cum et inſolitus, quo philoſophiam profecutus eſt Origenes,

q) Hiſt. Eccleſ. L. VI. c. 2.
r) Haer. LXIV, c. 2. p. 526. conf. HVET. l. c. c. 2. §. 4. p. 10.
s) l. c.
t) EVSEB. l. c. c. 12.
u) l. c. c. 3.
x) Inſtar omnium erit HVETII l. c. diligentia.
y) Haereſ. LXI. c. 1. p. 524.
z) Theſ. orth. fid. L. IV. haer. 31.
a) Ad A. C. 232. n. 4.
b) Ad l. c. Epiph. T. II. p. 257.
c) l. c. c. 17.

genes, amor ſuadeat, eum iam adulta aetate et eruditione in hanc Muſarum ſedem, ex qua tot doctores Alexandrini prodierunt, delatum occaſionem philoſophos eius ſcholae celeberrimos ipſos audiendi non neglexiſſe, et conſuetudo virorum doctorum fuerit, vt viri etiam in muneribus publicis conſtituti ad auditoria philoſophorum acceſſerint, quod M. Aurelium imperatorem aliosque ſummos viros feciſſe conſtat, et ab Origene quoque viro modeſtiſſimo et ambitionis ignaro factum quoque eſſe dubitandum non eſt[d]. Poſt lapſum, Alexandria exul Caeſaream migrauit, et ibi ob ſummam, qua enitebat, eruditionem docendique peritiam magna cum aeſtimatione et honore apud omnes floruit, laetos ſe talem doctorem nactos eſſe, qualem illorum temporum ratio et eruditionis conditio poſtulabat. Scholas enim ibi aperiens, et profanae literaturae, imprimis philoſophiae elementa, et ſacras literas plurimis, qui ad eum conuolabant diſcipulis, indefeſſa tradidit induſtria.

§. XIII. Digna vero eſt, quae hic paucis exponatur, Origenis methodus, eo quod ſtatum philoſophiae literarium inter Chriſtianos Orientales luculenter adumbret. Prolixe eam expoſuit diſcipulus Origenis GREGORIVS[e], qui ea de re ita retulit: „Origenem ipſum cum fratre „amicitiae vinculis primo ita conſtrinxiſſe, vt a nexibus eius, nec ſi vo„luiſſent ſolui potuiſſent; ita vero captos tractauiſſe, vt bonus agricola „ſegnem aut nulla parte fertilem agrum incultum et neglectum, culturae„que impatientem; nempe, non modo, quae cunctorum oculis ſe offe„runt, et in ſuperficie tantum videntur, animaduertiſſe, ſed etiam effo„diſſe, intimaque interrogando, obiiciendo, et reſpondentes audiendo ten„tauiſſe. Quia enim deprehenderet nonnihil in illis haud commodum, ſed „inutile atque inelaboratum, ſarriuiſſe, inuertiſſe, potaſſe, mouiſſe omnia, „vniuerſam denique artem ex ſe et accurationem adhibuiſſe, tandemque „eos ita ſubegiſſe, vt ſpinas et tribulos in totum exſcinderet ac repurga„ret, elenchis et prohibitione eos inceſſando, idque admodum Socratice, „interdum etiam ſermone eos ſupplantando. Id ab initio quidem non ſi„ne moleſtia atque difficultate ipſis accidiſſe, vt qui inſuetis adhuc nec„dum rationem ſequi edoctis doctrinas ſuas applicaret. Sed expurgando „tamen poſtquam idoneos eos tandem effeciſſet, et praeparaſſet, tempe„ſtiuam ſementem feciſſe, et iuſto tempore reliquam accurationem, prout „cuique congrueret, peregiſſe. Sic congruo ſermone, quicquid hebes et „ſpurium eſſet, in anima, acuentem et attenuantem ſubtiliſſimis rationalium „affectionum ſermonibus et modis, qui ex primis illis ſimpliciſſimis euo„luti et frequentes varieque inter ſe verſati, in arctiſſimum et ineuolubilem „quendam nexum abeunt, excitantes eos veluti ſopitos, vt propoſitis inhae„reant perpetuo, nec recidant ſiue ob longitudinem, ſiue ob ſubtilitatem inter „diſcen-

Methodus docendi Origeniana.

d) Conſentit HVETIVS l. c. c. 2. §. 19. e) p. 10., edit. Hoeſch.

„diſcendum. Quantus itidem ſit iudicii defectus, quanta temeritas, tum in „his qui adſtipulantur fortuito oblatis, qualiacunque fuerint, licet emen„tita: tum in iis, qui ſaepe contradicunt, etiamſi dicta cum veritate con„ſentiant. Adſuefeciſſe etiam eos non temere, atque vt caſus fert, teſti„monia proiicere, iterumque renuere, id eſt, modo affirmare, modo „negare idem, ſed vt accurate examinentur non tantum manifeſta, ſed etiam „occulta. Multa enim illic eſſe opinabilia, et quae grauitatem prae ſe fe„rant, verbisque ſpecioſis tanquam vera in aures noſtras incurrant, eum „interim ſuppurulenta ſint et falſa: rurſus alia ſint grauitatis plena, quae, „dum in verbis fide caſſis inſunt, ſtatim tanquam incredenda repudientur, „poſtea vero a perueſtigantibus animumque attendentibus omnium verif„ſima exiſtimentur. Hunc in modum eum, quod ad criticam animae „partem, quae in dictionibus et oratione verſatur, logicae illos erudi„uiſſe. Rurſus abiectionem animi, dum percellitur magnificentia miracu„lisque et varietate, ſapientia denique ſumma operum in fabricatione „huius mundi, quae demiramur quidem, ſed absque ratione, excitaſſe et „erexiſſe aliis diſciplinis, nimirum phyſicis, dum ſingulas res perſpicue indi„caret ac diſcerneret. Et valde ſapienter ad prima elementa eos duxiſſe, ac „deinceps ſermone cetera annectentem peragraſſe totius mundi et cuius„que partis naturam conuerſionemque multiplicem et viciſſitudinem re„rum in mundo, donec perſpicua doctrina ſua et rationibus de ſacra re„rum omnium diſpenſatione ac natura inculpabili ipſos eo prouexerit, „vt loco bruti, rationale in animis ſuis vinculum defigeret. Ita quoque „eos Mathemata, geometriam, et aſtronomiam edocuiſſe et tanquam „per ſcalas quaſdam ad coelum pertingentibus, adque ſuprema vsque eue„ctis permeabile ipſis coelum ad vtrumque μαθήματα feciſſe. Immo et tali „ratione, quae ſummus apex omnium ſint, quorumque cauſſa vel maxi„me philoſophicum ſtudiorum genus excolatur, diuinas nempe virtutes, „quae in moribus verſantur, docuiſſe. Haecque omnia verbis ſuauiter „lenientibus et ſapientia refertis, nec minus tam neceſſariis, quam quae „maxime, de moribus ipſorum vitaeque inſtitutione laborioſe peregiſſe. Im„mo non verbis duntaxat, ſed iam etiam factis ipſis modo quodam impetus „ipſorum gubernauiſſe, et non verbis tantum virtutes ipſis explicuiſſe, ſed „potius ad officia ipſa eos inuitaſſe, idque plus factis, quam dictis. „Hunc vero, ita pergit GREGORIVS *f*), primum et ſolum ſe induxiſſe, vt „Graecorum philoſophiam ſtudio philoſophico complecteretur, et princi„pem ſe verbis inſtigaſſe ad philoſophandum, et operibus inſtigationem „verborum anteuertiſſe, non verba ſolum praemeditata recitantem, ſed nec „recitare dignatum, niſi mente ſincera, et quae recitata in actum perdu„cere contenderet. Ita iuſtitiae praxin vrſiſſe, propria agere, prudentiae, ſe „ipſum cognoſcere, temperantiae, prudentiam conſeruare, fortitudinis, „in his virtutum actionibus perſiſtere, nec relabi, et poſt cetera omnia pie„tatis,

f) Panegyr. in Origen. p. 17.

„tatis, quae principium et finis sit omnium virtutum. Ita philosophia „excultos ad theologiam demum traduxisse, cauendo ne sermones de „Deo ediscentes alicubi in periculum incurrerent. Namque ita philoso„phandum censuisse, vt omnia veterum monumenta, quaecunque a phi„losophis aut hymnodis elaborata sunt, qua fieri posset, sedulitate, nihil „amandantes aut repudiantes, quod iudicio nondum instructi essent, le„gerent, exceptis, quae atheorum essent, qui etiam humanis simul no„tionibus veluti praecipites deiecti Deum aut prouidentiam esse negant. „Reliquos vero omnes versandos esse, ac quasi colloquii causa acceden„dos, sed tamen ne vnum aliquod genus aut dogma philosophicum prae„cipuo honore dignarentur, aut plane reiicerent, siue Graecum esset siue „barbarum, sed omnia audirent; multisque verbis sectariae philosophiae „damna et irrationalem modum exposuisse; quibus ne in praeceps detru„derentur, neque idem experirentur, quod vulgus. Origenem ipsos „non ad vnam quampiam ex philosophicis disciplinis duxisse, neque vo„luisse, vt illorum vestigiis insisterent, sed ad omnes illos amandauisse, „nullum dogma Graecum eos intentatum relinquere cupientem, ipsum „etiam praeuium manu quasi ducendo quicquid in singulis philosophis vti„le esset, et verum, decerpentem ipsis proposuisse, quaecunque autem fal„sa segregata abdicauisse. In iis autem quae ad pietatem proprie perti„nent, ne vlli mentem attenderent, consuluisse, sed Deo soli eiusque pro„phetis adiungendum esse animum: Ipsum autem interea quicquid caligi„nosum et aenigmaticum esset, fuisse interpretatum et declarauisse. Et hac „quidem methodo adhibita, non sine magnificis praeceptoris laudibus „fatetur, nihil abditum et occultum, nihil inaccessum ipsis fuisse, sed „omnem doctrinam ipsis cognoscere licuisse, barbaram et Graecam, my„steriis abstrusiorem et ciuili captui magis expositam, diuinam denique „et humanam, ita vt omnia perlustrandi et perscrutandi cunctisque se ex„satiandi ac fruendi animi bonis largissima esset copia, seu priscum veri„tatis documentum, seu aliter etiam id genus quispiam nominauerit.“ Hactenus Gregorius, qui haec omnia more Origeniano prolixis verborum ambagibus exponit, et coloribus artis rhetoricae pingit, quae apud ipsum legisse, elegantioris dictionis studiosos non poenitebit. Prudenter in hoc docendi discendique stadio constituta esse plurima, si per se intelligantur, cordatus quilibet sponte fatebitur; si vero ad ea referantur, quae supra de communi PP. maxime ex scholis Alexandrinis progressorum praeiudicio deque scopo fineque philosophiae illius Eclecticae vel Syncretisticae potius, differuimus, patebit quoque optime cogitata non potuisse non pessime cadere, eo quod illud philosophandi genus, quod Alexandria suppeditabat, et definiebat, pro illa vera rectaque via haberetur, qua mediante ista ἐκλέξει ad diuiniores veritates peruenire quis posset. Qua opinione cum schola Origenis fuerit occupata, mirum non est, in tam serio ac laudabili veritatem vbique venandi expiscandique studio eam

tantopere a via regia aberrauiſſe, abuſuque philoſophiae in ſacra dogmata perperam intruſae cautelas iſtas, ab ipſo Origene ſuppeditatas magnopere neglexiſſe, vt ex ſequentibus conſtabit. Verum haec de methodo Origeniana dicta ſufficiant. Iam in viam redeundum eſt, et reuertendum ad Origenis hiſtoriam philoſophicam.

Diſcipuli Origenis.

§. XIV. Nempe ſummis eruditionis laudibus conſpicuus, vndecunque diſcipulos attrahebat, et inter innumeros, quos doctrina ſua paſcebat, magna quoque numerebat ingenia, nominis celebritate poſt ea tempora illuſtria. Inter quos eminebant Plutarchus, Serenique duo, Heraclides, Herais, Baſilides, Gregorius Thaumaturgus cum fratre Athenodoro, Thryphon, et foemina quaedam docta Nicomedienſis Barbara. Praecipue vero inter eius diſcipulos philoſophiae quoque laude celebres habiti ſunt Heraclas, Plutarchi frater et Origenis collega, et Dionyſius Alexandrinus, eius poſtea in munere ſucceſſor. Et Heraclam quidem non doctrina modo, ſed et vita moribusque ſe philoſophum praeſtitiſſe teſtatur EVSEBIVS [g]; Dionyſius autem Alexandrinus parentibus prognatus gentilibus, dum ſectarum opiniones ſcrutatur, moreque Alexandrino philoſophatur, ad Origenem delatus, ea, quam ſupra iudicauimus, methodo ad Chriſtianam fidem amplectendam commotus, tandemque ſcholae catecheticae regendae praefectus mortuo Heraclae in ſede Alexandrina ſucceſſit, de cuius circa perſonarum in Trinitate adoranda diſcrimen eſſentiale errore annales eccleſiaſtici conſulendi ſunt [h], et hiſtoria philoſophiae Alexandrinae in conſilium ſimul aduocanda eſt, qua adductus erroneas has notiones, vel locutiones ſaltem incautas ſecutus eſt. Sed nec gentiles ei diſcipuli deerant, quos eruditionis ſecularis fama et philoſophiae amor ad eum adduxerat. Teſte enim HIERONYMO [i], *omnium philoſophorum ſectas ita didicerat, vt ſtudioſos quoque literarum ſecularium ſectatores haberet, et interpretaretur iis quotidie, concurſusque ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, vt ſub occaſione ſecularis literaturae in fide Chriſtiana eos inſtrueret.* Qua ratione ad Origenem in Palaeſtina docentem conuolaſſe Porphyrium adhuc adoleſcentulum, eius philoſophicae eruditionis fama illectum in vita Porphyrii *Tomo ſecundo* demonſtrauimus. Id quod eo minus mirandum eſt, quo magis et ingenio et eruditione reliquos ſui temporis fere omnes antecelluit. Cuius rei teſtes veteres fere omnes ſunt, ii non modo, qui partibus eius fauerunt, ſed et illi, qui inimico in eum fuerunt animo. Et inter iſtos quidem VINCENTIVS LIRINENSIS [k], *tantam ei vim ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis* tribuit, *vt omnes pene multum longeque ſuperaret, tantam adfuiſſe doctrinae ac totius eruditionis magnificentiam* dicit, *vt pauca forent diuinae, pene fortaſſe nullae humanae philoſophiae, quae non penitus*

g) Hiſtor. Eccl. Lib. VI. c. 3.
b) Conf. TILLEMONT. Memoires pour ſervir a l'hiſt. eccleſ. T. IV. P. 2.
i) De Scr. Eccl. c. 54. conf. EVSEB. loc. cit. c. 18.
k) Commonitor. c. 23.

nitus adſequeretur. Inter hos autem EPIPHANIVS [l] ingenii nominisque famam et Graecarum imprimis literarum culturam ei denegare auſus non eſt. Aderat enim ingenii vis ſumma, et vbertas eloquentiae, et vaſta lectio, et diligentia humanas vires tantum non ſuperans, qua pares illi forte pauci inter veteres reperiuntur. Teſtes damus libros eius, magna eruditione et elegantia ſcriptos, quibus ingenii amoenitatem et lectionis copiam luculenter prodidit, de quibus tamen cum ſcriptores hiſtoriae literariae eccleſiaſticae abunde egerint, nihil hic cumulamus.

§. XV. Non omittenda tamen hoc loco eſt mentio φιλοσοφουμένων, quae Origeni tribui ſolent, et a nobis toties vtiliter in partes vocata ſunt, eleganſque hiſtoriae philoſophiae Graecae compendium comprehendunt. Librum illa primum exhibent operis contra haereticos ſcripti, et, quae veterum Graecorum, ac quarundam etiam Barbararum gentium opiniones de rebus potiſſimum philoſophicis fuerint, eleganter accurateque exponunt. Ea diu inter mſc. codices latentia paulo notiora viris doctis fecerat AEGIDIVS MENAGIVS, qui in erudito *ad Diogenem Laërtium Commentario* multoties ad ea prouocando et integra ex iis loca allegando ſaluam eruditis mouit integrum opuſculum typis vulgatum legendi. Horum deſideriis ſatisfecit vir celeberrimus IACOBVS GRONOVIVS, qui luculentum elegantemque libellum ſplendido *Theſauri Antiquitatum Graecarum* [m] operi inſeruit, et, qua erat eruditione critica, Origeni Adamantino opuſculum vindicauit. Prouocat is ad codicum manu exaratorum fidem, qui id Origeni conſtanter tribuant, id quod Lucam Holſtenium quoque et Ioannem Pearſonum promouit, vt Origenis hunc foetum eſſe ſtatuerent. Sunt tamen in iſto opuſculo nonnulla, quae cum Origenis hiſtoria nullo modo conciliari poſſunt, illique hanc ſcriptiunculam abiudicant. Id quod iam vidit eruditiſſimus HVETIVS [n], qui de eo ita luculenter commentatur: *Falſo praeſcribit ſibi nomen Origenis libellus quidam, qui philoſophorum ſectas ac dogmata recenſet et Ὠριγένους Φιλοσοφούμενα ſolet appellari. Primus autem hic eſt liber grandioris operis, quo haereſes omnes confutandas auctor ſibi propoſuerat, quod ex dogmatis philoſophorum haereſeon peſtes fere profectae ſint, hisque conuellendis vtilis ſit illorum confutatio. Laruatae huic ſcriptioni perſonam detrahunt vel iſthaec, quae exſtant in prooemio* [o]: Ταῦτα δὲ ἕτερος ἐξ ἐλέγξεως, ἢ τὸ ἐν ἐκκλησίᾳ παραδοθὲν πνεῦμα, ἐξ τυγχάνοντες πρότερον οἱ Ἀπόστολοι μετέδοσαν τοῖς ὀρθοῖς πεπιστευκόσιν, ὧν ἡμεῖς διάδοχοι τυγχάνοντες τῆστε αὐτῆς χάριτος μετέχοντες ἀρχιερατείας τε καὶ διδασκαλίας καὶ φρουροὶ τῆς Ἐκκλησίας λελογισμένοι ἐκ ὀφθαλμῷ νοσάζομεν. *Nec ea refellet alius, praeterquam diffuſus per Eccleſiam Spiritus ſanctus,*

Philoſophumena Origeni tributa.

l) Haer. LXI. T. I. p. 525.
m) Tom. XI. p. 237. ſeq. ſub titulo: Fragmentum Philoſophumenon.
n) Origenian. Lib. III. app. §. 11. p. 277.
o) p. 13. edit. Wolf.

quem priores apoſtoli adepti eundem recta fide praeditis impertiuere. Quorum nos ſucceſſores facti et eiusdem doni conſortes ſummique ſacerdotii et doctrinae et Eccleſiae cuſtodes habiti oculo non conniuebimus. Atqui nec Eccleſiae cuſtos Origenes nec epiſcopus fuit; epiſcopus autem fuit Epiphanius, et librum ſcripſit de haereſibus, vnde non inanis coniectura ſumitur, hoc opus ad ipſum eſſe referendum. Haec HVETIVS; cuius argumentum cum ſatis luculentum et validum ſit, ita eludere conatur Gronouius: Sicut apud Latinos etiam antiſtes dictus fuerit, non primi ſolum ordinis, ſed etiam ſecundi, ſic etiam Graecam iſtam ἀρχιερατείαν non altius extendere ſignificationem, quam vt notet ἱερατικὴν ἀξίαν. Id vero probare prius debuiſſet vir eruditiſſimus, Origenis tempore, quo magnum illi diſcrimini inter primos et ſecundos ordines pretium poſitum eſt, ἀρχιερατικὴν ἀξίαν ſecundum quoque miniſterii gradum dictum fuiſſe. De ſolis vero epiſcopis intelligendum eſſe philoſophumenon auctorem, vel ex eo patet, quod praeter ἀρχιερατείαν, ſibi quoque διδασκαλίαν tribuat, moneatque, ſe ita verſari in ea, vt omnia cum omnibus communicet, et quae Dei filius reuelarit, ſermone, i. e. pro concione aliis tradat. Notum autem antiquitatis ſtudioſis eſt, publicum docendi munus eo tempore ordinarie ſolis epiſcopis fuiſſe impoſitum, nec licuiſſe presbyteris idem, niſi ab epiſcopo iuſſis exercere. Quibus rationibus inducti viri docti recte Origeni, qui ad epiſcopalem ſedem nunquam euectus eſt, foetum hunc abiudicant. Cui autem ex Veteribus tribuendus ſit, difficile ſtatui poſſe putamus. Quam enim coniecturam pro Epiphanio affert HVETIVS [p], eam praeter dignitatem epiſcopi, aduerſus haereticos ſcribentis plane nihil veriſimilitudinis habere, palam eſt. Immo confundi ab Huetio Epiphanium cum alio, inde colligi poteſt, quia *breuis* illa *fidei Catholicae expoſitio*, quae *Panario* eius adiecta eſt [q], ſynopticam quidem philoſophiae Graecae hiſtoriam quandam continet, ſed ab iſtis φιλοσοφεμένοις diuerſiſſimam; vt taceamus et ſcribendi rationem, quae Epiphanio in vſu fuit, in iſto libello non deprehendi, et tribuere Epiphanium nonnunquam quaedam philoſophis Graecis aliter, quam in hoc ſit opuſculo, diuerſa ab his viri clariſſimi et philoſophiae veteris apprime gnari THOMAE GALEI opinio, qui Aëtii laborem eſſe coniicit, eo quod illum ſe veterum philoſophorum placitis ſcripſiſſe THEODORITVS [r] afferat. Id vero non magis, quam priora, admitti poteſt, cum Aëtius Chriſtianus non fuerit, adeoque ſucceſſorem ſe doctrinae apoſtolicae dicere non potuerit. Celeberrimus autem HEVMANNVS [s], qua eſt ingenii ſagacitate, non ſine eruditione demonſtrare conatus eſt, Didymum Alexandrinum libelli fuiſſe parentem. Cui hoc potiſſimum fundamentum praeſtruit: veram operis inſcriptionem fuiſſe, ἔλεγχος κατὰ πασῶν αἱρέσεων, ſcriptoremque teſtari,

p) Origenian. L. III. p. 277. q) T. I. p. 1086. ſeqq. r) Therapeut. Lib. II. s) Act. erud. 1710. p. 166. ſeqq. et in ſchediaſm. de anonymis et pſeudonymis p. 60.

teſtari, ſe iam olim placita ſiue dogmata haereticorum μετρίως, hoc eſt ſtrictim, expoſuiſſe. Perſuaſum itaque ſe eſſe, ſi oſtendi poſſit, Didymum contra haereticos et copioſius et breuius ſcripſiſſe, nullam eſſe cauſſam, cur illi haec φιλοσοφούμενα non vindicentur. Iam ex Hieronymo atque Theodorito conſtare, Didymum libros dogmatum aduerſus haereticos ſcripſiſſe, hosque breuiorem illam commentationem fuiſſe contra haereticos; pro maiori vero et copioſiori eiusdem argumenti opere habendum ſectarum volumen, ad quod ipſe Didymus prouocat, priusque deperditum eſſe, poſterioris vero partem in his φιλοσοφουμένοις ſupereſſe. Alias rationes viri longe doctiſſimi minus ponderis habentes, quas a magna Didymi hiſtoriae philoſophicae peritia, et a ſimilitudine quorundam locorum Didymi et φιλοσοφουμένων petit, breuitatis cauſſa omittimus. Eleganter haec omnia enarrat, et more ſuo ingenioſe veriſimilitudinis fidem dictis facit celeberrimus Heumannus. Excuſſit hanc coniecturam eamque placere non poſſe demonſtrauit B. Io. CHRISTOPHORVS WOLFIVS', cui nouam libri editionem Gronouii ſuisque notis auctam debemus *). Recte is, niſi fallimur, illi opinioni allatum prooemii locum opponit, in quo ſe ſucceſſorem Apoſtolorum, publicoque docendi cuſtodiendique Eccleſiam munere et ἀρχιερατείᾳ ſiue epiſcopatu munitum auctor indicat. Quae ſi de epiſcopo, ut debent, intelliguntur, omnem pro Didymo argumentationem vno ictu euertunt. Didymus enim non minus, quam Origenes ad epiſcopi dignitatem nunquam euectus inter Eccleſiae tantum Alexandrinae catechetas numeratus eſt. Praeuidit hunc arietem doctiſſimus Heumannus, monuitque, vocem ἀρχιεράτευσε ſumendam eſſe ſenſu generaliori, ſtiloque Scripturae, quo apoſtolorum ſe ſucceſſorem auctor dixit, qui nunquam epiſcopi fuerunt, adeoque de doctore Eccleſiae quouis intelligendam eſſe, cum non inſolens ſit et Scripturae et ſcriptoribus eccleſiaſticis, hanc vocis ſignificationem etiam ad Chriſtianos quoſuis extendere. At, quod pace viri acutiſſimi, nobisque amiciſſimi dixerimus, parum haec ad ſcopum faciunt: non enim ſermo eſt, quem ſenſum vox iſta obtinere poſſit generaliorem, ſed quem in praeſenti loco habeat? Quem ſi inſpicimus, et ex moribus atque conſuetudine iſtius ſeculi diiudicamus, apparebit liquido, non poſſe eum de alio homine eccleſiaſtico intelligi, quam cui illo tempore, vbi iam enata erat epiſcopalis dignitas, commiſſa fuit cura docendae plebis publica. Quod licuiſſe catechetae Alexandrino prius probandum erat. Quamuis enim concedi forte queat, quod ad OPTATI MILEVITANI *) locum monuit MERICVS CASAVBONVS, nec vniuerſalem hunc Africanae Eccleſiae morem vbique fuiſſe, vt ſolis epiſcopis liceret concionari, et id imprimis intelligendum eſſe de praeſente epiſcopo, nec committente id munus presbytero, cum alia loca veterum innuant, presbyteros interdum fuiſſe concionatos, nihil tamen id pro catechetarum Alexan-

*) Pecul. Diſſ. edit. poſter. adiecta. *) Prodiit prima vice Hamb. 1706. 8. *) L. VII. c. 6. p. 46. edit. Dupinii.

Alexandrinorum licentia concionandi probat, cum hic sermo sit de ordinario docendi munere, et quidem in dignitate successionis apostolicae et ἀρχιερατείας, quae nulli vnquam isto quidem tempore presbytero collata fuit. Quod si quis pertinacius tueatur, locum hunc de minoris ordinis doctore publico intelligi posse, et debere, cur non potius Origeni libellus tribuatur, quam Didymo? cum Origenes quoque et catecheta fuerit et presbyter, et interdum extra ordinem ad facienda in ecclesia verba, teste EPIPHANIO [y] inuitatus fuerit? ea vero fuerit in historia philosophica eruditione, vt nec Didymo, nec alii sui temporis facile locum cesserit, vt eruditissimi contra Celsum libri abunde testantur. Huic vero codices mss. tribuunt. Aut itaque huic vindicandus libellus, si locus iste non obstat, aut si is refragratur, Didymo quoque abiudicandus est. Malumus itaque fateri, incertum auctorem esse, nec de eo constare quicquam, Origeni vero libellum tribuendum non esse, nec vim inferendam verbis satis claris, quamuis foetus iste Origenis eruditione indignus non sit. Sed haec ὡς ἐν παρέδῳ.

Origenis eruditio philosophica qualis fuerit?

§. XVI. Quicunque autem φιλοσοφουμένων istorum auctor fuerit, illud certum est, non sacrarum tantum literarum, sed profanarum quoque, et praecipue philosophiae Graecanicae omnis, maxime autem Alexandrinae callentissimum fuisse Origenem. Testantur id praeter eruditissima scripta, tot itinera, quae, ipso fatente, suscepit, vt ex doctissimorum virorum colloquiis literarios, quos colligebat thesauros augeret: et luculentissimae quas per omnia fere scripta sua, repandit, tractationes philosophicae, eclecticum illud, siue syncretisticum potius philosophiae genus, prodentes, quod a Clemente et Ammonio Alexandrinis didicerat. Quod cum mordicus teneret, et huc discipulos quoque manu quasi diligenter duceret, factum est, vt philosophiae Graecorum sectariae inimicum aleret animum, quem multoties prodidit. Diligentissimus in his locis colligendis fuit BALTVS [z], sperans fore, vt eo facilius sibi demonstrare liceat, Platonicam philosophiam patribus inuisam fuisse, si de ipso hoc Origene, sectariae philosophiae aduersario, euinceret, quem in philosophiae gentilis studio modum excessisse, et doctores orthodoxi et ipsa concilia conquesta sunt, et illaudabile studium condemnauerunt. Quod tamen nihil aliud probat, quam hoc: tantopere a philosophia Alexandrina seductum Origenem a veritatis coelestis puritate deflexisse, vt ferre id nullo modo potuerint Ecclesiarum antistites. Quo tamen non negatur, alios doctores parcius et tectius eadem chorda oberrauisse. Id quod luculenter et moderate demonstrauit HVETIVS [a], frustra id negante BALTO [b], rectequ pronunciauit: *Clementem Alexandrinum Academiae pigmentis res Christianas illustrare fuetum esse, quod et maxima pars fecerit vetustiorum patrum,*

y) Haeref. LXV. T. I. p. 525.
z) Defens. PP. Platonisini accusat. p. 249. 346. 379. 411. 512.
a) Origenian. p. 27.
b) L. IV. c. 9. p. 497.

patrum, ſed parcius et verecundius. Dum itaque pro ſectaria philoſophia Alexandrinam Chriſtianis obtruſit Origenes, nihil inde praeſidii enaſcitur Platoniſmo patrum, quam labem ab eius tempore multo magis Eccleſiam afflixiſſe, faſſus eſt RENATVS MASSVETVS [c], candidus et peritus magis hiſtoriae philoſophicae quam Baltus, pleraque fuco illinens. Haec autem ſecularis, quam poſſidebat Origenes, eruditio effecit, vt ſummo eum loco gentiles quoque philoſophi eo tempore viuentes haberent, idque publicis quoque ſpeciminibus oſtenderent. Teſtem damus EVSEBIVM [d], cuius relatio digna eſt, ad quam in philoſophica Origenis hiſtoria attendatur; narrat enim; *Si quando neceſſitas popoſciſſet, vt philoſophica quaedam explanaret, etiam ab eruditiſſimis in illa diſciplina, cum tanta admiratione auditum eſſe, vt ſummus apud illos, et quaſi vnus ex veteribus et primis illis auctoribus philoſophus haberetur. Extare etiam teſtes ſtudiorum eius plurimos apud philoſophos, quorum nonnulli libros ſuos ipſi inſcripſerint, alii autem iudicio eius comprobandos detulerint. Ipſum quoque Porphyrium eum tanquam philoſophum miratum fuiſſe, et de eo haec ſcripſiſſe: ſe Origenem, cum valde ipſe puer adhuc fuiſſet, vidiſſe, arcem totius eruditionis tenentem, eiusque ingentem tum gloriam fuiſſe. Cum enim Ammonii auditor fuiſſet, qui ſummum inter philoſophos locum tenuerit, Origenem, quantum quidem ad eruditionem literarum pertineat, totum pene in ſe transfudiſſe magiſtrum; contrarium tamen magiſtro vitae curſum ingreſſum, cum Graecorum ſtudiis eruditus eſſet, ad ritum religionis barbarum declinauiſſe, eoque ſe conferentem, praeclarum ingenium philoſophicis literis expolitum vitiaſſe, dum vitam quidem Chriſtianam ageret, doctrinae vero et eruditionis Graecorum praefulgidum lumen ineptis et fabuloſis narrationibus occupaſſe. Aſſecutum quippe fuiſſe omnia Platonis ſecreta.* His, quos libros Pythagoreorum et Platonicorum atque Stoicorum legerit, ſubiungit, vt ſupra iam dictum, *et ex his*, ſcribit, *omnia, quae ſecreta et myſtica apud Graecos habentur, ritui eum barbaro et ſuperſtitionibus Iudaicis adaptauiſſe, ac philoſophorum gloriam ad dogmata externa et peregrina conuertiſſe.* Quae ſe ideo afferre monet Euſebius, vt inimicorum quoque teſtimoniis comprobet, quam mira apud ipſos habita ſit eius eruditio. Affert quoque ipſius Origenis epiſtolam, in qua contra eos ſe tuetur, qui hanc illi conſuetudinem cum philoſophis gentilibus exprobrauerant. In ea monet, *cum nonnulli philoſophi vel ad explorandum, vel ad contradicendum ipſum adire coepiſſent, viſum ſibi fuiſſe vtile, vt diligentius eorum opiniones excuteret, idque feciſſe exemplo Pantaeni philoſophiae, Graecaeque literaturae cognitione celebratiſſimi, itemque Heraclae, quem apud magiſtrum philoſo-*

c) Diſſ. I. in Irenaeum p. 24.

d) Hiſt. Eccl. L. VI. c. 18. 19. 30.

philosophorum (Ammonium sine dubio innuit) *inuenerit, illis studiis iam aliquot annis operam dantem, et habitu philosophico vtentem, quem nondum deposuerit, gentilium philosophorum libris legendis totus adhuc intentus.* Ex his aliisque supra iam ex parte allatis omnibus constare putamus, quantus in philosophia Alexandrina vir Origenes habitus fuerit, quemque inter aetatis suae philosophos locum occupauerit. Verum quod summam ei apud plurimos laudem famamque conciliauit, non obtrectationis tantum atque inuidiae copiosus fons extitit, sed errorum quoque pessimorum scaturigines ei pandit, ex quibus lerna malorum ipsi exorta illique motus vehementes excitati sunt, qui Ecclesiam orthodoxam seculo tertio et sequente multis calamitatibus oppresserunt, valdeque commouerunt, de quibus in historia ciuitatis Christianae latius edisserendum est. Nec aliunde haec pestis, quae tam vehementer rem Christianam afflixit, deriuanda est, quam ex philosophia, quam Origenes tam studiose secutus est, Aegyptiaca. Ea enim cum explicandi scripta et traditiones veterum methodum inculcaret allegoricam, hancque ineptiendi viam etiam Iudaeis commendauisset, vt suo loco supra expositum, quorundam inter Christianos doctorum Iudaeorum, maxime Philonis, exemplo deceptorum curiositatem imitatus Origenes, allegoricum illud Scripturam explicandi genus, auctoritate sua in Ecclesiam inuexit, et quod priuatim iam nonnullis arriserat, quasi publicum fecit, quo erroribus et ineptiis quibuscunque lata porta et latibulum apertum est certissimum. Videbat vir ingenio praestantissimus, sed nimio patriae philosophiae amore in praeceps actus, Deorum historias ad notiones philosophicas transferre philosophos Alexandrinos, nec dubitamus, quin eodem fere modo oracula diuina ad placita reformatae doctrinae suae Platonicae transtulerit Ammonius Origenis praeceptor, isque nostro auctor et exemplum extiterit. Cumque solenne esse Iudaeis Alexandrinis obseruaret, legem veterem ita patriae philosophiae accommodare, crederet autem, non felicius fortiusque philosophorum gentilium et haereticorum obiectiones retundi, sensusque Scripturae arcanos saluari posse, quam si patriam illis explicandis methodum adhiberet, ad ineptum hoc interpretandi genus confugit, et quibusdam Scripturae locis sensum certum et definitum non inesse statuit, plerisque autem, licet certae verborum potestates essent, sensum spiritualem siue mysticum applicandum esse contendit. Nec locus nec institutum patitur, vt hunc sacras literas explicandi modum omnibus philosophiae rationalis regulis contrarium, et in ipsa sanctissima oracula iniurium explicemus. Adeant, qui pleniora cupiunt, viros doctos, qui passim hanc pestem tetigerunt [e], et inter eos nuperum Origenis editorem doctissimum CAROLVM DE LA RVE [f]. Id autem omnino notandum est, instrumentum hanc methodum Origenianam

Origeniani errores enati ex philosophia.

e) Vid. HVET. l. c. c. II. q. 13. CLERICVS Hist. eccl. prol. sect. I. c. 5. §. 8. BARBAYRAC de la Morale des peres c. VII. p. 99. BVDDEVS pec. diff. in Parerg. hist. theol.

f) Praef. Tom. I. Opp. Origen.

nam auctori suo se praebuisse, philosophiae Alexandrinae ineptias et nefandos Aegyptiacae morologiae errores sacris Christianorum mysteriis affricandi immiscendique, nouumque et satis quidem impium doctrinae aedificium extruendi. Cuius accurata explicatio ad annalium quidem Ecclesiasticorum vel historiae criticae theologiae veteris scriptores pertinet: quia autem multam puritati doctrinae Christianae labem sequentibus seculis intulit, et exemplum praebet luculentissimum, quam pestilens sidus Ecclesiae exortum sit, ex quo philosophia Alexandrina, dudum de imperio decertans, triumphum egit, potiora Origenis dogmata, quae ad hanc philosophiam respiciunt, eamque parentem agnoscunt, hoc loco afferemus, cum clarissimam huius seculi philosophiae inter Christianos vigenti lucem affundant. Loca vero ipsa Origenis et pleniorem explicationem apud HVETIVM cum inuenire queat Lector, necessaria strictim tantum annotabimus.

§. XVII. I. Deus potens in res non possibiles omnes, sed eas tantum, quae sunt, tantam fecit materiam, quantam valebat ornare, et in rerum formas diuidere, tantum potuit, quantum ei ad agendum materia submini*s*trauit [g]. Primus hic et fundamentalis Origenis error est, quo materiam cum Deo ita copulauit, vt Deum eius quasi limitibus coërceret, refragantemque materiam non in omnibus obsecundare Deo statueret: eo quod naturam materiae in se consideratam, priuationem et limitationem quandam et nonens habere cum Platonicis Alexandrinis crederet. Platonicum hunc errorem esse obseruauit HVETIVS, obscure vero et minus recte ex doctrina Platonica de anima mundi deriuauit. Quae quamuis potentiam habeat suis limitibus, si Platonem audis, valde definitam, nec plus agere queat, quam illa confert potentia, perperam tamen hoc ad Deum ipsum, de quo loquitur thesis Origeniana, applicatur, cum eo et ordine, et essentia, et potentia anima mundi secundum Platonem minor sit, longeque maior demiurgi sit potentia, qua in condenda materia et ornando mundo vsus est. Neque opus est, vt ad animam mundi Platonicam recurramus, cum ipsius Dei potentiam valde iniurius in Numen restrinxerit Plato, statuens, tantum in materiam posse Deum, quantum materia pateretur [h]. De qua opinione Platonis Ocelli Lucani, Macrobii et Hieroclis loca alibi [i] attulimus. Nec aliter statuere poterat Plato, qui Deo adiungebat materiam non coaeuam tantum et coëxistentem, sed contrariam quoque animaque vel vi potius bruta inordinata ita se mouentem, vt impossibile fuerit principio illi actiuo eam totam in ordinem redigere. Quod cum absurdum videretur philosophis, cum qui e Zoroastris disciplina prodierunt, tum qui in Aegypto secundum Platonem philosophati sunt, occasionem eis dedit abiecto systemate dualistico, emanatiuum recipiendi, materiamque ex gremio Dei deducendi, vt *Tomo secundo*

Systema Origenis philosophico-theologicum.

g) HVETIVS L. II. c. 2. q. 2. p. 29.
h) In Timaeo T. III. opp. p. 30.
i) Ot. Vindelic. Mel. II. §. 11. p. 171.

cundo luculenter demonſtratum eſt. Quod cum caput cardinemque philoſophiae Alexandrinae conſtituerit, eam vero amplexus ſit Origenes, patet inde clariſſime, errores mentemque Platonis de limitata hac Dei potentia ei tribui non poſſe. Neque tamen ideo excuſatur Origenes, qui cum ciuium ſuorum ψευδοφιλοσοφίαις ſequitur, non minus in potentiam Dei iniurius eſt. Nempe ſtatuebat, quod ſupra euictum dedimus, philoſophia Alexandrina, materiam ex ſinu Dei emanaſſe, et ſeminis inſtar eiectam protruſamque eſſe, (προβεβληκέναι, a qua voce nec PP. Platonicos Alexandrinos imitati abſtinuerunt.) Emanatio autem materiae, quam Orientalis quoque philoſophia ſupponit, et cum Alexandrina in concordiam abiit, vt actus eſt Dei non liber, ſed eſſentialis et neceſſarius, ita non niſi limitatione materiae ex Deo eductae perfici potuit, cum, ſi infinita materia ex Deo emanaſſet, Deus ſe ipſum exſtruxiſſet. Materia itaque producta finita et limitata, vel quod Iamblichus dicit, eſſentialitate a materialitate ſeparata, non poterat Deus infinita ex materia finita entia producere, ſed reſtringebatur eius potentia, in ſe quidem abſoluta, ad naturam ſubiecti finiti in quod agebat. Quod cum finita indole ſua non omnia ea admittat, quae Deus ſecundum potentiam abſolutam pro obiecto habere poteſt, vt natura ſua limitationem ſiue priuationem inferat, clare inde intelligitur, quid ſibi Origenes voluerit, ſtatuendo, Deum non plus materiae produxiſſe, quam ornare potuerit, nec plus poſſe, quam finita materia ſubminiſtret. Totum enim dogma Alexandrinum eſt. Et ex his quoque iudicandum eſt, quo ſenſu verum ſit, quod Methodius obiecit [k] Origeni, eum materiam aeternam Deoque coaeuam dixiſſe. Falſum enim hoc eſt ſenſu Platonico veteri, verum autem ſenſu Platonico recentiori ſiue Alexandrino.

II. Deus quidem craſſiore corpore caret, ſubtilius tamen illi tribui poteſt [l]. Valde incertus, vt ſolet, de hac re fluctuat Origenes, eo quod ſatis quidem acute videbat, corporis notionem Deo non conuenire, Alexandrinis tamen notionibus et principiis occupatus non poterat non Deo aliquam materialitatem tribuere. Et prius quidem ex diſputatione contra Celſum [m] ſatis clarum eſt, cui vehementer indignatur, Chriſtianis Stoicorum ſententiam de Deo, corporeo ſpiritu, tribuenti, omnemque hanc corporis licet actiui et ſpiritualis notionem a Deo remouet. Poſterius autem ex multis eius locis patet; [n] quoties enim de ſubſtantiis ſpiritualibus loquitur, corporis notionem relatiuam, tantum ſibi fingit, eamque eo tantum a Deo ſenſu remouet, quo veteres multi et imprimis Orientales Deum dixere ἀσώματον, non vero omnem prorſus materialitatis conceptum in Deo refugit. Quod non aliter fieri poterat, cum a praeceptoribus Alexandrinis didiciſſet, et materiam ex ſinu eſſentiaue Dei egreſſam eſſe, et corporum quoque materiam ex ea poſſe participare,

k) Apud PHOTIVM Cod. CCXXXV.
l) HVET. §. 5. p. 29.
m) L. VI. p. m. 334.
n) Conf. HIERONYM. ep. 59. ad Auit.

cipare, quam Platonicorum Aegyptiorum hypotheſin clare innuit IAMBLICHVS o). Ex quo conſtat, Deum et materiam non contradictorie opponi apud Origenem.

III. Vniuerſa materia redigetur in ſubſtantiam meliorem. Etiam hoc ex primariis ſyſtematis emanatiui principiis eſt, quod neceſſaria conſequentia ex eo fluit, vt ex ſyſtemate Orientali, Alexandrino Cabbaliſticoque ſuis locis enarrato conſtat. Ita vero nec noui aliquid attulit Origenes, nec alienum a patria philoſophia ſtatuit, quae tota in reuocandis in hoc Deitatis pelagus rebus omnibus etiam materialibus per gradus ſpiritualitatis varios occupatur. Dubitandum autem non eſt, quin Origenes id eodem modo, quo reliqui ſyſtematis emanatiui aſſeclae, intellexerit, nempe vt materiae limitatio et finitas ſemper magis magisque tollatur, et ita priuatio, quae materiae ineſt, auferatur, donec tandem regreſſa in fontem ſuum infinitum, Deum, et in eius eſſentiam abſorpta, infinitatis eius particeps fiat. Qualis enim eius effluxus, talis refluxus, totum enim ſyſtema emanatiuum eſt περιοδικὸν, vt infra demonſtrabitur.

IV. Deus eiusque perſonae, angeli et homo ſecundum animam ſunt vnius eiusdemque ſubſtantiae. Loqui ita Origenem, teſtis eſt THEOPHILVS ALEXANDRINVS, qui tamen vtrum veram Origenis mentem expreſſerit, dubitat HVETIVS p). Sine ratione id facit, ſi quid intelligimus. Suppoſito enim ſyſtemate emanatiuo non poſſunt non Deus, eiusque perſonae, angeli et homo eiusdem ſubſtantiae vel eſſentiae potius eſſe participes, cum omnia ex vno diuinitatis oceano emanauerint. Verum id cum diſtinctione graduum intelligendum eſt, ſecundum quam multo purioris et diuinioris naturae ſunt perſonae diuinae, quam angeli, melioris conditionis angeli, quam animae hominum. Id quod facile capiet, qui ſyſtema Orientale, Cabbaliſticum et Alexandrinum ſuo loco explicatum, probe tenet. Vbique enim hic traduntur ſimilia. Et hinc ratio quoque petenda eſt, cur inter ipſas perſonas diuinas inaequalitatem poſuerit Origenes? Earum enim, ſi ipſum audis, non alia ratio et conditio eſt, quam reliquarum ſubſtantiarum emanantium, gradu, loco, puritate vel mixtione meliorum vel deteriorum, ſuperiorum vel inferiorum. Quod vbique quoque crepuere Alexandrini.

V. Tres ſunt ὑποστάσεις in Deo q). Per hypoſtaſin Origenem more veterum non perſonas intelligere, ſed ἰδιότητας, accurate monuit HVETIVS r). Perſonae enim Origeni vocantur ἰδιότητες. Etiam hoc Alexandrinum eſt, quae philoſophia ſubſtantias omnes ex ſinu Dei egreſſas peculiaribus ἰδίαις a Deo diſtinxit. Non enim, ſi hos audis, et ipſum quoque Origenem, tres iſtae ὑποχάσεις in diuina ſunt eſſentia, niſi radicaliter, quemadmodum λόγες Alexandrinorum, Adam-Kadmon

o) De Myſt. Aegypt. Sect. V. c. 23. p. 138.
p) l. c.
q) In Ioan. T. II. p. 56.
r) Q. 3. §. 3. p. 32.

Cabbaliſtarum, δύναμις Orientalium, ita a Deo diſtinguitur, licet dicant, vnum cum Deo eſſe. Voces enim hae non noſtro ſenſu, ſed quem in ſyſtemate ſuo habent, dimetiendae et explicandae ſunt, niſi in earum interpretatione velimus hallucinari.

VI. Differt filius a patre, et inaequalitatis rationem aliquam obtinet, nempe vt radii a ſole [s]. Transſumtum hoc eſt a λόγῳ Platonicorum Alexandrinorum, quem cum λόγῳ Chriſtianorum non Origenes modo confudit, verum alii quoque patres πλατωνίζοντες, vt ſupra obſeruatum. Nec aliter ſtatuere poterat Origenes, vbi ſemel concepiſſet, λόγον inter emanatiua ex Deo ponendum eſſe, non vero inter immanentia, licet ἰδιότητι diſtincta. Hoc enim ſuppoſito, emanatiuum licet emanationis fonti proximum eo tamen minus eſt, vt multoties iam obſeruatum. Ab hac theſi pendet quoque ſequens aſſertio:

VII. Filius miniſter patris eſt in creatione; adeoque mundus quoad cauſſam primariam a meliori et maiore, quam λόγῳ, creatus eſt [t]. Nihil hic dicit Origenes, quod non de miniſterio τῷ λόγῳ in condendo mundo dixerint patres Ante-Nicaeni plerique, Platonicis, quibus innutriti erant, notionibus ſeducti, vt ſupra obſeruatum. Paulo quidem moderatius et rectius ſentire videtur, interdum de λόγῳ diſſerens, eum enim eſſe in patre, eſſe patris vim et ſapientiam, cum illo vniri, cum patre vniuerſitatis parentem eſſe, et in eo Deum ſe veluti perluſtrare et cognoſcere, adeoque aequali cum patre modo honorandum eſſe ſtatuiſſe, tamquam primogenitum patris et animatam paternitatis rationem, a magiſtro ſe edoctum eſſe ait diſcipulus GREGORIVS [u]. Verum aut pulchrius magiſtrum pingit et ornat, quam par erat, Gregorius, aut haec omnia ſenſu Alexandrino intelligenda ſunt, nempe quatenus λόγος emanatiuum primum eſt, cum fonte Deitatis arctiſſimo vinculo radicaliter vnum, quamuis differat, vt effectus a cauſſa; radius a ſole, riuulus a fonte etc. Ita ſtatuiſſe Origenem ſequens aſſertio prodit:

VIII. Filius eſt emanatio prima ex Deo, a quo dependet in fieri, vnde genitus dicitur [x]. Luculenter hoc ex generatione lucis et radiorum ex ſole prodeuntium explicat HVETIVS [y], qui videndus. Ex hac vero theſi ſequitur alia: nempe filium in eo tantum a materia differre, quod principiatum primum ſit, ex quo, vel, quo mediatore, reliqua emanatiua proceſſerint. Hinc perfectiſſimam creaturarum filium vocare Origenes non erubuit. Paria de homine primogenito Cabbaliſtae habent; de aeone prima Orientales, de mente Dei Alexandrini apud IAMBLICHVM [z], qui omnes eodem conſanguinitatis nexu Origeni addicti ſunt.

IX. An-

s) Ibid. T. II. p. 49. 56. 70. HVET. §. 8. p. 37.
t) Ibid. p. 56. HVET. §. 13. p. 38.
u) In Panegyr. p. 448.
x) Ibid. p. 47.
y) §. 24. p. 44.
z) l. c. Sect. VIII. c. 23. p. 158.

IX. Angeli, mentes, animae, omnesque νόες conditae partim variis modis, et vsu abusuue libertatis in varios ordines redactae sunt, mundusque ideo factus est, vt in eum pro meritorum gradibus demitterentur [a]. Nihil noui hic statuit Origenes, quod non Orientalibus placuerit, et systema Alexandrinum insinuet. Illi enim defeciſſe ex pleromate aeonem quandam et in materiam inclinasse angelosque ideo creauisse statuunt, hi lapsos esse daemones affirmant, quod nec ipsi Platoni displicuit, vt alibi dictum.

X. Angeli sine corpore esse non possunt, sed tenui et subtili. Ita saepius Origenes [b], ratus: solius Dei, id est, Patris, Filii et Spiritus S. naturae proprium esse, sine materiali substantia, et absque vlla corporeae adiectionis societate subsistere. Hinc corporis necessitatem tantopere vrget cum substantiis intellectualibus coniunctam, vt interdum angelos corporeos facere videatur. Quibusdam enim in locis dubius haerere videtur, vtrum angeli animam habeant, nec ne? Quod eo minus mirandum est, quo magis fluctuante fuit animo, et doctrina de angelis in Ecclesia nondum satis definita suisque cancellis constricta, diuersissimae autem inter philosophos de spiritibus his fuerunt sententiae, et imprimis philosophia Orientalis materialitati angelorum valde fauit. Illud tamen ex disertis Origenis locis, ex parte quoque a RADVLPHO CVDWORTHO [c] adductis constare arbitramur, inclinasse Origenem ad illud scholae Alexandrinae dogma, quod et anima et corpore constare angelos statuit. Ita enim luculenter [d]: *Semper erunt rationabiles creaturae, quae indigent indumento corporeo; semper ergo erit natura corporea, cuius indumentis necesse est rationabiles creaturas. Nisi quis putet, se posse ostendere, quod natura rationabilis absque vllo corpore degere possit. Sed quam difficile id, et quam prope impossibile intellectui nostro, in superioribus ostendimus.* Quamuis autem HVETIVS [e] putauerit, dogma hoc cum reliquis Origenis placitis non cohaerere satis, nec cum toto eius systemate conspirare, recte tamen Cel. MOSHEMIVS [f] pronuntiauit, eum falli. Aliud enim systema emanatiuum, quod recepit Origenes loquitur, quo stante, angeli non possunt non esse corpore licet leuiori et subtiliori induti. Cum enim et ipsi non quoad substantiam tantum spiritualem ex fonte rerum omnium immaterialium siue intellectualium scaturiuerint, sed in emanationum quoque ordine longius ab emanationis fonte remoti sint, necessarium est, vt essentia eorum spiritualis magis sit limitata et materiae priuatione coarctata, sicque corporibus induantur. Immo, si coniecturis locus esse potest, suspicamur, Origenem angelis essentiam quidem spiritualem, id est, actiuam et rationalem, ratione internae οὐσιότητος non denegasse, qualem nec in rebus materialibus crassioribus negauere

a) HVET. p. 68.
b) Περὶ ἀρχῶν L. I. c. 6. L. II. c. 2. HVET. p. 69.
c) Syst. intell. c. V. s. 3. §. 34. p. 1084.
d) De Princ. L. IV. fin.
e) §. 6. p. 70.
f) Ad l. c. Cudworthi.

negauere Orientales, Gnoſtici, Cabbaliſtae, Alexandrini, omnes ſororio inter ſe et cum Origene vinculo connexi, eam vero ita materialitate definitam et limitatam ſibi concepiſſe, vt ſpiritualis quoque eo ſenſu, quo Deitatis perſonas ſpiritus dixit, vocari nequeat. Hincque diuerſa illa et diſſentientia eius pronuntiata deriuanda eſſe coniicimus. Quicquid autem huius rei ſit, quod accurate ob incertam mentem ſuam declarandi rationem, quam Origenes tenuit, definiri non poteſt: illud certum eſt, ad angelorum naturam eum praeter rationalem ſiue intellectualem partem, corpoream quoque poſtulauiſſe.

XI. Angeli mali, praeuaricatores craſſius corpus pro criminum modulo adepti ſunt. Eſt tamen hoc quoque corpus ſubtile et velut aura tenuis. Hoc ex antecedentibus intelligitur, et cum Klippoth, ſiue corticibus Cabbaliſtarum, cumque malis Gnoſticorum et Alexandrinorum Platonicorum daemonibus comparatum, Origenem in eodem cum illis luto haeſiſſe demonſtrat. Aliter enim ſyſtema emanatiuum non poteſt ſtatuere. Cum enim mali angeli ex emanantibus quidem ſubtilioribus magisque intelligibilibus ſint, adeoque animam habeant, voluntatis autem peruerſitate ac malitia longius, quam par erat, a fonte ſuo receſſerint, neceſſario craſſiorem corporis naturam accipere debuerunt. Quamuis ideo corpus illud tenue ſit, quod ſubiecti emanatiui intelligibilis perſonam ſuſtineat veſtiatque. Neque magnopere haeremus, vt nobis perſuadeamus, Origenem hoc malorum angelorum corpuſculum non ad ſolius veſtimenti, quo induitur intellectualis eorum anima retuliſſe, ſed ad ipſam eorum naturam, ita tamen, vt eos rationaliter agere poſſe crediderit. Hoc enim philoſophia illa Orientalis, quaeque ex ea prodiere, ſectae vnanimi fere conſenſu ſtatuebant, quamquam interdum ita pronuntiant, vt eos natura mere ſpirituali, corpore licet veſtita, conſtare credidiſſe videantur. Quam ſententiam inter veteres Eccleſiae doctores multi tenuere, vt alibi oſtenditur.

XII. Animae omnes angelorum, hominum, ſiderum ratione et libertate inſtructae, cum aliae in vitium, in virtutem aliae ferrentur, aliae deturbatae in materiam profundi, hae leuatae, proque gradu ſcelerum ex ordine aliae ſuperiori in inferiorem detruſae ſunt.

XIII. Quia tamen libertate adhuc ſua gaudent illae animae in gradum materiae deteriorem detruſae, ea recte vtendo, ſeque a ſcelerum et materiae contagio purgando iterum aſcendere, exque animabus daemones angelique, et ſic porro fieri poſſunt. Dogma hoc characteriſticum ſyſtematis Origeniani eſt, ex quo fontes, ex quibus illud hauſtum eſt, paulo attentior facile diſcere et cognoſcere poterit. Non enim Platonici modo Alexandrini talia praeceperunt, quorum de lapſu animarum earumque detruſione in corpus, et purgatione atque aſcenſu φιλοσοφούμενα nota ſunt, et ſuo loco enarrata, ſed et Orientalis philoſophia, quaeque ex ea enata eſt

Gnoſtica

Gnoſtica et Cabbaliſtica eodem prorſus modo docuerunt, et Platoniſmus ipſe Alexandrinus inde modificatus eſt. Nempe ita emanatiuum ſyſtema poſtulare, quilibet ex dictis intelligit, et imprimis Simonis, Menandri Valentinique hypotheſes de progreſſu aeonis cuiusdam ex pleromate, et inclinatione eius in materiam, de limitata et priuatione ſ. materia coarctata natura aeonum degenerantium, et in peius vergente, ſatis exponunt. Nempe cum omnibus huius ſyſtematis patronis Origeni viſum eſt, quo magis a fonte ſuo principiatum aliquod emanatiuum recedit, hocque vnionis ſuae centrum relinquit, eo magis finitum, et materiale fieri, condenſarique lucem iſtam ſpiritualem in tenebras materiales, donec corpus tandem craſſum, extremique ſcelerum materialium cortices inde exſurgant. Nihil itaque noui Origenes ſtatuit, ſed illud profeſſus eſt, quod omnes admiſerunt, qui ſyſtema παλιγγενεσίας adoptarunt, deque efflu-xu et refluxu in Deum philoſophati ſunt. Et ex his ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων myſterium ſe pandit, quod ne hodie quidem amatoribus caret.

XIV. Habet quilibet homo angelum tutelarem, quem vel a natiuitatis momento, vel a baptiſmi hora accepit. Fluctuat more ſuo Origenes, vtrum vel fideli ſoli, vel homini cuiuis tribuendus ſit tutelaris genius. Ea enim de quaeſtione doctores quoque, qui ante eum vixerunt, in partes abierunt. In quorum opinione conſideranda, detegendisque huius dogmatis fontibus cum ſupra iam prolixi fuerimus, lectorem ad eum locum remittimus.

XV. Acceperunt angeli pro ratione meritorum ſuorum officia regendae materiae.

XVI. Homini duo angeli praeſto ſunt, bonus et malus. Vtrumque dogma ex Platonismo Alexandrino ortum eſſe, et tum Platonicae tum Orientali philoſophiae originem debere, ex iis intelligitur, quae ſupra de vtroque dogmate, aliis quoque Eccleſiae doctoribus non ingrato diximus. Tamque liberalis fuit in diſtribuendis inter angelos muneribus Origenes, vt non regionibus modo, gentibus et ciuitatibus, ſed muneribus quoque e. c. epiſcopali genium tutelarem, praeſidemque deſtinaret. Quod vt ſolenne inter Alexandrinos dogma fuit, ita veriſimile eſt, Origenem, cum videret gentiles terrarum, locorum, munerum, templorum, ſtatuarum etc. praeſidia inter angelos ſiue daemones diſtribuere, didiciſſet autem ab eius aetatis doctoribus, praecipue a praeceptore ſuo Clemente, prouidentiam diuinam angelorum miniſterio in adminiſtrando mundo vti, ita gentilem doctrinam ad ſacra Chriſtianorum placita attemperare voluiſſe. Cum autem totius idololatriae fons hic eſſet deteſtabilis, vt ſupra demonſtratum, ex hoc angelorum tutelarium et praeſidiariorum dogmate ab Origenis tempore, ille angelorum cultus in Eccleſia inualuit, quem ἄτερ γραφῆς introductum bonus quilibet merito indignatur. Non

negat hoc HVETIVS [g], et hunc angelorum cultum ex Platonismo in Ecclesiam irrepsisse fatetur, licet puriorem et defecatiorem ad eam peruenisse contendat. Quod vt examinare huius loci non est, ita id tamen obseruandum, magnopere falli eruditissimum praesulem, contendentem, ex Scriptura sacra ad gentes eam doctrinam peruenisse. Quod in tanta veteris eruditionis luce a tam docto viro dictum esse nollemus. Tota enim reclamat antiquitatis historia, praesertim Hebraea atque Iudaica, vt supra iam obseruatum.

XVII. Animae ante corpora a Deo conditae in eaque tanquam in ergastula demissae propter peccata: nempe propter abusum libertatis. Lucem haec assertio capit ex ⊙. XII. fundamentumque in natura emanationis habet, vt iam dictum. Et absurdum quidem videtur statuere, materiam siue corpus esse carcer poenamque animae, cum tamen vi emanationis ex Deo, vt res omnes, effluxerit. Recte tamen consideratum et ad totum hoc systema relatum cum illo satis cohaeret, vt enim materialitatis ratio in remotiori a fonte summo distantia secundum illud quaerenda est, ita formale materiae in priuatione consistit, quae emananti diuinae substantiae accidit, vt in systematis Cabbalistici explicatione dictum est. Quoniam vero animis rationem et libertatem Origenes tribuit, hinc asseruit, eos peccasse, et in appetendo fonte suo refrixisse, ideoque per gradus exinanitas ex mentibus factas esse animas, et ψυχὰς vocatas esse, quod ipsarum pietatis et charitatis feruor frigescere coeperit.

XVIII. Duae sunt in quouis homine animae. Etiam in hoc dogmate valde fluctuat Origenes, vt obseruatum HVETIO [h]. Caussam huius incertitudinis facile deprehendet, qui mente secum reputauerit, valde dubiam haesisse ipsam quoque in hoc dogmate constituendo sectam Platonico-Alexandrinam; quae interdum duas tantum animae facultates, superiorem et inferiorem, ponit, interdum duas animas in homine admittit, quarum vna ex anima mundi decerpta est, altera ex generatione est, vt videre licet apud IAMBLICHVM [i]. Nec aliter Cabbalistae, vt *superiori Tomo* obseruatum, nec inter Christianos defuerunt, qui huic dogmati adhaererent, vt iam superiori capite de Tatiano annotauimus. Mirum itaque non est, Origenem vestigiis anteceſſorum eo diligentius institisse, quo arctius placitis Aegyptiacis esset addictus.

XIX. Fuerunt initio animae mentes, refrigescente vero Dei amore in animarum statum degenerarunt. Dictum de hac assertione supra iam, quantum satis est.

XX. Animae praeter corpus crassum et visibile subtilius quoque tanquam vehiculum quoddam circa se habent. Etiam haec Alexandrina doctrina est, in qua schola de ὀχήματι multa garriuntur, vt suo loco monui-

g) Origenian. §. 31. p. 86. h) q. 6. p. 91. i) De Myst. Aegypt. Sect. IX. c. 6. 7. p. 169.

monuimus. Discedere hac in re Origenem, vel si mauis Platonicos Alexandrinos omnes, a Platone, quamuis alios philosophos consentientes habeant, obseruauit HVETIVS [k]. Id quod mirum videri non debet, quia proprie hoc dogma ex philosophia Orientali in Platonicam intrusum est, in qua iuxta ordinem atque seriem emanationum inferior emanatio superuestit superiorem, id est, vehiculi instar ambit: ex quo sequitur, animam quoque ex diuino fonte progressam sine eiusmodi corpore subtilissimo esse non posse, qua de re in supra allatis prolixe dicta hoc loco repetere nolumus. Statuit tamen simile quid Plato, dum praeter animam ex mundi anima decerptam, animam quoque quandam astralem admisit. Quam animam astralem Alexandrinos philosophos pro veste vel vehiculo eiusmodi habuisse, ex IAMBLICHO [l] discimus, qui illi, ἀνθρώπινον μορφῆς εἶδος humanae formae speciem tribuit. Ordo vero emanatiuorum principiatorum satis, quid voluerit sibi Origenes, explicat.

XXI. Homo anima, non corpus. Obscura hac in assertione est mens Origenis [m], qui dum more suo fluctuat, dum in diuersa rapitur, dum vel inuidiam dogmatum suorum habet interpretem vel fauorem, diuersissimus saepe a se ipso vel est reuera, vel tamen esse videtur, certe tenebris se abdit vera eius sententia. Clare id de hoc dogmate demonstrauit HVETIVS [n], qui videndus. His itaque tenebris dispellendis remedium aliud non nouimus, nisi vt ad totius systematis Origeniani sensum scopumque respiciamus, credamusque Origenem ita intelligi voluisse, vt ille postulat. Quo, vt debet, admisso, non alius thesi huic sensus affingi potest, quam vt dicamus, Origenem corpus inter partes hominis essentiales non numerasse. Anima enim, vel homo quoque ipse, si hunc audis, exstitit ante corpus: cumque lapsu grauiore in deteriora ruisset, in corpus materiale tanquam in carcerem quendam detrusa est, vt temeritatem recedendi a Deo fonte suo, ex quo emanauit, lueret. Ex his vero vinculis liberanda, et homo, id est, anima vindicata a corporis contagio ad fontem suum reducenda est, vt in eo essentiae suae integritatem atque perfectionem recuperet. Quibus omnibus positis corpus necessario ad hominis naturam, essentiam et perfectionem non pertinet. Id quod nec Platoni ipsi in totum displicuit, nec Platonicis iunioribus, quos praeceptores et condiscipulos Origenes habuit, in quorum schola anima intellectualis iam hominis rationem obtinet, vt ex IAMBLICHO [o] intelligitur: materia autem in relatione ad intellectualia non-ens est, id quod de ipso quoque corpore statuit PORPHYRIVS [p].

XXII. Animae plura corpora intrant, hinc μετενσωμάτωσις ex corpore coelesti, humano vel daemoniaco in aliud, non tamen in bellui-

k) Origenian. p. 100.
l) loc. cit. Sect. VIII. c. 7. 8. p. 162. Sect. X. c. 5. p. 176.
m) PHOTIVS Cod. CCXXXIV. EPIPHAN. haer. 64. c. 17.
n) p. 100.
o) l. c. p. 176.
p) Sent. XXIX. p. 72.

num [q], Reieciſſe Origenem μετεμψύχωσιν Pythagorico-Platonicam, ex multis eius locis maxime in libris *contra Celſum* [r] conſtat. Sed id recte intelligendum eſt, nec ita accipiendum, ac ſi omnem migrationem animarum reiecerit Origenes. Contrarium enim ex Θ. XII. et XIII. patet, quibus animarum per varia domicilia gradusque deſcenſus et aſcenſus reditusque aſſeritur. Vbi itaque abſurditatem obiicit μετεμψυχώσεως Pythagoricae, id modo reſpectu corporum belluinorum vel plane vita carentium intelligendum eſt, a qua inſania ſchola quoque reliqua Alexandrina abſtinuit, ipſeque Iamblichus eam peculiari tractatione confutauit. Maluimus itaque, hanc animarum migrationem μετενσωμάτωσιν vocare, quam μετεμψύχωσιν, id eſt translocationem animae magis, quam migrationem ex vno corpore in aliud. Quamuis fatemur, Origenem ingenii foecunditate et lectionis immenſa fere farragine impeditum obrutumque, non potuiſſe accuratas ſibi rerum, quas ſibi conceperat, notiones formare, et forte ipſum non ſatis ſibi in hoc dogmate conſtitiſſe, ex ſyſtemate itaque emanatiuo tantum eſſe explicandum. Quod vbi regulae inſtar admittimus, iudicium fieri poteſt de Apologia pro Origene, quam ſcripſere Io. Baptista Crispvs [s] et Iacobvs Windetvs [t]. Ille enim Hieronymum confutandum ſibi ſumſit, Origeni tribuenti Pythagoricam in bruta quoque transmutationem, monens, *verba Origenis eo tendere, vt animam, daemonem et angelum vnius velit eſſe naturae, at vero Pythagoricam transmigrationem daemonum magis, et a rationali ad brutam pendere animam, hanc vero non vno loco reiicere Origenem. Hic* μετενσωμάτωσιν *per calumniam Origeni tribui* contendit, *eo quod, aduerſus Celſum diſputans,* μετενσωμάτωσιν ἄνοιαν *vocet, quod naturam rationalem deprimat in omne genus irrationalem, nonnunquam etiam in perceptionis expertem: Definitio quoque animae Origeniana, qua* ἐσίαν φανταστικὴν καὶ ὁρμητικὴν *ſubſtantiam perceptionis et appetitus compotem dixit, locum illi* μετενσωματώσεως *non faciat.* Vterque enim facile admitti poteſt, eo quod de tranſmigratione animarum in corpora brutorum et vegetabilium tantum loquantur. Quamuis autem idem vir doctus ex eo quoque Origenem excuſandum et ab impio hoc dogmate abſoluendum eſſe credat, quod ſcripſerit [u]: *Helias iam venit; non anima Heliae eſt intelligenda, vt ne incidamus in dogma transcorporationis, quod alienum eſt ab eccleſiaſtica veritate*, parum tamen inde pro Origene excuſando exſculpi poteſt, cuius μετενσωμάτωσις alia eſt, quam ea, quam his verbis ſugillat, quae migrationem potius vnius animae in multa corpora, quam translocationem animae per varios gradus vel depreſſae, vel eleuatae in deteriora vel meliora corpora animata et rationali hoſpite inſtructa

q) Photivs Cod. CXVII.
r) Lib. III. p. 162. Lib. IV. p. 225. Lib. VI. p. 272. Lib. VIII. p. 409.
s) De Platone caute legendo p. 464. ſeqq.
t) De Vita functorum ſtatu Sect. V. p. m. 101.
u) Hom. III. in Matthaeum.

inſtructa indicat. Interim facile pro Origene excuſando admitti poteſt, quod addit: *Quae diſcutienda de transcorporatione propoſuit in libris περὶ ἀρχῶν, non ſunt pro decretis et ratis ſententiis habenda, id enim ne fieret, non vno in loco cauet Origenes philoſophorum omnium modeſtiſſimus.* Ex hoc autem non ſequitur, recte eum circa hoc dogma ſenſiſſe, licet, vt erat animo titubante et incerto, et nec accuratus ſatis, nec a metu contrarii liber, nihil pro certo et decreto quodam affirmauerit. Semper enim ei abſoluendo obſtat, ſyſtema emanationis, quod elegit, περιοδικὸν, ſecundum quod vel in deteriora vel in meliora corpora abeunt et transplantantur animae, donec ex errore reuocatae ad fontem ſuum reuocentur. Ceterum vt hoc quoque addamus, PHILASTRIVS [x] dum haereſin enarrat, quae dicit, *animas foeneratiorum, ſceleratorum et homicidarum et aliorum talium tranſire in daemones*, Origenem inter hos non numerat, ex quo cum CRISPO [y] contendit FABRICIVS [z], praeter rem hanc opinionem tribui Origeni. Verum nihil inde pro Origenis innocentia exſculpi poſſe putamus. Aut enim, quod contendit HVETIVS [a], Origenis veneratione et amore ductus, eius nomen ſilet, aut huic eum haereſi, quam Tertulliis tribuit AVGVSTINVS [b], addicere noluit, quod ea animas peccatorum tranſire dixerit non in daemones modo, ſed in pecudes quoque, et beſtias et ſerpentes, quod reieciſſe Origenem ſupra obſeruauimus.

XXIII. Inter ſpiritum et corpus anima eſt media, quae vel huic vel illi aſſentiendi libertatem habet [c].

XXIV. Aſtra animata ſunt, (quia ſcilicet a praeexiſtentibus mentibus informantur) ex animabus quae non ita male ſe geſſiſſent: hinc ratione pollent, Deum laudant, peccare poſſunt etc [d]. Eſſe hoc dogma vetuſtiſſimum et Barbaricum, ex hac hiſtoria philoſophica ſatis notum eſt, nec inter Alexandrinos et Cabbaliſtas ignotum, qui ſideribus mentes rationales praeſides vel incolas praeeunte ipſo Platone, tribuunt. Qua de re cum nihil Origenis tempore in Eccleſia eſſet definitum, mirum non eſt, eum hanc quoque mentium ſedem retinuiſſe. Id quod eo magis fieri debuit, quo magis illis ſubſtantiis ſiue mentibus intellectualibus, quae leuius peccaſſent, melioris quoque conditionis ſedes corporea erat tribuenda, ſi dogmata omnia rite inter ſe cohaerere debebant. Inde vero ſequentis quoque aſſertionis ſenſus liquet:

XXV. Cum ſiderum animae rationales ſint, ſequitur inde, ea futura ſignificare poſſe. Ita enim a vetuſtiſſimo iam tempore de ſiderum poteſtatibus iudicarunt philoſophi, vt ſaepe obſeruatum.

x) De Haereſibus c. 121. p. 250.
y) l. c.
z) Ad l. c. Philaſtrii.
a) l. c. Lib. II. c. 2. q. 7. §. 18. p. 102.
b) De Haereſ. c. 78.
c) In Rom. I.
d) T. XIII. in Matth. p. 326. HVETIVS q. 8. §. l. p. 127.

XXVI. Quia perpetuae rerum omnium periodi ſunt, ideo nulla eſt aeternitas animarum damnatarum, ſed poſſunt animae aſcendere, et relabi. Πρῶτον ψεῦδος hoc Origenianum eſt, ex emanatiuo ſyſtemate neceſſaria conſequentia fluens. Vt enim primus rerum omnium fons ſcaturire nunquam deſinit, nec ceſſant ex eo progredi innumerabiles fluuii et riuuli, qui quo longius a fonte recedunt, eo deterioris fiunt et impurioris conditionis; ita per circulum illum, qui fonti ſupremo ineſt, aeternum, cuncta quoque ad eum redire reuocarique oportet, et denuo ex eo proſilire, ſicque aeternum hunc emanationis periodum volui reuoluique. Quae fatalis rerum omnium catena vt omnibus placere debuit, qui emanatione ex Deo omnia exiſtere dixerunt, ita Origeni quoque diſplicere non potuit. Hincque illa ſucceſſiua mundorum innumerabilium ſeries, quam ſtatuit Origenes, de qua docte commentantem videſis IACOBVM THOMASIVM [e]. Eſt vero hoc Alexandrino-Platonicum magis, quam Academicum. Plato enim, cum ſyſtema emanatiuum non recepiſſet, hunc quoque ſcopulum ſuo modo euitauit, et fatalem tantum rerum creatarum periodum in anno magno abſoluendam ſtatuit, quo ad priſtinam iuuentutem mundus rediret. Eum enim ſolui non poſſe ob bonitatem dicebat. Stoici autem Origeni et Alexandrinis praeluſerunt, et hoc, niſi fallimur, dogma primi Platoniſmo affricuerunt, ex quorum conflagratione mundi et inde in Iouem redituro mundo redit nouus, reſurgitque Iupiter noua ratione materiam agitans. Qua de hypotheſi Stoica ſuo iam loco *Tomo primo* diſputauimus. Haec Syncretiſmi beneficio recepta in ſcholis Platonicorum recentiorum, veterem Platonis doctrinam eiecerunt. Quibus cum egregie concineret philoſophia Orientalis, mirum non eſt, Origenem quoque huic dogmati manus porrexiſſe, idque ſibi vindicaſſe. Non reiiciendi itaque ſunt, qui cum HVETIO [f], Stoiciſmum Origenem ſeduxiſſe coniiciunt, licet non is ſolus accuſandus ſit, ſed in partem vocanda omnis, quae in Aegypto viguit, doctrina ex Oriente illuc translata. Quod autem a Pantaeno Stoicam philoſophiam ſectanti haec Origenes acceperit, quod poſt HALLOIXIVM [g] viſum eſt IAC. THOMASIO [h]; admitti non poteſt. Cum enim Origenes Clementis Alexandrini diſcipulus fuerit, hic vero Pantaeni, ille Pantaenum audiuiſſe non potuit. Recteque huic coniecturae opponit HVETIVS [i] ſilentium veterum, Pantaenum inter praeceptores Origenis non numerantium, quod omnino huic ſuſpicioni obſtat; vbi etiam admittamus SIDETAE teſtimonium, Pantaenum Clementis diſcipulum facientis. Nec operoſe diſquirendum eſt, vnde Origenes hanc hypotheſin hauſerit, cum conſtet, ex Ammonii eum ſchola prodiiſſe, illam vero Peripateticam et Stoicam philoſophiam Platonicae admiſcuiſſe, et Barbaricae atque Orientali quoque attemperauiſſe. Ex quo intelligi quoque poteſt, quod ſenſu THOMASII [k] ſuſpi-

e) De Exuſt. Mundi Stoica Diſſ. XVII, p. 237.
f) p. 166.
g) Orig. defenſ. Lib. I. c. 1. p. 5.
h) l. c. Diſſ. XVIII. §. 7. p. 240.
i) Origen. Lib. I. c. 1. §. 5. p. 4.
k) l. c. §. 8.

ſuſpicioni locus faciendus ſit, qui Cabbaliſtas in hoc argumento praeceptores Origenis fuiſſe autumat. Origenem enim Cabbaliſticam Iudaeorum philoſophiam, quae tum arcaniſſima habebatur, didiciſſe nullo argumento ſatis firmo conſtat. Verum ex iisdem fontibus, ex quibus has nugas hauſerunt Cabbaliſtae, acceperunt quoque Platonici reformati, nempe ex philoſophia Orientali, id quod ex παραλληλισμῷ harum ſectarum *Tomo ſecundo* allato manifeſtum eſt. Horum autem omnium ſyſtemata cum confuderit in vnum Ammonius, isque myſteria ſua Origeni tradiderit, vera inde ſcaturigo patet, ex qua error hic Origenianus promanauit. Quod reliquum eſt, nec Stoico nec Orientali, nec Alexandrino ſyſtemati toti haec Origenis aſſertio conformis eſt, ſed accommodauit eam doctrinae Chriſtianae inter lucem et tenebras paciſci conatus. Egregie id vidit IACOBVS THOMASIVS [l], cuius *de neutraliſmo Origenis* tractatio legi meretur.

XXVII. Impiarum animarum vitia flammis purganda et excoquenda ſunt.

XXVIII. Hominibus peccantibus aſſignatae ſedes inferiores, vbi torquebuntur pro ſcelerum modo, diutius aut breuius, per maiora vel minora ſupplicia pro gradu vitiorum [m].

XXIX. His autem emendationibus reparati purgatique in ſuperiores gradus perducuntur, donec ad aeternas ſedes perueniant. Paſſim haec inculcat Origenes, cuius loca de hoc purgatorio adduxit HVETIVS [n]. Etiam hoc dogma ἑτερόδοξον Origenem ab Ammonio, Ammonium et reliquos Aegyptiacos philoſophos ab Orientalibus accepiſſe, vix dubitandum eſſe videtur. Qui cum eiusmodi purgationem et exuſtionem finem conſtituerint totius philoſophiae ſuae, hancque Arihmanii ſiue lucis victoriam fore ſtatuerint, idque Gnoſtici quoque et imprimis Valentiniani docuerint, facile fuit in Aegypto degentibus, ex impuris his lacunis eam haurire ſententiam, quam ſyſtema emanatiuum poſtulat. Caue vero ſatisfactionis vel expiationis cauſſa hoc purgatorium admiſiſſe putes Origenem; ille enim ad exurendas ſcorias et conſumendas materialitatis et vitiorum ſordes hunc ignem purgatorium conſtituit. A quo Iudaeos eum tranſſumſiſſe ſuſpicatur IACOBVS WINDETVS [o], eo quod ante Gemaram conditam huius purgatorii mentio nulla inter Iudaeos fiat. Quam tamen ſuſpicionem carere probabilitate putamus, cum veriſimile nullo modo ſit, Iudaeos Origenem legiſſe, eiusque opiniones recepiſſe. Nec hoc refugio opus eſt, cum longe probabilius ſit, ex eodem vtramque partem fonte, nempe ex placitis Orientalibus, hos errores hauſiſſe.

XXX. Ho-

l) l. c. Diſſ. XIX. p. 241.
m) Philocal. c. 1. de Princ. L. I. c. 6.
n) p. 142.
o) De Vita functor. ſtatu Sect. VIII. p. 201.

XXX. Homo primo per cognitionem Dei et eruditionem angelicam, depoſitis erroribus, tum per Dei ſimilitudinem, tandem per intimam cum Deo coniunctionem et vnitatem ſit beatus *p*. Κυρίας δόξα non modo Clementis Alexandrini et Origenis, ſed philoſophorum quoque Alexandrinorum, ſcholaeque Ammonianae, ex qua Plotinus haec ipſa prolixe inculcauit. Cuius diſcipulorum libri omnibus fere paginis ſimilia praecipiunt.

XXXI. Fit id non ſtatim, ſed animae beatorum ab vno gradu ad alterum per varia loca ab angelis ducuntur, ſemperque ſublimius eruditur, vsque ad ſupremum gradum peruenerint.

XXXII. Primus gradus in terreſtri ſit Paradiſo, tum in aëre, et poſtea in aliis coeli locis ſuperioribus atque purioribus. Similia praecepiſſe Alexandrinos et luculentius Cabbaliſtas, Lector ex ſuperioribus, recordabitur. Quod argumento eſt, ex communi eos fonte illa hauſiſſe, firmatque coniecturam, quod Orientalis diſciplina hos reuolutionum et aſcenſionum ordines commendauerit. Fieri tamen potuit, vt Origenes, qui in Palaeſtina diu vixit, a Iudaeis quoque ita ſtatuendi occaſionem ſumſerit; quamuis hi quoque ex iſto Orientali fonte prata ſua irrigauerint. Ipſa enim φρασεολογία Origenis Cabbaliſticae in hac theſi eſt ſimillima. Qua de re tamen nihil definimus.

XXXIII. Ita per immenſa annorum curricula animae ſuis locis emendantur, et ſic Deo per diuerſos ordines reconciliantur, donec mors deſtruatur, ac reſtitutis in hunc ſtatum animis natura corporalis ad gloriam perducatur ac omnia vnum futura ſint, cum Deus fuerit omnia in omnibus *q*. Finis hic eſt ſcopusque totius ſyſtematis Origeniani, quem omnes illi ſibi fixerunt, qui ſyſtema emanatiuum, quod certas emanationis, expanſionis et contractionis ſiue reditus ad fontem periodos et curricula ponit, elegerunt. Aliud enim id non patitur, quam vt aeterno fatalique atque neceſſariis naturae diuinae legibus adſtricto ordine id quod Deus ex ſe expulit, et quaſi eiecit, poſtquam per varios circulos ab eo receſſit, naturamque ſuam, fontisque indolem amiſit, per eosdem gradus circulosque ad eum redeat, ſicque illa limitatio et priuatio, quae materiam, deſtructionemque formae ſiue mortem introduxit, ſucceſſiuis exaltationibus, purgationibus, exuſtionibus tollatur. Quam clauem ſi teneamus, referabimus adyta quae παλιγγενεσίας myſteria occultant, et perſpiciemus, quibus magiſtris profecerint, qui Origenianum hoc dogma recentiori aetate tantis clamoribus et iactantia recoxerunt. Qua de re alio loco diſputandum eſt.

XXXIV. Sequitur ex his, deſitura ſupplicia damnatorum in illa ἀποκαταστάσει rerum omnium, in Deum reducendarum, quod et ipſi continget

p) De Princ. L. I. c. 12. Lib. III. c. 6. *q*) De princip. Lib. III. c. 6.

tinget diabolo [r]. Hoc neceſſarium ſuperiorum aſſertionum conſequens eſt, nec alii fontes, vnde Origenes id hauſerit, quaerendi ſunt. Licet pertinaciter negare nolimus, quod HVETIVS [s] contendit, dicta Scripturae ſacrae perperam intellecta, et methodo allegorica in peruerſos ſenſus pertracta, et Platonicorum ea de re commentationes, ſtudiumque et feruorem vehementem Valentinianorum ſomnia refutandi, eum in hoc errore confirmauiſſe. Cum enim videret, hanc ἀποκατάστασιν requirere ſyſtema, quod elegit, facile fuit, dicta Scripturae allegoriae machinis ita torquere, vt opinioni fauerent huic. Non vero Platoniſmus vetus, ſed recentior huc aduocandus eſt, qui hanc reductionem rerum omnium in Deum ab Orientalibus philoſophis accepit, et ad eius regulam Platonicas doctrinas reformauit. Plato enim materialia in Deum reducere non potuit, cum materiam Deo e diametro et origine, et natura atque indole ſua oppoſuiſſet. Platonici recentiores autem abiecto inepto duorum principiorum ſyſtemate, cum meliora dare conſtituiſſent, materiam ex Deo deriuarunt, eamque in Deum reduxerunt, quam medicinam a Zoroaſtris diſcipulis, vetus Magorum ſyſtema dualiſticum ita emendantibus didicerunt, vt ſuo loco dictum. Et ex horum ſcholis totam ſuam philoſophiam accepit, et cum Chriſtiana doctrina confudit coaptauitque Origenes. Qui cum natura accepiſſet temperamenti ſanguinei portionem aliquam, reliquas larga abundantia ſuperantem, eiusque indole ductus ad eiusmodi amoris et miſericordiae ſpem per ſe inclinaret, fecit hic naturae eius inclinatio, vt eo promtius manum huic dogmati porrigeret, crederetque fauere illi diuinam gratiam, amorem et miſericordiam vel, quod SVLPICIVS SEVERVS [t] habet, *hoc bonitati illius atque pietati congruere, vt qui peritum hominem reformaſſet, prolapſum quoque angelum liberaret.*

XXXV. Succedet huic mundo alius, et illi alius, donec poſt multorum ſeculorum creationem, et interitum aliquid ſeculis maius in omnium reſtitutione futurum, cum Deus erit omnia in omnibus [u]. Haec ex dictis iam perſpicua ſunt, nec prolixiori explicatione opus habent.

XXXVI. Fundamentum totius ſyſtematis hactenus enarrati hoc eſt: Deus materiam ex ſe nunquam non producit, ex qua deinde mundi conditi ſunt. Non enim potuiſſet eſſe Deus dominus, niſi fuiſſet, cuius eſſet dominus [x]. Habes hic Lector veram clauem, qua Origenis ſyſtema reſerauimus. Hoc enim primum et palmarium eius caput eſt: ex Deo materiam neceſſario quodam naturae ſuae actu ab aeterno ſcaturiuiſſe. Cum enim coexiſtentiam et coaeternitatem materiae a Deo diſtinctae infinitas

r) De Princ. L. I. c. 6. T. II. in Matthaeum p. 207.
s) §. 16. p. 151.
t) Dialog. I. c. 3. p. 519. ed. G. Hornii.
u) De Princ. Lib. II. c. 3.
x) PLOTINVS Cod. CCXXXIV.

nitas abſurditates alere videret, validis quidem illam aggreſſus eſt rationibus, ita in Ammonii ſchola edoctus, quae ſimili ratione ſyſtema duorum principiorum rationibus non contemnendis euertit. Cum autem ab Ammonio ſeducto creationis ex nihilo dogma, quod in Eccleſia perſonabat, videretur ἀφιλόσοφον, neceſſario delabi debuit ad hoc emanantis ex Deo materiae ſyſtema, quod ita fatali eſſentiae naturaeque diuinae neceſſitati atque indoli ineuitabili ſubiecit, vt nunquam non ita Deum materiam ex ſe producere ſtatueret. Qua in re deterior Cabbaliſtis doctor eſt, qui emanationis opus voluntati Dei liberae tribuunt; ille vero cum probe intelligeret, neceſſario eſſentiae diuinae actui hanc emanationem adſcribendam eſſe, ſi ex hoc fonte eſſet deducenda, ab aeterno eam contigiſſe, et innumerabilibus periodis euenire conuenienter quidem ſyſtemati delecto, ſed impie et abſurde ſtatuit. Qui error admiſſus non potuit non totum reliquarum aſſertionum erronearum ſyrma poſt ſe trahere.

Et haec breuis illa Origenianae theologiae διατύπωσις eſt, quam inſtitutum noſtrum poſtulabat. Plura ſunt, quae in eo confoderunt veteres, ea vero ad noſtros limites non pertinent: ea enim tantum ſelegimus, quae ex philoſophia Aegyptiaca et Ammonii ſchola hauſit, quaeque, quibus ille fontibus vſus ſit, luculenter edocent. Ita vero nouo exemplo docendi Lectorem occaſionem nacti ſumus, quos peſtilentes fructus Orientalis illa philoſophia in Aegypto Platoniſmo adaptata tulerit, et quam grauia inde damna in Eccleſiam profecta ſint. Si enim extructa ab Origene et Tatiano doctrinae aedificia cum delineatione ſyſtematis Alexandrini Cabbaliſtici et Valentiniani ſiue Gnoſtici alterius comparentur, ſperamus fore, vt veri et natiui inde vultus philoſophiae iſtius Orientalis perſpicue cognoſcantur, appareatque luculenter, nihil nos in eius adumbratione illi philoſophiae generi tribuiſſe ex ingenio confictum. Quam grauis autem iactura fuerit Eccleſiae, quam paſſa eſt, ex quo Origenes indecorum hunc ingenii ſui pullum tot viris doctis, tot monachis, tot presbyteris, auctoritate ſua et eruditionis ſupra modum excellentis opinione obtruſit, et per totum fere Orientem diſperſit, annales Eccleſiaſtici ſatis loquuntur, et vehementes illi motus, quibus Eccleſia ſeculo tertio concuſſa eſt, teſtes ſunt luculentiſſimi, in quibus ciendis inuidiam, aemulationem, odia et his ſimilia plurimum in cauſſa fuiſſe, effeciſſeque, vt nec vitae integritas, nec cruciatus, quos a gentilibus pro religionis Chriſtianae confeſſione pertulit, nec labor, quem Eccleſiae vſibus deſtinauit, plane improbus et admirandus impedire potuerint, quo minus anathemate percelleretur, plusque in eo damnando eiiciendoque atque perſequendo, quam in viam reuocando et conuincendo diligentes eſſent doctores Eccleſiae, lubentes fatemur, dolemusque tanti ingenii virum decenti ratione ad modeſtiorem et ſaniorem philoſophiam non reuocatum fuiſſe. Cuius rei culpa in eo potiſſimum haeſiſſe videtur, quod pleri-

que

que Origenis aduerſarii a philoſophiae praeſidiis non ſatis fuerint muniti eiusque praeceptis inſtructi. Qui cum ὕστερον πρώτερον haud raro vrgerent, eique opponerent, isque videret, inuidiam magis, quam rationem imperare aduerſariis ſuis, et doctores Eccleſiae ante ſuam aetatem nonnulla ſuis valde affinia tradidiſſe, non potuit non in opinione confirmari. Qua ratione errores ſaepe numero ab eorum oppugnatoribus inſipientibus et ineptis confirmatos fuiſſe annales Eccleſiaſtici et philoſophici abunde teſtantur, nec noſtra tempora exemplis carent. Haec tamen omnia pro excuſando Origene non ſufficiunt, qui ſi minus ſapuiſſet, ſi ingenio diffiſus fuiſſet ſuo, ſi iudicium adhibuiſſet, ſi imaginationi deliranti frena non laxaſſet, ſi Clementem non nimis dilexiſſet, ſi ab apoſtatae Ammonii ſchola abſtinuiſſet, ſi naturam eſſentiae diuinae maiori diligentia conſideraſſet, ſi plus ſibi temporis ſumſiſſet ad philoſophandum, ſi in certiora fundamenta inquirendo a fluctuatione perpetua animum cohibuiſſet, ſi ab inepta allegoria deſtitiſſet, dubium non eſt, quin et hos ſcopulos euitauiſſet, et omnes ſui temporis doctores Eccleſiaſticos ſuperauiſſet. Verum infauſto ſidere Alexandrinae philoſophiae procus factus ab adultera hac infeliciter ſeductus eſt. Nec magnopere eum iuuant, quae pro excuſando vel defendendo illo viri docti afferre ſolent: pleraque eum non definitiue, ſed problematice attuliſſe, de omnibus dubitaſſe et vehementer fluctuaſſe, adeoque incertam eſſe veram eius ſententiam, multa ei aduerſariorum vehementiam et inuidiam affinxiſſe, multa eius nomine confinxiſſe, et ad quaerenda erroribus ſuis patrocinia illi tribuiſſe. Doctrinae porro Chriſtianae typum certum eo tempore definitum conſtitutumque nondum fuiſſe, et incerta opinione de quibusdam dogmatibus ipſos doctores orthodoxos fluctuaſſe. Quae vbi omnia concedimus, nihil aliud euincunt, quam Origenem eam, quam debebat poteratque, philoſophi perſonam non ſuſtinuiſſe, et nec prudentiam, nec iudicium, nec ſobrietatem ad philoſophiam ſuam attuliſſe. Maxime vero illum premit, quod errores iſti, quos enarrauimus, quique in ſcriptis eius corruptionis non ſuſpectis occurrunt, non ſcopae diſſolutae ſint, et opiniones vagae, temereque adſcitae, coniecturaeque magis, quam dogmata; ſed vno ſyſtematis nexu colligatae accurate cohaereant, euincantque, et data eum opera hoc ſyſtema ſibi delegiſſe, et in connexione eius conſideranda et adhibenda induſtriam poſuiſſe, et hoc ſibi doctrinae genus proprium feciſſe, quod ab Ammonio didicerat. Quod ſatis ſuperque demonſtrat, pro Origenianis erroribus eos habendos eſſe, qui ex hoc ſyſtemate fluunt.

§. XVIII. Qua fortuna ſeculis a Chriſto nato tribus prioribus philoſophia Alexandrina ſiue Platonica reformata et Syncretiſmo incruſtata vſa ſit, prolixa hactenus enarratione expoſuimus. Dicendum iam pauca eſt, quae fata habuerint reliquae ſectae Graecanicae. Et Epicuream quidem *Peripatetica philoſophia exculta ab Anatolio.*

quidem atque Scepticam philoſophiam ſummopere inuiſam fuiſſe doctoribus eccleſiaſticis, quod aperta impietatis ſemina ſpargere crederetur, ſupra iam demonſtratum eſt. Stoicam autem ſectam Platonicam in ſocietatem aſciuiſſe, hocque ſe ornatu patribus commendauiſſe, Pantaeni exemplo didicimus. Reſtat inter ſectas in Romano orbe tunc vigentes Peripatetica, quae qua ratione in concordiam cum Platonica reliquoque Aegyptiorum philoſophorum Syncretiſmo ire coacta ſit, ex antecedentibus iam conſtat, ex quibus etiam liquet, quam mutationem et corruptionem paſſa ſit, vt poſſet Chriſtianis quoque doctoribus commendari. In ſe vero ſpectata, negari non poteſt, eam cum ob ſtudium ſectarium, quod doctores Eccleſiae recte deteſtabantur, tum ob negatam Dei prouidentiam in mundo ſublunari et euerſam animae immortalitatem peſſime apud eos audiiſſe, eo quod iuſta perſuaſione crederent, fundamenta Chriſtianae veritatis periculoſis iſtis dogmatibus ſubrui et euerti. Et erant quidem nonnulla, quae patres philoſophantes non improbabant, eo quod acute dicta eſſe viderent. Ea vero ſecta Eclectica ſibi iam vindicauerat, et quae durius dicta erant, ita emolliuerat, vt Ariſtotelica dogmata ſenſu magis Eclectico quam genuino reciperentur: cuius exemplum doctrina de aeternitate mundi eſſe poteſt. Dialecticae autem ſubtilitatis ἀκριβείας laudem cum valde contaminaſſent haereticorum velitationes, in quibus his potiſſimum armis contra orthodoxos pugnabant, factum inde eſt, vt hoc quoque nomine inuiſum eſſet patribus Ariſtotelicae philoſophiae nomen. Quod totum fere intercidiſſet inter Chriſtianos, niſi labenti Ariſtotelis auctoritati humeros ſuppoſuiſſet ANATOLIVS Alexandrinus, et ſcholam Peripateticam in patria Plotini fama nouaeque ſcholae incrementis penitus depreſſam reſuſcitauiſſet. Aderat viro doctiſſimo eloquentia viua, elegantia atque vi ſua commendatiſſima, et in omni philoſophiae genere eruditio, cui eo tempore pauci pares videbantur. Teſtis enim eſt EVSEBIVS [y], inter omnes ſui temporis penitiori literatura et philoſophia praeſtantes principem ſine dubio locum eum tenuiſſe, quippe in quouis doctrinae genere, arithmetica, geometria, aſtronomia, phyſica quoque, dialectica atque rhetorica ad ſupremum vsque faſtigium eruditum. Idem de eo refert HIERONYMVS [z], qui mirae eum doctrinae virum appellat, et ingenii magnitudinem ex ſcriptis eius elucere iudicat. Talis cum eſſet, rogatus ab Alexandrinis eſt, qui concidiſſe Peripateticae ſcholae ſucceſſionem dolebant, vt, quod in Platonica Plotinus ſuſceperat, in Ariſtotelica ipſe proficeret, nouamque eius ſucceſſionem cathedramque conſtitueret, in qua Ariſtotelis potiſſimum doctrina perſonaret. Quod munus ipſi commiſſum, teſte EVSEBIO [a] in ſe recepit, nouumque Peripateticae philoſophiae praeſidium attulit. Id quod eo felicius fieri potuit, quo maiori gaudebat et eruditione et prudentia et dexteritate, quam eius praeſtantiam mire extollunt ſcripto-

y) Hiſt. Eccleſ. Lib. VII. c. 32. z) De S. E. c. 73. p. 162. a) l. c.

ſcriptores eccleſiaſtici, et praecipue Euſebius, qui quoque, quanta prudentia et animi rectitudine patriae ſe ciuem bonum in calamitate publica, fameque ex obſidione vrbis coorta praeſtiterit, narrat. Tanta certe eius fama atque exiſtimatio fuit, vt et praecipuam inter ciuitatis proceres honoris praerogatiuam obtineret, et relicta tandem, (incertum quibus de cauſſis) Alexandria in Syriam profectus a Theotechno Caeſareae Palaeſtinae praeſule manuum impoſitione epiſcopus crearetur, ipſique ſucceſſor deſponderetur. Poſtea Antiochiam profectus, cum Laodicaeam pertranſiret, tanta eruditionis et praeſtantiae eius fuit exiſtimatio, vt, decedente tum Euſebio Alexandrino, vacuam ſummi antiſtitis ſedem occupare iuberetur, quam quoque dignitatem ſuſcepit, et cum laude geſſit. Valde commendata fuit eius doctrina, quod philoſophiam cum reliquo eruditionis apparatu coniunxiſſet, et eloquentiae ornamentis commendauiſſet, vnde EVSEBIVS teſtatur, *cum non adeo multa ſcripſerit, in iis tamen, quae reliquit, ſatis apparere eius eruditionem* ἐμὲ τό, τε λόγιον καὶ πολυμαθές. Qua vero ratione Peripateticam philoſophiam excoluerit, non conſtat, cum commentationes eius Ariſtotelicae nullae extent. Suſpicamur tamen, eum a Syncretiſmo tam late Alexandriae regnante, non totum abſtinuiſſe, ſed Pythagorico-Platonica cum Peripateticis, et cum his Chriſtiana nonnulla in concordiam redegiſſe. Id enim eius aetatis ratio et philoſophandi modus atque ſtudium ſuadent, et vel inde colligi poteſt, quod myſteria Pythagorica, quae in numeris tum temporis quaerebat ſchola Platonico-Plotiniana, ad theologiam naturalem transtulerit. Scripſit enim *Inſtitutionum arithmeticarum libros decem* [b], ex quibus excerpta hodie extant inter *Theologumena arithmetica.* Illud certum eſt, cum in mathematicis ſcientiis eximie eſſet eruditus, eas virum hunc doctiſſimum ad philoſophiam transtuliſſe, eique tradendae adaptaſſe. Dedit enim nobis Cel. FABRICIVS [c] Fragmenta quaedam ex Anatolio, ex Peireſciano codice olim a Luca Holſtenio deſcripta, quae nos ſatis ea de re conuincunt, docentque, Anatolium more Pythagorae, Platonis et Ariſtotelis introductionis in philoſophiam loco mathematicas diſciplinas commendauiſſe. Monet enim in iis: Ariſtotelem philoſophiam in theoreticam et practicam diuidendo, et practicam in ethicam et politicam diſtribuendo, theoreticae theologiam, phyſicam et mathematicam tribuiſſe, recteque et prudenter demonſtrauiſſe, matheſin philoſophiae partem eſſe. Pluſcula quoque affert ad hiſtoriam originum mathematicarum pertinentia, et in eius fatis enarrandis non negligenda, quae hic non tangimus. Vrget etiam ex Peripateticorum praeceptionibus, μαθήματα proprie ſic dicta ſine μαθήσει diſci non poſſe, et ex Archytae mente ſine his aeterna et immutabilia atque vera rerum omnium principia in ſcientiis comprehendere neminem, et iuniores demum mathematicos diſciplinas illas mixtas inuexiſſe, adeoque pro praeſtantiſſimis

b) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 274. Vol. V. p. 277. c) l. c. Vol. II.

mis partibus habendam esse arithmeticam et geometriam. Egregie quoque monet, arithmeticae maxime cognatam esse λογιστικὴν καὶ κανονικὴν, quae quantitates et qualitates sermonis iuxta numerorum analogiam dimetiatur: constare autem multa in mathematicis hypothesibus etc. Ex quibus ea, quae de Anatolio diximus, satis confirmantur, qualisque scholae Peripateticae sub hoc magistro facies fuerit seculo tertio, (quo ad finem properante floruit) discitur. Eruditionem autem eius mathematicam ex *canone* eius *paschali*, quem ex praua licet Ruffini versione edidit AEGIDIVS BVCHERIVS [d], quemque veteres passim valde laudant, colligere licet, de qua tamen alibi dicendum. Ceterum hunc Anatolium cum aliis eius nominis non confundendum esse, alibi iam monuimus. Accidit id doctissimo VALESIO [e], eum cum Anatolio quem Iamblichi praeceptorem facit EVNAPIVS [f], miscenti, vt iam *Tomo secundo* obseruatum.

Patres seculi quarti philosophiae peritii.

§. XIX. Haec philosophiae inter Christianos regnantis facies fuit seculo tertio, eundem fere seculo quoque sequente vultum seruauit. Qui enim illo seculo vixere patres, vt eruditione plerumque praestabant, in haud pauci fuerunt, literaturam Graecanicam, et praecipue philosophiam Graecam apprime docti. Quam more doctorum seculi secundi atque tertii in hunc potissimum finem adhibuerunt, vt superstitionem gentilem profligarent, et pro veritate Christiana fortiter dimicarent. Quo in negotio haud pauca eos egregia attulisse, negari non potest. Obstitit tamen viris egregie meritis vetus praeiudicium, esse in Platonis philosophia haud pauca, quae ex vetustissimorum Hebraeorum fontibus, diuinaque ratione inter gentes ex parte diffusa ad eas dimanassent, et quibus vindicandis Christianis eo magis esset studendum, quo magis iniusti harum veritatum possessores essent philosophi gentiles. Quo praeiudicio impediti cum externam quandam inter Platonica et Christiana dogmata conuenientiam obseruassent, incauti haud vna ratione in errores lapsi sunt: vt supra iam ex parte obseruatum. Fuerunt autem hoc seculo, quo valde floruit literatura secularis, multi quidem eruditionis laude insignes, maxime vero ex illis, quorum apud veteres celebratior est memoria, notandi sunt Arnobius, Lactantius, Eusebius, Pamphili, Didymus Alexandrinus, Chalcidius et qui reliquorum lumina eruditionis et famae celebritate obscurauit Augustinus. Quorum historia cum in annalibus ecclesiasticis enarrari soleat, ea nos tantum afferemus, quae ad nostrum institutum proprius spectant, et eorum circa philosophiam circumstantias exponunt, vt, quo loco philosophiam hi viri magni nominis et eruditionis habuerint, pateat, eiusque fata inter Christianos iusta serie enarrentur.

§. XX. AR-

d) Antverp. 1634. fol. Fragmenta Graeca extant apud EVSEBIVM l. c. c. 32.

e) Ad l. c. Eusebii.

f) Vit. Iamblichi.

§. XX. ARNOBIVS gente Afer fuit apud Siccam Veneream mediterraneae Africae vrbem ineunte ſeculo quarto clarus, vbi rhetoricam publice docuit, et gentilem ſuperſtitionem maſcule promouit. Somnio tamen ad amplectendam Chriſtianam religionem excitatus baptismatis veniam ab epiſcopo rogauit, impetrare vero prius non potuit, quam edito aduerſus gentiles libro apologetico erudito et luculento ſinceritatis ſuae pignus edidiſſet, et quod ſerium ipſius de Chriſtiana religione amplectenda ſtudium eſſet, teſtatum feciſſet. Multam hac in tractatione eruditionem et veteris quoque philoſophiae atque theologiae gentilis cognitionem oſtendit, nec acumine deſtituitur. Verum cum nec ſatis accurate Chriſtiana myſteria tum quidem teneret, nec quid diſtarent in hoc arduo negotio aera lupinis ſatis noſceret, factum eſt, vt in multis laberetur, quos tamen eius errores delinearunt, qui alibi exponendi ſunt [g]. Alienum tamen a noſtro inſtituto non eſt, quosdam hoc loco Arnobii errores notare, quibus a philoſophiae gentilis manuductione deceptus eſt. Nempe ita de rerum omnium materia [h]. *Quid ſi prima materies, quae in rerum quatuor elementa digeſta eſt, miſeriarum omnium cauſſas ſuis continet rotationibus inuolutas? Quid ſi materiae ſaeuae iſta, quam ſub noſtris calcamus ingreſſibus, hanc habet ſibi legem datam, vt exſpiret nocentiſſimos halitus, quibus corruptis aër iſte et corporibus labem ferat, et negotia infirmet humana? Quid ſi, quod proximum vero eſt, quicquid nobis videtur aduerſum, mundo ipſi non eſt malum: omniaque quae fiunt noſtris commoditatibus ſtatuentes, opinionibus improbis criminamur euenta naturae?* Non licebit hic regerere haec in Arnobio culpanti, noſtrae quoque aetatis philoſophos maximae famae ſimiliter haec proxima vero habuiſſe [i]. Alia enim illis ratio eſt, quam Arnobio, qui ea in re Platonem ſecutus eſt, ſtatuenti, ea quae in mundo mala eueniunt, ex materiae vi bruta et ordini refragante orta eſſe, quae a creatore ob materiae repugnantiam in ordinem penitus redigi non potuerint, indeque illi ſuffeciſſe, vt haec ad totius ſyſtematis mundani conſeruationem certo ordine dirigeret, ſicque, quantum poſſet, ea emendaret. Quod ipſe prodidit Arnobius ad Platonis auctoritatem non ſine eximio elogio prouocans: *Plato ille ſublimis apex philoſophorum et columen, ſaeua illa diluuia et conflagrationes mundi purgationem terrarum ſuis eſſe in commentariis prodidit: nec vir prudens extimuit, humani generis ſubuerſionem, cladem, ruinam, interitus, funera rerum inpouationem vocare, et iuuentutem his quandam redintegratis viribus comparare. Euenta haec omnia, quae fiunt et accidunt mole ſub hac mundi commodulis non noſtris ſed ipſius pendenda ſunt rationibus ordinibusque naturae.* Alibi [k] vero de Deo cum veteribus quidem

Arnobii philoſophia.

g) Vid. praeter Scriptores Hiſtoriae literariae eccleſiaſticae P. BAYLE Dict. T. I. art. Arnobe p. 349.

h) Lib. I. c. 8. 9. p. m. 12. edit. Cauteri.

i) Non ſine iucunditate conferri poteſt Celeberrimi POPII philoſophi Angli Tentamen de homine cum hoc loco Arnobii.

k) c. 20. p. 2.

quidem aliis, ſed parum accurate ita differit. *Prima enim tu cauſſa es, locus rerum ac ſpatium, fundamentum cunctorum quae ſunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, ſolus etc. de quo nihil dici et exprimi mortalium poteſt ſignificatione verborum: qui vt intelligaris tacendum eſt, atque, vt per vmbram te poſſit errans inueſtigare ſuſpicio, nihil eſt omnino mutiendum. Da veniam rex ſumme tuos perſequentibus famulos et fugientibus ignoſce tui nominis et religionis cultum.* In quibus verbis rhetorem magis agnoſcas, quam philoſophum, quem in tam arduo argumento adeo non affectat, vt dicat: *Ita eſt periculoſum argumentis aggredi, Deum principem comprobare, quam ratione huiusmodi eſſe illum, velle cognoſcere. Nec quicquam refert, aut diſcrepat, vtrumne neges illum, an aſſeras atque exiſtere fatearis: cum in eadem culpa ſit, et aſſertio talis rei, et abnegatio refutatoris?* Cui aſſertioni omnem philoſophiae vſum in demonſtranda Dei exiſtentia reiicienti hunc colorem quaerit, *quod nemo ſit, qui non cum iſtius principis notione diem primae natiuitatis intrauerit, cui non ſit ingenitum, non affixum, immo ipſi pene in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe regem ac dominum, cunctorum quaecunque ſunt moderatorem?* Quae oratoris declamatio vtrum philoſophanti ſatisfacere poſſit, Lectoris arbitrio iudicandum relinquimus. Paſſim etiam dum humanam imbecillitatem fugillat, Scepticis arma ſubminiſtrat. Ita enim de Chriſto [l]: *qui arrogantiam conſtrinxit noſtram et elatas ſupercilio ceruices modum fecit ſuae infirmitatis agnoſcere, qui animantia monſtrauit informia nos eſſe, vanis opinionibus fidere, nihil comprehenſum habere, nihil ſcire, et quae noſtros ſita ſunt ante oculos non videre.* In quibus verbis optimum Seruatorem tantum non Scepticorum agmini praeponit datque ducem. Quod ne ad ſacra tantum dogmata pertinere dicamus, obſtat alius locus [m], vbi in ipſam artem rationalem inſurgit, et rationibus ſcepticis contra gentiles militat, et collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quaeritur aſſertionis, ſuſpicantes adiuuare, non veritatis lineamenta demonſtrare aſſerit. Id quod infra repetit [n], cauſſatus, enthymemata, ſyllogiſmos, resque alias ſimiles non ſpondere veritatem aliquem ſcire. Et ita paſſim, dum philoſophiam gentilem aggreditur, in ipſam philoſophiam fit iniurius. Vbi autem aliquid philoſophice definiendum eſt, Platonem ita ſequitur, vt ab eius erroribus ſibi non caueat. Nam et hominem definit [o] animam corpore clauſam, et de anima mere Platonice ita pronuntiat [p]: *Animas immortales eſſe, Deo rerum ac principi gradu proximas dignitatis genitore illo ac patre prolatas, diuinas, ſapientes, doctas, neque vlla corporis attractione contiguas; - - ex vno fonte omnium noſtrum defluere animas, idcirco vnum conueniensque ſentire, non moribus non opinione diſcrepare. Deum omnes noſſe, nec quot,*

l) Lib. I. c. 27. p. 27.
m) c. 39. p. 39.
n) Lib. II. c. 9. p. 53.
o) c. 11. p. 55,
p) pag. 56.

quot in orbe ſunt homines eſſe ſententias totidem, neque infinita varietate diſcretas. At dum ad corpora labimur et properamus humana, ex mundanis circulis ſequi nos cauſſas, quibus mali ſimus et peſſimi. Quae philoſophemata eo digna ſunt, cui Plato ſublimis apex et columen philoſophorum audit. Et tamen alibi [q] omnes inter ſe philoſophos Graecos committit, et ſectariam philoſophiam omnem exagitat, et philoſophis philoſophum Chriſtum opponit. Cuius philoſophiam eo extendit [r], vt *quod immortale, quod ſimplex eſt, nullum poſſe dolorem admittere* dicat, *et Chriſto auctore ſe didiciſſe fateatur animas eſſe mediae qualitatis, et interire quae poſſint, Deum ſi ignorauerint, vitae et ab exitio liberari, ſi ad eius ſe minas et indulgentias applicarint: iaci enim impias animas, et ad nihilum redactas interitionis perpetuae fruſtratione vaneſcere.* Et his quidem ſimilia perperam et ἀφιλοσόφως dicta plura in Arnobio reperias, ex quibus de eius philoſophia iudicium facile fieri poteſt, quaeque euincunt, plus eum in eloquentiae, quam philoſophiae ſtudio operae poſuiſſe.

§. XXI. Arnobii diſcipulus fuit L. Caelius LACTANTIVS Firmianus, elegantiſſimis *de ira Dei, inſtitutionum diuinarum, de opificio Dei, et de mortibus perſecutorum* tractationibus inter veteres celeberrimus, qui ad argumentum, quod tractandum ſibi ſumſit ſacrum perſpicuam caſtiſſimi ſermonis Latini elegantiam attulit, et eruditionem, quam poſſidebat, ſecularem, ſiue profanam ad defendenda Chriſtianae religionis myſteria adhibuit. Cuius theologia qualis fuerit, hoc loco exponi non poteſt, nec ex inſtituto placita eius philoſophica enarrari poſſunt omnia, qua in re otium nobis fecit Cl. Io. IVSTI RAV [s] diligentia. Nos pro ſcopo noſtro pauca obſeruamus, quae tractationi noſtrae lucem aliquam foenerari apta ſunt. Et quod ad philoſophiam quidem attinet, quam tanta iudicii vi non excoluit, quantam ingenii vbertatem ad eloquentiae ſtudium attulit, eandem de quodam philoſophiae ſyſtemate, ex omnium ſectarum placitis congeſto, deque veritatibus ſacris per omnes ſectas ſparſis ſententiam tenuit, quam ſecundi, tertii et quarti ſeculi doctores eccleſiaſtici tantum non omnes profeſſi ſunt. Qua de re *Capite huius Libri ſecundo* eius verba iam attulimus. Hanc vero philoſophiae notionem dum ſequitur et pro norma ſibi ponit, illuc omnem curam ſuam dirigit, vt omnium fere ſectarum doctrinam explorando, totamque gentilium theologiam excutiendo, innumerarum eas contradictionum, errorum et falſitatum conuincere ſatagat, demonſtrareque contendat [t]; *Cum inter ſe magna concertatione diſſideant, ſecumque ipſi plerumque diſcordent, iter earum nequaquam eſſe directum,*

Lactantii philoſophia.

q) Lib. II. cap. 2. pag. 51.
r) pag. 56.
s) In diatr. de philoſophia Lactantii conf. Iourn. des Sauans 1734. Mai art. 4.
t) Inſtit. diu. Lib. I. c. 1. p. m. 7. ed. Lugd. 1567.

rectum, siquidem sibi quique, vt esset libitum, proprias vias impressserint, confusionemque magnam quaerentibus veritatem reliquerint. Hinc philosophos philosophicis armis aggreditur, et de prouidentia Dei, de eius vnitate et spiritualitate, de Stoicorum interpretatione theologiae gentilis physica, de mundo, elementis, homine, vsuque rationis in argumento fidei, de summo bono et natura humana eius capace etc. ita agit, vt quos in his capitibus errores sectae Graecanicae admiserint, copiose demonstret. Non negamus et lectionis copiam, et eruditionis elegantiam, et sermonis suauitatem atque puritatem Lactantium haud infeliciter prodidisse. Ast cum veteri praeiudicio esset impeditus, nihil esse gentilibus proprium, quod veritatem redoleat, sed ea vindicanda esse ciuibus reipublicae Christianae, et cum aliis sui temporis non illicitum putaret pia fraude et mendacio officioso vel ratiunculis temere conquisitis vti ad confirmandam caussam bonam, more quoque veteribus doctoribus Ecclesiasticis recepto in refutandis gentilibus summo zelo non absque inuidiae suspicione ferueret, hinc accidit, vt in refutandis gentilibus philosophis passim turpiter hallucinaretur, et quae bona apud eos inueniebat, nec auctoribus tribueret suis, nec a quibus profecta essent, profiteretur: inuidiosius quoque nonnulla in eo cumularet, et quadrata rotundis misceret. Cuius rei exempla eius libros legentibus vbique occurrunt. Cum autem ingenio magis quam iudicio, valeret, et rationalis artis regulas aut ignoraret, aut negligeret, factum est, vt ineptis et ficulneis haud raro rationibus militaret, et bonam caussam haud raro proderet. Id quod vbique fere tam aperte facit, vt merito miremur, CAVEVM [u] scribere potuisse: *Lactantium grauissimis rationum momentis Christianam religionem vindicauisse.* Mirum itaque videri non debet, vtramque, quam nominauimus, caussam effeciisse, vt scripta falsa, suppositicia et spuria pro genuinis laudaret et adduceret [x], et cum philosophia sectaria omnem philosophiam reiiceret, idque ratiunculis miseris et ineptis, pueros magis et sophistas, quam philosophos decentibus. Quas cum non sine singulari studio collegerit BALTVS [y], vt demonstraret, philosophiam gentilem omnem patribus inuisam fuisse, prodidit is ipse, nesciuisse se, eas Lactantio in laudem ponendas haud esse, quem in Scepticorum castris militare quilibet videt, quamuis eum excusare connitatur Pamelius. Et tamen, cum inimicum in philosophiam animum aleret, nec eum arte rationali excoluisset, ausus est rationibus philosophicis philosophiam gentilem euertere, et meliora illi surrogare, cuius rei specimina vel ex vno *de opificio Dei* libello peti possunt. Quo de conatu olim iam ita iudicauit HIERONYMVS [z]: *Lactantius quasi quidam fluuius eloquentiae Tullianae, vtinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.* Quorum prius vt est verissimum, ita posterius vix

u) Hist. lit. script. Eccles. p. 102.
x) Vid. Lib. I. Instit. diu. c. 6. p. 18.
y) In libro toties adducto passim.
z) Epist. ad Paulin. pag. 104.

vix credent, qui eius dissertationes cum attentione legerint. Et hinc naeui illi, passim in eius scriptis notati, de diuinitate, de aeterna Filii existentia, de animarum praeexistentia et futuro post hanc vitam statu, de fine seculi et mille annorum imperio, de aduentu Eliae aliisque doctrinae Christianae capitibus, qui in historia Ecclesiastica solent enarrari, et de quibus obscure, incaute quandoque etiam periculose loquutum esse Lactantium fatetur GVILIELMVS CAVEVS [a], Ex cuius sententia vtrum supinam negligentiam et imperitiam excusatura sint *apud candidos rerum aestimatores seculi, quo vixit, circa eas res ignorantia, dogmata ipsa paulo abstractiora, nec dum a theologis dilucide explicata, nec synodorum decretis definita, et in quibus ὁμοψύφους habuerit complures praecedentium seculorum patres; diligens eius profanarum literarum studium et continua fere aduersus gentiles certamina, quae totum occupauerint hominem, animumque a penitiore doctrinae Christianae examine reuocauerint*, theologis, ad quorum cathedras illa dogmata proprie pertinent, examinandum relinquimus. Fatemur autem, frustra haec ad ea excusanda afferri, quae in philosophiae studio peccauit Lactantius. Qui aut iudicium adhibere, et sectarum inter se placita distinguere, et cuilibet philosopho suum tribuere, et a falsis et suppositiis probandis et in vsum vocandis abstinere, et siculneas ratiunculas examinare prius, quam afferret, et ordinem seruare, et rationis atque reuelationis lumen inter se non confundere, aut plane calamum deponere et a scribenda pro Christiana religione apologia desistere debuit. Quod ne sine teste dixisse videamur, pauca, prout se oculis offerunt, exempla Lectori exhibebimus. In ipso mox institutionum limine [b] grauiter in philosophiam peccat, ita scribens: *Veritas, id est, arcanum summum Dei, qui fecit omnia, ingenio ac propriis non potest sensibus comprehendi. Alioqui nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia et dispositiones illius maiestatis aeternae cogitatio assequeretur humana. - - Obuoluta in obscuro veritas latet, eaque vel contemtui doctis est, quia idoneis assertionibus eget, vel odio indoctis ob insitam sibi austeritatem, quam natura hominum procliuis in vitia pati non potest.* Non negamus, Lactantium haec de coelesti veritate, quam pandit Christiana religio, intelligere. Verum in eo grauissime peccat, quod reuelationem cum ratione confundat, hacque confusione semel admissa omnem rationis vsum hominibus reuelationis lumine non collustratis deneget. Quamuis autem in ipsam rationem sit iniurius, philosophorum tamen gentilium opiniones ex falsis argumentationibus ineptisque hypothesibus oriundas pro veritatibus duce insita ratione diuina cognitis habet, e. g. Maronis de anima mundi versus non longe a veritate esse pronunciat [c], impiumque Stoicorum errorem Christianis mysteriis aggregat, vt alia taceamus, quibus luculen-

a) Hist. Lit. Scr. Eccles. p. 102.
b) pag. 4. conf. Lib. III. c. 2, 3. p. 182. Lib. III. c. 16. p. 223.
c) Lib. I, c. 5. p. 18.

luculenter prodidit, sed nec philosophorum Graecorum systemata, nec Christiana mysteria recte intellexisse, et ad iustam accuratamque comparationem inter vtraque ineptum prorsus fuisse. Similia de magna eius in philosophia imperitia secundum singulas scientias philosophicas ostendi possent, nisi prolixior timenda esset euitandaque tractatio. Pauci itaque in hoc argumento sumus. Et quam misere quidem ratiocinari solitus fuerit, *Capite* iam *huius Libri secundo* exemplo luculento ostendimus, adeo vt plura hoc loco cumulare cum Lectoris taedio opus haud sit. In naturali vero philosophia turpissime vbiuis fere labitur, quod eo minus mirandum est, quo magis Christiani illius temporis ab ea abhorrebant, quod superstitioni frigidam suffundere crederent. Hinc ad infinitas ineptias dilabitur. E. c. de anima disputans ait [d]: *Videtur anima similis esse lumini, quae non ipsa sit sanguis, sed humore sanguinis alitur, vt lumen oleo.* Et paulo post: *Sciendarum animarum ratio vni ac soli Deo subiacet, quia ex vtroque parente conferri ad animam nihil potest, et ex re tenui et incomprehensibili nihil potest decedere.* Vnde Lucretii versus probat canentis:

Denique coelesti sumus omnes semine oriundi
Omnibus ille idem pater est.

Similiter de conceptione vteroque, deque masculis et foeminis in eo conceptis ineptit [e], quae, ne longi simus, non exscribimus, sed Lectorem apud ipsum legere iubemus, vt, quam puerilis rerum anatomicarum ignorantia Lactantium preserit, intelligat. Cui adscribendum quoque est, quod scribat [f]: *Multa esse in corpore, quorum vim rationemque perspicere nemo, nisi qui fecit, potest. Neminemque enarrare posse, quid vtilitatis, quid effectus habeat tenuis membrana illa pellucens, qua circumnectitur aluus ac regitur? quid renum gemina similitudo? quid splen? quid iecur? quid fellis amarissimus liquor? quid globus cordis, qui vnus sanguinis fons est.* Quae ab homine Christiano eius temporis ignorari quidem aeque ferendum est, ac totius philosophiae, qui in plerisque haerebat, contemtus; ast nescire ea hominem philosophum, in gentilium philosophorum libris exercitatum, quem GALENI *de vsu partium corporis* liber elegans latere non potuit, quique de opificio Dei commentari ausus est, nullo colore excusari potest. Nec meliora affert et excusatius labitur in metaphysicis et pneumaticis. Vix enim in doctore Christiano de Deo philosophante ferri potest, quod asserit [g]: *Diuinam mentem per vniuersas mundi partes intentam discurrere, et omnia regere, omnia moderari, vbique praesentem, vbique diffusam.* Quae Seneca vel Antonino digniora sunt quam Lactantio. De anima vero puerili-

ter

d) De opif. Dei c. 17. p. 718.
e) c. 12. p. 702.
f) c. 14. p. 712.
g) p. 716.

ter ineptit [h]: *Videri mentem, quae dominatum corporis tenet, in ſummo capite conſtitutam, tanquam in coelo Deum: ſed quando in aliqua ſit cogitatione, commeare ad pectus, et quaſi ad ſecretum aliquod penetrale ſecedere, vt conſilium tanquam ex theſauro recondito eliciat ac proferat. Ideoque cum intenti ad cogitationem ſumus, et cum mens occupata in altum ſe abdiderit, neque audire nos quae circumſonant, neque videre, quae obſtant, ſolere. Id vero ſi ita eſt, admirandum profecto eſſe, quomodo id fiat, cum ad pectus ex cerebro nullum iter pateat, ſin autem non, hoc tamen nihilominus admirandum eſſe, quod diuina neſcio qua ratione fiat, vt ita eſſe videatur.* Sed et reliqua legenda ſunt, quae eius infantiam in philoſophia luculenter detegunt. Alia, ne Lectori tuſſim moueamus, afferre nolumus, ex his enim, quam infelix philoſophus Lactantius fuerit, ſatis conſtat. Plura deſiderauit fortaſſe ſatis Cl. Rauii diligentia, qui opiniones eius de corporibus, coelo, ſole, luna, ſtellis, mari, terra, elementis, ſpiritibus, anima et corpore hominis et animalibus expoſuit, et nec cum veritate conſpirare, nec ſecum vbique conſentire, et indecenter de Deo angelisque ſtatuiſſe oſtendit. In morali doctrina laudandum quidem eſt in Lactantio, quod de argumento practico ſollicitus multa de moribus haud inelegan-ter praeceperit, et de officiis hominum, de affectibus contra Stoicorum ἀπαθείαν, contra irae, auaritiae et voluptatis cupiditates (quos tres fontes affectuum conſtituit) non inepte ſcripſerit, diſcrimen quoque inter virtutes Chriſtianas et naturales inter primos obſeruauerit. Verum cum accurato examine iuſtoque, ad quod id exigeret, principio deſtitueretur, non potuit non in his quoque multoties labi. E. g. Ambitioſe contendit [i], *non poſſe quenquam iuſtum eſſe, quod eſt coniunctum cum vera ſapientia, niſi idem ſtultus eſſe videatur*, id quod ex Carneadis diſputatione, iuſtitiam vno die apud Romanos laudantis, altero vituperantis probare nititur, et in ſequentibus naturalis pietatis praecepta cum ſupernaturali Dei cultu miſere confundit, nec iuſtitiam obtinere poſſe putat, niſi adſit ex pietate aequalitas, ſublatisque diſparibus hominum gradibus, diſcrimen tollatur inter pauperes et diuites, humiles et potentes, ipſasque poteſtates, quos in cauſſa fuiſſe ait, quare neque Romani neque Graeci iuſtitiam tenere potuerint, ſolique Chriſtiani iuſtitiam poſſideant, qui omnia humana non corpore, ſed ſpiritu metientes, tametſi corporum diuerſa ſit conditio, neminem tamen inaequalem ſiue ſeruum habent, ſed omnes habent et dicunt ſpiritu fratres, religione conſeruos. Quae quam falſa, quam inepta ſint, veramque iuſtitiae rationem euertant, vel ex ſolo Ariſtotele et, quam ille dedit, iuſtitiae diuiſione intelligere potuiſſet, ſi ſapere voluiſſet. Ex his vero colligi poteſt, qualem ſe in iuris naturalis regulis explicandis praebuerit, in quibus iterum philoſophi ſobrietatem deſideramus.

h) De opif. Dei c. 16. p. 715.

i) Inſtit. Lib. V. c. 15. p. 442.

Tantopere enim patientiam commendat, vt omnem armorum vſum etiam ad iuſtiſſimam ſui defenſionem proſcribat. Qua in re more ſuo pueriliter nugatur. Ecce enim, quid praecipiat[k]: *Sapientis ergo ac boni viri non eſt, velle certare ac ſe periculo committere, quoniam et vincere non eſt in noſtra poteſtate, et eſt anceps omne certamen; ſed eſt ſapientis ac optimi viri, non aduerſarium velle tollere, quod ſine ſcelere ac periculo non poteſt, ſed certamen ipſum, quod fieri et vtiliter et iuſte poteſt. Summa igitur virtus habenda patientia eſt, quam vt caperet homo iuſtus, voluit illum Deus, vt ſupra dictum eſt, pro inerte contemni. Niſi enim contumeliis fuerit affectus, quantum habeat fortitudinis in ſe cohibendo, ignorabitur. Si autem laceſſitus iniuria laedentem perſequi coeperit, vi-ctus eſt. Si vero motum illum ratione compreſſerit, hic plane imperat ſibi, hic regere ſe poteſt.* Quo in ratiocinio apertum eſt Lactantium verum quaeſtionis ſtatum neſciuiſſe, ſcopasque diſſolutas attuliſſe. Paria paſſim occurrunt, e. g. bella omnia reiicit, tanquam homicidia publica in quinto decalogi praecepto prohibita[l]: nauigationem et mercaturam in aliena terra improbat, vſuram omnem damnat etc. quae tamen huc afferre omnia eo minus neceſſe eſt, cum ea confecerit eruditiſſimi BARBAYRACII[m] diligentia, qui ad frigidam Ceillierii Apologiam eleganter reſpondit. Ex his inter multa parca manu datis ſatis, niſi fallimur, confirmatur noſtrum de Lactantii philoſophia iudicium. Quem tamen ſine laude hic dimittere non poſſumus, quod perſpexerit[n], quod tot viri graues et acuti inter veteres non perſpexerunt: Pythagoram et Platonem ſuſceptis ad Barbaros itineribus ad Iudaeos non peruenisſe, cum tamen earum gentium ſacra ac ritus cognoſcere cuperent. Quam obſeruationem eſſe veriſſimam, multisque in philoſophica hiſtoria erroribus fores obſtruere, ex iis, quae alibi de hac re diſputauimus, notum eſt.

Euſebii philoſophia.

§. XXII. Egregie quoque circa iſta tempora de philoſophia Graeca meruit EVSEBIVS PAMPHILI, vir longe doctiſſimus et in Graeca literatura atque philoſophia excellens, quem et vaſtiſſima lectionis copia, et ſtudium haud ſegne pro Chriſtiana religione dimicandi impulit, vt praeter alia duplex opus ſuo modo praeſtantiſſimum, nempe *Praeparationem* et *Demonſtrationem euangelicam* conſcriberet, quod vtrumque nobis a temporis iniuria maximam partem illaeſum ſeruatum eſſe, merito nobis gratulamur. Cum enim praeſul doctiſſimus, communi veterum doctorum praeiudicio occupatus crederet, diſperſas paſſim eſſe inter ſectas Graecanicas inque libris veterum theologorum et philoſophorum veritates multas per traditionem et λόγον ad gentiles delatas, quibus Chriſtiana religio egregie confirmari poſſet, in ceteris, vbi philoſophia Graeca diſſonat, tantum eſſe abſurditatum, contradictionum at

menda-

k) Lib. VI. c. 18. p. 495.
l) c. 20. p. 503.
m) De la morale des Peres c. IX. p. 139.
n) Lib. IV. c. 2. p. 271.

mendaciorum, vt ſua mole totum gentiliſmi aedificium corruat: hanc ſibi demonſtrationem euangelicae veritatis ſuſcipiendam ratus, vt praepararet animos et demonſtrationis materiem colligeret, ex libris gentilium innumeris et philoſophorum ex theologorum, quos nanciſci poterat, indefeſſa eius induſtria ea omnia collegit, quae in rem ſuam eſſent, quaeque philoſophis a Chriſtianis opponi poſſent. Ita vero dum angulos omnes perreptat, dum veteres membranas puluere et ſqualore obductas excutit, dum arcana myſteriorum gentilium penetralia adit, innumera nobis ſeruauit fragmenta librorum veterum hodie deperditorum, ex quibus magna lux accendi poteſt hiſtoriae philoſophicae. Qui ſi minus praeiudiciis fuiſſet occupatus, ſi artem vbique criticam adhibuiſſet, ſi a ſpuriis, interpolatis et adulterinis nunquam ſibi paſſus fuiſſet imponi, ſi ſectarum linguam ex principiis hypotheticis dignouiſſet, et inter ſe diſtinxiſſet, ſi Platonis doctrinam a Platonicorum Alexandrinorum placitis ſeparauiſſet, ſi ad ingens inter ea et inter Chriſtiana myſteria diſcrimen accuratius attendiſſet, non eſſet, quod praeſtantiſſimis lucubrationibus ex omni veteris inter Chriſtianos literaturae penu praeferremus. Verum dum ad hos ſcopulos ſaepe numero allidit, cautum prudentemque lectorem requirit, et tum hiſtoriae philoſophicae, et ſyſtematum veterum accurate peritum, tum artis criticae ſubſidio inſtructum prouidumque factum, nec ſibi imponi patiatur. Cuius rei cum toties exempla afferendi occaſio nobis in hac noſtra hiſtoria philoſophica fuerit, nulla hoc loco breuitati litaturi cumulamus. Ceterum quod ad ipſum eius de philoſophia iudicium attinet, a communi is patrum ſeculi tertii et quarti opinione non abiit, et ſectariam philoſophiam omnem, ne Platonica quidem ſecta excepta, improbauit, veritatem autem per plures ſectas ſparſam eſſe ſtatuit, et in doctrina de Deo diuinisque rebus propiora eſſe veritati Chriſtianae Platonica dogmata contendit. Quorum prius ex illis locis conſtat, quae more ſuo ſtudioſe collegit FRANCISCVS BALTVS [o], poſterius ex erroribus in myſterio de ὁμοουσίᾳ Filii cum Patre diſci poteſt, quibus Euſebius meruit, vt illis annumeraretur, qui Arianiſmo iſto tempore late graſſanti frigidam ſuffuderunt. Qua de re controuerſia quae IO. CLERICO [p] cum GVIL. CAVEO [q] interceſſit, alibi enarranda eſt. Meruit etiam alio nomine de Chriſtiana religione et hiſtoria philoſophica Euſebius, λόγον φιλαλήθη Hieroclis Bithyniae praeſidis refutando, in quo Apollonii Tyanei vitam et miracula hiſtoriae I. C. oppoſuerat. Qua in refutatione qualem ſe praeſtiterit, *Tomo ſecundo* Apollonii vitam enarrantes, iam docuimus. Euſebio iungimus DIDYMVM ALEXANDRINVM, in patria catechetae munere functum Origenis diſcipulum, quem in philoſophia Graeco- *Didymus Alexandrinus.*

o) Defenſe des SS. Peres accuſez de Platoniſme p. 51. 153. 154. 158. 162. 201. 294. 384.

p) Biblioth. vniuerſ. T. X. p. 497. ſeqq. Epiſt. crit. II. p. 28. Ep. VIII. p. 235.

q) Pec. Diſſ. de Euſebii Arianiſmo ad calc. Hiſtoriae Liter. Script. Eccleſ. conf. BALTVS l. c. p. 591.

Graecorum fuiſſe longe verſatiſſimum, ſupra in Origenis hiſtoria diximus. Id quod eo magis mirandum eſt, quod puer admodum, vbi vix prima literarum elementa didiciſſet, morbo affectus oculorum vſum amiſerit: quo tamen non obſtante, tantam in diſciplinis literaturae Graecae addiſcendis diligentiam poſuit, vt praeter alias ſcientias, dialecticam quoque, arithmeticam, muſicam, reliquasque philoſophiae et matheſeos partes feliciſſimo ſucceſſu diſceret et accurate teneret. Inter patres Peripateticiſmo addictos locum ei facit HERMANNVS AB ELSWICH [r], quod tamen admitti aliter non eſt, niſi quatenus Alexandrinae philoſophiae alumni praeter Platonem et Platonicos Ariſtotelem quoque eiusque interpretes legebant, eorumque praecepta cum Platonicis, vtraque cum Chriſtianis in concordiam redigebant. Talem enim quoad philoſophiam fuiſſe Didymum, et praeceptore, Origene diſci poteſt. Quem tanta veneratione coluit, vt *in eius Libros περὶ ἀρχῶν commentarios*, vel *apologiam* potius pro iis ſcriberet, recte eos ſcriptos eſſe afferens, et praeter ius fasque multa in iis calumniari et in peruerſos ſenſus rapere aduerſarios contendens. Quos amiſſos eſſe merito dolemus, cum dubitandum non ſit, quin multam Origenianae doctrinae ipſique ſyſtemati Alexandrino, quale doctores Eccleſiae Origenis partes ſecuti receperunt et cum dogmatibus Chriſtianis conciliarunt, lucem affuderint. Ceterum valde pie eum fuiſſe philoſophatum, haec eius ſententia probat, quam nobis ſeruauit SOCRATES [s]: *Sermones de prouidentia et iudicio Dei aſſidua meditatione tecum ipſe recole, eorumque ſermonum materias fac in memoria circumferas. Omnes enim fere in his labuntur. Et ſermones quidem ac rationes de iudicio in differentia corporum et in partibus mundi reperies: ſermones autem de prouidentia, in modis illis, quibus a vitio et ignorantia ad virtutem et cognitionem ducimur, deprehendes.*

Chalcidius an Chriſtianus philoſophus fuerit?

§. XXIII. CHALCIDIVS, cuius elegantem *commentarium in Platonis Timaeum*, bono conſilio, opera deſideratiſſimi IO. ALB. FABRICII [t], denuo editum habemus, vtrum Chriſtianis annumerandus ſit ſcriptoribus nec ne? dudum inter viros doctos diſputatum, et ancipiti pugna decertatum eſt, nec aliena a noſtro, quem ingreſſi ſumus, campo iſta diſceptatio eſt, quam ita excutiemus, vt non arbitri quidem partes, quod a noſtra modeſtia alienum eſt, nobis expoſcamus, allatis tamen vtriusque partis rationibus, variisque de Chalcidii religione opinionibus, ita noſtras quoque obſeruationes qualescunque, quas inſtitutum noſtrum poſtulat, adducamus, vt Lector ipſe iudicium de hac quaeſtione ſuum interponere poſſit. Fuiſſe Chalcidium, Chriſtianum multis viris longe doctiſſimis viſum eſt, adeo, vt quibusdam diaconus, aliis archidia-

r) Diſſ. de varia fortuna Ariſtotelis in Acad. Proteſt. §. 7. p. 10. LAVNOIO de fort. Ariſt. praemiſſa.

s) Hiſt. Eccl. Lib. IV. c. 23. p. 237.

t) Tomo II. Opp. S. Hippolyti p. 223. ſeqq. adiectum.

chidiaconus Eccleſiae Carthaginenſis audiat, de quo praeter P. COLOMESIVM *) videndus eſt GVILIELMVS CAVEVS x), qui locum ei inter ſcriptores Eccleſiaſticos fecit, quamuis moneat, ſe ἐπέχειν neque enim ſibi ſatis conſtare, philoſophus ſolus Platonicus fueritne, an etiam Chriſtianus: cuius dubitationis ſuae ex vtraque parte cauſſas et rationes affert infra tangendas. Paulo certius pro Chriſtianiſmo Chalcidii pronunciarunt et rationibus quoque ex parte militarunt GER. IOANNES VOSSIVS y), PETR. DAN. HVETIVS z), IO. ALB. FABRICIVS a), et nuper ISAACVS BEAVSOBRIVS b), vt alios a FABRICIO c) nominatos ſilentio praetereamus. Alii vero, cum obſeruauiſſent, ita de myſteriis Chriſtianorum interdum loqui Chalcidium, vt a ſcriptore Eccleſiaſtico profectum id eſſe vix quis ſibi perſuadeat, eum inter gentiles philoſophos numerandum eſſe cenſuerunt. Quam opinionem nuper tuendam ſuſcepit Cl. GOVIETVS d), cuius *de Chalcidio* diſſertationem *miſcellaneis*, quae edidit, *literariis* inſeruit P. DES MOLETS e). Tertiam ab his ſententiam profeſſus eſt vir ſummus Io. LAVR. MOSHEMIVS f), qui Chalcidium contendit nec ex eorum hominum numero fuiſſe, quibus vniuerſa exoſa et inuiſa fuit Chriſtiana religio, nec illis rurſus aggregandum, qui Chriſtianam diſciplinam amplexi ſunt, ſed ad medium illud philoſophorum genus amandandum eſſe, quod nec amabat plane, nec odio habebat Chriſtianos, ſed ex vtraque religione ea ſibi ſeligebat, quae probabilia videbantur, et peculiarem de rebus diuinis philoſophiam contexebat, cuius tamen princeps eſſet Plato. Quam mediam de Chalcidii religione ſententiam iis rationibus munit, quas eorum argumentis praeponderare, qui vel pro gentiliſmo vel pro aperto Chriſtianiſmo Chalcidii pugnant, fatebuntur, quotquot ratiocinandi et coniiciendi cum probabilitate leges intelligunt. Examinauit vir laudatiſſimus rationes eas omnes, quas vel pro Chriſtiana Chalcidii religione attulere viri docti, vel contra eam vrſere, vt neutram partem plenarie veritati facere ſatis oſtenderet. Eas itaque his paucis et ὡς ἐν συνόψει repetendo totius quoque controuerſiae ſtatum, et cardinem quaeſtionis ſimul explicabimus, ita vt vel mediocriter attento patere queat, in quo ſumma rei vertatur? Nempe ea, vti dictum, eſt viri celeberrimi ſententia: nec in eadem eum plane, qua Plato perſtitit, fuiſſe religione, nec ad Chriſtianas partes tranſiiſſe, ſed philoſophum fuiſſe Eclecticum, quales plerique tunc eſſent Platonici, qui nec totam religionem gentilem, nec totam Chriſtianam approbauerunt; et ex vtraque religionis quoddam genus conflaſſe, aut

*) Ad Gyraldum de Poëtis p. 334.
x) Hiſt. lit. ſcript. eccleſ. pag. 125.
y) De origine et progreſſu idololatriae Lib. II. c. 45. p. 556.
z) Quaeſt. Alnet. p. 243.
a) Bibl. Lat. T. I. L. III. c. 7. p. 556. et l. c.
b) Hiſt. Manich. P. I. p. 479. not. 4.
c) Bibl. Lat. l. c.
d) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p. 1033.
e) Memoires de literature T. I. P. I. p. 138.
f) De turbata per recent. Platonicos Eccleſia §. 30. p. 162. ſeq. et ad CVDWORTHI ſyſt. intell. c. IV. §. 36. p. 732. ſeqq.

aut quod verisimile duxit, reliquis spretis et repudiatis, ex vtraque sibi decerpsisse. Fuisse enim inter quarti et quinti seculi philosophos, qui conciliatorum veluti munus susceperint, inter Christianos et deorum seruos, atque vtrorumque coniungere rationes quodammodo ausi sint. Quale philosophorum genus Syncretisticum tum temporis extitisse, alibi[g] eleganter demonstrauit. Antequam autem disceptationis arenam ingreditur, monet: Christianum sibi illum dici, qui veteris ac noui Testamenti libros diuinitus dictatos esse affirmat, Christum humani generis vnum esse redemtorem et sponsorem profitetur, ea denique praeterea dogmata recipit, quibus omnes Christianorum familiae fidem adiungunt, nihil contra probat, quod prima Christianae disciplinae fundamenta labefactat ac destruit. Ethnicum vero eum sibi vocari, qui multos esse Deos vult, Deosque illos coli et obseruari iubet, Christum negat vnicum esse humani generis Seruatorem, librosque, quos diuinos Christiani ducunt, spernit ac reiicit, aut etiam talia inculcat, ex quibus huiusmodi aliquid non potest non consequi. Neutram harum definitionum in Chalcidium cadere, adeoque Chalcidium nec Christianos nec gentiles totum sibi vindicare posse, id rationibus luculentis se euicturum promittit. Rationes itaque a Fabricio sparsim collectas et nouo lumine exornatas examinat, easque tantum non valere demonstrare annititur, vt Chalcidius Christianus videri queat. Nam quod I. Iudaeos *sectam vocat* [h] *doctrinae eminentioris, sanctioremque et in comprehensione diuinae rei prudentiorem* Chalcidius, idque facturum non fuisse putat Fabricius, nisi Christianus fuisset, id non satis ea probare contendit ven. Abbas, cum nihil inde sequatur aliud, quam, superstitione ethnica non totum deuinctum fuisse Chalcidium, fieri autem potuerit, vt Platonicus quidam recentior arbitraretur, diuinae veraeque sapientiae partem quandam in Mose fuisse, Christum autem simul et doctrinam eius repudiet. Mirumque esse, si Christianus fuerit Chalcidius, cur non Christianos testes alleget, quos in originibus mundi definiendis cum Iudaeis conspirare constet. Neque eum hic Mosaicam referre doctrinam, sed Iudaeorum quorundam Platonizantium opinionem, quod non facturus fuisset, si Mosen ipsum legisset. II. Cum passim Hebraeorum philosophiae non sine laude mentionem faciat Chalcidius, nouum id pro religionis Christianae professione argumentum esse cum aliis contendit Fabricius. Moshemius Platonicum Hebraeos commendare potuisse caussatur, etiamsi a Christianis dissideret. Talia vero nonnunquam Iudaeis eum tribuere monet, quae satis coarguant, parum eum peritum fuisse rerum Iudaeis diuinitus traditarum: notum autem esse, post Constantini M. aetatem Platonicos, vehementer Christianis exosos ob grauia, quae in eos exercuerant odia, declinandae inuidiae caussa nonnunquam, vt propensiores se traditioni Hebraeorum probarent, quaedam mitius dixisse, ideoque ad euitandum odium Chalcidium

g) Diss. cit. h) Cap. 4. §. 54.

cidium Moſis auctoritate ſe munire, et Oſio perſuadere voluiſſe, nihil a ſe et Platone tradi, quod non cum Moſe et Chriſtianis conſpiraret. III. Moſen teſtem dictorum aliquoties laudat Chalcidius, idque nouum eius religionis Chriſtianae argumentum eſſe putant viri docti. Non negat id doctiſſimus Cudworthi commentator, ſed non inde ſequi ſtatuit, quod Chriſtum receperit, cum hunc negare, et ad Moſis tamen teſtimonium prouocare quis queat. Praeterea valde dubium eſſe, vtrum Moſen pro viro Θεοπνεύστῳ habuerit Chalcidius, eo quod in alleganda eius auctoritate his verbis vſus fuerit [k]: *Hebraei ſyluam generatam eſſe confitentur, quorum ſapientiſſimus Moſes non humana facundia, ſed diuina, vt ferunt, inſpiratione vegetatus in eo libro, qui de genitura mundi cenſetur, ab exordio ſic eſt profatus.* Quamuis enim Cel. Fabricio forte concedatur, vti hac phraſi, *vt ferunt*, ſcriptores nonnunquam non de rebus tantum ambiguis, ſed quoque de certiſſimis, Graecorum tamen id exemplis modo probari, non Latinorum ſcriptorum, certe non afferentis, ſed rem in medio relinquentis formulam eſſe. IV. Maxime pro Chriſtianae religionis teſſera habent, qui has partes tuentur, Chalcidii verba [l]: *Eſt quoque alia ſanctior et venerabilior hiſtoria, quae perhibet, ortu ſtellae cuiusdam non morbos mortesque denuntiatas ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanae conſeruationis rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldaeorum profecto ſapientes viri, et conſideratione rerum coeleſtium ſatis exercitati, quaeſiſſe dicuntur recentem ortum Dei, repertaque maieſtate illa puerili veneratos eſſe, et vota tanto Deo conuenientia nuncupaſſe, quae tibi multo melius ſunt comperta, quam ceteris.* Non ſatis in his pro Chriſtiani ſcriptoris more loqui Chalcidium iam monuit CAVEVS [m]. Vir venerabilis autem neutri hunc locum fauere parti monet, narrare enim tantummodo hanc hiſtoriam Chalcidium, at neque adſciſcere neque reiicere. Probabile vero ſibi eſſe, confidentius eum aliquanto de hac ſtella loquuturum fuiſſe, ſi Chriſtianis ſacris addictus fuiſſet, eo quod non ad hominem ſuperſtitione populorum obligatum prudentiae cauſſa, ſed ad virum Chriſtianum, immo doctorem Eccleſiaſticum librum ſuum exarauerit. Quod vero ſanctiorem et venerabiliorem hiſtoriam apellat, id comparate tantum fieri, in relatione ad Aegyptiorum commenta, quae in antecedentibus allegauerat. Feciſſeque Chalcidium, quod in Platone ipſo probauerit [n], referente ea, quae Orpheus, Linus et Muſaeus vaticinati ſunt, *non quod crederet, ſed quod tanta eſſet auctoritas vaticinantium, vt iis aſſeuerantibus parcius credi haud oporteret.* V. Vrget cum aliis Fabricius, mentionem angelorum apud Chalcidium, quae licet a philoſophis quoque gentilibus interdum fiat, ita tamen de iis loqui Chalcidium, vt animum aperte prodant Chri-

k) Cap. XIII. §. 274. p. 380.
l) Cap. VII. §. 125. p. 325.
m) Ad Gyrald. de Poëtis l. c.
n) Cap. VII. §. 126. pag. 326.

ſtiano dogmati aſſentientem. Qualis imprimis ille locus eſt [n], quo aperte Chriſtianorum de angelis doctrinam exponit probatque. Non negat hoc Moshemius: negat autem, ſequi inde, quod totum Chriſtianae doctrinae complexum receperit Chalcidius, eſſe enim hoc dogma ex illis, quae facile ab aliis probari poſſunt, fundamenta licet Chriſtianae doctrinae non admittentibus. Platonicos autem in hoc dogmate cum Chriſtianis valde conſpirauiſſe, praeſertim ex quo Chriſtiana religio in orbe Romano inualuit; nec illis angelos deſertores malosque illos daemones ignotos fuiſſe; ſublato eo tempore inter daemonem et angelum diſcrimine. IV. Vrgent viri docti pro Chalcidio Chriſtiano, diuinam legem, quam ſe ſequi innuit [o], eaque ſacras literas indicare putant. Cel. Moshemius autem legem diuinam idem ſignificare, ac fatum ex alio Chalcidii [p] loco eleganter probat. VII. Ad Scripturam Chalcidium prouocare, vrgent tandem, ſcribentem [q]: *Quod autem coelum, quamue terram Scriptura loquatur, intelligendum.* Monet ad haec Moshemius: Scripturae vocabulum etiam illos quotidie in ore habere, qui de rebus ad Chriſtianos pertinentibus differant, qui Chriſtum nec ore nec animo amplectantur, idque Spinozae exemplo illuſtrat. Quibus omnibus collectis ſummatim, Chriſtianis accenſeri non poſſe Chalcidium, concludit Abbas venerabilis. Sed vt VIII. multo maiori robore hanc ſententiam firmaret, ea quoque ex Chalcidio dogmata coaceruauit, quae hominem ſapiunt cum tenebris denſiſſimis adhuc colluctantem, et opiniones Chriſtianis praeceptis plane contrarias inculcantem referunt. Talia ſunt dogmata de mundi aeternitate, de animis de corpore in aliud migrantibus, et ante corpora exiſtentibus, de anima mundi, de hominum animis ex ipſa diuina natura prognatis. IX. Vrget, Chalcidium, licet toties ad Moſen, Salomonem et Hebraeos prouocet, nunquam tamen ad vnum ſcriptorem noui foederis, licet occaſione inuitante prouocauiſſe, idque eo tempore feciſſe, quo iam religio Chriſtiana victoriam de ſuperſtitione populari retuliſſet, nec aliquid ab imperatoribus metuendum eſſet, ſicque prodidiſſe, nihil ſibi eſſe cum iſta religione. X. Maxime porro Chalcidium premere putat doctrinam de Trinitate, de qua ita loquatur, vt nullo iure inter Chriſtianos veros numerari poſſit. Non prouocare eum ad Chriſtianorum cum Platone concordiam, quod tamen tum quidem feciſſet, ſi Chriſtianus fuiſſet, cum a Iudaeis auctoritatem petierit. Ingens autem eſſe inter trinitatem Chalcidii et Chriſtiani hominis diſcrimen. Tertium enim eius principium, quod mentem ſecundam, animamque mundi tripertitam vocat, quae fato ſeu legi diuinae obſequatur, toto genere a ſuperioribus naturis diſcrepare, iisque multo eſſe inferiorem et minorem. Veriſimile quoque eſſe, tres Chalcidii Deos non tres perſonas eſſe, ſed tres tantum Dei virtutes, aut tres modos vnum eundemque Deum

n) C. VII. §. 131. f. p. 328. f.
o) Cap. VII. §. 174. p. 343.
p) §. 175. p. 343. §. 178. p. 344.
q) Cap. XIII. §. 275. p. 381.

Deum animo sistendi et ingenio comprehendendi. Quae latius roborat, et Trinitatem hanc Chalcidiique luculenter illustrat vir longe doctissimus. XI. Vulgares quidem Deos quos popularis superstitio inuexit, reiicere Chalcidium, concedit Moshemius; ast nihilo minus alios quosdam Deos ascisscere obseruat, quos secundum supremum Numen collocet. Ita e. c. stellis diuinos actus eum tribuere; soli naturam diuinitate praeditam adscribere, diuinum et immortale genus animalium coeleste, siderium statuere, solem intelligibilem et diuinum inculcare, etc. XII. Eas porro diuinandi artes commendare Chalcidium ostendit, in quibus gentilis superstitionis non mediocre olim praesidium fuerit positum; et auium volatum et exta, et oracula et daemonem proprium probare. Tandem XIII. Mosi docet sententiam Platonicam plane impiam, de anima materiae maligna tribuere Chalcidium eamque reprobare Chalcidium, non facturum, si vel Mosaica intellexisset, vel pro diuinis recepisset, a quibus discedi fas haud est. Et hactenus quidem Cel. MOSHEMIVS.

§. XXIV. Elegantissime atque luculenter, nec minori eruditione quam ingenio totam hanc disputationem a viro magni nominis fuisse institutam, habereque iustam verisimilitudinis speciem, quam solam in hoc argumenti genere consectari licet, omnino fatendum est. Promisit FABRICIVS[r] argumentorum horum pondera examinare ac trutinare accuratius in noua *Bibliothecae Latinae* editione. Hanc vero cum nobis inuiderint fata vltima viri ad beatas sedes translati, nihil inde lucis expectandum est. Nos, quod supra iam professi sumus, non sumimus arbitri inter tantos viros partes, *Iudicium de religione Chalcidii.*

Nostrum non est tantas componere lites.

Exponemus vero, pace summi viri, cuius quod beneuolentia gaudere nobis liceat, in felicitatis parte haud postrema numeramus, ea, qua par est, modestia sententiam nostram, eamque cum viri celeberrimi assertionibus rationibusque comparabimus. Quae quamuis tantopere inter se non differant, quam eorum opiniones, qui Chalcidium vel inter apertos Christianos, vel inter gentiles scriptores numerant, iuuabit tam distincte rem omnem complecti, vt Lector iudicium adhibere proprium, et sententiam ipse ferre queat. Et fatemur quidem, prorsus displicere nobis eorum partes, qui totum gentili superstitione imbutum Chalcidium contendunt; nec obstare nobis putamus rationes a viro magno allatas, quo minus credamus, Chalcidium a professione religionis Christianae non fuisse remotum, ast ex eorum Christianorum fuisse genere putamus, qui, quamuis sacrae Christianae religionis tesserae nomen profiterentur addictum, Platonicam tamen magis, quam Christianam, doctrinam, vel Alexandrinum potius chaos secuti impuras has lacunas purissimae verita-

r) Biblioth. Latin. med. Tom. I. pag. 1033.

tis fontibus praetulerunt, hincque in pudendos Platoniſmi errores prolapſi ſunt. Tales enim multos extitiſſe, nec obſtitiſſe nomen et profeſſionem Chriſtianam, quo minus hos philoſophorum Alexandrinorum errores adoptarent, variis hactenus exemplis, praecipue Tatiani, Clementis Alexandrini et Origenis comprobauimus. Praeterea maxime veriſimilis nobis videtur coniectura CASP. BARTHII *) ſuſpicantis, *ſcriptorem hunc materiae ſcriptique gratia Chriſtianiſmum diſſimulaſſe*, et Platonici philoſophi perſonam affectando, profeſſionem religionis occultaſſe, vt eo gratior libri ſui in ſcholis philoſophorum Platonicorum, qui tunc temporis plerique gentiliſmo adhuc erant addicti, eſſet lectio. Nec repugnabimus magnopere, ſi quis contendat, Chalcidium ex gentiliſmo ad Chriſtianae religionis profeſſionem traductum nondum accurate diſciplinae Chriſtianae myſteria tenuiſſe, hincque et titubantem fluctuaſſe, et dubium ſcripſiſſe, et in quibusdam veterum errorum ſemina retinuiſſe, quod Arnobio accidiſſe ſupra obſeruauimus. Quamuis fieri potuerit, vt diu iam in Eccleſia verſatus, cum ſe iſti philoſophiae tradidiſſet, et philoſophum affectaſſet, ſecundum ſcholae iſtius principia commentando in Platonem, Platonicum magis philoſophum, quam Chriſtianum ſcriptorem expreſſerit. Nobis enim non hic quaeſtio eſt, vtrum Chriſtiano homine digna Chalcidius ſcripſerit, nec ne? vel annon Syncretiſticam iſtam philoſophiam confectando chaos quoddam doctrinae, nec prorſus gentilis, nec prorſus Chriſtianae, in iſto commentario appoſuerit? Vtrumque enim magno viro, qui hos naeuos in eo luculenter detexit, concedimus, et in partes eius lubenter tranſimus. Sed in eo controuerſiae ſtatum conſtitutum eſſe putamus, vtrum, his non obſtantibus, Chriſtianis ſacris publica profeſſione addictus eſſe Chalcidius potuerit, eumque reuera addictum fuiſſe probabilius ſit, quam, quod vir celeberrimus contendit, mixtum aliquod religionis genus eum fuiſſe ſecutum? Quod prius affirmare nulli dubitamus, eiusque aſſertionis rationes iam quantum licet breuibus explicabimus. Et I. quidem Moshemianam gentilis hominis deſcriptionem, quae et vera et luculenta eſt, admittendam eſſe, nemo inficias iuerit, qui huius ſeculi acta ſtatumque cognouit, et in quo gentilis religionis profeſſio conſtiterit eo tempore perſpexit. Tales enim fuiſſe omnes eos philoſophos, qui ſuperſtitioni gentili nomen publice addicentes ſuum, a Chriſtianae religionis profeſſione abhorruerunt, ex ſupra dictis conſtat, vt et multos ſibi Deos, et innumerabilem eorum catenam inter ſummum Numen atque homines fingerent, eosque ſibi mediatores conſtituerent ſacrificiis precibusque placandos commouendosque, vt Dei gratiam ad homines perferrent, horumque deſideria ſummo rerum omnium parenti explicarent. Quo officio mediatorio ſtatuto non poterant non vnum illum Chriſtianorum mediatorem Ieſum Chriſtum repudiare, quamuis eum nonnulli diuinam ex hac claſſe naturam daemonemque aliquem

*) Ad Claudian. p. 1187.

quem magnum dicerent, hocque obtentu Chriſtianis, religionem a Conſtantini M. tempore κρατοῦσαν amplectentibus ad deprecandam inuidiam palpum obtrudere conarentur. Quibus ſemel poſitis non poterant non ſacrarum literarum auctoritatem conuellere, quamuis non deeſſent inter illos, qui conuenientia quadam Platonicae et Ioanneae doctrinae apparenti commoti parcius de ea differerent, et nonnulli aliquam illis auctoritatem tribuerent, quos tamen mature ad Chriſtianos tranſiiſſe teſtatur Auguſtinus. Huius generis gentiles philoſophos fuiſſe omnes, qui Eclecticum illud philoſophiae genus adamauerunt, teſtis eſt eius ſectae hiſtoria *Tomo ſecundo* fuſe enarrata, et exempla probant philoſophorum ſeculi quarti, quinti et ſexti, interque eos praecipue ſcholae Iamblichianae alumni, Plutarchus, Syrianus, Proclus, Marinus, Iſidorus, hisque ſimiles. Quae vbi admittuntur, vt concedi omnino debent, ſi hiſtoriae philoſophicae ſua conſtat veritas, certum eſt atque indubitatum, Chalcidium talem gentilem philoſophum non fuiſſe, nec hoc modo, reiecto Chriſtianorum mediatore, Deorum gentilium numina ſacrificiis honoranda colendaque eſſe ſtatuiſſe. Deinde, omnino concedendum quidem eſt viro longe eruditiſſimo, qui tam accurate in Chalcidii religionem inquiſiuit, *fuiſſe inter philoſophos iſtos Platonicos Alexandrinos multos, quibus temperatius obtigerat ingenium, qui vtramque inter ſe religionem; Chriſtianam et ethnicam toto licet genere diuerſam, conciliare ſtuderent, et miſtam quandam ex Chriſtianorum et reliquorum populorum dogmatibus religionem conflarent, ita vt generatim quidem ſacra Chriſtiana non reiicerent, at Deorum tamen cultum, quemadmodum ab his explanabatur philoſophis, cum eis ſociarent, et religionem prudentum aliquam introducerent.* Quales fuiſſe Ammianum Marcellinum, Symmachum et Themiſtium alibi docte probauit Cel. MOSHEMIVS t). Sed id recte intelligendum eſt: aut enim de certo, quod hi philoſophi ſibi conſtituerunt, ſyſtemate, Syncretiſtico ſermo eſt, aut de profeſſione religionis publica cultuque religioſo in Romano imperio obtinente, et vel legibus conſtituto, vel imperantium voluntate licito. Priori ſenſu totam fere ſectam Alexandrinam huic ſyncretiſmo adhaeſiſſe, et ex Chriſtiana religione multa ſibi elegiſſe, quae cum placitis domeſticis coniungerent, in eorum hiſtoria clariſſime demonſtrauimus, ipſeque ſectae conditor Ammonius luculento eſſe exemplo poteſt. In quo ſyncretiſmo feruor pro communi et auita ſuperſtitione tamdiu potiores partes tuitus eſt, quamdiu Romani imperatores his ipſis gentilium ſacris eſſent addicti: vnde factum, vt licet, multa Chriſtianis ſurripuiſſent fraudulenti philoſophi, in publicum tamen religionis Chriſtianae exercitium eſſent valde iniurioſi, multarumque perſecutionum nefarii exiſterent auctores. Vbi vero dominari coepit Chriſtiana fides, principibus ſummis eam amplexis, cautius agendum rati, mitiſſimam ſententiam profeſſi ſunt, non auſi Chriſtianam doctri-

t) De turbata per rec. Plat. Eccleſia l. c.

doctrinam contemnere, sed ad illud asylum confugerunt, placere Deo, quacunque ratione colatur, gratasque ei esse seruientium dissensiones, modo tolerantia et amore commendarentur. Ita quidem et principibus se commendabat aequitas, et inuidia euitabatur, et munera ipsis conseruabantur, eo vero non obstante sacris Christianis non modo minime initiabantur, sed in veteri quoque Deorum cultu perstabant. Nec exemplum nos nouimus philosophi, qui reiecto Deorum cultu et Christiana simul religione, publicam eiusmodi religionem philosophicam, medium inter vtramque tenentem professus sit, sed templis arisque atque focis adhaeserunt gentilibus, vt vel vno Themistii exemplo constare potest, quo neminem apertius huic religioni aulicae se accommodasse suo loco demonstrauimus. Et haec quidem inter eos facta sunt, qui inter gentiles numerati sunt a Christianis. Inter hos autem non minus fuere aliqui, qui ab infausto hoc Alexandrini syncretismi sidere afflati sunt. Hi quoad placita atque dogmata ab Ammonio fraudulenter picta comtaque, si non omnibus, plerisque tamen adhaerebant, rati, elegantius se, quam vulgus Christianorum solet, ita philosophari: publicam tamen confessionis Christianae tesseram non abiiciebant, sed Christum λόγον Dei incarnatum recipiebant, damnatoque cultu numinum intermediorum, totam eam doctrinam ad dogma de angelis reiiciebant. Hi quidem Christiani et professione et nomine erant, reuera vero philosophi Alexandrini, quibus potiora erant Christiana doctrina omni Ammonii deliria. Ex quo genere fuisse Origenem, ea quae paulo supra prolixe disputauimus manifestum faciunt. Hi si de rebus sacris scribendum, vel Christiana religio defendenda esset, deamatam philosophiam cum mysteriis Christianorum conciliabant, vt Clementis Alexandrini, Origenis, Synesii, Pseudo-Dionysii aliorumque exempla probant; si philosophicum argumentum explicandum, Platonis et Platonicorum methodo placitisque se accommodabant erroresque eius philosophiae eo audacius proseminabant, quo tectius sub larua philosophi latere possent. Ita explicato controuersiae statu, omnino concedimus, Chalcidium huius generis hominem philosophumque syncretistam fuisse, qualem descripsimus, quamuis maxime verisimile nobis sit, quoad publicam fidei professionem eum Christiana sacra recepisse, nec idolis arisque atque templis gentilium adhaesisse, cum tertia religio publica non existeret. Nam quod vrget vir venerandus, *Christianum eum tantum esse, qui Christum vnum redemtorem agnoscit, et ea dogmata recipit, quibus omnes Christianorum familiae fidem adiungunt, nihil contra probat, quod prima disciplinae Christianae fundamenta euertit et labefactat*, id aut nostram sententiam non ferit, aut Christiani nominis significationem totam non exhaurit. Si enim de publica quidem professione fidei intelligitur, quae Christo nomen non dat, sed eum reiicit, vera quidem definitio est, sed ad Chalcidium non quadrat, quem reiecto Christo mediatorium illud daemonum genus amplexum

plexum fuiſſe, et ſacrificiis publicis coluiſſe, demonſtrari non poteſt. Si de Chriſtiano vero et natura magis, quam nomine tali intelligitur, vera quidem eſt, ſed quaeſtionis ſtatum non tangit: qui non in eo, vt diximus, verſatur, vtrum Chriſtianum orthodoxum, et venerando hoc nomine dignum ſe praeſtiterit Chalcidius, quod cum praeſtantiſſimo Cudworthi commentatore negamus, ſed an publica fidei profeſſione ſacris Chriſtianorum ſe addixerit? Quod probabilitatis leges ſecuti affirmare non veremur, licet fateamur, expreſſiſſe in ſuo commentario Chalcidium eiusmodi dogmata, quae fundamenta Chriſtianae fidei labefactant. Similia enim, et non leuiora admiſere ἁμαρτήματα Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Syneſius, et tamen inter Chriſtianos connumerati, immo publico docendi muneri inter illos admoti ſunt, eo quod publica religionis deuotione Chriſtum colerent. Quod cum hi fecerint, licet grauiſſimorum ex philoſophiae Alexandrinae ſtudio errorum conuicti, cur non de Chalcidio id quoque dicere praeſumereque liceat? Idque eo magis veriſimile nobis ſe reddit, cum Chalcidius in hoc ſuo commentario ad hominem quidem Chriſtianum, ſed iisdem opinionibus addictum, ſcripſiſſe videatur eo fine, vt ſub Platonici philoſophi ſpecie ſuppreſſo Chriſtianae profeſſionis charactere, gentiles philoſophos et ad libri ſui lectionem facilius inuitaret, et hac pia fraude, in his ſcholis vehementer commendata eos praepararet, ad agnoſcendam Hebraeorum phyſiologiam. Quo ſcopo perſuaſus non niſi ambigue et oblique res Chriſtianorum commendauit, et ab omni, quod iis addictus eſſet, ſuſpicione vt ſe liberaret, ne nomen quidem adhibuit, et, ſe ſine ſuſpicione partium ſtudii philoſophiam Platonis in rei Chriſtianae commoda trahere poſſe, ſperauit. Quae vt veriſimilitudine non deſtituuntur, ita recte intellecta ampliſſimam faciunt copiam ad obiectiones reſpondendi. Nam quod primo loco vrgetur, fuiſſe inter Platonicos, qui ſtatuerint, Platonem ſua ex Moſe hauſiſſe, id affirmatur quidem, non vero probatur, et exemplis, niſi fallimur, deſtituitur. Ita quidem Iudaeos ſtatuiſſe, et haec ambitioſe Chriſtianos doctores vrſiſſe et gentilibus obieciſſe, verum eſt: Platonicum vero gentilem, vel Neutraliſtam (veniam barbaro nomini deprecamur) id conceſſiſſe, non modo eſſe inter Hebraica et Platonica dogmata conuenientiam, id quod facile Platonicus aliquis dare potuit, ſed haec quoque ab illis deriuata eſſe, nemini perſuadebitur, qui nouit, quanta inuidia Iudaeos philoſophi gentiles perſecuti fuerint, quam abiecte de Moſe ſenſerint, quamque inique tulerint, quod myſteria ſua Moſi et Hebraeis, Iudaeorum maioribus, genti barbarae, tribuerentur. Teſtem inter multos damus vnum Porphyrium, Moſen conuiciis vehementer lacerantem, et Origeni indignantem, *quod ex diſciplina Graeca omnia, quae ſecreta ac myſtica apud Graecos habebantur, aſſumens, ritui barbaro et ſuperſtitionibus Iudaicis adaptauerit, ac philoſophorum gloriam ad dogmata externa ac peregrina tranſtulerit:* quae eius ver-

ba ſeruauit EVSEBIVS u). Qui et alio loco x) de hoc Porphyrii animo in Moſen ſcribit: *illum non Chriſtianos modo, ſed Hebraeos etiam et ipſum Moſen contumeliis onerauiſſe.* Talis cum Platonicorum mos fuerit, vtrum veriſimile, eos myſteria ſua a Moſe et Hebraeis deriuaſſe? Aſt hoc fecerunt Chriſtiani doctores, inque eo non leue diſputationum ſuarum praeſidium et quandam quaſi ἀκρόπολιν conſtituerunt, quod Platonica myſteria a Moſe et Hebraeis ad Platonem in itinere ad barbaros peruenerint. Inuertimus itaque hunc arietem, cumque et modo et ſtilo Chriſtianorum doctorum Platonicis oppoſito de Moſe et Hebraeis loquatur Chalcidius, inde colligimus, ad eorum illum partes pertinuiſſe, hacque Hebraeorum commendatione philoſophorum Platonicorum animos more ſuae aetatis ad amplectenda Chriſtiana dogmata praeparare voluiſſe, ideoque reticuiſſe Chriſtianorum nomen, vt inuidiam eorum euitaret. Nec nos valde mouet, quod Chriſtianos ſine laude praetermiſerit Chalcidius, Hebraeis toties commendatis. Ex dictis enim ratio iam patet, cur fecerit, nec alienum id a more Chriſtianorum doctorum, qui contra gentiles philoſophos diſputantes ad ſolos Hebraeos prouocauerunt, cuius luculentum poteſt eſſe exemplum Tatiani *aduerſus Graecos* oratio, quae rem prorſus conficit. Hoc ſi euiciſſent, ſatis ſibi acquiſitum putabant, eo quod ſe iuſtos Hebraicarum veritatum poſſeſſores eſſe, Platonicis non repugnantibus, ſed Iudaicam potius et barbaram ſuperſtitionem illis obiicientibus crederent. Quamquam autem negari forte non debet, talia Chalcidium Moſi tribuiſſe, quae a Moſis mente prorſus abhorrent; nihil tamen inde, ſi quid iudicamus, contra Chalcidii religionem Chriſtianam concludi poteſt, cum ratio ſyncretiſmi Alexandrini inter Chriſtianos recepti ea fuerit, vt genuina Moſis et Hebraeorum dogmata adulterata propinarentur. Multa Moſi tribuit Philo, multa Origenes eiusque praeceptor Clemens, multa Syneſius, erronea prorſus et a mente vatis Hebraei aliena; an ideo ſequitur, Philonem non fuiſſe Iudaeum, Clementem, Origenem, Syneſium non fuiſſe Chriſtianos? Poſſe aliquem ad Moſen auctorem prouocare, et tamen Chriſtianas partes non ſequi, facile concedimus. Verum de hoc, quantum videmus, quaeſtio haud eſt, ſed de eo, vtrum veriſimile ſit, hominem nec Iudaicis nec Chriſtianis ſacris addictum Hebraeos ſectam vocare poſſe ſanctiorem et venerabiliorem: id quod eo minus perſuadere nobis poſſumus, quo magis, qui Iudaicos ritus et dogmata probabat, habebatur pro Chriſtiano, et reuera haec eſſent ſynonyma, vt adductus ex Euſebio Porphyrii locus luculenter demonſtrat. Valde vero dum magnifice de Moſe θεοπνέυςῳ loquitur Chalcidius, veriſimile fit, illud, *vt ferunt*, ob ſcopum modo ſuum eum addidiſſe, vt eo tectior religionis ſuae eſſet profeſſio. Non vero ſuſpenſo, ſed affirmante eum ſenſu has voculas addidiſſe, inde manifeſte liquere putamus, quod talia tradentibus ſanctio-

u) Hiſt. Eccl. Lib. VI. c. 18. x) Praep. Eu. Lib. X. c. 9.

ſanctiorem ſectam tribuat. Maxime vero enarrata ſtella quae Orientis Magis apparuit, tam luculenter prodit, in gentilium philoſophorum luto non haeſiſſe Chalcidium, vt id ipſe celeberrimus obſeruator Cudworthi fateatur. Et profecto, narrare hiſtoriam miraculoſam, aduentum Dei ad orbis ſalutem redimendam in carne comparentis manifeſtantem, eamque ſanctiorem et venerabiliorem vocare, et vtroque quod aiunt, pollice probare, tale quid eſt, quod proficiſci non poſſe videtur ab alio, niſi filium Dei incarnatum credente. Nec obſtat, confidentius Chalcidium de hac ſtella locuturum fuiſſe, ſi Chriſtianus fuiſſet. Hoc enim impediebat, pia illa fraus ſcopusque latendi ſub perſona philoſophi Platonici; ſufficit illud, eum nobis et miraculum et myſterium Chriſtianum enarrauiſſe et probauiſſe, quo gentiles philoſophi ad adhibendam Euangelio fidem potuerint maxime adduci. Dum autem ad Oſii Chriſtiani hominis fidem prouocat, an non clare innuit, ſe hanc hiſtoriam pro vera habere? Doctrinam vero de angelis bonis et malis in Platonicorum quoque ſcholis perſonuiſſe, veriſſimum eſt, at non minus certum, cum ipſa angeli voce, dogmatis quoque, clariorem lucem a Chriſtianis ad Platonicos peruenisse. Quod cum more ſuo doctiſſime confecerit ipſe venerabilis MOSHEMIVS y), probare hoc loco ſuperſedemus. Recte itaque Chriſtianae doctrinae veſtigia in illo dogmate quaeruntur: quae cum alibi in Chalcidio tam luculenter appareant, cur non haec quoque ex iſto fonte hauſiſſe praeſumi debeat? Diuinam legem apud Chalcidium prouidentiae decreta ſiue fatum indicare, eleganter, quantum nos videmus, viro celeberrimo obſeruatum eſt. Verum ipſe locus magis pro Chriſtianiſmo Chalcidii pugnat, quam contra illum. Reiicit enim philoſophus refutatque fatum aſtrologicum, et ſanctiora atque meliora nempe diuinam legem, id eſt, prouidentiae diuinae diſpoſitionem in partes vocat, et hanc prouidentiam in mente ſiue λόγῳ contineri dicit, et huius eſſentialis veritatis inſtinctu (id eſt inſitae rationis diuinae radiis) ita Platonem locutum eſſe dicit. Ita quidem gentiles Platonici locuti haud ſunt, ſed Platonici Chriſtiani, qui et menti diuinae hanc mundi prouidentiam tribuerunt, et philoſophos gentiles, maxime Platonem, inſtinctu huius veritatis diuinae locutos eſſe conceſſerunt. Scripturae vero nomen in ore habere et ad eam prouocare quem poſſe, qui fidem ei non adhibet, non negamus: at feciſſe hoc Platonicos a Chriſtianis ſacris alienos, feciſſe hoc religionis illius Eclecticae patronos, prouocaſſe hunc in modum ad Scripturam ſacram Themiſtium aliquem, id probandum erat. Nec Spinoſae huc quadrat exemplum, qui quamuis animo Scripturam contemneret, eam tamen palam reiicere inter Chriſtianos nomen profeſſus, auſus non eſt: heic vero de ſola fidei profeſſione publica agitur. Ex his vero omnibus iudicari quoque poteſt, quid ad doctiſſimam elegantemque diatriben Moshemianam reſpondendum ſit, qua euincere ſategit,

y) Diſſ. de ſtudio ethnicorum Chriſtianos imitandi §. 7. Diſſ. Hiſt. Eccl. p. 348.

eiusmodi Chalcidium errores in hunc ſuum commentarium inuexiſſe, qui a Chriſtiano homine exſpectari nequeant, et ipſa Chriſtiani ſyſtematis fundamenta euertant. Nec loci anguſtia, nec argumenti prolixitas patitur, vt haec ipſa Chalcidii dogmata examine critico excutiamus ſingula. Dabimus id viro ſummo, cuius magnam in veteri philoſophia cognitionem, ſingularemque in detegendis veterum opinionibus eruditionem et felicitatem merito miramur, et cum debitis laudibus amplectimur, Chalcidium eorum errorum ad vnum omnium eſſe reum; parum tamen inde detrimenti patietur noſtra de Chriſtiana Chalcidii profeſſione ſententia, modo inter Chriſtianum publice ſe talem profitentem licet heterodoxum, et inter verum atque orthodoxum diſtinguatur, vt ſupra iam monuimus. Nam ex illo id modo ſequitur, Chalcidium nimio Platoniſmi amore deceptum limpidis puritatis diuinae fontibus turbidas Alexandrinae ſcholae lacunas praetuliſſe, hincque errores protuliſſe nefandos. Id vero aliis quoque ex hoc ipſo praepoſtero philoſophiae ſtudio accidit, de quibus nemo dubitat, quin inter Chriſtianos numerati ſint. Male de Trinitate locutus eſt Chalcidius, et potentias virtutesue meras eas naturas in Deo eſſe poſuit. Concedemus id, licet de eo diſputari adhuc poſſit; annon Sabellianiſmus inter Chriſtianum nomen profeſſos auctorem ſectatoresque inuenit? Tertiam naturam mundi animam Chalcidius ſtatuit. Dabimus; in eo vero luto cum Arnoldo Brixienſi multos haeſiſſe Chriſtianos, erudite demonſtrauit MOSHEMIVS [z]. Mundi aeternitatem credidit Chalcidius? Fatebimur, ſi ita placet, nam Origenes quoque Chriſtianus in hac haereſi fuit. Solem, lunam, ſtellas virtute vel natura quadam diuina animari et inter diuina numeranda eſſe Chalcidio placuit. Conſentimus; eadem Tatiani et Origenis Chriſtianorum fuit opinio. Diuinationis genera, quae gentilis ſuperſtitionis fulcra olim fuerunt, probauit Chalcidius. Non diſputabimus de eius mente, ſed hanc ipſam eius fuiſſe opinionem dicemus. Annon pari modo delirauit Syneſius et homo Chriſtianus et epiſcopus? Proprio daemone regi hominem monuit Chalcidius. Aſſentimur; ſed et Chriſtiani haud pauci id tenuere, immo quod peius eſt, et bonum et malum cuiuis homini genium adeſſe dixerunt. Fundamenta doctrinae Chriſtianae ſubruiſſe videtur Chalcidius. Non negamus, et dolemus; in eodem vero reatu eſt Clemens Alexandrinus catecheta Chriſtianorum Alexandrinus. Qui omnes cum non minus erronea ex infauſtis Alexandrinae philoſophiae ſcaturiginibus hauſerint dogmata, quam Chalcidius, et tamen hoc ipſo non meruerint ex numero Chriſti aſſeclarum excludi, idem quoque iure ſuo patrocinium Chalcidio deprecamur, in ſanam Chriſti doctrinam nimio Platoniſmi ſtudio peccanti. Vt taceamus, non absque veriſimilitudine ſupponere quem poſſe, ὑποθετικῶς haec ſcripſiſſe Chalcidium et tanquam philoſophum, non quod haec omnia probaret, ſed *quod tanta,*

vt

z) Ad Cudworth. p. 657. ſeqq.

vt ipſius verbis vtamur, *eſſet praecipientis Platonis auctoritas, vt ei aſſeuranti parcius credi haud oporteret.* Quam philoſophandi libertatem iſta, qua viuebat Chalcidius, aetate inter Chriſtianos obtinuiſſe, ex *praefatione ad Oſium* intelligi poteſt, quem ſi non Cordubenſem antiſtitem, certe Chriſtianum fuiſſe nemo hactenus dubitauit. Hunc enim ſimilia ſtudia profeſſum, *concepiſſe* ait *animo, florente omnibus ſtudiis humanitatis, excellentique ingenio ſuo ſpem dignam prouentu operis ad hoc tempus intentati, eiusque vſum a Graecis Latio mutuandum ſtatuiſſe, et quanquam ipſe hoc cum facilius cum commodius facere poſſet, propter admirabilem tamen verecundiam ei potius maluiſſe iniungere, quem eſſe alterum ipſum iudicaret.* Ex quibus verbis apparet, et arctiſſimo familiaritatis ac amicitiae vinculo coniunctum fuiſſe Oſium et Chalcidium, quod inter tam diuerſae religionis homines necti vix ſolet, et eadem ſtudia, easdemque opiniones ſecutum fuiſſe Oſium, et ob eam cauſſam Chalcidio Timaeum explicandum commendauiſſe. Id quod eo magis probabile redditur, quo magis ſtudia haec iſta aetate inter Chriſtianos inualuiſſe conſtat. Et hae quidem noſtrae rationes ſunt, cur a Chriſtianae religionis profeſſione non alienum fuiſſe putemus Chalcidium. Nihil nos decretorie definimus, nec aliud, quam coniecturarum huiç opinioni noſtrae ſtatuimus pretium, Lectorisque iudicio totam diſputationem permittimus. Et haec quidem de Chalcidio. Iam ad alios philoſophiae cultores inter Chriſtianos properandum eſt.

§. XXV. Omnium, qui inter Eccleſiae doctores circa iſta tempora vixerunt, animumque ad philoſophiam applicuerunt, lumina obſcurauiſſe AVGVSTINVM Hipponenſis Eccleſiae praeſulem, viciſſeque virum ex omni parte doctiſſimum, eruditione tantum non omnes, qui ſeculo quarto quintoque, quo is inclaruit, Eccleſiam orbemque literarium illuſtrarunt, doctrinae excellentia, iudicii acumine, lectionis copia, non niſi illi negabunt, qui eius hiſtoriam ignorant. Quam ex ſcriptis eius, et praecipue *Retractationum* atque *Confeſſionum* libris enarrare totam, idem eſſet ac ſeculi a Chriſto nato quarti quintique hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcribere. Quod vt inſtitutum noſtrum nec poſtulat, nec admittit, ita ab illis petendum eſt, qui in hoc ſaxo voluendo deſudarunt, quorum nomina enarrauit diligentiſſimus FABRICIVS [a]. Inter quos cum tractationis accuratione et prolixitate omnes vicerint monachi Benedictini e congregatione S. Mauri in Gallia, quibus tot veteris literaturae monumenta reſtituta, ornata, emendata auctaque debemus, vitamque magni praeſulis elegantiſſime enarrauerint [b], ad has virorum iſtorum doctorum commentationes illos reſpicere iubemus, qui philoſophicam quoque tanti viri hiſtoriam noſcere cupiunt. Nos pro inſtituti ratione ipſum Auguſtinum audiemus, et eas ſimul in examinanda illius hiſtoria philoſophica leges, *Auguſtini philoſophia.*

a) Biblioth. Lat. T. III. p. 519. eſt TILLEMONTIVS Memoires Eccleſ. T. XIII.
b) Tomo XI. Opp. Auguſtini, quos ſecutus

criticas adhibebimus, quas in limine noſtrae tractationis nobis praeſcripſimus, quasque hactenus ſecutos nos eſſe, nondum poenitet. Mature et in pueritia quidem literariis ſe ſtudiis mancipatum fuiſſe ipſe refert, cum et parens artibus expolitum vellet eius ingenium, et mater animum filii ſcientiis excoli praeoptaret, licet diuerſo id cuperent animo [c]. Cum itaque mature ingenii praeſtantiſſimi et praecocis ſpecimen edidiſſet, ludimagiſtro traditus eſt iis elementis imbuendus, quibus omnes ſuperſtrui ſcientiae ſolent [d]. Vbi vero legere, ſcribere et numerare didiciſſet, paulo firmior animi facultatibus et iudicio Madauras, vicinam vrbem literaturae et oratoriae artis addiſcendae cauſſa miſſus eſt [e]. Adeo vero pueri animum deterrebant difficultates, quae in iſtis elementis percipiendis occurrebant, vt auerſa plane mente a literis abhorreret [f]. Quantuis rem poſtea altius meditanti patuerit, multo plus vtilitatis iſta rudimenta literarum afferre, quam grammaticae et ſimilium ſtudia, qua de re digna lectu ſunt, quae ipſe ſcripſit vir vere magnus. Poſtea tamen, vbi ex his ſcopulis emerſit hasque difficultates vicit, quas inepti praeceptorum mores et methodus praepoſtera valde auxiſſe videntur, paulo propenſiori ſtudio diſciplinarum ſtadium ingreſſus eſt, animumque ad Latinas primo literas appulit, a Graeca vero lingua abhorruit, eius peregrinitate offenſus. Quam vt addiſceret, Homerumque legeret, ſaeuis quidem terroribus atque poenis praeceptores vrgebant, parum tamen ita promouit, vnde factum, vt minus Graece ſciret, quam Latine [g]. Quod tamen ei poſtea ſumma induſtria in literarum ſtudia incumbenti non obſtitit, quo minus ſcripta Graecorum, et Eccleſiaſticorum doctorum et philoſophorum diurna nocturnaque manu euolueret. Certe Platonis dialogos ſe legiſſe multoties in ſcriptis ſuis prodidit, et egregia, quam ſibi comparauit, Graecae philoſophiae cognitio, quae vbique in eis lucubrationibus elucet, argumento eſt, has quoque eum difficultates animi ſolertia improboque labore ſuperauiſſe. Madauris Thagaſtam reuerſus in paterna domo perſtitit, donec de ſumtibus ad proſequenda literarum ſtudia ipſi proſpiceretur [h]. Quod tempus, patris incuria conniuente et moribus et eruditioni ſuae parum profuiſſe, candidus deplorat. Comparato, ex quo viueret viatico, Carthaginem petiit, et parentis et Thagaſtani cuiusdam ciuis primarii cura ſuſtentatus [i]. Floruiſſe in ea vrbe eloquentiae et philoſophiae ſtudia, alibi notauimus [k]. In hac itaque palaeſtra dum grauiter ſe exercet adoleſcens, mira ingenii praeſtantia ornatus, confeſtim primas tenuit, et imprimis eloquentiam ſibi comparauit haud contemnendam [l]. Quae tamen eruditionis incrementa vitam ex more ſeculi indecoram valde corrupiſſe, humili confeſſione conqueri-

c) Confeſſ. L. II. c. 3. n. 8.
d) Ibid. L. c. 9. n. 14.
e) Lib. II. c. 3. n. 5.
f) Lib. I. cap. 13. n. 20. 21.
g) De Trinit. Lib. III. n. 1.
h) Confeſſ. Lib. II. cap. 3. n. 5.
i) Contra Acad. Lib. II. cap. 2. n. 3.
k) In vita Apuleii Tomo II. enarrata.
l) Lib. III. c. 3. n. 6.

queritur [m]. Parente praematura morte orbatus, ſtudiorum ſumtus optima mater vtcunque leuat, Romanianus ſuppeditat, ipſe ad firmandam praecipue eloquentiam, ad cuius praeſidia adſpirabat, transfert [n]. Quo in curriculo dum ſtrenue pergit, iuxta receptum diſcendi ordinem in Ciceronis *Hortenſium* incidit [o], in quo conſulem diſertiſſimum philoſophiam elegantiſſima oratione commendauiſſe ſuo loco *Tomo ſecundo* diximus. Quamuis autem ad eloquentiam firmandam ornandamque huius libri lectionem Auguſtinus ſuſcepiſſet, Dei tamen conſilio, viam illi mature ad eluctandum, e vitiorum in quo voluebatur, coeno, ſternente factum eſt, vt argumentum iſtius tractationis et commendatio ſapientiae ab eloquentiſſimo dicendi magiſtro profecta vehementer eius animum commoueret, ita vt abiecta ſermonis cura in res ſolummodo et ſententias totus animo ferretur. Fateturque [p], *tanto ſe ſapientiae deſiderio iſta Ciceronis exhortatione exſtimulatum ardere coepiſſe, vt prae illa cupiditate ſpem omnem mortalem abiiceret magis, quam deponeret, conſpectaque, in qua hactenus haeſiſſet, vitae ſtultitia ad ſanam mentem redire immortalemque ſapientiam anhelare et ſurgere inciperet, vt rediret ad Deum.* Obſtitit tamen egregiis animi motibus, quod ducem non haberet, qui ad ſapientiam eam duceret, nec, quae illa eſſet, cognoſceret. Et iniecit quidem iam tunc adoleſcenti in ſapientiae amorem exardeſcenti Deus conſilium, Scripturae oracula perquirendi, explorandique, qualia illa eſſent [q]. Sed cum altos aleret ſpiritus, animoque ad ea accederet graui eruditionis faſtu ob humilitatem dictionis, ſententiarum maieſtatem non aſſequente, prae Ciceronis facundia ſuo malo ea aſpernatus eſt. Qua de re ipſum optimum praeſulem legendum [r] illis commendamus, qui in literaturae ſecularis ſtudio ſcopulos eos euitare cupiunt, ad quos magna ceteroquin ingenia complura naufragium feciſſe erudita teſtatur hiſtoria [s]. His primis ſapientiae lectionibus neglectis, ſuppreſſisque animi ad emendationem excitati commotionibus, dum philoſophiae ſtudium aggreditur, et naturali ingenii praeſtantia atque vi quadam inſita ſcientias omnes ſine vlla magiſtri opera percipit, animum inde refert vana eruditionis opinione et arrogantia inflatum. Praeteriri hoc loco non debet, qua ratione quoue euentu in philoſophia Ariſtotelis addiſcenda eo tempore fuerit verſatus. Annos ferme viginti natus in Ariſtotelis categorias incidit, quae a praeceptore ſuo, homine rhetore, tanta verborum pompa commendari audiuerat, vt earum lectione, tanquam re quadam magna et diuina frui exoptaret [t]. Sed has cum legiſſet ſolus, nullo magiſtro adiutus, ita intellexit ipſe, vt cum poſtea praeceptores eas explicantes audiret; nihil ab iis nouum diſceret, quod non prius percepiſſet. Ex hac tamen lectione non leue diſpendium paſſum ſe

m) Cap. 4. ſeqq.
n) Contra Acad. L. II. c. 2. n. 5.
o) Lib. VI. c. 11. n. 18.
p) Lib. III. c. 4. n. 8.
q) Cap. 5. n. 9.
r) l. c.
s) Patrum loca huc pertinentia collegit BALTVS Iugement des SS. Peres ſur la morale de la philopayenne Lib. III. c. 22. p. 527.
t) Lib. IV. c. 16. n. 28. ſeqq.

ſe eſſe, ait, ob falſam Dei ſpeciem, quam animo imbibit. Metaphyſicis eum et abſtractis notionibus implicatum prima ibi erroris Manichaei ſemina concepiſſe dubio caret. Cum autem et intelligendi celeritatem, et diſpiciendi acumen egregie poſſideret, ad omnium artium et ſcientiarum libros ſe conuertit, et tum de differendi facultate, tum de mathematicis ſcientiis, tum de philoſophia tradentes et legit et nullo homine explicante intellexit. Verum dum ſapientiae addiſcendae ſtimulis exagitatur, et quo ſe vertat, vt eam addiſcat, incertus fluctuat, a Manichaeis iuuenis ingenio ardens intercipitur [w]. Attentione digna eſt cauſſa, qua ſe captum et per nouem annos in tam foedo errore detentum eſſe ſcribit [x], nempe: *Coactum ſe eſſe ſpreta religione, quae ipſi puero a parentibus inſita erat homines illos ſequi ac diligenter audire, quod ſuperſtitione terreri orthodoxos, et fidem illis ante rationem imperari dicerent, ſe autem nullum premere ad fidem, niſi diſcuſſa et enodata veritate. Quis non*, ſubdit, *his pollicitationibus illiceretur, praeſertim adoleſcentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in ſchola doctorum hominum diſputationibus ſuperbus et garrulus, qualem me tunc illi inuenerunt, ſpernentem ſcilicet quaſi aniles fabulas, et ab eis promiſſum apertum et ſincerum verum tenere atque haurire cupientem.* Alias eius rationes, quibus ad amplectendas Manichaeorum partes commotus eſt, quasque biographi Benedictini diligenter enarrarunt [y], praeterimus. Haec vero luculenter docent, quid pſeudo-philoſophia valeat, vbi ab animo non emendato recipitur, et veritatis imponit ſpecie. Illud quoque ex hac vitae Auguſtini particula diſcimus, deliria Manichaeorum tanto veritatis fuco et philoſophiae opinione ſubtilibus fanaticorum hominum argutiunculis ſe commendauiſſe, vt animi quoque veritatem ſitientes decepti fuerint. Quod de tam abſurdis Manichaeiſmi ſomniis, Orientales nugas nouis coloribus reſuſcitantibus mirum videri poſſet, niſi ſupra iam obſeruatum eſſet, Auguſtinum iam tum Ariſtotelis categoriis corruptum falſas ex iis de Deo notiones concepiſſe. Quae cum orthodoxorum dogmatibus non reſponderent, facile eum in haec deuia deducere potuerunt, eo quod malum non pro priuatiua cauſſa haberet: hac enim ratione ad Manichaeiſmum aperta via deductus eſt. Qua occaſione non ineptum prorſus et a noſtro ſcopo alienum eſſet, origines Manichaeiſmi philoſophicas oſtendere, huncque inuenuſtum philoſophiae Orientalis, ſed nouo veſtitu ornatum, nouisque ingenii commentis commendatum pullum Lectoris iudicio ſubiicere, eo quod inter haereſes philoſophicas pertineat; niſi tractationis, quam requirit, prolixitatem paginarum noſtram anguſtia refugeret, totumque hunc campum poſt tot viros doctos alios feliciter occupaſſet eruditiſſimi Beavsobrii induſtria, cuius *hiſtoria Manichaeorum* legi expendique, conferri autem cum hiſtoria philoſophiae Zoroaſtreae atque Orientalis ſuo loco enarrata meretur.

w) Lib. III. c. 6. x) De vtilit. cred. c. 1. n. 1. y) Lib. I. c. 6. p. 10.

tur [z]. His itaque erroribus peſtilentibus implicatus Auguſtinus, dum miſeras quasdam ineptientis philoſophiae ratiunculas ſequitur, longiſſime a fide Chriſtiana recedit, adeo, vt ipſos Manichaeos furore ſuperans *de domino Chriſto tantum ſentiret modo, quantum de excellentis ſapientiae viro, cui nullus poſſit aequari* [a]. Maxime vero in has voragines praecipitabat Auguſtinum difficillima de mali origine quaeſtio. Cum enim inepta mali notione deceptus in huius originis inquiſitione eſſet fruſtra defatigatus, nec tollendae difficultatis remedium vllum exhiberet philoſophia, quam didicerat, Ariſtotelica, in Manichaeorum claſſes facile incidit, et perſuaderi ſibi paſſus eſt, eſſe proprium et peculiare mali omnis principium aliquod atque fontem, Deo contrarium, ex quo omnium tenebrarum, materiae, defectus et peruerſitatis cauſſae deriuandae ſint. Quod licet tam acri ingenio placere potuiſſe, mirum videri queat, conuenit tamen cum circumſtantiis viri magni, in quibus tum viuebat. Cum enim ſpatioſam de Deo lumine ſummo et ineffabili, haberet notionem, quam tot philoſophorum, immo doctorum quoque Eccleſiaſticorum

z) Longa eſt, quam Manes in Eccleſiam intruſit, errorum fabula, paucisque exponi et ad originēs ſuas reuocari non poteſt. Vnde maluimus argumentum, licet nec ignobile, nec a tractationis noſtrae ſcopo abhorrens, hoc loco omittere, quam ſuperficiaria conſideratione nihil, quod momentum habeat, dicere. Non enim iudicium de hac haereſi fieri poteſt, niſi accurato prius examine definiatur, quid Manēti, quid ſectatoribus eius placuerit? cum haud raro errorum portenta tribui ſoleant haereticis, de quibus aut plane non cogitarunt, aut quae conſequentiarum tantum machinis extorta et obtorto, quod aiunt, collo rapta et obiecta illis ſunt. Quod vbi absque partis praeiudicio et vel accuſandi vel defendendi ſtudio particulari factum eſt, tum demum licebit inſtituta comparatione inter ſyſtema Magorum veterum, Zoroaſtrianum reformatum, Chriſtianum et Manetis, de veris huius doctrinae originibus ſtatuere. Quam viam ſumma cum laude iniit celeberrimus nobisque deſideratiſſimus BEAVSOBRIVS, cuius hiſtoria Manichaeiſmi bonis omnibus non immerito placuit. Qui ſi non in plerisque Graecorum fidem Arabum ſcriptorum auctoritati poſtpoſuiſſet, et ad varias Orientalis philoſophiae periodos, aetates, mutationes et reformationes paulo curioſius attendiſſet, omne tuliſſet punctum. Has enim qui negligit, ille in Manichaeorum hiſtoria verum vbique videre non poteſt. Manes enim, vt erat ingenio fanatico, at eruditione et doctrina expolito, ita noua dogmata producere, et ſyſtema a receptis diuerſum exque iis ſelectum condere conatus eſt. Hinc nec duo illa principia abſoluta, quae veterum Magorum diſciplina commendauerat, illi placebant, nec Zoroaſtrea illi emendatio, quae Miſſ[illegible]m iis praefecit, rerum omnium fontem, exque eo ſuo modo et Oromasden et Arihmanium licet contrariis inter ſe affectionibus conſpicuos deriuauit, arriſit, ſed vt philoſophiae Orientalis placita ex luminis diuini emanatione eiusque priuatione et mali et boni fontem, materiam et ſpiritum deriuantia cum Chriſtianorum ſciris, diaboli defectioni mali moralis cauſſam aſſignantibus in vnum confunderet, vel tertium potius doctrinae aedificium exſtrueret, duo rerum quidem omnium principia poſuit, bonum, quod luci praeſidet, et malum, quod tenebris, materiae, infelicitati imperat, haec vero duo numina ita per varias viciſſitudines et periodos inter ſe contendere ſtatuit, donec victo tenebrarum principe redeant vbique puriſſima luminis et felicitatis ſecula. Ita quamuis vnum tantum Deum Manes admitteret, cum malo illi principio deitatis attributa negaret, nec id inter numina referri poſſe putaret, quod luce, vita, bonitate careret, ſperabat tamen, poſſe eius exiſtentiam admitti, ſicque ratio dari, quomodo omnia mala et confuſiones in orbe exortae eſſent, ita vt principia philoſophiae patriae et regulae rationis minime offenderentur. Id enim male habuiſſe hominem philoſophico ingenio praeditum videtur, quod philoſophia Orientalis inculcabat, omnia quaecunque ſunt ex Deo emanaſſe, et tenebrarum non minus quam lucis principia ex vno fonte, Mithra eſſe, illud vero malam indolem ex ſola priuatione accepiſſe. His oppoſuit duplex principium, ſed modificatum. Verum haec *εἰς ἐν παρόδῳ*.

a) Conf. Lib. VII. c. 19. id ne Manichaei quidem docuerunt, qui diuinitatem verbi non negarunt, ſed lucis progeniem eſſe dixerunt, Conf. BEAVSOBRE l. c. T. I. p. 478.

rum quorundam praecepta inculcabant [b], et cui Scripturae voces non refragari videbantur, malum vero rebus plurimis, quae ſubſtantia gaudebant, ineſſe videret, materiamque ipſam, qua talem ad tenebras magis, quam lucem referendam eſſe ſtatueret; non potuit non in Manichaeorum errorem delabi, mali poſitiuam originem in alio fonte, quam Deo, toto lumine, eſſe quaerendam. Certe cum has ipſi difficultates Manichaei obiicerent, quaerentes, vnde malum, ſe non potuiſſe obſiſtere, ipſe fatetur [c]. Ita vero peſſimis retibus implicatus dum ſeducitur, alios quoque argutis ingenii captiunculis ſeducit, et in his Alypium et Romanianum Moecenatem ſuum. Neque tamen ſatisfacere potuit ingenio tam acri, tam acute videnti, fanatica Manichaeorum philoſophia, quos in aliorum opinionibus deſtruendis magis diſertos, quam in ſuis adſtruendis firmos eſſe cognouit [d]. Totus itaque his erroribus non adhaeſit, cauteque atque timide illos ſecutus eſt. Neque tamen reliquarum, praeter philoſophiam, ſcientiarum curam dimiſerat; cumque eloquentiam forenſem mire adamaret, non grammaticam tantum Thagaſtam reuerſus docuit, ſed illuſtrioris quoque profeſſionis gratia Carthaginem abiens, rhetoricae profeſſionem auſpicatus eſt. Cumque ibi et ad magiam et ad aſtrologiam iudiciariam pernoſcendam inuitaretur, illam quidem curioſitatem deteſtatus eſt [e], hanc vero amare coepit, cum et cupiditatibus faueret, et Manichaea principia firmare videretur. *Placebat* adoleſcenti variis affectibus aeſtuanti *horum hominum oratio* [f]: *De coelo tibi eſt inuitabilis cauſſa peccandi, et, Venus hoc fecit vel Mars, ſcilicet vt homo ſine culpa ſit, caro et ſanguis et ſuperba putredo, culpandus ſit autem coeli ac ſiderum creator et ordinator.* Reuocauit tamen iuuenem, longe iam in vaniſſima arte progreſſum Vindicianus medicus, benigne ac paterne eum cohortatus, vt ne curam atque operam rebus vtilibus neceſſariam vaniſſimis ineptiis tribueret. Reuerſus itaque ad philoſophiam ad elucubrandos libros duos *de pulchro* et *apto* animum conuertit; in his definiebat, *pulchrum id eſſe, quod per ſe ipſum, aptum autem id, quod ad aliquid accommodatum deceret* [g]. Quod vbi ad corpora transtuliſſet, ad animum quoque applicare, eiusque adaptare naturae conſtituit. Verum falſa de ſpirituali natura notio, quam ipſi Manichaei ſubminiſtrauerant, obſtitit, quo minus verum videret. Hos libros, in ipſa ſua pueritia quaſi iterum extinctos et deperditos ad Hierium Romanae vrbis oratorem ſcripſerat, virum et Graeca et Latina facundia clariſſimum et philoſophum acutiſſimum. Quamuis autem iſto philoſophiae ſtudio rectam viam nondum deprehendiſſet, non tamen ſine fructu id fuit. Nempe et flagitioſos Manichaeorum mores condemnabant praecepta philoſophiae, et errores ſenſim manifeſtabant. Nam Helpidii diſputationi cum Manichaeis intererat Carthagine Auguſtinus: qui cum auctoris ſui de origine

b) Demonſtrauit id IDEM l. c. p. 482, ſeqq.
c) L. III. c. 7. n. 12.
d) De vt. cr. c. 1. n. 2.
e) Conf. L. IV. c. 2. n. 3.
f) Lib. IV. c. 3. n. 4.
g) Lib. IV. c. 15. n. 24.

origine mali ſententiam defendere ſatagerent, oculos aperuerunt iuueni acutiſſimo, vt intelligeret, ſtante Manichaei doctrina, rationem validam explicari non poſſe, cur tandem Deus animas in mortalium corpora innumeris calamitatibus obnoxia detruſiſſet. Idque ſibi diuinam quandam excitationem fuiſſe ſcribit [h], vt ad ſaniora rediret, cum hac difficultate ſe expedire ſectatores eius non poſſent. Longum eſſet, rationes eas enarrare, quibus eum philoſophia contra Manichaeorum deliria muniebat, et hauſta ab his ſeductoribus praeiudicia euertebat, merentur autem apud ipſum legi et expendi [i]. Eo autem ventum, vt placita philoſophorum, quae diligenter didicerat, cum Manichaeorum dogmatibus comparando, illa his longe praeferret [k]. Quod equidem mirari quem ſubeat, cum plerique veterum philoſophorum in admittendis principiis duobus coëxiſtentibus conſpirauerint, viamque ſtrauerint et exemplum praeiuerint Manichaeo, id quod docta commentatione demonſtrauit B. Io. CHRISTOPH. WOLFIVS [l] Verum aut ad eos tum reſpexit philoſophos, qui vni tantum principio adhaeſerunt, quod Eleaticos, Heraclitum aliosque feciſſe conſtat, vel eos intellexit, qui praetermiſſo principio efficienti, materiale tantum conſiderarunt, vt factum ab Ionicis: aut varias et ineptas ratiunculas Manichaeorum vagumque doctrinae genus, nullo certo ſyſtemate connexum coaptatumque contemnere coepit, cum Graecos philoſophos rationes inter ſe conſpirantes adducere videret. Cum enim obſeruaret, motuum coeleſtium cauſſas, aequinoctiorum, ſolſtitiorum, defectuum denique ſolis et lunae multo melius a philoſophis explicari, quam a Manichaeo, tametſi is in eam rem copioſiſſime deliraſſet: colligebat inde, hominem in his quidem rebus futilem, quae oculorum atque ſenſuum fidei eſſent expoſitae, multo magis in rebus a ſenſu remotioribus tractandis aberrare, nec Spiritum ſanctum in eo homine perſonaliter auctoritate plenaria reſediſſe, qui in rebus quae cuiuis mediocriter erudito eſſent peruiae tam pueriliter hallucinaretur [m]. Medicinam Auguſtino ita dubitanti et innumeros nodos nectenti parabant Manichaei, aſſidue illi promittentes, vbi Fauſtus, qui honeſtarum omnium diſciplinarum et philoſophiae peritiſſimus habebatur, adueniſſet, eum omnes illi nodos non rerum modo aſtronomicarum, ſed quarumcunque etiam longe intricatiorum expediturum eſſe. Magna et eruditionis et pietatis opinione ſe iactabat Fauſtus ille, qui epiſcopum ſe Manichaeorum gerebat, quamuis contrarium de eo teſtarentur, qui hominem propius nouerant [n]. Nam et moribus erat effeminatis et diſciplinarum omnium praeter Grammaticam fere rudis [o], ſola vero dicendi peritia naturali facultate adiutus aliquo modo excellebat, hacque facundia ſimpliciores mire decipiebat, apud ſuos autem auctoritatem atque opinionem ſibi conciliabat maximam. Is cum Carthaginem veniſſet, delectatus eſt initio hominis

h) Diſp. contr. Fort. c. 2. n. 37.
i) Conf. L. VII. c. 2. contra Manich. c. 8. n. 11.
k) Conf. Lib. V. c. 3. n. 3.
l) In Manichaeiſmo ante Manichaeos.
m) Lib. V. c. 5. n. 8.
n) Cap. 3. n. 3. contra Fauſt. L. V. c. 1.
o) Confeſſ. L. V. c. 6. n. 1.

minis eloquentia Auguſtinus, qui vero, cum iudicii vim illius ſermonibus adhibuiſſet, et colloquiorum familiaritate ſcrupulos ſibi eximendos propoſuiſſet, turpiter ſe deludi ſenſit, deſperauitque, fore vt nodos, quos in animo ſibi ipſi Auguſtinus ſtruxerat, ſolueret. Cumque rationes mathematicas, quas in philoſophorum libris legerat, cum Manichaei praeceptis conferre, et ex illius ſectae opinione aeque ſibi, atque ex aſtrologorum diſciplina, explicari cuperet, motuumque ac conuerſionum ſiderum regulas ſibi tradi deſideraret, Fauſtus tenuitatis ſuae conſcius diſputationis aleam callide ſubterfugit, imperitiam in ea re ſuam confeſſus [p]. Quam animi modeſtiam in difficilioribus quoque quaeſtionibus Fauſtus demonſtrauit. Ita vero valde deferbuit ingens illud, quo Manichaeorum partes proſecutus erat Auguſtinus, ſtudium, cum probe videret, non expectandos eſſe ex hac ſecta homines, qui quaeſtiones ſuas, quas philoſophia illi ſuppeditauerat, enodarent. Ita fluctuans et ex omni parte haerens, quo ſe verteret, neſciebat acre quidem, at rectore deſtitutum Auguſtini ingenium, cum in Italiam ex Africa traiicere ſtatueret. Romam petebat Rhetoricam profeſſurus, quo loco moderatius ſe gerere, quam Carthagine, ſtudioſos audiuerat [q]. Ibi in grauiſſimam febrim incidit, cum adhuc Manichaeorum familiaritate detineretur [r]. Nondum tum peſtilentem errorem vel philoſophia eius vicerat, vel gratiae vires excuſſerant, non eſſe ſe qui peccaret, ſed quandam aliam in ipſo naturam, quod praeiudicium ſibi quam maxime obſtitiſſe, quo minus de vera mentis emendatione, et conuerſione ad Deum cogitaret, pie conqueritur [s]. Quod impedimentum valde corroborabat, quod Deum cogitare non poſſet ab omni mole corporea ſecretum, putaretque, nihil vnquam extitiſſe, vel extare poſſe, quod corporeum non eſſet; ex quo errore innumeri illi deliramentorum riuuli ſcaturiebant, qui Auguſtini animum a veritate retraxerunt. Certe hunc verum Manichaeiſmi fontem fuiſſe, ipſe obſeruauit, libros, quos contra Fauſtum ſcripſit, hoc ſalutari epiphonemate claudens [t]: *Dei naturam atque ſubſtantiam incommutabilem omnino et incorruptibilem cogitate et credite, et Manichaei continuo non eritis, vt aliquando et Catholici eſſe poſſitis.* Nempe more Orientalium ad corporeas notiones de ſubſtantiis naturisque immaterialibus ſibi concipiendas valde procliue erat Manichaei ingenium. Qui cum ex patria diſciplina didiciſſet, eſſe Deum felicitatis bonique omnis fontem et auctorem, conſpexiſſet quoque, per emanationis ſeriem rerum ab eo profectarum origines explicari, in eam opinionem deſcendit, eſſe hanc diuinam lucem, non quidem materiali huic luci ſimilem, quae hunc mundum illuſtrat, eſſe tamen veram lucem ignemque diuinum, adeoque corpoream quandam notionem locum heic habere debere [u]. Nec aliter concipi poteſt lumen

p) Confeſſ. Lib. V. c. 7. n. 12.
q) Lib. V. c. 8. n. 14.
r) Cap. 9. n. 16.
s) Cap. 10. n. 18.
t) Lib. XXXIX. c. 9.
u) Conf. BEAVSOBRE l. c. p. 466.

lumen illud diuinum, aeternum, infinitum, quod ſupremam diuinitatis plenitudinem replere dixerunt Orientales philoſophi, quique ab iis prognati ſunt Gnoſtici et Cabbaliſtae. Quam patriam diſciplinam ſecutus Manes, vt Deum ſpatioſa quadam radiorum extenſione omnia replere credidit, ita haec non obſtare ſimpliciſſimae et diuinae eius naturae putauit. Quibus poſitis vbi tenebrarum, imperfectionum, malorum, ipſiusque materiae origines eſſent deſignandae, easque in ſola priuatione quaeri non poſſe ille ſtatueret, eo quod actiua quadam vi reniti luci bonoque tenebras atque malum videret, ad turpiſſimum illum errorem delapſus eſt, malam quandam et tenebricoſam naturam extitiſſe ſemper, quae tenebras inducere lumini diuino contenderit, hincque materialia omnia orta eſſe. Qua in re longius eum progreſſum eſſe, quam philoſophos, alios Orientales ex Zoroaſtris diſciplina profectos qui tenebras, materiam, malum ex luminis priuatione, et remotiore emanationis a fonte ſuo diſtantia deriuabant, ex comparatione vtriusque ſyſtematis facili labore diſci poteſt. His itaque praeiudiciis vehementer implicitus Auguſtini animus, exitum ex hoc labyrintho inuenire non potuit. Hanc enim maximam et prope ſolam cauſſam ineuitabilis erroris fuiſſe, ipſe innuit [x]: et huic quoque praeiudicio tantopere ſe poſt conuerſionem oppoſuit, vt et animam non incorpoream modo, ſed et illocalem diceret [y], et materiam ſibi quandam incorpoream ante mundi exordia fingeret, ſtatueretque [z], *priusquam Deus informem iſtam materiam formaret atque diſtingueret, non fuiſſe aliquid, non colorem, non figuram, non corpus, non ſpiritum, non tamen omnino nihil.* Quam opinionem hodie pro inſulſa, inepta et fanatica habitam tantum virum pro diuina et ab ipſa Numinis miſericordia ſuggeſtam habuiſſe, merito miratur eruditiſſimus CVDWORTHI interpres [a], ortam vero eſſe ex ſtudio, erroribus Manichaeis ſe e diametro opponendi, quilibet videt. Dum itaque remedium quaerit animo cum hoc morbo conflictanti, medicinam adhibet ipſo malo tantum non deteriorem. Nempe ad Academicorum libros delapſus eſt, veriſimili argumento concludens, aut prorſus nihil veri eſſe, aut id homines latere, ſapienterque ab aſſenſu cohiberi animum, cum nuſpiam ipſe portum inueniret, in quo agitatus tot incertitudinum fluctibus requieſceret. Quas partes cum magna ingenia ſecuta fuiſſe noſſet, nec veros Scepticiſmi fines intelligeret, noua illa peſte non corrumpi non potuit. Euentum hoc habuit vere Scepticum, vt et Manichaeos et orthodoxos contemneret, et neutri ſe parti addiceret, ſed ad docendam eloquentiam totum ſe conuerteret. Quam cum Romae profiteri ob fraudes Scholaſticorum amplius nollet, Symmachi commendatione Mediolani rhetoricae profeſſionem nactus, artem ibi oratoriam docere coepit [b].

x) Confeſſ. L. V. c. 10.
y) De anima c. 9. T. I. p. 298. ep. 166. T. II. p. 444.
z) Conf. Lib. VII. c. 3.
a) p. 948.
b) Lib. V. c. 13.

Duxerat hanc in vrbem Auguſtinum diuinus nutus, qui de ſalute ei proſpiciebat, et ad Ambroſium magna et probitatis et eloquentiae fama inclareſcentem trahebat. A quo benigne exceptus eſt, commotusque vt eius conciones ſedulus audiret. In quibus licet eloquentiae tantum rationem habere vellet, rerum tamen pondera animum vehementer excitabant, et Manichaeorum partes oppugnabant. *Fortiter ſe tunc*, ait [c], *intendiſſe animum, ſi quo modo poſſet certis aliquibus documentis Manichaeos conuincere falſitatis. Quod ſi enim poſſet ſpiritalem ſubſtantiam cogitare, ſtatim illa omnia machinamenta ſolutum et abiectum iri ex animo: ſed non potuiſſe. Veruntamen de ipſo huius mundi corpore omnique natura, quam ſenſus carnis attingeret, multo probabiliora ſenſiſſe plerosque philoſophos magis magisque conſiderantem atque comparantem iudicaſſe. Itaque Academicorum more, ſicut exiſtimentur, dubitantem de omnibus atque inter omnia fluctuantem, Manichaeos quidem relinquendos eſſe decreuiſſe, non arbitrantem eo ipſo tempore dubitationis ſuae in illa ſecta ſibi permanendum eſſe, cui iam nonnullos philoſophos praeponeret: quibus tamen philoſophis, quod ſine nomine ſalutari Chriſti eſſent, curationem languoris animae ſuae committere omnino recuſauerit. Statuiſſe ergo tamdiu eſſe catechumenon in Catholica Eccleſia, ſibi a parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quo curſum dirigeret.* Alio vero loco [d], egregie luculenterque explicauit, qua ratione Deus philoſophiae praeparatione vſus fuerit, ad adducendum eum ad Chriſtianam fidem. Scribit enim ad Honoratum: *Rationem ipſe mecum habui, magnamque deliberationem, iam in Italia conſtitutus, non, vtrum manerem in illa ſecta, in quam me incidiſſe poenitebat; ſed quonam modo verum inueniendum eſſet. Saepe mihi videbatur, non poſſe inueniri, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum ſuffragium ferebantur. Saepe rurſus intuens, quantum poteram mentem humanam tam viuacem, tam ſagacem, tam perſpicacem, non putabam latere veritatem, niſi quod in ea quaerendi modus lateret, eundemque ipſum modum ab aliqua diuina auctoritate eſſe ſumendum. Reſtabat quaerere, quaenam iſta eſſet auctoritas, cum in tantis diſſenſionibus ſe quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis ſilua, cum demum inſeri multum pigebat; atque inter haec ſine vlla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Diſſuebam me tamen magis magisque ab iſtis, quos deſerere propoſueram. Reſtabat itaque aliud nihil in tantis periculis, quam vt diuinam prouidentiam lacrymoſis et miſerabilibus vocibus, vt opem mihi ferret, deprecarer; atque id ſedulo faciebam.* Dignus locus eſſet ampliori contemplatione, examineque de vſu illius Scepticiſmi, qui cum eſſet periculoſiſſimus, medicina quaedam fuit

c) Conf. Lib. V. cap. 14. n. 24. d) De vtil. cred. c. 8.

fuit Auguſtini animo. Sed hiſcemodi immorari non licet. Vnum monemus, ſectariam philoſophiam, dum Scepticiſmum in Auguſtini animo excitauit, locum feciſſe diuinae gratiae, vt reuelationis radiis colluſtrari cuperet. Quid feciſſet ſana philoſophia, Scepticiſmi victrix, ſi ad eam peruenire Auguſtino licuiſſet? Non diffitetur tamen vir magnus, periculoſam ſibi iſtam dubitationem fuiſſe, ex qua nempe torpor ac negligentia eius inquirendi naſceretur. Mirum itaque non eſt, graui pugna animum Auguſtini in partes diſtractum neſciuiſſe, vbi elabi poſſet. Quos cogitationum ſuarum fluctus de mali origine eleganter enarrat, apud ipſum [e] legendos, patet enim ex iis, ineptas notiones Ariſtotelicas, quas ex categoriis deſumtas ſibi falſam de Deo opinionem ſuggeſſiſſe ipſe prodidit, vt iam ſupra monuimus, ipſi vehementer obſtitiſſe, quo minus victoriam reportaret. Cum enim vniuerſarum creaturarum complexum imaginatione ſibi concepiſſet, hocque vnum compoſitum Deum penetrare et circumfluere cogitaſſet, vt ſpongia in infiniti maris vndis natans non modo ab vndis cingitur ſed et penetratur, vidit quidem ea omnia, quae ex Deo ſint, et in eo moueantur bona eſſe, qua vero ratione malum intrauerit, deprehendere non potuit. Aut enim malum nihil eſſe, praeter nudae imaginationis luſum vocemque inanem, aut cuidam inhaerere ſubſtantiae, inde concludit, quae cum non ex omni parte creatori morigeram ſe praeberet, mala inde manſerit, nec corrigi a Deo potuerit. Noua haec ſeges dubitationum acerrime iudicanti Auguſtino extitit, ita ratiocinanti: aut non potuiſſe, aut noluiſſe Deum mutare prauam illam materiae ſubſtantiam, quorum vtrumque Deo dignum haud ſit. At debuiſſe magis nouam creare materiam mali expertem; quod ſi non licuerit, ſequi inde, ab aeterno iſtam fuiſſe materiam, atque etiam non volente Deo extitiſſe. Et haec vero abſurda eſſe, cum ratio non pateat, cur poſt tot ſeculorum decurſum demum ex ea aliquid formauerit, et cur non illa potius penitus deſtructa produxerit nouam eamque perfectiorem magisque abſolutam? Vidit vir acerrimi iudicii abſurditates ſyſtematis dualiſtici, cum rationis regulis atque axiomatibus nullo modo conſpirantis, ſed ineptis de Deo et materia, deque malo morali notionibus impeditus ſuccurrere intellectui incertitudine laboranti non potuit, donec ſublimiores de Deo cogitationes tandem eſſet aſſecutus, et materiales iſtos conceptus, quos abſtractiones illae Peripateticae non ſuggerere non poterant, eieciſſet. Factum id eſſe, lectione quorundam librorum Platonicorum narrat Hipponenſis praeſul, quos a Victorino, (de quo in fine paginae dicemus [f],) Latinos factos acceperat per quendam

[e] Confeſſ. Lib. VII. c. 5.

[f] Laudat hunc Victorinum, tanquam omnium artium liberalium peritiſſimum et in lectione philoſophorum verſatiſſimum AVGVSTINVS Confeſſ. Lib. VII. c. 2, eumque veterem philoſophiam explicantem ſenatores quoque auditores Romae habuiſſe, et in foro ſtatuam meruiſſe refert, quaque ratione lectis Scripturae paginis de veritate Chriſtianae religionis perſuaſus ſit a Simpliciano exponit. Fuit autem, Fabius Marius Victorinus natione Afer, qui rhetoricam Romae ſumma cum laude docuit imperante Conſtan-

dam hominem praeter modum arrogantem et elatum. Cumque reliqui philoſophi in explicandis rerum materialium et naturalium originibus conſiſterent, Platonici vero ad naturae diuinae contemplationem altius aſſurgerent, eos ſibi legendos ſtatuit. Quos vbi euoluiſſet, *reperiſſe ſe*, ait [g], *re ipſa, non iisdem quidem verbis, quicquid Ioannes ipſe Euangelii ſui exordio de verbi gloria, et quod Paulus de eiusdem aequalitate cum patre docet. Ibidem reperiſſe filium patri ſuo eſſe coaeternum, ante omnia et ſuper omnia tempora incommutabiliter permanere, animas de plenitudine eius accipere, vt beatae ſint, et participatione manentis in ſe ſapientiae renouari, vt ſint ſapientes. Inde admonitum*, fatetur [h], *redire ad ſe ipſum, intrauiſſe in intima ſua, vidiſſeque qualicunque oculo animae ſuae ſupra mentem ſuam lucem incommutabilem, non hanc vulgarem et conſpicuam omni carni, nec quaſi ex eodem genere. Grandiorem fuiſſe ſi iſta multo multoque clarius clareſceret, totumque occuparet magnitudine; non hoc illam fuiſſe, ſed aliud, aliud valde ab iſtis omnibus. Nec ita fuiſſe ſupra mentem ſuam, ſicut oleum ſuper aquam, nec ſicut coelum ſuper terram, ſed ſuperior.* Quae latius poſtea proſequitur, fuſeque deſcribit, quo pacto ad cognoſcendam aeternam veritatem, creaturarum verum ſtatum ac conditionem, veram quoque mali originem peruenerit [i], quae hoc loco non moramur.

Auguſtinus quomodo Platonicos legerit.

§. XXVI. Omnium maxime memorabilis hic locus eſt in hiſtoria Auguſtini philoſophica. Quanti enim tum in Eccleſia Plato valuerit, in aprico ponit: ſunt autem in eo nonnulla, quae inſtituti noſtri memores non interpoſito qualicunque iudicio, factaque diſquiſitione dimittere non poſſumus. Et primo quidem non immerito mirari videtur Cl. BEAVSOBRIVS [k] Auguſtinum, Dei bonitatem praedicantem, quod libros hos Platonicos ei in manus tradiderit, cum quae illi lucem praetulit philoſophia Platonica ad iuducendas ei errorum tenebras proprie comparata fuerit. Recte monet, Platonem duo principia coaeterna poſuiſſe, Deum et materiam, et hanc quoque cauſſam omnis mali conſtituiſſe, intelligentias autem non minus Dei emanationes dixiſſe, quam verbum. Animam porro mixtam conſtituiſſe ex indiuiduo et diuiduo, id eſt ex parte immateriali et materiali. Placuiſſe etiam Platoni, animam ſua ſpon-

Conſtantino. Qui cum fidei Chriſtianae profeſſionem prius clam habuiſſet, ratus templorum parietes Chriſtianum non facere, tandem de confeſſionis publicae neceſſitate conuictus publice eiurata ſuperſtitione ad Chriſtum tranſiit, cumque A. C. 362. Iulianus Chriſtianos docere literaturam et oratoriam prohibuiſſet, loquacem ſcholam deſerere maluit, quam verbum domini, vid. IDEM Lib. VIII. c. 8. p. 109. Locum ille heic occupat tum ob librum de ſyllogiſmis hypotheticis ISIDORO HISPAL. Orig. Lib. II. c. 28. memoratum, tum ob varias verſiones philoſophorum Graecorum maxime Platonicorum, inter quas eſt Iſagoge de praedicabilibus, in quam exſtant BOETHII commentarii ſaepius inter eius opera vulgati. De aliis Victorini ſcriptis grammaticis, rhetoricis Eccleſiaſticis videndus FABRICIVS Bibl. Lat. T. III. p. 422. CAVE Hiſt. Liter. Script. Eccleſ. p. 145.

g) Lib. VII. c. 9. n. 1.
h) Cap 10. n. 16.
i) Cap. 17.
k) l. c. p. 479.

ſponte non peccare, ſed paſſionum vi contra voluntatem ſuam impulſam, hancque neceſſitatis ſiue fati ſequelam eſſe, vt iſta patiatur. Eſſe animorum migrationes dogma κύριον in Academia, purgationem animarum ita fieri, docente. Haec vero omnia cum genuinum Manichaeiſmum ſapiant, et ex eodem fonte a Platone vel Pythagora in itinere Orientali hauſta ſint a Magis, a quibus ſua Manichaeus acceperit, mirabile prorſus eſſe, id ad vitam Auguſtino euenisse, quod mortem aliis attulerit. Fatemur, quandam inter Platonis et Manetis placita eſſe affinitatem, quamuis propius conſiderata, haud vna ratione inter ſe diſſideant. Neque tamen haec vel ita mirabilia eſſe, vel facere ad ſcopum Auguſtini obſeruationem eruditiſſimi viri putamus. Senſum enim ſeriemque narrationis Auguſtinianae expendenti patet, Hipponenſem doctorem in eiusmodi tantum loca Platonicorum quorundam incidiſſe, quibus de naturis diuinis earumque ex Deo ſummo origine et συνουσίᾳ diſſeruerunt. Sufficiebat hoc Auguſtino, vt ad meliores notiones reuocaretur. Cum enim adhuc Manichaeus, ſubſtantiam ſpiritualem concipere potuiſſet nullam, Platonicorum libris edoctus obſeruauit, dari poſſe in Deo emanationem naturarum ſiue principiorum mere ſpiritualium, Deumque ſummum ab illa ſpatioſa et imaginaria notione liberum eſſe, quae Manichaeos ipſumque Auguſtinum in transuerſum egerat. In hoc enim plurimum valebat Platonis philoſophia, quod Deum, quantum poſſet, a materia remoueret. Hanc vero medicinam quaerebat Auguſtinus, eaque reperta, errores Manichaeorum, quorum abſurditates diu iam praeuiderat, lubens abiiciebat. Deinde non attente ſatis obſeruauit vir optimus et praeſtantiſſimus, Auguſtinum non in Platonis Timaeum, ſed in Platonicorum quorundam libros incidiſſe, quos Platonis phyſiologiam emendauiſſe, et abiecto iſto duplici principio ſtatuiſſe, ex Deo materiam quoque ortum accepiſſe, diſtincta materialitate a ſubſtantialitate, quae Iamblichi vox eſt, ex iis, quae *Tomo ſecundo* diximus, notum eſt. Vnde contra Manichaeorum aliorumque, duplex iſtud principium propugnantium errorem aliquoties Platonici iuniores in arenam deſcenderunt fortiterque pugnarunt. Hi itaque offendere Auguſtinum tantopere non potuerunt, cum de Manichaeiſmo abiiciendo cogitaret. Id quod ipſi viro docto ſuboluit, qui ipſe in nota paginae adiecta monet, Platonicos recentiores perhibuiſſe, Platonem credidiſſe creationem materiae ex nihilo: ſed iudicaſſe Fabricium, eos Aethiopem lauare. Quod recte quidem pronunciauit Fabricius, ſed ad Auguſtinum, non Platonem, ſed hos Platonicos legentem, nihil facit, vt taceamus, creationem hanc, quam illis tribuit vir eleganter doctus, nihil eſſe aliud, quam eductionem materiae ex ſinu Dei, longeque a creatione ex nihilo differre, quamuis his verbis et loquendi generibus vſi fuerint Platonici Alexandrini, Chriſtianos ſubdole imitati. Melius rectiusque ſe habet, quod laudatus Manichaeiſmi ſcriptor addit, ſiniſtre Platonicorum mentem referre Auguſti-

num. Neminem enim Platonicorum aequalitatem inter λόγον et Deum ſummum ſtatuere. Falſus enim eſt diuus Auguſtinus, quod putaret, eandem eſſe Platonicorum de λόγῳ ſententiam, quae eſt Chriſtianorum. Qui dum non verba ſe Platonicorum idem cum Paulinis ſonantia reperiſſe, ſed rem tamen eandem deprehendiſſe ait, palam facit, ſimilitudine dogmatum deceptum ad nexum ſyſtematis Platonici non attendiſſe, iisque tribuiſſe opinionem, a qua non potuere non alieno eſſe animo, ſi rationem totius aedificii, quod ſibi ſtruxerant, conſeruatam cupiuiſſent. Monuit id iam circa auſpicia labentis ſeculi, qui annotationibus quibusdam Auguſtini opera in Belgio recuſa auxit IOANNES PHEREPONVS, vel, qui ſub hac perſona latuit IOANNES CLERICVS [l], ad hunc ipſum laudatiſſimi doctoris locum monens, Platonicam et Arianam eum doctrinam cum Chriſtiana confudiſſe. Male id habuit FRANC. BALTVM [m], qui cenſoria in eum virgula inſurrexit, et non ſine ſarcaſmis et amaritudine depexum dedit. Contendit is Auguſtinum ea in re deceptum haud eſſe, ſcribentem [n]: Platonicos haec ex Euangelio Ioannis deſcripſiſſe, eadem enim verba eſſe, quae ibi extent, et ipſum Amelium, hominem Platonicum, ad Ioannem prouocauiſſe. Falſo autem tribui Auguſtino, quod putauerit, Platonicorum dogma a Chriſtiano hoc myſterio non differre: mox enim adiicere ſanctum doctorem: *Non legiſſe ſe, quod addidit Euangeliſta: quia verbum caro factum eſt, et habitauit in nobis:* teſtari eum quoque alio loco: *Incarnationem domini noſtri Ieſu Chriſti confiteri erubeſcere Platonicorum impietatem.* Nec dubitandum eſſe, quin Platonici loca huiusmodi furtim Chriſtianis ſurrepta prauis opinionibus ſuis corruperint, et ſuis ſyſtematibus inferendo has veritates adulterauerint. Ita quidem Baltus declamatoria magis oratione, quam critico acumine conſpicuus: qui multum mouendo nihil promouet, nec affert, quod ad rem faciat, vel eam probet. Cui ipſum Auguſtinum recte opponimus, qui, non verba Euangelii S. Ioannis ſe apud iſtos Platonicos reperiſſe dicit, ſed doctrinam ipſam obſeruaſſe contendit. Diſerte enim ſcribit: *Non his quidem verbis, ſed hoc idem omnino et multiplicibus ſuaderi rationibus.* Quae verba ſatis innuunt, non initia Euangelii, ſed eiusmodi commentationem apud Platonicos iſtos reperiſſe Auguſtinum, quam idem prorſus dogma referre putabat. Ita vero ſcribere non poterat, ſed dicere debebat, ſe ipſa Euangelii Ioannei verba apud Platonicos deprehendiſſe, ſi verum eſſet, Platonicos Ioanni Euangelii ſui exordium ſurripuiſſe. Nec fortiora ſunt, quae his ſubiicit vir diſertiſſimus. Non enim de eo quaeſtio eſt, vtrum Auguſtinus crediderit, omnia quae de λόγῳ incarnato Ioannes ſcripſit, Platonicos recepiſſe, id enim nec vult Auguſtinus, nec Clericus, vel alius quiſpiam aſſeruit. Sed hoc tantum diſputant viri docti,

l) Ad hunc locum.
m) Defenſe des SS. Peres accuſez de Platoniſme Lib. IV. c. 7. pag. 484. ſeqq.
n) De C. D. Lib. X. c. 29.

docti, Auguſtinum in ea fuiſſe opinione, ea quae ab apoſtolo de verbi exiſtentia et coaeternitate cum Deo, de eius generatione aeterna, de opere creationis demiurgico etc. ſcripta ſunt, reperiſſe ſe in Platonicorum ſcriptis, hosque eandem ſententiam tenuiſſe, licet verbis in Ioanne differrent. Quod qui negat, ſolem meridianum negat, et apertiſſima Auguſtini verba non intelligit. Aut itaque, his poſitis, ex Ioanne hoc transſumſerunt, furtimque, quod vult Baltus, Chriſtianis abſtulerunt, aut ex ſuis, quae ſemel ſuppoſuerant, principiis deriuauerunt, vique ſyſtematis, quod receperunt, emanatiui, ita docuerunt, quod cum Clerico plures contendunt viri doctiſſimi. Illud vt probet, nihil habet Baltus praeter verborum conſonantiam, quam tamen ipſa Auguſtini verba negant, qui Ioannis textum ideo tantum allegat, vt oſtendat, ſenſum eorum a Platonicis praeceptionibus non differre. Hoc vero, quod Clericus contendit, et ipſa ſyſtematis emanatiui ratio euincit, et antiquitas illius doctrinae Platonicae de λόγῳ, quae diu in Aegypto inualuit, priusquam Ioannes Euangelium ſuum ſcripſiſſet. Quod vnum argumentum Baltum refutat, Platonicos plagii in Ioannem commiſſi accuſantem. Quod ſi ob ſyſtematis ſui theologici et metaphyſici nexum haec ita docuerunt Platonici, ſequitur inde, alio prorſus ſenſu eos de λόγῳ praecepiſſe, quam Ioannem, adeoque inaequalitatem λόγῳ in eſſentia diuina, et rationem inſtrumenti in opere demiurgico agnouiſſe, qui errores Arianis ex parte conformes ſunt, longeque infra patrem verbum ponunt. Et tamen haec cum orthodoxa doctrina conſpirare putauit Auguſtinus, non tam in ſacra Chriſtianorum myſteria, quam in Platonicam doctrinam iniurius. Sed et ipſe Baltus ſua vineta caedit, faſſus Platonicos, dum verba Euangelii crepent, et ſuis ſyſtematibus infarciant, ea vehementer corrupiſſe, et impuros illis ſenſus affinxiſſe. Hoc vero negat Auguſtinus, contrarium teſtatus, verba quidem differre, ſed idem tamen probari rationibus multis. Ex quibus liquet, quam infeliciter Auguſtini Apologiam Baltus ſuſceperit. Qui prolixa defenſione opus haud habet; non enim in definiendo ſummi momenti myſterio errauit Auguſtinus, ſed in determinando dogmate Platonico: quem errorem vti plurimi errauerunt, ita condonari is Auguſtino facile poteſt, inepte vero negari non debet.

§. XXVII. Sed reuertendum eſt ad Auguſtini hiſtoriam: qui ſe ab eo tempore magnopere philoſophiam deperiiſſe alibi [o] innuit. Cumque ſpatioſas iſtas, quae ipſi hactenus impedimento fuerant, notiones, conceptusque de Deo extenſos Platonicis φιλοσοφουμένοις adiutus paulatim exuiſſet, confirmareturque in hac philoſophandi via Ambroſii et Manlii Torquati, Chriſtianorum, monitis: cum de Deo et anima cogitaretur, nihil omnino corporis eſſe cogitandum: maiori cum contentione ad Deum quaerendum ſe accinxit, eumque in Ieſu Chriſti mediatoris *Manuductio philoſophiae ad conuerſionem Auguſtini.*

o) Contra Academ. Lib. II. c. 2. n. 4. 5.

diatoris cognitione inueniri poſſe rectiſſime ſtatuit. Et hunc quidem aeternum Dei verbum eſſe, et conſubſtantialem Patris Filium facile tenuit, incarnationis vero et humilitatis in carne apparentis myſteria nullo philoſophiae beneficio capere potuit, nec qua ratione ſecularis vitae, cui ſe implicitum ſentiebat, laqueos euitare poſſet, intellexit. Quamuis enim Platonicorum libris vehementer ſe ad abiicienda corporis et cupiditatum vincula excitari cerneret, ſic vt faſſus ſit [p]: *Eos pretioſiſſimi vnguenti guttas pauciſſimas inſtallantes incredibile virtutis incendium concitaſſe, adeo vt nullus eum honor, hominum pompa, aut inanis famae cupiditas commouerit;* hunc tamen fructum ſe *non niſi collatis illis cum auctoritate eorum, qui diuina myſteria tradiderunt, percepiſſe: deinde ex his philoſophorum libris ſolummodo garrire didiciſſe, quaſi iam peritus eſſet,* fatetur, *quamuis ſine Chriſto certe periturus* [q]. Incipiebat enim eruditionis famam aucupari, et doctrinae opinione inflatus magis efferri, licet de peccatorum ſordibus in anima eluendis nondum cogitaret. Qua de re aurea verba ſunt, omnibus, qui ſincere philoſophari cupiunt, nunquam non commendanda, quibus librum de beata vita exorditur [r]. Sentiebat enim, ſe Platonicorum libris in altum ſuperbiae montem euectum humilitatis valles et miſeriae anguſtias non videre. Reſpexit itaque ad Catholicam religionis Chriſtianae veritatem, ſibi a puero inſitam, et ad ſacras literas auidiſſime cucurrit, in quibus Paulinae epiſtolae eum magnopere afficiebant. In his *primo ſe aſpectu cognouiſſe* ait [s], *quicquid in profanis ſcriptis verum legiſſet, inueniri; ſed has ita verum tradere, vt et gratiae vim commendent, et variis nos myſteriis imbuant, quod illae paginae non habent.* Ita praeparatus animo dum de vitae ſuae inſtituto anceps pendet, magnisque animi vitae mutationem perhorreſcentis fluctibus agitatur, Simplicianum adire ſtatuit [t], ſpiritualem Ambroſii patrem eiusque poſtea ſucceſſorem, vt quem pietatis vſu nobiliſſimum ſciebat, ab eo conſilium peteret, retectisque animi fluctibus omnibus, pacem ſibi oſtendi rogaret. Hunc itaque adiit, omnemque errorum ſuorum labyrinthum patefecit. Simplicianus vbi audiſſet, eum Platonicorum libros a Victorino in Latinum ſermonem conuerſos legiſſe, gratulatus eſt illi eiusdemque Victorini conuerſionem retulit, quem ex lectione philoſophorum eruditiſſimum, cum ſacra oracula inſpexiſſet, ad militiam Chriſtianam tranſiiſſe narrauit, eumque edicto Iuliani prohibitum literaturam et oratoriam docere, huic legi obſequentem ſcholae ſuae nuncium miſiſſe confirmauit. Vehementer hoc rhetoris et philoſophi exemplum inflammauit Auguſtinum, ſed animi quoque curas fluctusque in immenſum auxit. Pontiano vero, ciue ſuo, Antonii vitam narrante grauiſſime animo confodiebatur, et ad difficilem tranſibat

p) Contra Acad. L II. c. 2.
q) Confeſſ. Lib. VII. c. 20. n. 6.
r) Ibid. n. 23.
s) Conf. Lib. VII. c. 21. Alia PP. loca huius argumenti exhibet BAITVS, Iugement des SS. Peres ſur la morale de la philoſophie payenne Lib. II. c. 22. ſeqq. p. 355. ſeqq.
t) Lib. VIII. c. 1.

ibat pugnam, quam pie non minus quam eleganter enarrat doctor facundiſſimus [u]. Quo in aeſtu conſtitutus cum in ſeceſſu horti, comite Alypio, non ſine eiulatu diuinam miſericordiam implorauiſſet, audiens de vicina domo vocem cantantis quaſi pueri vel puellae: TOLLE LEGE, TOLLE, LEGE, cum ad Alypium rediiſſet codicem euoluit epiſtolarum Pauli, ſcriptumque reperit [x]: *non in commeſſationibus et ebrietatibus etc.* Et ecce cum fine huius ſententiae, quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi ſuo omnes dubitationis tenebrae diffugerunt, id quod Alypio exponens ab eo confirmatus eſt. Quam nobiliſſimam animi conuerſionem effectus ſecuti ſunt certiſſimi. Dimiſſis enim ſcholaſticis ſuis, vt venditorem verborum ſibi alium quaererent, in amici Verecundi villam ſeceſſit [y], inque hoc ſeceſſu tum iuuenes duos Thagaſtenſes inſtituit, tum aduerſus Academicos ſcripſit. Et in illa quidem inſtitutione Auguſtinum vere philoſophum, verum Chriſtianum et conuerſum agnoſcas [z], prudentemque magiſtrum, qui et illuc eos adduxit, *vt non paruum in philoſophia profectum putarent, cum in comparatione recti verique inueniendi contemnitur a diſputante victoria*, et a voluptatibus ad veritatem traduxit. Hanc autem tractationem, differentibus inter ſe iuuenibus iſtis, ipſoque iudicium interponente ita inſtituit, vt, quae ſibi antea vehementer placuiſſet, Academicorum dubitatio, iam a ſe proſcripta videretur. In qua diſceptatione praecipue epilogus legendus eſt, ex quo diſci poteſt, qualis tunc philoſophiae ſtatus fuerit, quamque ſibi in ea viam Auguſtinus conſtituerit ſeruandam. In qua tamen quid ipſi poſtea diſplicuerit, retractationum [a] libri docent, quorum ſummam heic loci non enarrabimus. Tum Mediolanum redux nomen inter competentes dedit et interea librum *de immortalitate animae* [b], ratiocinationibus contractis et breuiter expreſſis conſtantem ſcripſit, et de *liberalibus Diſciplinis* libros ſcribere aggreſſus eſt, eo animo, vt conuictores ſuos per tres corporeas ad ſpirituales quibusdam quaſi gradibus certis perduceret [c]. Pleraque tamen affecit modo, non abſoluit. Ab eo tempore ſacri lauaminis vndis tinctus, omnibusque abdicatis, propoſitum ſeruiendi Deo amplexus, cum ſociis quibusdam eidem propoſito adhaerentibus remeauit in Africam. Quid ab eo tempore ſuſceperit, quae munera geſſerit, quibus pro cauſſa Chriſti praeliis aduerſus haereticos conflixerit, quos libros ſcripſerit, quaeque alia ſunt ad tanti viri hiſtoriam pertinentia, hoc loco enarrari non debent, ſed in annalibus Eccleſiaſticis quaerenda ſunt. Maioribus enim intentus vir magnus infirma haec elementa non contemſit quidem, verum abiecit. Perfecit tamen in Africa nondum presbyter libros illos ſex *de muſica*,

u) Lib. VIII. c. 12.
x) Rom. XIII. 13. Similia praecipiunt aurea carmina v. 9. ſeqq. Sed eo diſcrimine ingenti, vt Chriſtum induendum veram fontem frugalitatis Paulus innuat, quem ignorauit ſchola Pythagorae.
y) Lib. IX. c. 5. n. 13.
z) Acad. Lib. I. c. 2. ſeq.
a) Lib. I. c. 1.
b) Retract. Lib. I. c. 5
c) Cap. 6.

quos Mediolani inchoauerat, hoc ſibi praefixo ſcopo [d], *vt homines, quos bono ingenio donauit Deus, non praepropere, ſed quibusdam gradibus a ſenſibus carnis atque carnalibus literis, duce ratione auellerentur, atque vni Deo et domino rerum omnium, qui humanis mentibus nulla natura interpoſita praeſidet, incommutabilis veritatis amore adhaereſcerent.* Quae argumento ſunt, etiam hanc eum partem Platonicis rationibus temperauiſſe.

Philoſophia Auguſtini qualis fuerit?

§. XXVIII. Ex his tanta rerum Auguſtini memorabilium abundantia parca manu datis colligi iam facili labore poteſt, qualis philoſophia Auguſtini fuerit, quem in ea excolenda multum temporis ſudorisque adhibuiſſe, ex adductis conſtat. Et initio quidem Ariſtotelicae dialecticae operam poſuiſſe ex ſupra dictis repetendum eſt. Cum enim eam rhetorum artificio ob propoſitionum partitiones et diſpoſitiones inſeruire poſſe plerique veterum et recentiorum oratorum crediderint, mirum non eſt, Auguſtinum, rhetoricam profeſſionem ſectantem, hanc dialecticam ſibi a praeceptoribus eo fine tantopere commendatam excoluiſſe. Quam tamen eum, altioribus et metaphyſicis rebus intentum abieciſſe, et ex categoriis falſas ſibi de Deo notiones concepiſſe, facile credet, qui hanc Ariſtotelicae philoſophiae partem intus et in cute nouerit. Certe ſcopo Auguſtini inſeruire, et ab erroribus eum Manichaeis liberare non potuit. Poſtea infelix Manichaeae philoſophiae, quae ſpeciem ſingularem philoſophiae Orientalis conſtituebat, aſſecla factus, totus inepta duorum principiorum hypotheſi corruptus eſt, nec feliciorem ei medicinam ex Academia media Scepticorumque placitis oppoſuit. Ab hac verō ad Academiam primam transgreſſus, in ea veritati propiores ſe inueniſſe fontes, et a malo ſuo liberatum ſe eſſe ex parte ſcriptis Platonicorum, ipſe faſſus eſt. Et hanc quoque in Platonicam philoſophiam, qualis de diuinis tum temporis ex ore philoſophorum Alexandrinorum praecipiebat, propenſionem multoties prodidit. Hancque non tum demum demonſtrauit, cum poſt conuerſionem rus concedens Academicorum placita conuelleret, ſed et poſtea, cum Apologiam pro ciuitate Dei ſcriberet. Et in priori quidem commentatione vel ſolus epilogus legi debet [e], vt, quam tum de philoſophia opinionem Auguſtinus habuerit, intelligamus. Gratulatur enim orbi humano, quod ſublato contradictionum et litigationum malo Platoni licuerit os aperire purioris et defaecatioris philoſophiae praeceptionibus plenum, luminaque Platonica priori nitori reſtituerit Plotinus; huius autem philoſophiae reformatae beneficio in vnum coaluiſſe, ait, Peripateticos et Platonicos, gemente licet et improbante imperitorum turba. Optimam tamen philoſophiam eſſe non ſecularem, quam Chriſtiani rectiſſime faſtidiant, ſed diuinam. Ex quo loco, qui, quod longiuſculus eſt, apud ipſum Auguſtinum

d) Cap. 11. Ep. 101. num. 4. conf. Benedictinorum Vita Aug. Lib. III. c. 3. p. 68.

e) Lib. III. c. 38.

guſtinum legi meretur, liquet, eandem non modo ſeculo quarto opinionem de philoſophia doctorum eccleſiaſticorum animis inſediſſe, quae eos ſeculis antecedentibus occupauit, ſed Auguſtinum quoque Platoniſmo, quantum permittebat Chriſtiana religio, vaciuas aures praebuiſſe. Quod vbi accurate tenemus, vix dabimus fidem FOVCHERIO *f*, Auguſtinum inter potiora Academicorum capita numeranti, eo quod reiecto ſenſuum criterio, veritatibus intelligibilibus tantum veritatis cognitionem vindicauerit; ſicque nouum Academicorum caput conſtituendus ſit, quod modificatam illam Academicae philoſophicae rationem inter Chriſtianos diſſeminare ſit conatus. Quibus ratiunculis vir doctus, ſed nimium τῇ ὑποθέσει δεδλεύων, et patrocinium Scepticiſmo vndecunque emendicans, parum, quod vult, lucratur, nec euincere poteſt, vt hiſtoriae philoſophicae periti calculum ei adiiciant. Ita enim Academiam primam cum ſecunda et tertia miſere confundit: nam ipſe quoque Plato ſenſuum fidei parum tribuit, et ob materiae inconſtantem et fluentem ſemper motum naturamque in intelligibilibus tantum veram ſcientiam dari ſtatuit. Quae cum Arceſilai, Carneadisque, omnem humano intellectui certitudinem, immo cognitionem omnem, denegantium hypotheſibus confundere, idem eſt, ac hiſtoriam Academiae euertere. Platonis quoque de natura cognitionis humanae placita Auguſtinus non aliter recepit, quam vt in Plotiniana ſchola explicabantur; quae cum in hac metaphyſicae cognitionis certitudine confirmanda plurimum deſudauerit, praeter rem Academicam philoſophiam licet modificatam tenuiſſe dicitur. Aequius calculum meretur, quod adiicit FOVCHERIVS, ſyncretiſtam ſuo modo egiſſe Auguſtinum, et vt Antiochus Stoicos cum Platone in concordiam redegerit, ita Hipponenſem doctorem Platonicam philoſophiam cum ſapientia aeterna, veraque philoſophia, id eſt, Chriſtiana, coniungere ſtuduiſſe. Teſtes aduocamus ſtudii huius Platonici non libros modo *contra Academicos* ſcriptos, ſed plerosque quos vir magnus poſt conuerſionem edidit, et in quibus argumenta philoſophica tangendi occaſionem habuit, maxime elegantiſſimam et doctiſſimam de ciuitate Dei tractationem, cuius liber octauus, qui *de theologia naturali ex mente Platonicorum* agit, rem ſole meridiano clariorem facit *g*. Nec alia eius

f) Hiſtoire des Academiciens c. 13. p. m. 67.

g) Singulis fere capitibus Auguſtinus prodit, quanti Platonicos faciat, quamuis ab omni eos errore non liberet. Et c. 1. quidem eos alios philoſophos in theologia veritatis propinquitate tranſcendere, ait, c. 3 Socratis philoſophiam mirifice extollit, eumque coloribus iis pingit, quibus Platonici philoſophiam depinxerunt. c. 4. Theologiae Platonicae omnium philoſophorum poſtponenda eſſe dogmata. c. 6. in phyſica „notum ſe illis Deum feciſſe et manifeſtauiſſe, cum ab eis inuiſibilia eius per ea quae „facta ſunt, intellecta conſpecta ſint, ſempiterna quoque virtus eius et diuinitas, a quo etiam „viſibilia et temporalia omnia creata ſint.“ c. 7. Platonicos excellentiores ceteris in logica eſſe contendit, „quod diſcreuerint ea, quae mente „conſpiciuntur, ab iis, quae ſenſibus attinguntur, nec ſenſibus adimentes, quae poſſunt, „nec eis vltra dantes quam poſſunt“ c. 8. Platonicos in moriali philoſophia principatum obtinere aſſerit, „quod beatum dixerint hominem „non fruentem corpore, vel fruentem animo, ſed fruentem Deo.“ Imprimis autem c. 9. Platonicos, et qui reapſe cum iis fecerint philoſophos omnes fidei Chriſtianae propiores eſſe dicit,

eius ſcripta Platoniſmi veſtigia celant. Id quod ipſe BALTVS [b] negare non potuit, faſſus, cenſuiſſe Auguſtinum, Platonicos in naturali theologia reuelatae eſſe ceteris philoſophis longe propiores. Nempe a doctoribus Eccleſiae hanc acceperat opinionem, veritates illas elegantiſſimas prorſusque eminentes, quae apud Platonem inueniuntur, a ſapientia vel prouidentia τῦ λόγυ gentilibus inſitas, et ex parte quoque per traditionem inter eos diſſeminatas, conſtituere partem diuinae philoſophiae, adeoque Chriſtianis, iuſtis earum poſſeſſoribus vindicandas eſſe. Ita enim luculenter [i]: *Doctrinae omnes gentilium non ſolum ſimulata et ſuperſtitioſa figmenta grauesque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quae vnusquisque noſtrum duce Chriſto de ſocietate gentilium exiens debet abominari et vitare, ſed etiam liberales diſciplinas vſu veritatis aptiores, et quaedam morum praecepta vtiliſſima continent; deque ipſo vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum et argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibusdam quaſi metallis diuinae prouidentiae, quae vbique infuſa eſt, eruerunt, et quo peruerſe atque iniurioſe ad obſequia daemonum abutuntur, cum ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum praedicandi Euangelii.* Similia paſſim repetit, et ſe ait [k], *intendiſſe in aurum, quod ab Aegypto voluerit Deus vt auferret populus ſuus, quoniam Dei fuerit, vbicunque fuerit.* Ex his vero facile diiudicari poſſunt, quae magna verborum iactantia BALTVS [l] attulit, vt negaret, Platoniſmum Auguſtino placuiſſe. Facile enim concedimus, quod nec Souverainius, nec Clericus, contra quos diſputat, nec alius quiſpiam, qui Auguſtinum legit, negabit, improbauiſſe Auguſtinum, philoſophiam Platonicam, qua gentilem et ſectariam, eique hypocriſin, idololatriam, ſtultitiam et ſimilia obieciſſe. Loca enim hoc infinita, ex quibus pauca ſelegit Baltus, luculenter docent. At hoc quidem ſenſu, pauci inter Chriſtianos fuerint, qui ita Platonici ſenſu iſto ſectario dici poſſunt, vt non in multis grauiſſime contra veritatem diuinam erraſſe hanc ſectam faſſi fuerint. Hoc vero non volunt, qui de Platoniſmo Auguſtini diſputant, ſed id modo contendunt, Auguſtinum communi Chriſtianorum doctorum praeiudicio occupatum credidiſſe, eſſe theologiam Platonicorum naturalem Chriſtianae philoſophiae multo affiniorem, quam reliquarum ſectarum, multaque habere conſonantia, quae Hebraeis ſurrepta, vel a prouidentia Verbi ipſis inſita Chriſtianis vindicanda et ad veritatis diuinae demonſtrationem adhiben-

dicit, „quod de Deo ſummo et vero iſta ſenſe„rint, quod et rerum creatarum ſit effector, et „lumen cognoſcendarum, et bonum agendarum, „quod ab illo nobis ſit principium naturae, et „veritas doctrinae, et felicitas vitae. Et c. 10. „hos ideo ait, de Deo iſta ſentientes cum Chri„ſtianis ſentire.“ c. 11. Platonem haec a Iudaeis didiciſſe coniicit. Et ex his demum praeſidium diſputationis contra eos ſumit, quod daemones colendos eſſe ſtatuerint. Ex his, quo loco Platonicos Auguſtinus habuerit, quilibet intelligit.

b) Lib. I. p. 142. L. IV. p. 466. 474.
i) De C. D. L. II. c. 20.
k) Confeſſ. L. VII. c. 9.
l) Lib. IV. p. 488. ſeqq.

adhibenda ſint: deceptum autem ſententiarum ſimilitudine illud pro affini et conſpirante cum Chriſtianis placitis habuiſſe, quod, vbi iuxta totius ſyſtematis Platonici ſenſum explicatur, longe differt, ſenſumque fundit minus ſanum et heterodoxum. Hoc vero negare velle, non declamatorias interrogatiunculas poſtulat, quibus Baltus militat, ſed argumenta clariſſima, quae produci eo minus in lucem poſſunt, quo clariora ſunt loca ſcriptorum Auguſtinianorum, quae rem hanc prorſus conficiunt. Frigidum vero eſt, et oppido falſum, magnamque hiſtoriae philoſophicae ignorantiam prodit, quod ad pingendas commendandasque declamationes ſuas cauſſatur BALTVS: ideo Auguſtinum mitius cum Platonicis egiſſe, quod pauci eo tempore, vt e reliquorum quoque philoſophorum turba ſuperſuerint, nec hi ſe Chriſtianae religioni oppoſuerint. Contrarium enim teſtatur philoſophica hiſtoria, quae circa Auguſtini tempora celeberrimam adhuc fuiſſe ſcholam Plotinianam Chriſto inimicam refert. Nec alio teſte egemus praeter ipſum Auguſtinum, qui Plotinianam ſucceſſionem ſuo tempore laetiſſime florere, reliquis ſectis fere ad incitas redactis in *epilogo dialogorum Academicorum* teſtatur. Admiſiſſe vero virum vere magnum et immortalibus in Eccleſiam meritis conſpicuum, ſed hominem tamen, et praeiudiciis ſui temporis impeditum multa Platoniſmo fauentia, ipſique propria ipſe faſſus eſt Baltus, quamuis inepte id ad Academicos tranſtulerit in nota adiecta, quos mature reieciſſe Auguſtinum, et Platonicorum illis nomen non tribuiſſe conſtat. Et facile eſſet, multa huius generis ex Auguſtini ſcriptis colligere ſpecimina, ſi id ageremus, vt ſingularem de philoſophia et theologia Auguſtini inſtitueremus tractationem. Dedimus tamen alio loco [m] nonnulla, quae, ſi tanti videbuntur, videri conſulique poſſunt. Vt taceamus virorum doctiſſimorum ea in re diligentiam, vbi tamen ad alia properantibus moram nectere haud licet. Ipſum certe habemus Auguſtinum confitentem [n]: *Laudem ipſam, qua Platonem vel Platonicos ſiue Academicos philoſophos tantum extulerit, quantum impios homines non oportuerit, non immerito ſibi diſplicuiſſe, praeſertim contra quorum errores magnos defendenda ſit Chriſtiana doctrina.* Nolimus tamen noſtra facere, quae audacius, quam par erat, affirmauit IO. CLERICVS [o], Auguſtinum declamatoria conſuetudine, quaecunque in mentem venerint, in chartam conieciſſe, modo id conſpirauerit, cum certa quadam idea fidei Chriſtianae ad Platoniſmi leges exacta, quam ſibi formauerit. Qua de re qui iudicare cupit, illi viri, cui parem ſua tempora non habuerunt, ſcripta ipſa ſine fauoris contemtusque praeiudicio legenda et inter ſe comparanda ſunt. Quae argumentum philoſophicum

m) Hiſt. doctr. de ideis Sect. II. §. 2. p. 181. ſq. Sect. III. §. 2. p. 256.
n) Retract. Lib. I. c. 1.
o) Sentimens de quelque theologiens de Hollande p. 357. conf. BAYLE Dict. T. I. art. Auguſtin. not. G. p. 393.

phicum continent, pleraque in praecedentibus iam adducta sunt. Scripsisse eum grammaticam et dialecticam in libris *Retractationum* [p] ipse innuit, hodieque hoc titulo inter scripta illi tributa quaedam reperiuntur. Ea vero νοθεῖας suspecta esse, vel ipse ille locus, ad quem prouocauimus, confirmat. Ex eo enim apertum est, Augustinum libros hos more Platonico ideo scripsisse, vt a corporalibus ad incorporalium contemplationem iuuenes traduceret. Nihil vero tale in dialectica Augustino hodie tributa, quae, vt recte notatum G. I. Vossio [q] dialecticam sapit Stoicam. Recte itaque feciſſe censendi sunt eruditissimi operum Augustini editores, quod inter suppositita vel suspecta saltem hunc libellum, medio aeuo in scholis longe celeberrimum, reiecerint. Quorum coniectura, alium Augustinum, eiusdem fere aetatis, auctorem huius opusculi fuisse, quam fidem mereatur, criticis expendendum, examinandumque relinquimus, annon Anonymus quidam Augustini nomine abusus sit, vt opellam suam eo magis Lectoribus commendaret. Eminet vero inter eius scripta velut inter ignes luna minores praestantissimum *de Ciuitate Dei* opus, in quo, quantus in veteri philosophia vir fuerit, quantaque fuerit eius lectionis copia, luculento demonstrauit specimine. Certe inter magna et acuta ingenia Augustinum numerandum esse, non nisi liuor negauerit. Verum vt homo fuit multisque eorum temporum praeiudiciis vinctus et impeditus, laborum quoque et scriptorum mole atque multitudine distracta iudicii eius acies, ita mirum non est, multa in eo reprehendere viros doctos acriori censura veterum merita examinantes. Et in interpretatione quidem Scripturae linguarumque ad eam requisitarum notitia subinde lapsum esse Augustinum fatendum quidem, sed excusandum quoque cum temporum illorum conditio aliud non pateretur, idque commune patrum fatum fuerit, nec aliunde deriuanda sunt ἐξηγήματα haud raro infeliciter scripta [r]. Neque tamen diffitendum est, rationalis artis regulas, quamuis eas scriptis commendauerit Augustinus, saepe illum neglexisse. Id quod non miramur in hoc viro, licet acri iudicio magnaque ingenii vi praedito, qui magnam vitae partem in quaerenda tantum frustra veritate consumsit, perque innumeros opinionum variarum scopulos iactatus non nisi Academicae philosophiae beneficio enatare, sicque in arido positus ad Platonicam tantum recentiorum Alexandrinorum philosophiam, tanquam ad arcem quandam confugere potuit. Has enim circumstantias ad deprimendam iudicandi facultatem plurimum valere, norunt, qui ad humani intellectus historiam paulo curiosius attenderunt. Accessit infinita lectionis vastae copia, qua obrui magis quam excitari iudicium solet. Cumque his se iunxerint praeiudicia, tum quidem in Ecclesia valde regnan-

p) Lib. I. c. 6.
q) De nat. et constit. Logic. c. 8. §. 24. p. 38.
r) Praeter Rich. Simonium ea de re conqueſtus est Clericvs l. c. cui vtrique examen oppositit, et ad hanc quoque obiectionem respondit Matthias Honcamp P. III. p. 132. quem depexum dedit Clericvs Bibl. vniu. T. X. p. 138.

regnantia, qualia sunt de philosophiae Platonicae origine et vsu, etc. mirum non est, virum etiam magnum in philosophia saepe lapsum esse. Id quod imprimis in argumento morali clare demonstrauit doctissimus BARBEYRACIVS [r], qui dum Ceillierio pro Augustino pugnanti respondet, pulchram philosophiae morali illius temporis inter doctores ecclesiasticos lucem accendit. Facile nos ista excusari in tanto viro patimur, cum satis tenuis fuerit tota philosophia patrum moralis: defendere autem velle ineptum est, et ab officio historici alienum, nec Augustini decet modestiam. Qui quamuis se hominem fuisse, non in primo philosophorum ordine numerandum demonstrauerit, manebit tamen ingens ingenii meritorumque eius in Ecclesia memoria, quae inter viros magnos eum recenseri suo iure postulat.

§. XXIX. Ferax fuit, vt suo loco dictum, secta Platonicorum Alexandrina seculo post Christum natum quinto, magnaque auctoritate floruit. Quod si non aliunde constaret, certe vna Hypatiae doctissimae in Platonicorum schola foeminae historia *Tomo secundo* enarrata satis superque doceret. Fecit fama huius scholae et eruditionis philosophicae opinio, maxime vero celeberrimum foeminae huius philosophantis nomen, vt hoc quoque seculo Christiana Ecclesia philosophis Alexandrinis non careret. Inter quos maxime notandi sunt SYNESIVS, et qui DIONYSII AREOPAGITAE nomen more huius sectae tacite mentitus est, philosophus pseudonymus. Et vtrumque quidem vnum scriptorem esse, verisimili coniectura definire conatus est, vir πολυμαθέστατος et non sine orbis eruditi iactura nuper rebus humanis ereptus MATVRINVS VEISSIERE LA CROZE [s]. Fatemur tamen tanti non videri nobis eius rationes, vt non vtrumque inter se distinguamus. Nam quod vrget, scripta Pseudo-Dionysii ad incrustandum Apollinarii errorem, cui clanculum fauebat Theophilus Alexandrinus, comparata non verisimiliorem quam Synesium, auctorem habere posse, qui totus addictus erat Theophilo, rem supponit incertam nondumque probatam pro euicta, Theophilo Alexandrino parario hunc foetum adulterinum in Ecclesia prorepsisse, cum alii quoque Apollinarii sectatores, quos Platonicorum Alexandrinorum scholae ex parte adhaesisse constat, ad pallianda somnia sua, hunc foetum protrudere potuerint. Vt taceamus, scriptorem istum Pseudonymum non tam confirmandi Monophysismi, quam propagandae confirmandaeque philosophiae Alexandrinae caussa nugas suas magno cuidam inter Christianos nomini suppositisse. Quod vero porro monet, Synesium et eruditionem illam et Platonismi Alexandrini notitiam habuisse, quae ad excudendos illos libros requirebatur, si quid videmus, nullam, praeter meram possibilitatem, verisimilitudinis rationem affert, adeoque argumentorum accurate probantium

Synesius et Pseudo-Dionysius an vnus scriptor?

r) De la morale des Peres c. 16. p. 281.

s) Histoire du Christianisme d'Ethiopie Lib. I. p. 18. seqq.

numero excluditur. Nec plus eum suspectum facit, quod ab opinione, licitam esse eiusmodi fraudem et suppositionem ad ducendum naso populum, non abhorruerit. Non enim vnius haec Synesii mens fuit, sed totius sectae Platonicae, et, quod maius, nonnullorum quoque Christianorum doctorum, quorum testimoniorum adducendorum labore nos liberauit summe Reu. MOSHEMII industria [u]. Quemadmodum itaque hoc quidem suo modo probat, quendam Platonicum recentiorem huius foetus parentem fuisse, ita ad designandum ex omni eorum numero Synesium non sufficit. Ipse vero Synesius hunc dolum post conuersionem damnauit, vt infra probabimus. Sensit id facile vir eruditissimus, adeoque fortiores rationes ex ipsis scriptis Synesii et Dionysii se depromere posse putauit. Prouocat ad stilum ampullatum et dithyrambicum, quo libri istius Pseudo-Dionysii turgent, quemque hymnis sacris Synesii putat esse simillimum, exemplumque capi vult ex c. I. illius *de nominibus diuinis*, collato cum *hymno primo* Synesii. Non vrgebimus diuersitatem stili vtriusque auctoris, quorum ille soluta oratione scripsit, hic ligata; sed tantisper hanc illustris doctrinae viro largiemur similitudinem. Parum hoc quoque euincere aptum est, vtrumque scriptum vnum habuisse parentem. Notum enim verba illa, vel praedicata potius turgida et ampullas proiicientia, non fuisse vnius tantum scriptoris Platonici, eique propria, sed toti scholae Alexandrinae communia, adeoque ad dignoscendum auctorem non sufficere. Si enim Platonica haec stili meteora criterium essent sufficiens, eadem ratione pro Proclo, vel auctore carminum Orpheo suppositorum concludi posset, quorum vterque in hymnis similem stili affectationem de diuinis scribens prodidit. Ad hos vero illa scripta Pseudo-Dionysii reiicere velle, nemo negabit esse absurdum. Ex quo liquet, parum hanc quoque rationem probare. Nec similes phrases rem conficiunt: Quamuis enim Deum παγὰν παγῶν, et πεγαῖαν Θεότητα, itemque βάθος ἀπερίληπτον allegat Pseudo-Dionysius, quae epitheta apud Synesium quoque occurrunt, facile tamen comprehendere licet, duos scriptores, ex vna schola progressos, et fortasse ab vno praeceptore eruditos similes locutiones adhibere potuisse. Et sane alios quoque ex hac secta reuera eas adhibuisse, vel sola oracula probant, quae ad Synesium nemo temere retulit. Ibi enim diserte Deus primo-primus siue vnitas dicitur [x].

Καὶ πηγὴ πηγῶν ἁπασῶν
Μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα,

Et fons fontium omnium
Matrix continens omnia.

Alia

u) De turb. per Plat. rec. Ecclesia §. 45. seqq. p. 200. seq. Diss. Eccl.

x) v. 18. 37. seqq. Pleni sunt huiusmodi phrasium dithyrambicarum, Orphici hymni ex hac schola profecti l. c. In eundem sensum hym in nat. p. 106. natura dicitur:

Alia breuitatis cauſſa tacemus, ex hymnis Platonicorum facile colligenda. Nec Therapeutarum mentio, in vtroque occurrens, velleuem huius rei ſuſpicionem mouet: eo quod celeberrimae ſocietatis fama in Aegypto vel pueris ſub ferula praeceptoris adhuc gementibus nota eſſe debuerit. Vt taceamus, quod ipſe vir doctiſſimus monuit, Pſeudo-Dionyſium eos ad monachos Chriſtianos retuliſſe, Syneſium ad aſcetas gentiles, quod diuerſam magis duorum auctorum de vna re opinionem prodit. Leuis autem ſuſpicio eſt, hominem tam variae eruditionis, qualem produnt ſcripta Pſeudo-Dionyſii, etiam in aliis ſcriptis excellere debuiſſe: cum autem praeter Syneſium nullus ſit ſeculo quinto, ad quem πολύγραφον haec ſcripta referri queant, ſequi inde, veriſimilitudinem pro eo pugnare. Nos nec antecedentis, nec conſequentiae neceſſariam rationem vllam in hoc argumento videmus, poteſt enim aliquis etiam eruditiſſimus, vno prolixo opere doctrinam oſtendere: potuerunt plura eius ſcripta intercidere: pauca enim nobis ex hoc ſcriptorum genere reſtant, pro quibus non leuior coniectura militat, quam pro Syneſio. Nihil itaque videmus, quod nos cogat, vt Syneſium ſub Pſeudo-Dionyſii perſona latere ſuſpicemur: eſt vero, quod nos arceat. Nempe dicendi genus diuerſum, alium auctorem, aliud temperamentum, aliud ingenium prodens. Teſtem non alium volumus, niſi ipſum virum praeſtantiſſimum, qui Syneſio ſcribendi elegantiam, Pſeudo-Dionyſio ſtylum affectatum et coactum, minimeque naturalem tribuit, quem cum laudatiſſima Syneſii eloquentia difficulter conciliare licet. Praeuidit vir egregius hanc obiectionem, monuitque, Syneſium fallendi artem in ſcholis Platonicorum edoctum, vt eo certius deciperet, ſcribendi, quam tenuit, rationem mutauiſſe, hincque coactum illud dictionis genus ortum habuiſſe: prouocatque ad verba Syneſii in *Dione* [y], quibus facilem ſibi in variando ſtilo copiam eſſe fatetur. Locum ipſum conſulere Lectorem iubemus; longior enim eſt, quam vt hic adduci integer poſſit. Patebit ex eo clariſſime, eam ſibi modo gloriam Syneſium vindicare, quod exercitatione eo peruenerit, vt vix diſtinguendam ſimilitudinem ſtili, aſſecutus ſit imitatus veteres ſcriptores, et dicendi modum adeo parem adhibuerit, vt quod ex ſuo annecteret, lectores ab ipſo auctore dictum ſcriptumque eſſe putarent. Haec probant quidem, interpolandi vel etiam ſupponendi artem egregie calluiſſe Syneſium, ſed ad librum Pſeudo-Dionyſii non quadrant. Non enim extabant ſcripta veri Dionyſii Areopagitae, quorum ſtilum imitando haec ſupponere potuiſſet, ſed nouis tractationibus falſum tantum nomen erat praefigendum. Ipſa vero haec Syneſii verba nobis contrarium ſuadent. Gloriatur enim, adeo nihil affectatum,

 coactum,

Πάντων μὲν σὺ πατὴρ, μήτηρ, τρόφος ἠδὲ τιθήνη.
Omnium tu pater et mater, nutrix quoque et altrix.

Item:
Πάντα σοὶ εἶσι· τὰ πάντα σὺ γὰρ τάδε μούνη τεύχεις.
Omnia tu ſola es: namque omnia tu paris ipſa.

y) p. 61. ed. Petav.

coactum, quodque non naturalem dicendi ordinem modumque cuiuis ſcriptori conuenientem referret, in hac ſua imitatione fuiſſe, vt potius licet diuerſus eſſet ſenſus, nihilo minus libri iſtius auctori congrueret, et is eſſet, quem, ſi in animum incidiſſet, nequaquam eſſet dedignaturus. Facile fidem adhibet Syneſio, qui vim eius in dicendo nouit: haec vero ſtilo affectato et coacto librorum iſtorum ſuppoſitorum non conueniunt. Quos ſi Syneſius exarauiſſet, certe ille meliorem characteris aetatis illius, quam iactat Pſeudonymus, rationem tenuiſſet, nec tot ineptiis ſe iſto aeuo indignum eſſe prodidiſſet. Non vrgebimus vel argumenta acutiſſimi PEARSONII *), qui hunc lucifugam ante Syneſii aetatem vixiſſe probabilibus rationibus diſputauit; vel IO. DALLAEI a) demonſtrationem infra eius tempora eum detrudentis, haec enim operoſius perquirere huius loci non eſt, et ad criticam eccleſiaſticam pertinet. Vnum tamen, quod a ſcopo noſtro alienum non eſt, monere non abs re erit, SVIDAM b), licet credulitate deceptum, vt pro genuinis Dionyſii Athenienſis libris haec folia haberet, dudum obſeruauiſſe: tantam inter Dionyſium et ſcholae Platonicae proceres, maxime Proclum, tam in notionibus quam in ipſis dictionibus affinitatem eſſe, vt ſuſpicandum ſit, vetuſtiores philoſophos Athenienſes Dionyſii opera ſuffuratos eſſe, ſuppreſſo eius nomine, vt ipſi auctores eorum eſſe viderentur. Quae ſuſpicio ex inepto quidem falſoque praeiudicio orta eſt, verum autem aliquid ſupponit, nempe inter Procli et Pſeudo-Dionyſii ſcripta magnam intercedere affinitatem et ſimilitudinem tum rerum tum verborum. Hoc vtriusque ſcripta inter ſe comparanti erit clariſſimum. Suo vero loco in hiſtoria ſectae Eclecticae, ipſiusque Procli iam obſeruauimus, hac, qua is floruit, aetate Alexandrinam philoſophiam Platonicorum nimium luxuriaſſe, et tum dictionis affectatione poëtica ei quadam grandiloquentia, tum ipſorum φιλοσοφουμένων nouitate, ſubtilitate et quadam παραδοξοφιλίᾳ, ſuae ſectae philoſophos ante ſe ſuperaſſe. Hoc vt docet philoſophica hiſtoria, ita non ſine veriſimilitudine coniicere nos iubet, Pſeudo-Dionyſium a Procli ſcribentis tempore prope abfuiſſe *), id quod in Syneſium non quadrat, quem in proſaicis tales ineptias, quales Proclus habet, non ſcripſiſſe conſtat. Verum quaecunque demum Pſeudo-Dionyſii aetas fuerit, quae non niſi coniecturae locum facit, illud artis criticae regulis conueniens iudicamus, Syneſium et Pſeudo-Dionyſium, ingenii, ſcriptionis, aliarumque circumſtantiarum rationibus inter ſe diuerſos tamdiu diſtinguere, quamdiu certa magis validaque pro iis confundendis

*) Vindic. Ignat. P. I. c. 10. p. 136. ſeqq. vbi eum ad poſtrema Euſebii Caeſareenſis tempora refert.

a) Pec. libro de ſcriptis Dionyſii Areopagitae, qui eum ad ſeculi ſexti initia deprimit.

b) In Dionyſ. Areop. T. I. p. 598.

*) Proclus anno 412. natus eſt, vt ſuo loco demonſtratum; ſi itaque hanc coniecturam ſequimur, videntur hi libri conflati fuiſſe, circa extrema Syneſii tempora. Quos enim ante haec tempora ad eos prouocaſſe putat Pearſonius, eorum loca omni exceptione maiora non ſunt. Clara eorum mentio primum facta in collatione Carthaginenſi A. C. 532. ab haereticis, Seuerianis, orthodoxis fucum mox ſentientibus eosque improbantibus.

dendis argumenta non afferuntur. Qua de re virorum doctorum, non noſtrum eſto arbitrium.

§. XXX. Diſtinguimus itaque Syneſium a Pſeudo-Dionyſio, ideoque vtriusque conſiderationem ſeparatam inſtituimus. Et SYNESII quidem celebre ſeculo quinto in Eccleſia Africana et in orbe philoſophico nomen fuit, vnde eius res paſſim veteres et recentiores memorarunt [c]. Fuit is Pentapolitanus Cyrene ortus, quem et generis nobilitas clariſſimum, et ingenii praeſtantiſſimi elegantia illuſtrem fecit. Cumque imprimis imaginationis viuacitate ſupra modum polleret, ſublimitatem quandam eruditionis atque incomparabilem venuſtatem in illo doctrinae genere, quod ab humanitate nomen accepit, aſſecutus eſt, eamque ſibi comparauit eloquentiam, quam elegantia et dulcedine fluere, cum ſententiarum robore ac denſitate recte iudicauit PHOTIVS [d]. Vnde commode dictus CASAVBONO [e] *ſuauiſſimus philoſophus et piarum delicium Muſarum*; Platonis enim facundiam cum Demoſthenis eloquentia mire coniunxit. Et eam quidem ſtili pulchritudinem non modo proſa oratione, ſed ligata quoque tenuit. Cum autem ingenti animi ardore literas proſequeretur, in his orationis ornamentis non ſubſiſtendum ratus, ad maiora animum adplicuit, et mathematicarum atque philoſophicarum diſciplinarum ſtudio totum ſe tradidit. Quamuis enim mire eloquentia delectaretur, caſſas tamen voces aſpernatus eſt, niſi philoſophiae praeceptis, tanquam anima, ſoliditatem acciperent. Cuius ſententiae ſuae teſtem nobis reliquit *Dionem* ſuum, ſiue *de ſuo ipſius inſtituto* elegantiſſimam tractationem, in qua ſe Dionis Chryſoſtomi exemplo pro ſophiſta philoſophum eſſe, et ſolidam magis quam verboſam eruditionem ſectari conſtituiſſe praedicat, quamque inuidis et velut inutilium rerum ſtudiis occupatum calumniantibus ſe oppoſuiſſe alibi [f] teſtatur. Huic itaque fini obtinendo vt inſeruiret, et in patria, et Alexandriae mathematum et philoſophiae inuigilauit ſtudiis. Docuiſſe hoc tempore diſciplinas mathematicas Theonem Hypatiae patrem, Pappum atque Heronem Alexandriae, *Tomo ſecundo* iam dictum, obſeruatumque, ſucceſſionis Platonicae a Plotino inſtitutae magnam tum in ea vrbe fuiſſe celebritatem, virosque ſummos Eclecticam illam philoſophiam in hac Muſarum ſede docuiſſe [g]. Eos itaque audiuit, et liberalium artium praeſidiis munitus celerrime profecit. Maxime vero Hypatiae, doctiſſimae foeminae, cuius tunc in philoſophorum cathedra publica docentis vox audiebatur, quaeque eruditionis philoſophicae et mathematicae

Syneſii philoſophia.

c) Ex veteribus de Syneſio videndi EVAGRIVS Lib. I. c. 15. NICEPHORVS Lib. XIV. c. 15. SVIDAS in Syneſius T. III. p. 402. PHOTIVS Cod. XXVI. p. 6. ex recentioribus praeter ſcriptores hiſtoriae literariae eccleſiaſticae LVCAE HOLSTENIVS in vita Syneſii addita a VALESIO Theodoriti operibus, et qui diligenter res eius enarrauit TILLEMONTIVS Mem. Eccleſ. T. XII. p. 499. vt alios multos taceamus.

d) l. c.

e) Praef. ad Ep. Greg. Nyſſen.

f) Epiſt. 153.

g) MARINVS in Vita Procli p. 16.

cae praeſtantia omnes in admirationem ſui rapiebat, inſtitutione tanta adulitate vſus eſt, vt et ipſe totus eruditiſſimae foeminae veneratione occuparetur, et illa magni Syneſium faceret. Cuius ſpecimina complura dedit in epiſtolis ad eam ſcriptis [h], in quibus eam mox *matrem et ſororem et magiſtram, et in his omnibus bene de ſe meritam, et ſi qua alia res eſt appellatione honorifica:* mox *dominam beatam*, (quae peculiaris honoris appellatio fuit [i]) *philoſophamque diuiniſſimae animae* appellat, quantique eam faciat, tenerrimis honoris et amoris ſignificationibus teſtatum facit. Hac igitur magiſtra duce omnem philoſophiam Alexandrinam, qualem ſuo loco prolixe depinximus, didicit, et cum eruditione prorſus ſingulari haud vulgarem quoque famam atque auctoritatem ſibi comparauit. Quae mature, et pene adhuc puero, vt recte obſeruatum DIONYSIO PETAVIO [k] eam opinionem conciliauit, vt a ciuibus legatus ad Arcadium imperatorem mitteretur, qua legatione tanta cum laude defunctus eſt, vt cum auream coronam obtuliſſet, oratione vere aurea eam plus cohoneſtauiſſe iudicaretur. De regno enim adminiſtrando ad ſummum principem differens, libera ſed prudenti oratione vitia regum, luxumque aulae perſtrinxit, tamque ſalutaria imperii recte gerendi praecepta tradidit, vt ex omnium eum veterum philoſophorum, Platonisque imprimis et Ariſtotelis, fontibus largiter hauſiſſe conſtet. Ita ſumma cum laude in patriam redux et doctrinae praeſtantia, et morum elegantia omnibus ſe reddidit commendatiſſimum. Et hac quidem via ad Theophilum, qui tunc ſedi Alexandrinae praeerat, aditus ei patuit, qui ad Chriſtianam religionem inclinantem ad amplectendam eius profeſſionem et recipiendum ſacri lauaminis myſterium perduxit, et, vt tam celebri viro potiretur, errores, qui ex Platoniſmo illi adhaerebant, in eo diſſimulauit. Ita Chriſtianorum quidem coetibus adſcriptus philoſophiam tamen et mathematicas diſciplinas adeo non neglexit, vt in iis excolendis, totam fere vitam conſumeret, et ob eam cauſſam munera Eccleſiaſtica recuſaret. Fatetur ipſe, iam epiſcopus in epiſtola ad presbyteros ſcripta [l]: *Se in philoſophiae otio ac minime negotioſa rerum intelligibilium, (τῶν ὄντων) contemplatione aetatem contriuiſſe, tantumque his curis et moleſtiis tribuiſſe, quantum requireretur, ad eam quae in hoc corpore degitur vitam ac ciuilè in rebus publicis officium: non enim potuiſſe a ſe impetrare, vt ſe ipſum negotiorum turbis implicans, non in eas mentis pulchritudines animum poſſet defigere, quibus frui beati cuiusdam ſit otii, ſine quibus ſibi ac ſui ſimilibus, vitam vniuerſam non viuere, videatur.* His itaque rationibus impeditus a munere publico eccleſiaſtico abhorruit, quod voluptati et ignauiae eo minus tribui poteſt [m], quo minus in hoc otio otioſus vixit Syneſius.

His

h) Ep. 16. p. 175. ep. 10. p. 172.
i) Vid. MONTFAVC. Palaeograph. Graec. Lib. III. c. 8. p. 251.
k) Annot. ad Syneſ. de regno p. 1.
l) Ep. 11. p. 173.
m) Ita quidem Cl. PETR. ADOLPH. BOYSENIVS in Diſſ. de philoſophumenis Syneſii §. 2. ſeq. p. 7. ſeqq.

His tamen non obſtantibus tandem ſummum ſacerdotium, Ptolemaidis ciuibus eum ſibi epiſcopum a Theophilo deprecantibus, ſuſcipere coactus eſt. Vehementer reluctatus eſt Syneſius, cum quod aegre ferret, ab otio ita ſe literario auelli, et a philoſophiae atque mathematicae ſtudio abſtrahi, tum quod Platonicis dogmatibus nuntium mittere recuſaret, quae cum Chriſtiana doctrina pugnare probe videbat et candide fatebatur. Digna eſt, quae ea de re legatur, *epiſtola* eius *ad fratrem*, quae natiuam nobis Syneſii faciem depingit. Ita enim in fratris ſinum curarum partem exoneraturus ſcribit n): *Ego cum me ipſum conſidero, omnino inferiorem ſentio, quam vt epiſcopali faſtigio reſpondere poſſim. Ac ſane apud te de animi mei motibus diſputabo. Neque enim apud alium, quam amiciſſimum tuum vnaque mecum educatum caput, commodius iſtud facere poſſim. Te enim aequum eſt et earundem mecum curarum participem eſſe, et cum noctu vigilare, tum interdiu cogitare, quemadmodum aut boni mihi aliquid contingat, aut mali quidpiam euitare poſſim. Audi igitur, quid ſit mearum rerum ſtatus, quarum pleraeque iam, opinor, tibi fuerint cognitae. Cum exiguum onus ſuſcepiſſem, commode mihi hactenus ſuſtinuiſſe videor, philoſophiam nimirum* o). *Pro eo vero, quod non omnino ab ea aberrare videor, a nonnullis laudatus, maioribus dignus ab iis exiſtimor, qui animi facultatem habilitatemque dignoſcere nequeant. Vereor autem, ne arrogantior redditus, eum honorem admittens, ab vtroque excidam, poſtquam alterum quidem contemſero, alterius vero non fuerim dignitatem aſſecutus. Sic enim habeto: duobus hiſce tempus identidem diſtinguo ludis atque ſtudiis. Ac cum in ſtudiis occupor, tum mihi vni deditus ſum, in diuinis praeſertim: in ludendo vero, maxime omnibus expoſitus. Scis enim, cum a libris oculos auocaui, ad omne ludorum genus eſſe propenſum. Ciuilis porro curae ac ſollicitudinis et natura et ſtudioſum penitus expers; at epiſcopum diuinum eſſe hominem oportet. - - Mihi et Deus ipſe et lex et ſacra Theophili manus vxorem dedit, quare hoc omnibus praedico ac teſtor, neque me ab ea prorſus ſeiungi velle, neque adulteri inſtar cum ea clanculum conſueſcere. Alterum enim nequaquam pium eſt, alterum illicitum. Illud vero docendus non eſt* (Theophilus) *ſed in memoriam duntaxat reuocandum; etenim ſi caetera quis omnia cum hoc vno contulerit, parua ac contemnenda videantur. Difficile eſt, vel fieri potius nullo pacto poteſt, vt quae dogmata ſcientiarum ratione ad demonſtrationem perducta in animum peruenerint, conuellantur. Noſti autem philo-*

n) Ep. 105. p. 247. ſeqq.

o) Ex his verbis ſuſpicamur, eum philoſophiae docendae munus obiiſſe: cuncta enim huc quadrant. Opponit enim exiguum onus et honorem, maiori et difficiliori, nempe epiſcopatus muneri. Quod vero dicit, ſe in ſtudiis occupatum ſibi vni deditum eſſe, ad animi tantum contentionem referendum eſſe videtur. Sed nihil definimus.

philoſophiam cum plerisque ex peruulgatis iiſce decretis pugnare. Etenim nunquam profecto mihi perſuaſero, animum originis eſſe poſteriorem corpore: mundum caeterasque eius partes vna interire nunquam dixero. Tritam illam ac decantatam reſurrectionem ſacrum quidpiam atque arcanum arbitror, longeque abſum a vulgi opinionibus comprobandis. Animus certe quidem philoſophia imbutus ac veritatis inſpector mentiendi neceſſitati nonnihil remittit: lux enim veritati, oculus vulgo proportione quadam reſpondent. Et oculus ipſe non ſine damno ſuo immodica luce perfruitur. Ac vti ophthalmicis caligo magis expedit, eodem modo mendacium vulgo prodeſſe arbitror, contra nocere veritatem iis, qui in rerum perſpicuitatem intendere mentis aciem nequeunt. Haec ſi mihi epiſcopalis noſtri muneris iura conceſſerint, ſubire hanc dignitatem poſſim, ita vt domi quidem philoſopher, foris vero fabulas texam, vt nihil penitus docens ſic nihil etiam dedocens, atque in praeſumta animi opinione manere ſinens. Sin ita etiam mouere ſe oportere dixerint, ac epiſcopum opinionibus eſſe populärem, ego me illico manifeſtum omnibus praebebo. Vulgo enim cum philoſophia quid commune eſſe poteſt? diuinarum quidem rerum veritatem occultam eſſe conuenit, vulgus alio modo affectus eſſe debet. Rurſum ego et ſaepius dicam, cum nulla neceſſitas cogat, neque arguere, neque argui ſapientis eſſe dico. Sed ſi ad epiſcopale munus vocer, nolo ementiri dogmata. Horum Deum, horum homines teſtes facio. Affinis eſt. Deo veritas, apud quem criminis expers omnis cupio. - - Dogmata porro mea nequaquam obtegam, neque mihi ab animo lingua diſſidebit. Ita ſentiens itaque dicens placere me Deo arbitror. Adiiciendus erat totus locus, licet ſatis longus, eo quod et animum Syneſii clariſſime detegat, et quibus opinionibus adhaeſerit, luculenter doceat, maxime vero, quam de pia fraude et mendacio philoſophico opinionem fouerit, luculenter exponat. Hoc ſe munere epiſcopali ſemel admotum totum abiecturum diſerte dicit, ideoque hanc ſe proteſtationem edidiſſe in fine epiſtolae ait, ne *quodcunque veritati contrarium eſt, cuiuſcemodi mendacium, in famulatum Dei irrepat* *. Quae vt candidi hominis, grauitatem muneris animo pendentis et recuſantis ſunt, ita omnem ab eo fraudis ſuſpicionem vbi ſemel epiſcopus conſtitutus eſt, remouent; et Cl. LA CROZE [p] coniecturam prorſus euertunt. Verum de hac epiſcopatus fuga ſatis plura deſideranti ſuppeditabit LVCAS HOLSTENIVS [q]. Quamuis autem vehementer refragaretur Syneſius, Theophili tamen auctoritate et conſecratione epiſcopus Ptolemaidis [r] (non Cyrenes, quod vult PHOTIVS [s]) creatus eſt. Id quod merito

*) Violaſſe hanc fidem datam et impoſtorem egiſſe Syneſium epiſcopum contendit TOLANDVS in Tetradymo Diſſ. II. p. 99. ſed iniuriam fieri praeſuli candido verba adducta euincunt, quamobrem merito Tolandum caſtigauit MOSHEMIVS ad Cudworth. p. 629.

p) loc. cit.

q) loc. cit.

r) Vid. ep. 79. p. 227.

s) l. c. Sed et in epigraphe elogii Anyſii dicitur epiſcopus Cyrenes, quod vel vtrumque falſum

merito mireris, hominem fundamentali Platonicorum errore infectum a Theophilo ad tantae dignitatis Eccleſiaſticae faſtigium euehi potuiſſe. Et tamen, *non obſtantibus iſtis erroribus factum id eſſe*, ſcribit PHOTIVS, *eum ad aliam viri probitatem vitamque anteactam reſpectu habito, tum quod non poſſet non, qui ſic vitam inſtituiſſet, reſurrectionis lumine colluſtrari.* Addit Photius: *non fefelliſſe eam ſpem, facillime enim, ſimul epiſcopus creatus eſt, reſurrectionis etiam doctrinam credidiſſe.* Quod vtrum verum ſit, non definiemus, fatemur autem valde nobis ſuſpectum ea in re eſſe Syneſium, eo quod poſt dignitatem iſtam ſuſceptam Platonicos errores non dimiſerit, qui cum reſurrectione carnis conſiſtere nequeunt. Quamuis enim librum *de Inſomniis* Platonicis nugis refertum vel ante vel paulo poſt conuerſionem, hymnos autem deliriis theologiae Alexandrinae ſcatentes ante ſuſceptam epiſcopi dignitatem ſcripſiſſe videatur[f]: certum tamen eſt, et ex ipſius confeſſione adducta ſole meridiana clarius, habuiſſe eum Chriſtianam religionem pro tali, quae ad populum tantum directa apertiſſimis philoſophiae decretis atque demonſtrationibus repugnaret. Diſerte enim fatetur: οἶδα ὅτι πολλὰ, φιλοσοφίᾳ τοῖς θρυλλουμένοις τούτοις ἀντιδιατάττεται δόγμασιν. Has vero demonſtrationes philoſophicas ſe dimittere non poſſe gnauiter tuetur. Quod licet Chriſtiano homine indignum videri merito queat, patet tamen, in ea fuiſſe Syneſium opinione, recte dogmata Chriſtiana ad vulgus dicta ita explicari transformarique, in philoſophiam poſſe. Cuius vt exemplum Lector habeat, hymnos eius conſulere oportet, quae Chriſtianum quidem ſapiunt, ſed totum ad Platoniſmum Alexandrinum reformatum. Ita trinitatem vel quaternionem potius Alexandrinorum Chriſtianae Trinitati adaptat canendo[t].

Ἁπλότητας ἀκροτήτων	*Simplicitates ſummitatum*
Ἑνώσασα καὶ τεκοῦσα	*Quae iunxit et peperit*
Ὑπερουσίοις λοχείαις	*Superſubſtantiali partu:*
Ὅθεν αὐτὴ προθοροῦσα	*Vnde ipſa proſiliens*
Διὰ πρωτόσπορον εἶδος	*Per primigeniam formam*
Μονὰς ἄῤῥητα χυθεῖσα	*Vnitas ineffabilem in modum diffuſa*
Τρικόρυμβον ἄρχων ἀλκὰν	*Trinam adepta eſt vim.*
Ὑπερούσιος δὲ πηγὰ	*Superſubſtantialis vero fons*
Στέφεται κάλλει παίδων	*Coronatur pulchritudine prolis,*
Ἀπὸ κέντρου τε θυρέντων	*Quae ex centro proſluxit,*
Περὶ κέντρον τε ἑλιττων,	*Et circa centrum voluitur.*

falſum et a libraſiis patriam Synefii cum ſede epiſcopali confundentibus intruſum, vel de ſola Cyrenaica regione ſiue Pentapoli intelligendum, non de vrbe Cyrene. Ex his corrigendus CLVVERIVS Introd. in Geograph. L. VI. c. 4. §. 1. p. 629.

f) Satis hoc innuit ep. 95. p. 236.

t) Hymn. I. v. 22.

Similia paſſim habet breuitatis cauſſa non exſcribenda, quae luculentis ſpeciminibus docent, Syneſium non aliam ſibi myſteriorum Chriſtianorum faciem pinxiſſe, quam quae ferri explicarique poterat ex praeceptis philoſophiae Alexandrinae, reliqua tanquam θρυλλέμενα et ad vulgus dicta reſpexiſſe. Verum de actis eius epiſcopalibus pleraque latent, nec quo anno obierit incertum, annum tamen CCCCXXX. non ſuperaſſe ex fratris eius Euoptii in munere epiſcopali ſucceſſione conſtat, qui Ptolemaidis epiſcopus A. C. CCCCXXXI, concilio Epheſino interfuit. Scripſit varia vir πολυμαθέστατος partim ad rhetoricam partim ad philoſophiam et theologiam pertinentia, ſummo cuncta lepore atque venuſtate, ſuauiſſimis verborum concentibus decurrentia, vt naturam cum arte in eo decertaſſe, iudicari queat. Cuncta vero ad philoſophiae, quam impenſe adamauit, Alexandrinae myſteria attemperauit, eiusque principia omnibus cariora habuit. Id in hymnis eius maxime elucet, quos a myſta potius aliquo Alexandrino, quam Chriſtiano homine decantatos eſſe iudicandum eſſet, niſi praefixum haberent Syneſii nomen. Vbique enim ſuppoſito emanationis ſyſtemate, cuncta ex Deo effluxiſſe ſtatuit: exque hoc fonte non intellectualium tantum rerum ſeriem, totamque illam, quae a ſummo Deo ad humanam vsque animam extenditur connectiturque, catenam deriuat, ſed huic quoque origini rerum omnium materialium cauſſas adſcribit. Facile id eſſet ex ipſis his Syneſii carminibus fuſe oſtendere, niſi otia nobis feciſſet virorum doctiſſimorum induſtria [v]. Pauca nos inſtituti memores ex plurimis delibamus modo. Ita de Deo ſummo, ſiue ineffabili diuinitatis fonte, praeter ea, quae iam adduximus [w]:

Tu autem es radix
Praeſentium, praeteritorum
Futurorum, eorum, quae ſunt.
Tu es pater, tu es mater
Tu mas, tu foemina,
Tu vox, tu ſilentium
Naturae natura foecunda.
Longum ſalue centrum rerum
Vnitas diuinorum numerorum,
Subſtantia carentium regum.

Quae verba velimus comparari cum Gnoſticorum et praecipue Valentinianorum deliriis, et cum Cabbaliſtarum myſteriis, cum Procli theologia et oraculis Zoroaſtreis, vt veri fontes intelligantur, ex quibus has lautitias depromſit Syneſius, dignus Hypatia diſcipulus. Paria vbique fere ſpargit ſyſtemati emanatiuo innixa [x]: E. c.

Quid enim non eſt tuum, o rex?
Patrum omnium
Pater, pater tui ipſius
Ante pater, ſine patre,
Fili tui ipſius.
Vnitas vnitate prior,
Entium ſemen
Omnium centrum

Aeter-

v) B. Mart. Chladenius diſſ. de Theologumenis Syneſii, Cl. Boysen. Diſſ. de Philoſophum. Syneſii.

w) Hymn. V. v. 90. ſeq.

x) Hymn. III. v. 145. ſeqq.

Aeterna expers ſubſtantiae mens.
Mundi radix,
Rerum ab initio creatarum
Lux vndique collucens,
Veritas ſapiens.

Et paulo poſt:

Fons fontium
Principiorum principium
Radicum radix
Vnitas es vnitatum
Numerorum numerus
Vnitas et numerus
Intelligentia et intelligens
Et quod intelligi poteſt
Et ante id, quod intelligi poteſt.
Vnum et omnia
Vnum autem omnium,
Et vnum ante omnia
Semen omnium
Radix et ſummus ramus
Natura inter intelligentias
Foemina et mas,
Myſtica autem mens
Haec atque illa dicit
Profunditatem ineffabilem.
Circa ducens choreas.
Tu es, quod parit,
Tu es, quod paritur,
Tu qui illuſtras
Tu qui illuſtraris.
Vnum et omnia
Vnum in te ipſo
Et per omnia.

Deſcribendus erat locus integer, quo luculentiorem nos legiſſe non recordamur, in quo emanatiuum ſyſtema expreſſum ſit, quoque Deum non Spinoziſtico quidem vel Stoico et Eleatico ſenſu, Orientali tamen et emanatiuo, vnum eſſe dicatur. De SS. Triade ſimilia praecipit, apud ipſum legenda [y], quae tantum abeſt, vt cum Chriſtianis conſpirent, vt potius principium aliquod iſta triade ſuperius ſupponant. Qua ratione nouis inuentis ſyſtema Platonicum adauxiſſe ſcholam Plotini *Tomo ſecundo* obſeruauimus. Ex hoc fonte τὴν νοερῶν κευθμῶνα τάξιν χορεύσαντι μέσον ἀ καταλυθὲν, *arcanum intellectualium ordinem vel ſeriem, medium quiddam capientem non* (extrinſecus) *infuſum* deriuat [z], et haec ad Filium DEI more Alexandrino applicat. Ex his vero intellectualibus fontibus reliqua per emanationem deducit, ita enim [a]:

Te beata natura
Naturaeque proles
Laudat o beate
Quas almis
Regis auris
De tuis canalibus
Deductas
Prouolutasque.
Tu namque immenſi
Moderator mundi
Natura es naturarum.

Et vt ſcias, huic emanationis fonti, huic filio, aeonique ſummae, Adam-Kadmon, et quae alia eius nomina inter huius furfuris homines fuere, etiam materiam deberi, ecce pergit:

y) Hymn. III. v. 200. z) v. 231. a) v. 300.

Tu naturam foues
Originem mortalium
Immortalis
Imaginem,
Vt etiam ima
Pars in mundo
Sortiatur vitam
Alternam.

Cum autem syſtema emanationis periodicam reuolutionem refluxumque rerum omnium in fontem primum poſtulet, haec quoque myſteria in filio demiurgo ponit canens [b]:

Neque enim fas erat
Fecem mundi
In ſummo vertice ſtatuere
At quod ſtatutum omnino
In coetu entium
Nunquam poſthac interibit
Aliud vero ab alio
Mutua viciſſitudine
Omnia fruuntur.
Rerum intereuntium
Orbis aeternus
Tuo ſpiritu reuiuiſcens
Tibi per omnia
Statuit choreas
Mater natura
Suis coloribus
Suis operibus
Picta variis.

Ex hac breui fundamentorum theologiae Syneſianae delineatione iudicari ſine negotio poteſt, qualia ex iis confectaria fluxerint, digna nempe his patellis opercula. Animam enim vocat [c]: *Ex mundis intellectualibus bonum principium ſpiritus, qui ſine diuiſione diuiſus et delapſus in materiam et particula ſiue effluuium diuinorum parentum eſt.* Nempe *has ex anima mundi effluxiſſe* dicit, *hancque vnam vbique in totum infuſam coelos torquere, vniuerſum conſeruare, et praeſidere ei in diuerſas formas diſtributam* canit. Nec aliter de ſtellis, angelis, malisque geniis materiae praeſidentibus, quas formas eſſe dicit huius animae diuinae naturaeque ſubſidenti tribuit, id quod Klippoth ſiue cortices Cabbaliſtarum Gnoſticorumque daemones, et Alexandrinorum ἀντιθέσις accurate refert. Animam vero ex materiae vinculis ad intellectualia lumina reuocari et ſaepe optat, et hunc philoſophiae ſuae finem potuit [d]. Et huiusmodi quidem deteſtandis nugis ſcatent hymni Syneſiani, qui et dogmatum et phraſium monſtra alunt vix in Proclo alioue philoſopho gentili ferenda. Quis enim aequo animo ferret, Spiritum ſanctum dici centrum Filii et Patris [e]? ex ſinu Filii emicuiſſe lucem, intellectum et animam? Filiam nempe ſuam artibus incluſam mortalibus fatique terreſtri menſura? Corpore elapſam animam poſſe poſthac mergi in terrae noxa? Fouere atque ferre hominem malis morbis animae quaſi compedibus vinctum, diuinum ſemen ferre, generoſae ſcintillam mentis in profunditate materiae abſconditam? Deſcendiſſe animam a Deo, terrae vt famularetur, ex famula vero factam eſſe ſeruam, materiae magicis irretitam artibus: adhuc tamen ei ineſſe, exiguas quasdam vires abditae pupillae; hoc itaque ſemen exiguum alendum a Deo

b) Hymn. III. v. 320. c) Hymn. V. v. 68. d) v. 40. 65. e) v. 30. ſeq.

a Deo accendendumque et excitandum esse *f*? Plura addere ex hoc sterquilinio et piget et pudet. Totum vt cardinem philosophiae Synesianae, et Orientalis, Cabbalisticaeque ostendamus, ecce ita de Filio *g*:

Tibi parto pater annuit, vt parias
Tu abditum es patris semen,
Te enim originem pater dedit mundis
Vt deduceres corporibus formas ex intellectualibus
Tu coeli sapientem orbem circumagis
Et siderum greges semper pascis,
Tu angelici o Rex, ordinis
Tu daemonum phalangis imperium obtines.
Tu et naturam mortalem regis
Indiuiduum circa terram spiritum diuidis,
Et cum fonte, quod datum est rursus coniungis
Mortales mortis liberans necessitate.

Haec quo tendant, et quam immensum a Christianis mysteriis dissonent, quamuis locutiones nonnullae Christianis affines sint, norunt, quibus philosophia Orientalis et Aegyptiaca non ignota est, quique sciunt a quibus praeceptoribus Synesius philosophiam hauserit. Probe id vidit NICEPHORVS *h*, cui commentarium in librum de *Insomniis* debemus, quamuis, vt valde corruptum erat illius temporis, quo Nicephorus vixit, de philosophia iudicium, id in laudem Synesii adducat. Gloriatur enim de Aegyptiaco philosopho; *habendum esse eum omnium Chaldaicorum mysteriorum sodalem, et quaecunque rursus a sacris scriptoribus priscis apud Aegyptios de rebus admirabilibus libri ac mysticae ceremoniae subsequentibus temporibus tradiderint, quaecunque dogmata Delphorum theologi praescripserint, his omnibus eum initiatum fuisse. Verum et haec ipsa et cum ipsis, quaecunque Plato ab vrbe Athenienſi et e Samo Pythagoras ad Aegyptios discendi gratia ventitantes assecuti sunt, etiam illum virum fortiter circa talem debacchatum esse mensam. Ipsi porro curae fuisse omnia, quae Magorum et praestigiatorum voces instituerint, nunquam tamen ista exercuisse.* Tolle his antiquitatis frustra iactatae personam, et ad philosophiam Orientalem et Alexandrinam, siue Aegyptiacam, reuoca, et habebis genuinas tam foedae sententiae scaturigines. Haec vero mysteria, hos thesauros tanti fecit Synesius, vt se hominem popularibus praeiudiciis defaecatum ea dimittere non posse candide fratri fassus sit. Non mirandum itaque, et diuinam corporis originem, et eius resurrectionem Synesium inter populares errores retulisse. Quis enim corporeae molis resuscitationem inter summa beneficia diuina retulerit, vbi corpus carcerem

f) Consulendus totus hymnus tertius.
g) Hymn. VI. v. 12. seqq.
h) Comm. in librum de Insomniis p. 351. ed. Pgr.

rem animae catenamque ſpiritus materiam omnem eſſe iudicat? Et qui potuit hanc ſpem Chriſtianorum alere Syneſius, Deum tam ardentibus votis flagitans [i], vt ſe a daemone, in materia robur habente et a compedibus corporis liberet? Aut itaque Syneſius factus epiſcopus totum Platoniſmum ſuum Alexandrinum abiicere debuit, quod quidem refert Photius, aut myſtam potius gentilem, quam Chriſtianum praeſulem ſe praeſtitit. Certe luculentum Syneſius ſpecimen eſſe poteſt, quanta damna Platoniſmus in Aegypto reformatus in Eccleſiam inuexerit, et quam malo exemplo philoſophi Platonici fanatico doctrinae generi innutriti, ad ſacra ciuitatis Chriſtianae munera promoti fuerint. Ex his vero larga manu datis intelligi quoque poteſt, ad quam Platonicorum claſſem Syneſius referri debeat: quem ſi veteri Academiae adſcripſeris [k], plurimum errabis. Nam Platonem quidem more ſectae ſuae ſibi philoſophiae ducem elegit, ſed ad normam philoſophiae Orientalis reformatum, et ita mutatum, vt natiuos vultus veteremque faciem vix agnoſcas. Cautio itaque in comparatione philoſophiae Platonis et Syneſii adhibenda eſt, ne ſyſtemata confundantur, idque pro genuino Platonico dogmate habeatur, quod adulterinas manus paſſum, et ad nouas hypotheſes refictum eſt. BALTI autem hoc quoque loco impudentiam vix ſatis mirari licet, negantis in Syneſio Platoniſmi poſt conuerſionem ad fidem Chriſtianam reperiri veſtigia, cauſſantisque hymnos et epiſtolas quasdam de rebus profanis ante ſuſceptam Chriſtianae fidei teſſeram ſcripta eſſe. Qui ſi maiori attentione, quam ſolebat, ad ſcripta Syneſii reſpexiſſet, deprehendiſſet ſine dubio, praeter eas lucubrationes, quas inter gentiles verſatus conſcripſit, alias eſſe a Chriſtiano profectas, quae eandem Platonicorum impietatem ſpirant. Quod vt pace Lectoris luculenter demonſtremus, vnum adducemus ſpecimen. *Hymno quinto* ita canit de Chriſto Syneſius:

Canamus filium ſponſae
Sponſae non nuptae
Hominum mortali connubio
Ineffabile patris conſilium:
Serum Chriſti partum.
Venerandus virginis partus
Hominis edidit formam
Qui inter mortales deductor
Venit lucis fontis.

Haec a Chriſtiano ſcriptore profecta eſſe, ne ipſe quidem Baltus negauerit. Hunc vero ecce Platonice delirantem:

Ex tuo ineffabili fonte
Viuificum emittens ſplendorem
Alis mundorum oras.
Ex tuo emicuit ſinu
Et lux et intellectus et anima.
Tuae miſerere filiae
Artubus incluſae mortalibus
Fatique terreſtri menſura.

Et paulo poſt:

Vt ex materia purgatus
Oblitum reditus iter properem,
Fugitans terrae labores,
Vt miſcear cum animae fonte.

Alia

i) Hymn. V. v. 259.
k) Ita Cl. BOYSEN l. c.

l) Defenſe des SS. Pères accuſez de Platoniſme Lib. II. c. 1. p. 97.

Alia ex hoc hymno supra iam allata non repetimus. Haec cum Platonico-Alexandrina esse intelligant, qui vel primis labris philosophicam historiam deguſtarunt, aut non legiſſe Syneſium, et coecus de coloribus iudicaſſe cenſendus eſt Baltus, aut quid ſit Platonicum quid non, non intellexiſſe, aut ſtudio celauiſſe Syneſii Chriſtiani errores iudicandus. Quorum nullum decet virum doctum, tam ſtrenuum ſanctorum patrum defenſorem, tam ſeuerum aliorum iudicem.

§. XXXI. Eiusdem commatis fuit lucifuga, qui venerabile in Eccleſia DIONYSII AREOPAGITAE nomen mentitus eſt: nempe philoſophus Eclecticus ſiue Alexandrinus, qui nugis Platonicis Chriſtianae fidei ſimplicitatem deprauauit. Non morabimur eos, qui haec opera, quibus Dionyſii Athenienſis nomen praefixum eſt, pro genuino eius foetu habent; hos enim paucos hodie eſſe, et ab omni criticae artis ſenſu procul remotos conſtat, poſtquam virorum doctorum argumentis euictum eſt, nihil eſſe in ſcriptore luxuriantis ingenii, licet erudito, quod ſeculum Apoſtolicum deceat: ignotumque fuiſſe tenebrionem doctoribus Eccleſiaſticis, qui quatuor primis ſeculis poſt C. N. vixerunt. Id vero ab hiſtoriae philoſophicae gnaris non ſine iucunditate ex comparatione Platoniſmi Alexandrini, qualis ſeculo quinto viguit, et in Procli ſcriptis extat, cum his ſcriptis colligi cupimus, vix potuiſſe hunc pſeudonymum ante ſeculum quintum ſcribere. Eas enim nugas et deliria Platonica ſuppeditat, quae in immenſum aucta ex Syncretiſmo deteſtabili hoc demum ſeculo in ſchola Plotiniana perſonuerunt, et de quibus Platonici paulo vetuſtiores vel nihil praeceperunt, vel aliter ſtatuerunt [m]. Id quod facile exemplis luculentis demonſtrari poſſet, ſi criticam hiſtoriam Eccleſiaſticorum ſcriptorum traderemus. Et hoc quoque obſtat, quo minus probari poſſe videatur eruditiſſimi PEARSONII [n] coniectura, quam et ſuam fecit GVIL. CAVEVS [o], ante Hieronymum, et forte circa extrema Euſebii Caeſarienſis tempora eum vixiſſe [p]. Eo certe tempore nondum tam impudenter nugabatur ſchola Plotini, ac fecit ſeculo quinto et ſexto, vt ex collatis inter ſe Plotini et Plutarchi diſcipulorum ſcriptis clariſſimum eſt, et negari nullo modo poteſt. Quo magis enim Syncretiſmus, et imprimis accommodatio ad Chriſtianam doctrinam inualuit, quod tum factum, cum Chriſticolae rerum potiri coepiſſent, eo magis verſicolor quaſi et centonis inſtar conſarcinata euaſit philoſophia Alexandrina: cui mixturae et confuſioni haec ſcripta Dionyſiana tribuenda eſſe omnes fere paginae loquuntur. Verum de his diſpu-

Dionyſii Areopagitae philoſophia.

m) Vnum dabimus exemplum: Deum in caligine latentem, omni Deitate ſuperiorem.
n) loc. ſupra cit.
o) Hiſt. Lit. Scr. Eccl. p. 142.
p) Sec. IV. eum vixiſſe placuit quoque tanquam prope certum Cel. MOSHEMIO Hiſt. Eccleſ. Sec. IV. P. II. c. 3. §. 12. p. 323.

diſputandum alio loco eſt. Vix autem ferenda eorum opinio, qui Apollinario patri tribuendos hos foetus eſſe exiſtimant. Recte enim obſeruatum PEARSONIO, fragmentis eius, quae ſuperſunt ſimiles haud eſſe, nec dogmatibus eius conſentaneos, licet hunc, cum Alexandriae natus eſſet, Platonicae philoſophiae, non expertem fuiſſe credere quis poſſit. Ea quoque, quae de illo tradit SOZOMENVS [q], conciliari cum his ſcriptis Pſeudo-Dionyſii vix poſſunt. Refert enim hiſtoricus: *Prohibitis a Iuliano, imperatore Chriſtianis, Graecis diſciplinis inſtitui, Apollinarium ſumtis ex Scriptura ſacra argumentis liberalium diſciplinarum breui tempore lucubrationes compoſuiſſe, et numero et praeſtantia aequales iis, qui apud Graecos celebres extiterunt, ſeu genium, ſeu dictionem, ſeu formam, ſeu diſpoſitionem operis ſpectes.* An vero tantae facundiae et elegantiae ſcriptor opera protrudere potuit, in quibus ingenium poëtico furore extra orbitam raptum, ſtilus affectatus, inflatus atque turgidus, nihilque natiuum habens, ſcatensque vocibus vacuis et ſono ampliſſimo nihil clarum ſignificantibus dictio regnat? Quale dicendi genus ſeculo quinto Proclus obtinebat, cui ſimilem eſſe tam in notionibus quam dictionibus Dionyſium vidit, qui cetera parum acute vidit SVIDAS [r]. Nec Apollinario iuniori tribuenda ſunt, cum nonnulla contineant, ab eius placitis diuerſa. Quod ſi tamen placuerit coniectura doctiſſimi LE QVIEN [s], et Cl. LA CROZE [t], ab Apollinariſta quodam eſſe conficta iſta meletemata, ſub Dionyſii nomine ambulantia, non morоſius refragabimur, modo concedatur, quod extra dubitationis aleam poſitum videtur, hunc ſibi potiſſimum ſcopum praefixiſſe auctorem, vt quemadmodum Platonis philoſophia Alexandriae reformata et in Syncretiſmum ire coacta eſt, ita ipſe Chriſtianam doctrinam ſecundum Platoniſmi Alexandrini praecepta emendaret, et redigeret cum iis in concordiam. Hoc qui negat, eum vel ſumma tantum capita libelli *de theologia myſtica* legere oportet, in quibus differit: quae ſit diuina caligo? et quod nihil ſit eorum, quae ratione intelliguntur, auctor omnium, quae animo cernuntur. Haec enim πρῶτα καὶ κύρια δόγματα Platonicorum, de Deo abſcondito nullique rationi peruio, ex cuius caligine omnia effluxerint, aperte redolent. His apertiora paſſim auctor ſubminiſtrat, ad quae ſi attendiſſent, qui pro librorum horum γνησιότητι tanto feruore pugnarunt, parcius ad venerandum Apoſtolorum ſeculum hominis fanatici et deliri apertumque Platoniſmum Eccleſiae obtrudentis ſomnia retuliſſent. Certe noſtra id aetate [u], qua in clariorem lucem poſita eſt, horum tenebrionum doctrina, totaque ſcholae Plotinianae hiſtoria, fieri id non debet. Quod ſi citius obſeruauiſſent, qui Eccleſiae praefuerunt, et peſtilentem hominis ſcopum notaſſent, atque detexiſſent conſilia pſeudo-philoſophiae huius, non tot innumera damna intuliſſet ſcriptor ὑποβολιμαῖος et nugi-

q) Lib. V. c. 18. p. 624.
r) In Dionyſ. Areop. T. I. p. 598.
s) Diſſ. II. in Damaſcen. §. 12.
t) loc. ſupra cit.
u) Factum id praeter alios a GOD. ARNOLDO Hiſt. Eccleſ. et Haeret. T. I. Lib. I. c. 2. §. 9. 10.

nugiuendulus Eccleſiae, et ex impuris impiisque his ſcaturiginibus non illi in moralem Chriſtianorum Eccleſiam errorum riuuli introducti eſſent, ex quibus cum animae iactura tot hauſerunt homines, laudabili cetero-quin conſilio pietati et coniunctioni cum Deo inhiantes. Exempla eius rei in ſequentibus dabimus.

§. XXXII. Hi, quos enarrauimus, philoſophi in Oriente vixerunt, in quo hoc ſaeculo philoſophia Platonica ſiue Alexandrina, vt et in Aegypto et in Graecia florebat. In Occidente alia rerum extitit facies, barbarie paulatim caput erigente. Cum enim barbararum gentium inuaſionibus, partes imperii Romani Occidentales valde concuterentur, omniumque fere literarum honos extingueretur, et ſub armis vileſceret, philoſophia quoque decrementa pati coepit grauiſſima, paucique hoc ſeculo inuenti ſunt, qui eius ſibi gloriam vindicarent, et tanquam ſtellae quaedam ingruentes barbariei tenebras aliquantiſper diſpellerent. Inter hos CLAVDIANVS MAMERTVS presbyter Viennenſis nominandus eſt, qui circa A. C. CCCCLXII floruit, eius enim libros tres *de ſtatu animae* a CASP. BARTHIO [x] illuſtratos legenti patebit, cum a philoſophiae praeſidiis imparatum haud fuiſſe, vnde a SIDONIO [y] valde laudantur. Qui, quantus eo tempore vir Claudianus etiam in philoſophia fuerit, hoc elogio prodidit: *Vir fuit prouidus prudens, doctus, eloquens, acer, et hominum aeui, loci, populi ſui ingenioſiſſimus, quique indeſinenter ſalua religione philoſopharetur.* Vnde hoc quoque ab eo meruit epitaphium [z]:

Philoſophi inter Chriſtianos Occidentales.

Claudianus Mamertus.

Germani decus et dolor, Mamerti
Mirantum vnica gemma epiſcoporum,
Hoc dat ceſpite membra Claudianus.
Triplex bibliotheca quo magiſtro
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit:
Quem tota monachus virente in aeuo
Secreta bibit inſtitutione
Orator, dialecticus, poëta,
Tractator, geometra, muſicusque
Doctus ſoluere vincula quaeſtionum
Et verbi gladio ſecare ſectas
Si qua catholicam fidem laceſſant.

Et vltimis carminis huius verſibus patet, Claudianum dialecticae quoque Ariſtotelicae vel Stoicae peritum fuiſſe, eiusque argutias contra haereticorum ſtrophas feliciter adhibuiſſe. Id enim hoc praecipue ſeculo vſu venit, vt, cum haeretici Ariſtotelicae potiſſimum dialecticae armis validiſſime contra orthodoxos his praeſidiis non ſatis munitos, inſurgerent,

x) Cygn. 1655. y) Lib. IV. ep. 3. z) Ep. 11.

rent, Eccleſiae doctores ad Ariſtotelem, inuiſum prius et contemtum, reſpicere cogerentur, ſicque imprimis in Occidente Ariſtoteles caput circa haec tempora iterum attollere inciperet. Quem cum dialecticae ſubtilitatis cauſſa Eclectici quoque commendarent et praelegerent, etiam in Graecorum ditionibus iterum libri Ariſtotelici comparere coeperunt, et ab iis inter Latinos, qui in ſcholis Eclecticorum philoſophiam didicerunt, commendati ſunt. Quae epocha ſurgentis inter Chriſtianos Peripateticiſmi probe notanda eſt. Sed vt ad Claudianum reuertamur, ſi SIDONIO [a] fides eſt, amico eius familiariſſimo, non vni is philoſophorum ſectae addictus haeſit, ſed ex pluribus more ſui temporis ſua conflauit. Ita enim ait, *cum non abnuere cum Orpheo plectrum, cum Aeſculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horologium, cum Perdice circinum, cum Vitruuio perpendiculum, neque vnquam inueſtigare deſiſtere cum Thalete tempora, cum Chryſippo numeros, cum Euclide menſuras.* Addit porro: *Ad extremum nemo ſeculo meo quae voluit affirmare ſic valuit. Siquidem dum ſeſe aduerſus eum, quem contra loquitur, excitat, morum ac ſtudiorum linguae vtriusque ſymbolam iure ſibi vindicat. Sentit vt Pythagoras, diuidit vt Socrates, explicat vt Plato, implicat vt Ariſtoteles, vt Aeſchines blanditur etc.* Eadem habet ALANVS [b], Sidonium haud obſcure exprimens, qui de eo canit:

Vt Samius ſentit, ſapit vt Plato, quaerit vt Hermes,
Diuidit vt Socrates, vt Zeno colligit, inſtat
Vt Briſſo, ſtudet vt Criſias, ſpeculatur vt Argus.

Non tamen haec, vt ſolent Panegyricorum verba plus dicere, quam res eſt, nimis premenda, et forte ad varietatem magis differendi, quam philoſophandi principia referenda ſunt.

Boëthii philoſophia.

§. XXXIII. Ineunte ſeculo ſexto magna ingenii et eruditionis claritate et philoſophiae laude floruit ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETHIVS, ſummis honoribus perfunctus, de cuius vita et hiſtoria literaria adeundi ſunt, qui ſcriptores veteris Eccleſiae enarrarunt [c]. Nos ex ea id tantum notamus, quod ad hiſtoriam huius aetatis philoſophicam pertinet. Puer adhuc bonis literis inſtituendus Athenas miſſus eſt, quod in ea tempora incidit, quibus Proclus cathedram tenuit philoſophicam. Proclus enim Anno CCCCLXXXV. fatis conceſſit, quo tempore in ſenatum iam cooptatus patriciusque factus eſt Boëthius. Qui cum octodecim annos Athenis degens

a) Ep. 3.
b) In Encyclopaed. p. 341. Opp.
c) Vid. quos laudat FABRICIVS Bibl. Lat. T. I. p. 642. ſeq. T. III. p. 202. ſeq. Prodiit Paris 1715. 12. V. Vol. Hiſtoire de Boëce, ſenateur Romain, avec l'analyſe de tous ſes ouvrages, des notes et des diſſertations hiſtoriques et theologiques.

degens omnium artium atque disciplinarum mysteria et reconditos recessus exploruerit, recte inde colligimus, Boëthium in Eclecticorum scholis et forte a Proclo philosophiam didicisse. Vidit id iam LVCAS HOLSTENIVS [d], monuitque Boëthium, Porphyrium prae reliquis Aristotelis interpretibus commendantem videri Platonicam philosophiam cum Aristotelica coniunxisse. Cuius argumentum aliud adducere opus haud est praeter ipsam viri vndecunque doctissimi scriptorum inspectionem. Vbique enim regnat Syncretismus ille Eclecticus, Platonica et Stoica cum Aristotelicis in vnum coniungens, et Aristotelica magis Platonice, et ex mente Eclecticorum, quam secundum interpretationem scholae Alexandreae explicans. Prodidit id ipse, doctrinae de categoriis, de quibus scripta Aristotelis et Porphyrii a se versa Latinis auribus dedit, et commentariis illustrauit, ex Pythagoreorum meletematis lucem accendere promittens [e]. Maxime vero in elegantissimo *de Consolatione Philosophiae* libello, quo veterum Veneres assecutus videtur, hanc Eclecticorum methodum Platonica, Stoica et Aristotelica miscendi prodidit. Dabimus ex multis pauca eius exempla. Fatum Platonicum vel Stoicum potius his verbis commendat [f]:

Quantas rerum flectat habenas
Natura potens, quibus immersum
Legibus orbem prouida seruet.
Stringatque ligans irresoluto
Singula nexu, placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.

De Deo demiurgo pari modo Platonice ita differit [ff]:

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum coelique sator, qui tempus ab aeuo
Ire iubes, stabilisque manes, das cuncta moueri,
Quem non externae pepulerunt fingere caussae
Materiae fluitantis opus: verum insita summi
Forma boni, liuore carens: te cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique imagine formans
Perfectasque iubens perfectum absoluere partes
Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet aut mersas deducant pondere terras.
Tu triplicis mediam naturae cuncta mouentem
Connectis animam, per consona membra resoluis
Quae cum secta duos motum glomerauit in orbeis
In semet reditura meat, mentemque profundam,

d) In vita Porphyr. c. I. p. 10. ed. Rom.
e) pag. 112. 113. ed. Vallin.
f) Lib. III. m. 2.
ff) Lib. IV. m. 6.

Circuit et ſimili conuertis imagine coelum.
Tu cauſſis animas paribus vitasque minores
Prouehis et leuibus ſublimes curribus aptans
In coelum terramque ſeris, quae lege benigna
Ad te conuerſas reduci facis igne reuerti.
Da pater auguſtam menti conſcendere ſedem,
Da fontem luſtrare boni, da luce reperta
In te conſpicuos animi defigere viſus,
Diſiice terrenae nebulas et pondera molis,
Atque tuo ſplendore mice: tum namque ſerenum
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis
Principium, victor, dux, ſemita, terminus idem.

Elegantiſſimo hoc carmine breuem totius philoſophiae Platonicae, maxime prout Athenis tum a Syriano, Proclo, Marino docebatur, ſummam complexum fuiſſe Boëthium, lector paulo attentus et Platoniſmi gnarus vt moneatur, opus haud eſſe putamus, adeo luculenter, et cauſſam efficientem mundi ſiue demiurgum, et rationes ſiue ideas aeternas in Dei mente comprehenſas, et animam mundi ex indiuiduo et diuiduo conſtantem, et periodicum rerum omnium in Deum reditum, et finem philoſophiae, intuitiuam Dei viſionem et liberationem a materia exprimit. Similia vbique crepat, et in profis latius deducit, et imprimis Platonem commendat. Ita e. c. de reminiſcentia et interna mentis luce [g]:

Non omne namque mente depulit lumen
Obliuioſam corpus inuehens molem.
Haeret profecto ſemen introrſum veri
Quod excitatur ventilante doctrina.
Nam cur rogari ſponte recta cenſentis,
Ni merſus alio viueret fomes corde?
Quod ſi Platonis Muſa perſonat verum,
Quod quisque diſcit, immemor recordatur.

Plura addere inſtitutum vetat, quod hic prolixis nobis eſſe non permittit. Meretur autem ipſe libellus elegantiſſimus vt lectionem, ita attentionem ad hanc philoſophiam Boëthii, qua ſimul patebit, qua ratione diuerſa ſectarum placita in vnam philoſophiae conſolationem ire non tam coëgerit, quam iucundiſſimis modulis perſuaſerit. Ceterum et propriis meditationibus et verſionibus de philoſophia optime meruit, et fugientibus Muſis manum iniecit. Ad illas pertinent liber *de Vnitate et vno*, libri duo *de Arithmetica*, et libri quinque *Inſtitutionis Muſicae*, in quibus Pythagoricorum, maximeque Archytae partes contra Ariſtoxenum tuetur. Quod nouum argumentum eſt, eum philoſophiae praecepta

g) Lib. III. m. 11.

cepta in ſcholis Eclecticorum hauſiſſe, quos ſimilem in modum de Muſica praecepiſſe alibi notauimus. Porro commentarii quoque huc pertinent, quibus verſiones nonnullas Porphyrii a Victorino confectas, librosque plerosque Ariſtotelis dialecticos docte illuſtrauit. Verſiones autem librorum quorundam Ariſtotelicorum ipſe confecit. Scripta alia eccleſiaſtica, quae huc non pertinent, tacemus. De quibus omnibus, qui literariam eorum hiſtoriam noſſe cupit, adeundus eſt Io. ALBERTVS FABRICIVS [h]. Animus erat viro optimo totum Platonem et Ariſtotelem ciuitate Latina dare, et vtriusque philoſophi demonſtrare concordiam. Sed laudabiles conatus fatorum ſufflaminauit aduerſitas, qua in carcerem inſons detruſus, et capitis tandem poena affectus eſt, dignus qui meliori et elegantiori ſeculo vixiſſet: ſuorum enim temporum ferream et ad barbariem inclinantem conditionem ingenii venuſtate et eruditionis praeſtantia longe ſuperauit [i]. Ab aliis Boëthiis ſuo loco iam adductis facile hunc diſtinguit et aetas, et conſulatus dignitas et Chriſtianae religionis profeſſio.

§. XXXIV. Floruit quoque exſpirante adhuc ſeculo quinto AENEAS GAZAEVS, profeſſione ſophiſta, ex philoſopho gentili Chriſtianus. Is nomen obliuioni eripuit dialogo, cui nomen fecit *Theophraſtus*, in quo immortalitatem animae et corporis reſurrectionem demonſtrare aggreſſus eſt. Qua ex ſchola progreſſus ſit, ipſe prodit, Hieroclem ſe praeceptorem habuiſſe innuens [k], quo celebrem illum Alexandrinum philoſophum, cuius commentaria in *aureum carmen* ſuperſunt, veriſimiliter intelligendum eſſe, *Tomo ſecundo* iam notauimus. Conſpirant enim et tempora et facta, ſatisque docet Aeneas, ſe iuniorem quendam Platonicum magiſtrum habuiſſe. Poſt conuerſionem errores gentiles abiecit, philoſophiam tamen Platonicam non omnem eiurauit, licet id nobis perſuadeat BALTVS [l]; vnde in quibusdam codicibus mſc. regis Galliae dialogo praefigi nomen Aeneae ſophiſtae et Platonici Chriſtiani COTELERIVS [m] refert. Ipſum quoque dialogi argumentum teſtis eſt, philoſophiam eum inter Chriſtianos non totam neglexiſſe, ſed ad rationum Chriſtianarum normam emendare voluiſſe. Erudite enim contra Platonicos diſputat, aeternum mundum ſtatuentes, iisque non mundi modo, ſed materiae quoque origines aliquando coepiſſe, opponit, et ad Plotinum, Porphyrium et oracula Chaldaica prouocat, quos ſcriptores idem, ac Chriſtianos arbitrari ſtatuit [n]. Qua in re fefelliſſe philoſophum eruditiſſimum, ſed vel ad Chriſtianorum, vel ad Platonicorum doctrinam de materia non ſatis attendentem, iudicium, ex eo intelligi poteſt, quod Chriſtiani materiam per creationem diuinam ex nihilo, Plato-

Aeneas Gazaeus.

h) Bibl. Lat. loc. cit.
i) CASSIODOR. Var. Lib. I. ep. 45. et recentiores plerique laudati THOM. POPEBLOVNT Cenſ. celebr. auct. p. 317.
k) Theophr. p. 6.
l) Defenſe des Peres Lib. II. c. 1.
m) Ad PP. Apoſtol. T. I. p. 397.
n) p. 56.

Platonici per effluxum vel eductionem ex ſinu Dei deriuent, quae diuerſiſſima ſunt, licet Platonici hi cum Chriſtianis ſtatuant Deum materiam ex non praeexiſtente ſubiecto produxiſſe. Sed et alio loco manifeſtum fecit, confudiſſe ſe Platonicorum et Chriſtianorum dogmata. *Patrem enim*, ait [o], *Spiritu ſancto inſpirare intellectualia et ſenſualia facultatibus ſuis complere, et complecti et ad ſeſe trahere.* Quibus verbis animam mundi Platonicam cum Spiritu S. confundi, apertum eſt, licet hunc errorem multi quoque veterum Chriſtianorum errauerint. Reliqua quae ad literariam huius philoſophi hiſtoriam pertinent, dabit IO. ALBERTVS FABRICIVS [p].

Zacharias Scholaſticus.

§. XXXV. Paulo poſt, ſeculo ſexto, inter philoſophos Chriſtianos nomen ſibi fecit ZACHARIAS, cognomento SCHOLASTICVS, quo a rhetore, hiſtoriae Eccleſiaſticae auctore quidam eum diſtinguunt [q], aliis eundem vtrumque facientibus [r]. Is Alexandriae in philoſophiam incubuit, deinde Beryti iurisprudentiae operam dedit, tantumque eruditione et pietate ſe commendauit, vt tandem in metropoli Lesbi inſulae, Mytilenenſis Eccleſiae metropolita conſtitueretur, a quo munere etiam Mytilenaeus quibusdam audit. Is praeter diſputationem *de duobus principiis aduerſus Manichaeos*, de qua ſcriptores hiſtoriae literariae Eccleſiaſticae videndi ſunt, *dialogum* quoque, cum adhuc Beryti verſaretur, contra philoſophos ſcripſit, qui mundi aeternitatem aſſerunt. Huic *Ammonii* nomen praefixit, non quod Ammonium habuerit condiſcipulum, quod vult CAVEVS [s], ſed quod praecipuum Ammonianae ſcholae dogma refutaret, quae cauſſa fuit, cur cuidam Ammonii diſcipulo, qui ſtudii legum cauſſa Berytum ſe contuliſſet, Ammonii ſententiae de mundi aeternitate propugnandae partes dederit. Tradit tamen ſe eodem quoque de argumento cum Ammonio (Procli diſcipulum intelligendum eſſe, tempora poſtulant) et cum Geſſio diſputauiſſe Alexandriae, quem inter Ammonii diſcipulos praecipuum fuiſſe, et medicinam publice docuiſſe, id eſt, inter iatroſophiſtas Alexandrinos excelluiſſe ſcribit [t]. Non malo itaque conſilio hunc dialogum AENEAE GAZAEI *Theophraſto* ſubiunxit CASP. BARTHIVS. In eo vero legendo, ad Platonicorum recentiorum hypotheſes omnino reſpiciendum eſt, quas ita exuere omnes Zacharias non potuit, vt non quaedam Platoniſmi veſtigia relinqueret. E. c. mundum hunc viſibilem productum eſſe ait μετὰ τὴν τῶν ὄντων δημιουργίαν [u]. Et tamen omnem eum Platoniſmum eiuraſſe more ſuo contendit BALTVS [x].

§. XXXVI.

o) Theophraſt. p. 55.
p) Bibl. Graec. Vol. I. p. 427. Vol. VII. p. 99. Vol. XIII. p. 458. 508. Syllab. ſcript. de Ver. R. C. cap. II. §. 27. p. 107.
q) CAVE Hiſt. lit. Scr. Eccl. pag. 227.
r) FABRIC. l. c. pag. 108.
s) loco cit.
t) pag. 399. Videndus de hoc Geſio, vel Geſſio Damaſcius apud PHOTIVM Cod. CCXLII. et ex eo SVIDAS in Γέσιος, STEPH. BYZ. in Γέα. Extant ad eum PROCOPII GAZAEI epiſtolae.
u) pag. 362.
x) loco cit.

§. XXXVI. Seculo ſexto exeunte, et circa initia ſeculi ſeptimi magnum inter philoſophos Chriſtianos Alexandriae nomen fuit IOANNIS, cui ab incredibili laboris improbi patientia et induſtria PHILOPONI nomen haeſit. Grammaticum et ipſe ſe vocat [y], et ab aliis quoque haud raro ita appellatur, vnde coniecere non ſine veriſimilitudine viri docti, Grammaticam eum Alexandriae publice docuiſſe. Is Ammonii Hermeae diſcipulus fuit, quem ex Procli ſchola progreſſum, Peripateticam magis, quam Platonicam philoſophiam illuſtraſſe, ſed more Eclectico vel Syncretiſtico, *Tomo ſecundo* narrauimus. Quae quoque cauſa eſt, cur inter commentarios Philoponi occurrant, etiam Ammonii ſcripta nonnulla, in quae ille commentarios ſcripſit. Et ab hoc praeceptore ſuo Peripateticiſimi amorem hauſit, cum ratione ab Eclectica ſchola petita ductus, non differre re ipſa a Platone Ariſtotelem, tum argumento Eccleſiaſtico permotus, quod videret, Ariſtotelem inter Chriſtianos caput erigere, crederetque inſignem philoſophiae eius, praecipue dialecticae contra haereticos vſum eſſe. Scopum itaque philoſophiae ſuae hunc poſuit, vt Ariſtotelem interpretaretur. Scripſit enim *commentarios et annotationes ex ſcholis Ammonii Hermeae cum quibusdam propriis meditationibus in analytica priora:* itemque *in analytica poſteriora, in quatuor priores libros phyſicorum, in librum primum meteororum, in libros de anima, de generatione animalium, et in libros metaphyſicos*, de quibus eius lucubrationibus videſis FABRICIVM [z]. Platonem vero non totum neglexit, ſed more ſcholae Plotinianae commentariis quoque illuſtrauit, qui tamen hodie deſiderantur. Vitam vero Ariſtotelis, quae a plerisque Ammonio, praeceptori eius, tribuitur, nonnullos ad Philoponum referre, *Tomo primo* iam obſeruatum eſt. Cum autem Chriſtianus eſſet, contra mundi aeternitatem, quam tum ſtrenue propugnabat Procli ſchola, acerrime diſputauit [a]. Iamblichum quoque ſimulacrorum, diuinitatem aſſerentem peculiari libro aggreſſus eſt, qua tamen in arena leuiter eum decertaſſe, parumque iudicii et argumentorum roboris attuliſſe viſus eſt PHOTIO [b]. Qui etiam laudata eius perſpicuitate, putidum atque imbecillem eum in argumentatione eſſe pronuntiat, vt ne vmbratili quidem veritatis ſpecie propria potuerit colorare aduerſus pios ſophiſmata. Aliter tamen NICEPHORVS [c], qui eius in diſputando demonſtrandoque accurationem et peritiam mirifice extollit. Et de libris quoque contra Proclum SVIDAS [d] notat, eum Procli argumentis maxima lectorum omnium admiratione occurriſſe, et praeclariſſime illum refutauiſſe, eumque vel in ipſis Graecis diſciplinis, propter quas magnifice de ſe ſentiebat, atque efferebatur, in-

Ioannis Philoponi philoſophia.

y) Simplicius apud FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. pag. 358.
z) Bibl. Graec. Vol. IX. pag. 363.
a) Conf. FABRIC. Syliab. ſcript. de V. R. C. cap. II. pag. 117.
b) Biblioth. Cod. CCXV. pag. 285.
c) H. E. Lib. XVIII. pag. 97.
d) In Proclus Tom. III.

indoctum atque amentem esse demonstrauisse. Videtur autem Photius potissimum ad errores eos respexisse, quos ex incauta philosophiae Aristotelicae ad Christiana mysteria applicatione proseminauit, scilicet, vnicam tantum esse in Christo naturam, tres in diuinitate naturas siue substantias: quem errorem vtrumque seductus Aristotelicis notionibus passim propugnauit, de quo alibi dicendum [e]. Sed et defunctorum corpora tam quoad materiam quam formam interitura esse, aliaque a Deo in resurrectione excitanda diuinoque sistenda iudicio statuit, de quibus eius placitis videndi annales Ecclesiastici [f]. Ceterum quanta auctoritate gauisus sit apud Amrumum Saracenorum ducem, et qua ratione expugnata ab Arabibus Alexandria dari sibi bibliothecas frustra petierit, vt flammis eas eriperet, *praecedenti libro* in historia philosophiae Saracenicae narrauimus, quae repetere non libet. Ex hoc vero loco de aetate Philoponi iudicandum, et in qua philosophiae tempora inciderit, statuendum est. Ex hac enim ABVLPHARAII [g] narratione liquet, capta eum Alexandria adhuc, et post eam aetatem, vixisse. Capta autem est vrbs teste ELMACINO [h] A. C. IↃcXL, mense Decembri. Sed et porro ex PHOTIO [i] discimus, imperante Iustino II. sedente Constantinopoli patriarcha Ioanne Scholastico, institutam disputationem esse inter duos Tritheitas, duosque Seuerianos, siue Eutychianos, id quod fieri debuit intra annum DLXIV et DLXXVIII, quibus pontificatum vrbis regiae Ioannes tenuit. Hoc itaque tempore cum iam affectas Philoponus habuerit, iuuentutis eum annos tum iam superauisse, recte colligimus. Cum autem ab anno DLXXVIII ad annum DCXL, sexaginta duo anni effluxerint, manifestum inde est, Ioannem Grammaticum valde senem, et octogenario maiorem obiisse, et inter philosophos μακροβίους esse numerandum.

Nemesius. §. XXXVII. Non omittendus quoque in hac philosophorum Christianorum serie NEMESIVS ex philosopho episcopus, vti volunt, Emisenus, eleganti libello *de natura hominis* clarus. Incerta eius tempora sunt, silent enim de eo veteres, vnde eum tanquam incertae aetatis huc reiicere visum. Qui enim ex epistolis GREGORII NAZIANZENI ad Nemesium argumentum capiunt, Nemesium episcopum ei fuisse σύγχρονον, falluntur, et Cappadociae praefectum, antea a Christiana fide alienum, et iudiciali potestate conspicuum cum Christiano doctore confundunt [k]. Non refragabimur tamen virorum doctorum coniecturae [l], contendenti, vixisse eum seculo quarto, antequam adhuc Pelagii, Nestorii et Eutychis haereses Ecclesiam turbarent: nec magnopere audien-

e) Conf. B. BVDDEVS de haeresibus ex phil. Aristotelico-Scholastica ortis §. 5. T. I. Obs. Hal. Lat. p. 178.
f) Conf. PHOTIVS Cod. LV. pag. 21. Cod. LXXV. p. 97.
g) Hist. dynast. p. 114. POCOCK. Specim. pag. 165.
h) Hist. Sarac. Lib. I. cap. 3. pag. 24.
i) Cod. XXIV. pag. 6.
k) Conf. FABRICIVS Syllab. Scr. de V. R. C. c. II. §. 50. p. 113.
l) Vid. praef. edit. Oxon.

diendam putamus PAMELII [m] et doctiſſimi MICH. LE QVIEN [n] coniecturam, libellum hunc Nyſſeno tribuere malentium. Quaecunque vero ſcriptoris aetas fuerit, certe inter elegantiſſima philoſophiae inter veteres Chriſtianos florentis ſpecimina tractatio haec *de natura hominis* Nemeſiana referenda eſt. Nam et corporis et animae conſiderationem inſtituit luculentam, multaque affert non ex triuio hauſta, quae fruſtra apud alios quaeſiueris, quaeque inſignem veteris philoſophiae peritiam produnt. In plerisque etiam capitibus Graecorum philoſophorum opiniones eleganter et perſpicue recitat, et nonnunquam examinat, pleraque autem ad diuinorum dogmatum illuſtrationem refert. Praecipue magnam et inſolitam inter Chriſtianos doctores rerum naturalium, ad hominem pertinentium notitiam oſtendit, cuius exempla eſſe poſſunt, quae de vſu bilis, de ſplene, renibus, glandulis aliisque humani corporis partibus diſſerit, quae in ſummam lucem poſuit noſtrae aetatis virorum doctorum curioſitas. Inter quae hoc loco indictum praetereundum haud eſt, quod mirabilis ille ſanguinis circuitus eum non totus latuerit. Scribit enim [o]: *Diducitur vehementer et contrahitur arteria, harmonia quadam et ratione, initio motus a corde ſumto. Sed dum diducitur a proximis venis vi trahit tenuem ſanguinem, cuius reſpiratio fit alimentum ſpiritui vitali. Dum autem contrahitur, quod in ſe fuliginoſi eſt, per totum corpus et occulta foramina exhaurit.* Sunt tamen in pulchro corpore naeui nonnulli, inter quos referendum quod προϋπάρξεις animarum Origenianae fauere videatur [p], quae tamen condonari ſcriptori elegantiſſimo facile poſſunt. Sane inter omnes, qui inter Chriſtianos philoſophati ſunt, Nemeſio ſi non primas, certe potiores partes tribuendas eſſe, licet in hoc capite vltimum eum occupare locum aetas incerta coëgerit, non inuiti fatemur.

m) Ad Tertull. de anima cap. 5.
n) Ad Damaſcen. Tom. I. pag. 116.
o) Cap. 24.
p) LAVNOIVS de fort. Ariſt. pag. 24. defenditur tamen in Oxon. ed. pag. 20.

LIBER SECVNDVS
DE PHILOSOPHIA CHRISTIANORVM MEDII AEVI.

CAPVT PRIMVM,
DE PHILOSOPHIA CHRISTIANORVM GRAECORVM A SECVLO SEPTIMO AD EXPVGNATAM CONSTANTINOPOLIN.

§. I.

Ordinis et tractationis ratio.

Enarrata hiſtoria philoſophica veterum Chriſtianorum, eorum nempe, qui ſex primis poſt Chriſtum natum ſeculis vixerunt, ordo iam poſcit, vt ſequentium quoque ſeculorum fortunam, quam philoſophia habuit, exponamus, et qua facie aeui, vti haec periodus vocari conſueuit, medii temporibus comparuerit, enarremus. Quod temporis ſpatium in hiſtoria philoſophica valde memorabile eſt. Quemadmodum enim circa eius initia philoſophiam gentilium cum ſecta Eclectica exſpirauiſſe, imperatoribus omnem cultum gentilem exſtirpantibus, *Tomo ſecundo* demonſtratum: ita infelicibus Barbararum gentium inuaſionibus, Romanorum imperium in Oriente valde quaſſatum afflictumque, in Occidente tantum non penitus deletum eſt, victorumque Barbarorum mores, barbaries quoque in omni eruditionis circulo ſecuta, et hoc etiam malo philoſophia vehementer preſſa eſt. Itaque philoſophiae noua et peculiaris cum medio aeuo merito periodus ſtatuitur, et quam aduerſis ea fatis ſuccubuerit, plenius enarratur. Dabimus in ſequentibus operam, vt hoc quoque munere, quantum per vires licet, defungamur, et ſuccinctam quidem, accuratam tamen medii aeui condamus philoſophiae hiſtoriam. Quod cum a nemine hactenus praeſtitum ſit *a*), dabit Lector veniam, ſi nonnunquam vel ceſpitauerimus, vel lapſi fuerimus, eo quod in tam denſis, quae tum ingruere coeperunt, temporibus euitari id vix queat. Omnem tamen adhibebimus cautionem, ne Lectori imponat fraus barbariei, et videat ſuis oculis, quantum nebulae illae veritatis luce diſpellendae permittunt, quid de his ſeculis credendum ſit. Veniam vero exoramus, ſi dictionis quoque, quae tum vehementer inualuit, barbaries, aliqua ſermonem noſtrum labe conſpurcauerit, quod

a) Deplorarunt paſſim viri docti hunc defectum, vid. MORHOF. polyhiſt. Tom. I. Lib. I. cap. 13. §. 1. p. 74. BVDDEVS hiſt. phil. annot. illuſtr. p. 230. GENZKIVS hiſt. phil. p. 141. C. D. KOCHIVS Specim. emendat philoſ. VIII. p. 2. Quos tamen conſulere iuuet, infra cap. II. dicemus.

quod euitari vix poteſt, vti pro inſtituti ratione ipſa ſaepe numero ſcriptorum verba adducenda ſunt. Eum vero ſeruabimus ordinem, vt primum quidem philoſophiae faciem in Oriente ad captam vsque Conſtantinopolin exponamus, eo enim tempore Oriens philoſophari deſiit, Graecique philoſophi in Occidentales terras dilapſi ſunt: deinde fata philoſophiae enarremus, quae in Occidente inter Chriſtianos a ſeculo ſeptimo vsque ad duodecimum paſſa eſt. Quibus ſubiungemus ſcholaſticae philoſophiae, quae ab iſto tempore vsque ad renatas literas regnauit hiſtoriam. Et reſpiciemus quidem ad philoſophiam vnice, quia vero arcte tum tempore cum anguſta illa, quae obtinebat, encyclopaedia cohaerebat, ex literaria quoque hiſtoria ea tangemus, ſine quibus philoſophiae acta intelligi nequeunt.

Fata philoſophiae Platonicae in Oriente.

§. II. Quam fortunam habuerit ſchola Platonica, hoc loco non repetemus, niſi quod iterum monendum ſit, accidiſſe Iuſtiniani erga philoſophos gentiles odio [b], et interdicto, ne philoſophiam publice docerent, vt primo quidem ad Choſroëm Perſarum regem deficerent, facta autem ſeculo ſexto fere medio pace redirent quidem in Romanum imperium, paulo poſt vero plane exſpiraret tota ſecta atque deficeret, vt ſuo loco probatum. Philoſophia itaque Platonica vel Eclectica potius a Chriſtianis diſcenda erat, inter quos multos quoque extitiſſe, qui ei adhaeſerint, hactenus copioſe probauimus. Quamuis autem inter orthodoxos quoque eſſent nonnulli, qui hoc philoſophiae genere erant imbuti, potiſſimum tamen Origenis affeclae ei tenaciter adhaerebant. Cauſſa huius ſtudii neminem latebit, qui nouit, Origenem totum ſyſtema ſuum ex philoſophia atque theologia Platonico-Alexandrina hauſiſſe. Eius itaque partes qui ſequebantur, ex hac ipſa philoſophia praeſidium petebant. Potior autem Origeniſtarum pars ex monachis conſtabat, qui vitae auſteritate, quam expreſſit Origenes, ad eius admirationem permoti, citatim in eius ſententiam, non obſtantibus, quas ideo patiebantur, perſecutionibus, tranſiuerant. His itaque mediantibus philoſophia Platonica vel Alexandrina in ſacros monachorum ſeceſſus atque monaſteria auſugit, cumque ſingularem viam, propius ad Dei viſionem accedendi, et ſolutis corporeis vinculis, arctius ſe cum eo coniungendi commendaret, theologiae illius myſticae condendae occaſionem dedit, quae, cum Pſeudo-Dionyſii ſcripta tanquam genuina inter hos homines irrepſiſſent, magnamque obtinuiſſent auctoritatem, ampliſſime latifundia ſua dilatauit, et in Occidentis quoque partes propagauit, vt ſuo loco oſtendemus. Et haec quidem philoſophiae Platonicae ſeculo ſeptimo et ſequenti-

b) Videndus PROCOPIVS in Anecdotis, quem exſcripſit ZONARAS. Dubitat de Procopii hac in re fide CONRINGIVS Antiquit Academ. Supplem. XVIII. pag. 238. ſeqq. eo quod Codicis Iuſtinianei tituli de profeſſoribus vrbis Romae et Conſtantinopolis aliud reſtentur; ſed conſtabit Procopio fides ſua, ſi id de profeſſoribus intelligatur gentilibus, quibus ſubtracta eſſe eo tempore ſalaria alii quoque ſcriptores teſtantur.

quentibus fata inter Graecos fuerunt, quae qui noſſe cupiunt, eos theologiae myſticae inter Graecos vigentis, tandemque ad Latinos propagatae hiſtoriam conſulere oportet [c]. Aliter res cum Ariſtotelica philoſophia ſe habuit, quae ab iſto tempore laetiora, quam prius fata habuit. Cum enim ab haereticis orthodoxi armis quoque dialecticis pugnare didiciſſent, magnum illud, quod ideo veteres doctores Chriſtiani aduerſus Ariſtotelem conceperant odium, in admirationem conuerſum eſt, coeperuntque philoſophiae ſtudioſi Dialecticae Ariſtotelicae operam dare, illos imitati, quos acerrime cum orthodoxis dimicaſſe nouerant, quod Dialecticam Ariſtotelicam excoluerint. Nulla enim tum ſecta erat, quae non ad has machinas confugeret, adeo, vt Iacobus quidam Edeſſenus, Monophyſita, vt ſuae parti hac ratione conſuleret, Dialecticos Ariſtotelis libros in Syriacum ſermonem hoc ſeculo conuerteret [d]. Quamuis autem haereticorum nonnulli, qui ſcholas Alexandrinorum philoſophorum frequentauerant, praeter Dialecticam Ariſtotelis ab iſtis prolixis commentariis explicatam, Platonicam quoque theologiam nonnunquam in ſubſidium vocarent, quod imprimis Monophyſitae, et Apollinarii ſectatores feciſſe conſtat [e]; tantum tamen abeſt, vt hoc modo Platonicae philoſophiae ſequendae inque vſus ſuos vertendae auctores et exempla orthodoxis poſtea fuerint, vt potius Platoniſmus ea re in contemtum adduceretur, eoque proſcripto triumpharet philoſophia Ariſtotelica. Quae eo magis applauſum meruit, quo magis recti verique ſenſus indies corrumpebatur, et conculcata eruditione ſolida, ſuperficiaria quaedam doctrina colorque aliquis quaerebatur, qualem egregie fundebat Dialectica Peripatetica. Ea enim cum theologiam inuaſiſſet, et hoc habitu diuinioris doctrinae capita pingerentur, perſuaſerunt ſibi plerique, egregie ita Eccleſiae conſultum eſſe, quod his quaſi muris munita eſſent aduerſus haereticorum inſultus Chriſtiana dogmata. Factum inde eſt, vt ſemoto et hominum conſpectu Platonico philoſophandi genere et in monaſteria detruſo Peripateticum florere inciperet; quod vbi paulo poſt Saracenis quoque placuit, veterno, in quem plerique collapſi erant excuſſo Graeci poſtliminio ad philoſophiam Peripateticam redierunt. Hincque euenit, vt ab hoc tempore vix vnum alterumque inter Graecos inueniamus, Alexandrinae philoſophiae peritum, eorum vero plures fuerint, qui Peripateticam philoſophiam haud indiligenter excoluerunt, quorum potiores et celebriores iam temporum ſeriem ſequentes enarrabimus.

Fata philoſophiae Ariſtotelicae poſt Sec. VII. in Oriente.

§. III. Primus, qui poſt Philoponum in hoc ſtadio impigre currendi Graecis auctor extitit, fuit IOANNES DAMASCENVS a patria, ab eloquentia Chryſorrhoas, et Arabibus Almanſor dictus, patre

Ioannes Damaſcenus.

c) Dicemus ea de re quaedam infra.

d) Vid. Cel. Ios. Sim. Assemanvs Biblioth. orient. Vatican. T. I. pag. 498. Pertinent huc verſiones Arjſtotelis Syriacae a Chriſtianis ſub Saracenis viuentibus confectae, de quibus dictum in hiſtoria philoſophiae Saracenicae, conf. Hottinger. Bibl. Orient. c. III. p. 291. ſeqq.

e) Conf. la Croze Hiſt. du Chriſtianiſme d'Ethiopie p. 5.

tre consiliario secretiori inter Saracenos natus, inter quos parentis defuncti locum in aula Chalifae primarium tenuit, postea vero dimissionem a Chalifa nactus, ad S. Sabae Lauram discessit, vt philosophiae atque theologiae operam daret, scribendisque libris magis otiosus vacare posset. Quam eius historiam, et quae reliqua ad eum pertinent, post historiae literariae scriptorum ecclesiasticorum [f] auctores diligenter enarrauit doctissimus operum Damasceni editor MICHAEL LE QVIEN, qui videndus [g]. Nos instituti nostri memores, id hoc loco de eo notamus, insignem prorsus fuisse eius in philosophia et mathematicis disciplinis peritiam, quam magnopere extollit vitae eius scriptor Ioannes Hierosolymitanus. Id quod tamen pro captu et conditione eius, quo vixit, seculi cum quod intelligendum est; inter Arabes hoc tempore viam tandem philosophiae pararet, vt in historia philosophiae Saracenicae dictum, occasionem inde Ioannes nactus est in philosophia, quae tum commendari coepit, Peripatetica proficiendi. Quam commutata vita aulica cum monastica otium amplius nactus scriptis quoque excolere non destitit: legunturque inter eius opera *Capita philosophica* [h], quae Dialecticum argumentum exhibent, itemque *Dissertationes de animae partibus tribus*, *virtutibus quatuor*, *facultatibus quinque* [i]. Physicam autem, quae ei tribui a nonnullis solet, Nicephori Blemmidae esse, infra dicemus. *In sacris* quoque, quae scripsit, *Parallelis*, quamuis collectionem theologicam exhibeant de Deo, homine et virtutibus atque vitiis, multa attulit, in historia philosophica non negligenda, cum haud contemnenda lectionis copia esset instructus. Maxime vero ideo notandus hoc loco est, quod si non primus, inter primos tamen fuit, qui doctrinae Christianae capita methodo philosophica enarrauerunt, et philosophiam Peripateticam ad theologiam transtulerunt, cuius rei specimen est *Expositio* eius *accurata fidei orthodoxae*. Vnde non errant, qui inter primos systematum theologicorum conditores Damascenum referunt [k]. Et hac quoque causa permoti viri quidam eruditi, Damascenum inter proauos Scholasticorum numerant, ipsiusque philosophiae Scholasticae initia ab eo deriuant [l]. Quod vtrum recte fiat, infra dicendi locus erit commodior, vbi historia philosophiae scholasticae erit explicanda. Illud certum, Damasceni vestigia secutos ab hoc tempore fuisse plures, qui theologiam habitu induerunt philosophico. De quo tamen alibi dicendum est. Qua ratione vtrum studio illo Christum cum Aristotele sociandi magnopere de re Christiana Damascenus meruerit, aliis expendendum relinquimus. Ceterum cum superstitioni, maiorumque

f) His addi possunt FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 777. BAYLE Dict. T. II. p. 238. Io. CHR. COLERVS pec. Diss. Witteb. 1714.

g) Prodiere opera Damasceni curante MICH. LE QVIEN Paris 1712. II. Vol. fol. vid. Act. Erud. 1713. p. 1. qui iis ALLATII Tr. de scriptis Damasceni adiecit.

h) T. I. p. 1.

i) Ibid. p. 574. seqq.

k) FABRICIVS loc. cit. BAYLE loc. cit. not. F. p. 240. LE QVIEN Prol. T. I. p. 119. ARNAVD. perpetuité defendue Lib. II. c. 6. p. 229.

l) HOTTINGER. Hist. eccles. Sec. VIII. p. 475. TRIBECHOV. de DD. scholast. c. VIII. p. 281. NAVDE Addit. a l'Histoire de Louis XI. p. 151. seqq. aliique.

que venerationi adeo fuerit addictus Damaſcenus, vt nec a mendaciis abſtinuerit [m], iudicabunt inde, qui norunt, quid philoſophia ſit, quanam in philoſophorum claſſe is ſit ponendus. Ioannem Meſue Damaſcenum, Medicum inter Arabes celeberrimum, aliosque huius nominis cum hoc monacho confundendos non eſſe, ſupra in hiſtoria philoſophiae Saracenicae iam monuimus [n].

Barbaries Sec. VIII. et IX. ingruens inter Graecos.

§. IV. Inter Graecos Romano imperatori parentes hoc et ſequenti ſeculo magnae obortae ſunt tenebrae, et tantum non penitus abiecta iacuit cum reliquis literis philoſophia. Cuius cauſſae praeter torporem ingeniorum, qui plerosque eo tempore inuaſit, coniiciendae ſunt partim in ignorantiam imperatorum, literis neque honorem neque pretium ſtatuentium, partim in crebras Arabum incurſiones, quae Graecorum ditiones vehementer preſſerunt. Illius exemplum eſſe poteſt Leonis Iſauri barbaries, his verbis ZONARAE [o] enarrata: *Domus erat baſilica proxime forum aerarium, in qua multi codices et humanae et generoſioris et diuinae ſapientiae aſſeruabantur, ab antiquis temporibus ei ad habitandum aſſignata, qui eruditione excelleret, quem oecumenicum doctorem appellabant. Is duodecim contubernales habebat excellenter eruditos: his publicus victus praebebatur, hos eruditionis et cognitionis auidi accedebant, hos imperatores ad rerum gerendarum conſilia adhibebant. Eos Leo ſi cepiſſet et in ſuam ſententiam (περὶ εἰκονομαχίας) pertraxiſſet, omnia ſibi confecta putabat. - - Sed cum ſaepe cum iis egiſſet fruſtra, eos domum dimiſit in illas aedes regias, multamque materiam aridam circum eos collocatam noctu incendi iuſſit, atque ita aedes cum libris et doctos illos ac venerabiles viros combuſſit.* Fatemur quidem, dubiam ea in re nobis videri Zonarae fidem, cum nec ſceleris atrocitatem alius ſcriptor tradat, nec collegii eius doctorisque oecumenici alibi fiat mentio; ſatisque notum ſit, Zonaram more ſeculi ſui, non ſemper eſſe accuratum, animoque interdum ſcribere variis praeiudiciis impedito; vnde hiſtoriam hanc FRANCISCO PATRICIO [p] indubiam viſam, ſe haud temere affirmare velle recte pronuntiauit HERMANNVS CONRINGIVS [q]. Quodcunque vero Zonarae narrationi pretium ſtatuatur, illud certum hiſtoricorum fide, et imprimis PAVLI DIACONI [r] eſt, imperatorem in εἰκονολάτρας furentem, et ſuppliciis, et tormentis, et quibuscunque poſſet ſaeuitiae generibus viris doctis fuiſſe grauiſſimum vereque intolerabilem, et, quod ille addit, *eruditionum ſcholas et piam eruditionem a Conſtantino Magno hucusque conſeruatam extinxiſſe.* Quantam itaque iacturam tunc philoſophia fecerit, facile ex his intelligitur [s].

§. V.

m) Vid. BARONIVS ad Ann. XXXI. n. 75. CASAVB. Exerc. Antibaron. XIII. n. 33. p. 305.
n) Conf. FABRICIVS loc. cit.
o) Ann. T. III. p. 123.
p) Diſcuſſ. Peripatet. T. I. Lib. I. p. 143.
q) Antiq. Acad. Diſſ. I. p. 29.
r) Lib. XXI. c. 19.
s) Ommiadarum vero familiam, quibuscunque

§. V. Rediit tamen lux quaedam, vt literis reliquis ita philoſophiae, ſeculo nono medio Michaële et Barda imperantibus. Hic enim cum literas omnes extinctas iacere videret, intelligeretque, quanta inde damna reipúblicae accerſerentur, quae ſub ignorantiae et barbariei iugo gemebat, valde autem Chalifarum Saracenicorum exemplis excitaretur, de reſuſcitandis literis reuocandaque philoſophia ſerio cogitauit, et pro temporum iſtorum conditione perfecit. Teſtem iterum damus ZONARAM [t], qui haec de Barda habet: *Nihil autem fecit, niſi quod eruditionis prouehendae magnum ſtudium habuit: nam philoſophia neglecta iacebat, ac prope omnino extincta erat, vt ne ſcintilla quidem eius ſupereſſet: in cauſſa fuerat imperatorum inſcitia. Sed hic cuiuis diſciplinae ſcholas conſtituit, et doctores deſignauit et ſingulis publica ſtipendia decreuit. - - Et Leonem cum otium agentem inueniſſet, ceteris magiſtris praepoſuit. Itaque effecit, vt literae refloreſcerent, exiguoque tempore incrementa caperent. Idem etiam leges ciuiles, quarum cognitio iam pene omnino obſoleuerat, reuocauit.* Vbi non contemnenda videtur coniectura CONRINGII [u], ſuſpicantis, *illud omne beneficium Photii conſiliis deberi; hunc enim fuiſſe ab eruditione quam optime inſtructum * eundemque gratia atque auctoritate apud Bardam valuiſſe.* Et haec quidem ſeculo nono contigerunt. Maior autem lux affulſit ſeculo decimo, quo reſtituiſſe philoſophiae honorem Conſtantinum Porphyrogennetam auctor eſt anonymus, cui *geoponicas eclogas Conſtantini* debemus. Is enim imperatorem in praefatione ita alloquitur: *Primum philoſophiam et rhetoricam iam deperditas et ad immenſam obliuionis profunditatem demerſas mirabili artificio et prudentia retraxiſti, robuſta dextera tua illis exporrecta. Deinde vero etiam alias omnes ſcientias ac artes renouauiſti.* Quod ne a laudatore dictum videatur, ecce ipſa quoque ZONARAE [y] verba: ἐπιμελέϑη δὲ καὶ τῆς φιλοσοφίας αὐτῆς, ἐπιτελησμένης ἤδη σχεδὸν, ἀλλαὶ μεν τοι καὶ τῶν ἐπιστημῶν διδασκάλους, ἐπιστήσας καὶ ἀναζωπυρήσας ἐκλειπούσας αὐτάς, *Curam etiam ad ipſam philoſophiam conuertit, quae iam fere interciderat, et ſcientiarum doctores conſtituit, vt deficientes eas iterum accenderet.* Idem CEDRENVS habet: *Scientias arithmeticam, muſicam aſtrononiam, geometriam, et omnium principem philoſophiam, quae iam longo tempore ob incuriam et inſcitiam imperatorum perierant ſua induſtria inſtaurauit, conquiſitis qui in quouis genere excellerent ac conſtitutis doctoribus, et diligentibus receptis ac conductis. Quo factum eſt, vt exiguo temporis decurſu barbarie profligata vrbs denuo literis floruerit.* Ab hoc

Philoſophia ex parte reſtituta a Barda.

Sec. X. philoſophia inter Graecos promota.

que poſſent, locis expugnatis literas exſtinxiſſe, in hiſtoria Saracenica iam probauimus, et Alexandria capta exemplum eſt. Quod non potuit non barbariem ingruentem vehementer alere et augere.

t) Tom. III. pag. 129.
u) Antiqq. Acad. Suppl. XXIV. pag. 258.
x) Dicemus de eo paulo infra.
y) loc. cit.

hoc itaque tempore vsque ad captam vrbem philosophiae ibi honor habitus est. Quam tamen caue cum pristinorum temporum elegantia compares [z].

Michaël Psellus senior.

§. VI. Inter primos, qui ingruente barbarie fugientibus Musis manus iniecere, et inualescenti ignorantiae se obiecere, fuit MICHAEL PSELLVS, cum iuniore huius nominis, de quo infra dicemus, non confundendus. Is in Antro insula versatus, cum vbique tenebras oboriri literis videret, humanitatis et philosophiae studia, quantumpote excoluit, tantoque studio Alexandrinae quoque theologiae pernoscendae se tradidit, vt gentilismi suspectus fieret, et imprimis Constantinus discipulus eius atroci accusatione ei obiiceret, repudiata eum Christianorum fide Graecorum τελεταὶς amplexum fuisse, Deos gentilium exosculatum. Cuius accusationis colorem sine dubio a philosophia et theologia Alexandrina, quam curiose perquisiuerat Michaël, accepit. Cui calumniae occurrendum ratus, et prolixo carmine, ad quod prouocat LEO ALLATIVS [a], se defendit, et vt omnibus constaret, se Christianum esse, Photio patriarchae, post Ignatii restitutionem intimioribus Christianae doctrinae mysteriis imbuendum se tradidit, quamuis aetate iam prouectiori esset. Ita maturus annis et eruditione ad scribendum se accinxit, hodieque multa Psselli supersunt opuscula, quae tamen pleraque iuniori Psello tribui solent: inuito ALLATIO [b], monente: *Cum scripta omnia, quae Psellum patrem indigitent, nec tractandi ratione, nec inueniendi acumine, nec dicendi forma, nec figurarum coloribus conueniant, sed alia incomtam illam et Graecam philosophiam, non barbaram scilicet, sed virilem, et quae suo splendore nitescat, prae se ferant, alia cum Musis ludant, et Gratiis et verborum floscvlis, et comto periodorum instructu hilariter subsiliant, diuersos sibi parentes pro ingenii diuersitate reposcere.* Contenditque hoc stili et scribendi charactere ductus, praecipue ad seniorem Psellum referenda esse, quae Aristotelis libros plerosque per modum paraphrasis non ineleganter exponunt. Semperque addit, se de dialogo illo, in quo *Operationes daemonum* asseruntur, deque eius auctore subdubitasse, ductum consideratione stili floridioris, rerumque extra Peripateticorum scholas Platonis et Zoroastris sententiis affinium, et magicorum illorum nugamentorum, quae Psselli et Leonis discipuli colloquia mire referant. Quam coniecturam incertam quidem esse, at verisimilitudine tamen non destitui omnino fatendum est. Vt enim alias, quas affert Allatius, suspiciones omittamus, longe propius ad verisimilitudinem accedit, seculo nono, quo spirabant adhuc monumenta philosophiae Alexandrinae, et Orientalis, quorum vestigiis plenus est iste dialogus, virum ob horum dogmatum cognitionem atque studium in suspicionem vehementer adductum, talem libel-

z) Conf. CONRING. l. c. p. 261. a) De Psellis pag. 8. b) loc. cit.

libellum conſcripſiſſe, quam ſeculo vndecimo hominem totum Peripateticum talia edidiſſe. Sed nihil tamen ea de re definiri pro certo poteſt, cum et iunior Pſellus Alexandrinae theologiae notitia non caruiſſe videatur.

§. VII. Pſelli huius diſcipulus fuit LEO, ob ſingularem peritiam in ſcientiis philoſophicis, PHILOSOPHVS cognominatus. Valde confuſa eſt apud plerosque ſcriptores eius memoria, quia eum plerique cum Leone ſapiente, imperatore, de quo poſtea dicemus, confundunt. Noſter teſte IOANNE SCYLIZA, cuius verba adduxit LEO ALLATIVS [c], *literis et poëtis vt ipſe ferebat, initiatus fuit Byzantii, Rhetoricam, philoſophiam, arithmeticam et reliquas ſcientias in Antro inſula didicit, ibi verſatus cum Michaële Pſello, praeſtante viro, ab eoque principiis tantum et quibusdam praeceptis, occaſionibus diſcendi inſtructus, neque tantum, quantum deſiderabat, adeptus monaſteria peruagatus eſt, librosque in iis repoſitos perquirens atque ſcrutans, ſtudioſe meditans ad tantae doctrinae faſtigium emerſit.* Id famae culmen iam ſub Theophilo imperatore conſcendiſſe, narrat ZONARAS [d], ea occaſione, quam nos ſupra iam in hiſtoria philoſophiae Saracenicae retuliſſe recordamur. Nempe Leonem philoſophum cum multos haberet diſcipulos, diligenter et accurate eos in philoſophia et mathematicis ſcientiis erudiuiſſe; ex his captum vnum a Saracenis, dum conſeſſui philoſophorum et mathematicorum in aula Chalifae intereſt, problema aliquod, Saracenis philoſophis imperuium ſoluiſſe, et interrogatum a principe, ſe id Byzantii a Leone didiciſſe affirmauiſſe, magiſtro plurium diſcipulorum, *viro ἐν τοῖς τῆς φιλοσοφίας λόγοις πάντι ἀπαραμύλλω*, quae verba ſunt hiſtorici, *in philoſophicis rationibus incomparabili.* Hunc Agarenorum principem ad Leonem miſiſſe cum literis, quibus illum, vt ad ſe ipſum veniret, inuitauerit. Leonem autem veritum, ne in crimen veniret, ſi ab hoſte literas accepiſſet, epiſtolam Dromi Logothetae tradidiſſe, ſicque Theophilo innotuiſſe, qui tantum virum beneficiis affectum publice docere iuſſerit. Addit his ZONARAS: Eum Theophilo mortuo ob honorem imaginibus ſacris non delatum ea dignitate iterum priuatum eſſe; Bardam autem, cum otium eum agere inueniſſet, ceteris magiſtris praefeciſſe, ſicque effeciſſe, vt hoc Leone auctore literae refloreſcerent. Eadem tradit IOANNES SCYLIZA CVROPALATES [e] his verbis: *Philoſophiae igitur dux et magiſter erat Leo ille magnus philoſophus, ex fratre nepos Ioannis patriarchae, qui etiam Theſſalonices thronum conſecutus eſt, et paulo ante eiectis iconomachis, ipſe quoque eiectus fuerat: et ſcholas aperiens, ad hanc ſcholam perductus fuerat, ac prius ille a Theophilo imperatore* *Leo philoſophus.*

c) l. c. p. 5. Eundem locum adduxit etiam MARTIN. HANCKIVS de Byzantin. rerum ſcriptoribus P. I. cap. 26. §. 3. pag. 479.

d) Tom. III. pag. 129.

e) In Chronico. conf. HANCK. l. c.

cognitus eſt hac ratione, cum omnes diſciplinas ille ita feliciter eſſet adeptus, vt nullus alius, vel vnam tantum, in vili quodam domicilio degens, quicunque vellent, quam quisque inſtituiſſet, edocebat. Ex his patet, huic praecipue magiſtro illam literarum et philoſophiae παλιγγενεσίαν deberi, quam ſeculum nonum expertum eſt. Scripta de eo non ſuperſunt, niſi cum COMBEFISIO[f] et FABRICIO[g] *Oracula* illa, ſiue vaticinia Leoni imperatori tribui ſolita ad hunc Leonem referre malis, quem aſtrologiae peritiſſimum fuiſſe conſtat.

Photius. §. VIII. Omnium tamen maxime refloreſcentium literarum et philoſophiae ſtudia promouiſſe cenſendus eſt PHOTIVS, patriarcha Conſtantinopolitanus, et nomine et re illuſtris. Non narrabimus memorabilem vitae eius ſcenam, qua bis ſede patriarchali a Baſilio Macedone, et a Leone motus eſt, quaeque totam fere Orientalem Eccleſiam commouit: hoc enim ad annales eccleſiaſticos pertinet, qui magni viri fata et viciſſitudines fuſe enarrare ſolent. Pleraque vero, quae ad vitae eius hiſtoriam pertinent, diligenter congeſſit MARTINVS HANCKIVS[h], qui videndus. Nobis inter reſtauratores eruditionis et philoſophiae praecipue Photius hoc loco numerandus eſt, eo quod et ipſe elegantiſſimam doctrinae omnimodae copiam poſſidebat, et auctoritate ſua apud principes rem literariam plurimum promouebat. Et illius quidem teſtimonium hoc affert NICETAS, in *Vita Ignatii patriarchae*[i]: *Grammaticae literaturae et carminis pangendi, dicendique laude, quin et philoſophiae et medicinae et omnium prope diſciplinarum liberalium externarum ſtudio cognitioneque tantopere florebat, vt aeui ſui facile princeps haberetur, immo et cum veteribus certare poſſet.* Cuius ſpecimen hodie adhuc extat Bibliotheca, ſiue Acta iſta Eruditorum, quibus librorum ſibi praelectorum excerpta expoſuit, additisque iudiciis ſuis, quantus in arte critica, inque diſciplinis omnibus eſſet, oſtendit. Non recenſebimus praeſtantiſſimi libri vel laudes vel hiſtoriam vel naeuos etiam aliquos, cum heic nobis otia fecerit doctiſſimi FABRICII[k] diligentia, ſed id modo Lectorem monemus, debere nos Photio multorum librorum philoſophicorum, ex parte deperditorum, notitiam, quae, quam felici ſucceſſu, quamque ſano iudicio philoſophorum ſcripta legerit, et imprimis philoſophicam hiſtoriam excoluerit, in aprico ponit. Leguntur enim compendia librorum SYNESII *de prouidentia*[l], EVSEBII *aduerſus Hieroclem*[m], PHILOSTRATI *de vita Apollonii Tyanaei*[n], Anonymi *de cauſſa vniuerſi contra Platonem et Alcinoum*[o], quem Hippolytum eſſe nonnulli volunt, THEMISTII et LVCIANI *operum*[p], DAMASCII *de admirandis operibus, de daemo-*

f) Biblioth. concionat. Tom. I.
g) Bibl. Graec. Vol. VI. pag. 366.
h) loc. cit. cap. 18. pag. 269. ſeqq.
i) Conf. HANCK. loc. cit. §. 7. pag. 272.
k) Bibl. Graec. Vol. IX. pag. 463. ſeqq.
l) Cod. XXVI.
m) Cod. XXXIV.
n) Cod. XLIV. et CCXLI.
o) Cod. XLVIII.
p) Cod. LXXIV. CXXVIII.

daemonibus et de animarum apparitionibus [q], TIMAEI SOPHISTAE *de vocibus apud Platonem* [r], BOETHII *Lexici Platonici* [s]; DIONYSII AEGEI *Dyctiacorum siue Miscellaneorum physico-mathematicorum* [t], NICOMACHI GERASENI *theologumenorum arithmethicorum* [u], SOTIONIS *de fluminibus* [x], DIONIS. CHRYSOSTOMI *Dissertationum* [y], HIEROCLIS *de fato* [z], PHILOPONI *Refutationis Iamblichi de Imaginibus* [a], DAMASCII *Vitae Isidori* [b], THEOPHRASTI *Scriptorum quorundam* [c] etc. In quibus omnibus recensendis non lectionis tantum copiam prodidit, sed singularem quoque in philosophia omni peritiam. Studiis vero tantis exercitatum mirum non est, ad summae dignitatis munera promotum esse Photium, quibus, vt reipublicae sacrae et ciuili, ita literatae quoque, vtilissimam praestare operam potuit. Ante ecclesiasticas dignitates enim Protospatharii et Protosecretarii munus gessit, Senatorque Constantinopoli electus est: tum, depositio Bardae consilio Ignatio, Patriarcha Constantinopolitanus constitutus est, iure an iniuria? nostrum hoc loco non est definire. Id certum, digniorem haud vidisse sedem patriarchalem, licet onus inuitus et coactus suscepisset. Quae res miros illi totique Ecclesiae Graecae motus excitauit, quibus tamen non obstantibus literas quo pacto posset, promouit. Cumque diuerso Basilii studio iterum patriarchatu deiiceretur, inter grauissimas persecutiones, quas perpetiebatur, hanc retulit, quod studiorum consolatio, detractis libris ei surriperetur. Scribit enim inter alia ad imperatorem Basilium [d]. *At nos etiam libris priuamur, et hoc certe nouum et paradoxum, recens in me excogitatum consilium:* et ad episcopos [e]. *Quid enim aliud dicendum restat, cum nec hominum aliquem librum liceat intueri, nec cum libris commercium habere, praesertim iis, qui maximum solamen et principale legentibus possunt suppeditare.* Reconciliatus autem imperatori, et in aulam atque palatium regium euocatus Leonem atque Constantinum ceterosque Basilii filios in humanitatis et philosophiae studiis ea dexteritate erudiuit, vt Leoni σοφῷ nomen postea haereret, vt deinceps dicemus. Immo ob perspectam eius sapientiam et eruditionem Basilium Photium fatis concedente Ignatio sedi patriarchali restituisse, ipsi scriptores Byzantinae historiae fatentur [f]. Nec alio solamine, altera vice sub Leone exilium passus, miseriarum cumulos leuauit, dignus meliori sorte, quam ei inuidia clericorum, et aulae fraudes, Romanorumque ambitio vehementer perturbauere.

§. IX. Ex Photii disciplina, vti dictum, prodiit LEO VI. imperator, Basilii Macedonis filius, qui a tanto magistro humanitatis et philosophiae *Leo sapiens imperator.*

q) Cod. CXXX.
r) Cod. CLI.
s) Cod. CLIV.
t) Cod. CLXXXV. CCXL
u) Cod. CLXXXVII.
x) Cod. CLXXXIX.
y) Cod. CCIX.
z) Cod. CCXIV. CCLI.
a) Cod. CCXV.
b) Cod. CCXLII.
c) Cod. CCLXXVIII.
d) Ep. 97.
e) Ep. 174.
f) Vid. HANCK. loc. cit. pag. 360.

ſophiae praecepta accepit, imperioque praefuit ab anno DCCCLXXXIX. ad IↃCCCCXI. de cuius vita factisque annalium ciuilium et eccleſiaſticorum, conditores, et ex his MARTINVS HANCKIVS *g* videndi. Hunc ad tantam eruditionis philoſophicae perfectionem peruenisſe veteres vnanimi conſenſu referunt, vt inter literatiſſimos aeui ſui viros referretur. Hinc non σοφὸς tantum nomen ei tributum, ſed et philoſophi, fruſtra id negante ALLATIO *h*. ZONARAS *i* enim huius Leonis acta enarraturus hunc narrationi ſuae praefixit titulum: *Βασιλεία Λεόντος φιλοσόφου, imperium Leonis philoſophi.* Isque de ſtudiis eius inter alia teſtatur *k*: *Fuiſſe doctrinarum omnis generis amatorem, et arcanae quoque illius, quae per incantationes futura diuinat, verſatum etiam in doctrina de motibus ſiderum eorumque effectibus.* Poteramus huc quoque referre teſtimonium CONSTANTINI MANASSIS *l*, qui inter alia de Leone:

Ὁ μυριομαθέστατος ἐν βασιλεῦσι Λέων
Infinitis diſciplinis excultus inter imperatores Leo.

Et paulo poſt:

Ὁ δὲ φιλοσοφώτατος ἐν βασιλεῦσι Λέων
Maximus philoſophus inter imperatores Leo.

Sed obſtat temporum ſeries, quo minus de imperatore Leone intelligi poſſit, probatque Allatii obſeruationem, monentis, in ſuo codice pro ἐν βασιλεῦσι legi ἐν φιλοσόφοις adeoque haec de Leone philoſopho Pſelli diſcipulo eſſe intelligenda. Ad hunc imperatorem plerique *oracula* illa *XV de futuris imperatoribus, patriarchis rebusque CPolitanis* referunt, quae multoties edita, tandem PETRI LAMBECII quoque cura lucem viderunt *m*, quae tamen ante Leonis ſapientis aetatem diu iam iactata fuiſſe in aula Byzantina viris doctis *n* obſeruatum eſt. Vnde, quod ſupra iam monuimus, maluit FRANC. COMBEFISIVS *o* ad Leonem philoſophum ea referre, quem in aſtrologiae iudiciariae et apoteleſmaticae facultate imperatori praeſtitiſſe putat. Quae tamen mera coniectura eſt, licet non omni probabilitate deſtituta. Cui ſi aliam adiicere licet, veriſimile nobis videtur, eiusmodi oracula iam diu inter libros imperatorios in bibliotheca Palatina latuiſſe, Leonem vero imperatorem, quem propenſiſſimum ſtudioſiſſimumque harum nugarum amatorem fuiſſe Zonaras teſtatur, protracta eiusmodi oracula ex puluere et ſqualore forulorum vulgaſſe, hincque nomen illis a Leone haeſiſſe. Cuius coniecturae fundamentum ſuggerit continuator THEOPHANIS,

g) loc. cit. cap. 23. pag. 412. ſeqq.
h) De Pſellis §. 5. pag. 5.
i) Tom. III. pag. 141.
k) loc. cit. pag. 143.
l) Ann. v. 5237. 5365.
m) Vid. FABRICIVS bibl. Graec. Vol. VI. pag. 364.
n) Ibid.
o) loc. cit.

NIS [p], demonstrans, illius mortem, qui LXX annis ante Leonem sapientem occisus est, oraculo eiusmodi fuisse praesignificatam. Scribit autem: *Oraculum vero Sibyllinum erat in quodam libro Palatinae bibliothecae repositum, quo non sola nuda oracula, verum etiam eorum, qui imperio potituri essent, figurae formaeque coloribus expressae continebantur.* Verum haec ὡς ἐν παρέδῳ. Ex hoc vero Leonis in astrologiam iudiciariam studio patet, sapientis nomen eum non sensu stricto et philosophico meruisse; sed aut adulationis titulum fuisse, aut propter literaturae atque philosophiae peritiam, ceterorum imperatorum imperitiae et ignorantiae oppositam, aut propter studium in clerum deuotionemque, quam morum placidissimorum encomio scriptores Byzantini extollunt [q], datum fuisse, adeoque purpuratum hunc philosophum in throno magis imperii, quam in cathedra philosophica locum meruisse. Qualis vero eius eruditio fuerit, ex reliquis eius scriptis iudicandum est, quae recenset FABRICIVS [r].

§. X. His praecipue auctoribus atque promotoribus philosophiae studium cum reliqua literatura caput iterum efferre coepit, prodierunt-que ex schola Leonis philosophi complures viri docti, quorum memoriam interire non patitur philosophica historia. Inter hos memorandus nobis est NICETAS DAVID, Paphlago, *vita Ignatii CP. patriarchae* notus, quo titulo inter scriptores rerum Byzantinarum locum aliquem habet [s]. Is ob philosophiae peritiam philosophi nomen accepit, quod et NICEPHORVS [t] ei tribuit, et codices manuscripti, ad quos prouocant LEO ALLATIVS [u] et CASIMIRVS OVDINVS [x]. Nihil tamen quod ad philosophiam spectet, hodie superest; Dauidem enim, qui Graece scripsit, *quaestiones in philosophia et commentarios in Aristotelis categorias et quinque voces Porphyrii*, quos msc. memorat Gesnerus, ad eum non pertinere monuit κριτικώτατος FABRICIVS [y], ideo KOENIGIVM [z] notans, qui ad eum libellos istos retulerat. Is exeunte seculo nono adhuc vixit. Serius nomen in philosophia sibi fecit MICHAEL EPHESIVS, quod nomen inter interpretes Aristotelis Graecos celebratur, variisque in eius scripta commentariis praefigitur, quos recensuit FABRICIVS [a]. Quis autem fuerit, certo non constat. Sunt qui Michaëlem Ephesium cum Michaële Psello eundem esse coniecerunt: at hos frustra esse fallique turpiter, recte obseruauit LEO ALLATIVS [b], quamuis enim vterque in Aristotelem commentatus sit, in modo tamen ac methodo exponendi Aristotelem valde differunt: et Psellus quidem conti-

Nicetas David.

Michaël Ephesius.

p) Lib. I. in vita Leonis Armenii cap. 22.
q) Vid HANCK. loc. cit. Latini pios hoc seculo dixere.
r) loc. cit. pag 367. Temporis barbariem ex stilo cognoscere licet.
s) HANCK. de Byzantin. rer. script. P. I. cap. 16. pag. 258. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. VI. p. 431. CAVE Hist. lit. S. E. p. 473.
t) Lib. XIV. cap. 28. conf. ALLATIVS de Psellis §. 13. pag. 9.
u) loc. cit. et de Simonibus pag. 10.
x) De S. E. Tom. II. pag. 215.
y) loc. cit. z) Biblioth. p. 237.
a) Bibl. Graec. Vol. II. pag. 116. 130. 134. 135. 152. IX. pag. 365.
b) De Psellis §. 32. pag. 22.

continua textus paraphraſi ſententiam aperit, Epheſius non niſi difficilioribus operam dat, clara apertaque, vti cuique obuia, negligit. Aliud itaque ſuſpicatus Allatius, cum obſeruaſſet, ſenſuum ac enarrationum ſimilitudinem hos duos auctores vnum ab alio adiutum fuiſſe, ſatis indicare, vel vtrumque ab alio et ex vno fonte vtriusque monumenta corriuari: ſe vero non habere, dixiſſet, a quo Pſellus ſua hauſerit, coniecit, Epheſium ex Pſelli ſiue ore ſiue monumentis ea habuiſſe, eſſeque hunc Michaëlem Ducam Parapinaceum dictum, Pſelli diſcipulum. Hunc enim dum ſummam imperii teneret, a Pſello edoctum, illo amiſſo in Epheſum delatum illius Eccleſiae antiſtitem conſecratum eſſe. Sed haec veriſimiliora prioribus non ſunt, immo ſibi contradicunt. Cum enim Allatius ipſe contra Geſnerum moneat, vtriusque ſcriptoris diuerſum prorſus genium, modum methodumque eſſe, inde ſane argumentum peti nequit, vel ex eodem vtrumque fonte hauſiſſe, vel vnum ab altero didiciſſe. Vt taceamus, ſolum nomen, locum, et diſciplinam Pſelli non ſufficere, vt inde pro Michaële Duca concludatur, cum Epheſi multi potuerint eſſe ſcriptores Michaëlis nomine inſigniti. Nec probabile eſt, Michaëlem Ducam, dum imperio praeeſſet, a Pſello informatum tantam Peripateticae philoſophiae cognitionem ſibi acquiſiuiſſe, quanta in his commentariis deprehenditur. Merito itaque coniecturam hanc auctori ſuo, vt ipſe vult, remittimus: parum referre putantes, quis ille fuerit, cum ſufficiat legi eius commentarios non contemnendos.

Magentinus. §. XI. Incerta quoque aetas eſt MAGENTINI, metropolitae Mytilenenſis, cuius inter exegetas Ariſtotelis haud obſcurum nomen eſt. Poſt Philoponum vixiſſe, ex eo patet, quod ad eum prouocat [c], adeoque errarunt, quos KOENIGIVS [d] ait, Magentinum ſeculo ſexto addixiſſe. Sed et longe ſerius eum vixiſſe ex eo colligi poteſt, quod Proclum et Marinum inter interpretes Ariſtotelis veteres refert [e]. Leonis ei nomen praefixit LABBEVS [f], et poſt hunc LAMBECIVS [g], quod tamen codices mſc. ignorant. Collegit is ex Ammonio, quem valde extollit, *Exegeſin in Ariſtotelem de Interpretatione*, itemque *Commentarium in priorum Ariſtotelicis Analyticorum libros*, de quibus videndus FABRICIVS [h]. In his operam quidem dedit, vt Peripateticos γνησίους ſequeretur, vnde ſaepius ad Alexandrum Aphrodiſaeum, ἐξηγητοῦ nomine, prouocat [i]. Legiſſe tamen eum Platonicos quoque, inde colligitur, quod non ſolum ad Iamblichum reſpexerit, ſed et de Pythagoricis numeris eorumque ſignificatione differuerit [k]. Certis aetas eſt EVSTRATII metropolitae Nicaeni, ille enim imperante Alexio Comneno vixit, ineunte ſeculo duodecimo. Magnificum eſt, quod ei ab ANNA COMNENA [l], imperatoris filia tribuitur elogium; ei enim vocatur

Euſtratius.

c) pag. 24. d) In Biblioth. p. 493. b) Bibl. Graec. Vol. VI. p. 383.
e) pag. 31. i) pag. 4. et alibi.
f) In conſpectu interpp. Platonis et Ariſtot. k) pag. 7. et 38.
g) De B. V. Lib. VII. eod. 29. 92. l) Alexiad. pag. 453.

vocatur ἀνὴρ τὰτε θεῖα σοφὸς, καὶ τὰ θύραθεν αὐτῶν ἐπὶ ταῖς διαλέξεσι μᾶλλον, ἢ εἰ περὶ τὴν σφαν καὶ ἀκαδημίαν ἐνδιατρίβοντες, *Vir in rebus diuinis externisque apprime eruditus, in Disputationibus maiorem sibi locum vindicans, quam Stoici atque Academici.* Scripsit is cum aduersus Latinos, praecipue Chrysolanum Mediolanensem, quae huius loci non sunt, partim in Aristotelem, cuius *Libros Dialecticos et morales* commentariis explanauit. Eorum recensionem dant FABRICIVS[m] et OVDINVS[n]. Sed et ex hoc seculo MICHAEL ANCHIALVS, Patriarcha Constantinopolitanus, huc referendus est, quem summum philosophum vocat THEODOR. BALSAMON[*]. *Michaël Anchialus.*

§. XII. Seculo XIII. medio aliquod in philosophia nomen sibi comparauit NICEPHORVS BLEMMIDES, presbyter et monachus monasterii in Emathiis, qui vitam asceticam cum philosophia seueriorem coniunxit. Is cum Theodori Lascaris praeceptor ob singularem eruditionem esset delectus, ab eo imperio potito patriarcha Constantinopolitanus designatus est, Nicephorus autem constanter recusauit. Laudat eum NICEPHORVS GREGORAS[o], testatus, *multis eum virtutibus fuisse insignem, et sapientia varia instructum, tum ea, quae apud gentes in pretio est, tum ea, quam Ecclesiae antistites et oratores in nostram vtilitatem prodiderunt.* In vtraque etiam arena se non ignobilem scriptorem praestitit. Vt taceamus enim, quae de argumento theologico scripsit, alibi enarranda[p], maxime *Epitome Logica et Physica* secundum mentem Aristotelis conscripta in vsum Ioannis Ducae inclaruit. Vtramque epitomen non Graece tantum, sed Latine quoque edidit THOMAS WEGELINVS, Augustanus vir Graece doctissimus[q]. *Nicephorus Blemmides.*

§. XIII. Seculo XIII. floruit GEORGIVS PACHYMERES origine Constantinopolitanus, patria Nicaenus: qui ingenium a natura nactus elegans scientiisque aptissimum, id optimarum disciplinarum studio ita *Georgius Pachymeres.*

m) Bibl. Graec. Vol. II. p. 151.

n) De S. E. T. II. p. 921.

*) Praef. ad Nomocan. Photii in IVSTELLI Biblioth. Iuris Can. Vet. T. II. p. 814. Plura de eo videnda apud OVDINVM de S. E. T. II. p. 1532.

o) Lib. III. p. 25.

p) CAVE Hist. Lit. S. E. p. 635. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VI. p. 635.

q) Aug. Vindel. 1606. secuta est versio anno sequente. Rarissima est illa versio, et magno librorum helluoni Fabricio non visa, qui ideo loc. cit. p. 342. Caueum reprehendit, asserentem, illam prodiisse, quam inter reculas nostras praesentem intuemur. Monet in Dedicatione, hanc physicam iam editam esse inter Opera Damasceni a IACOBO BILLIO Par. 1577. 1603. eam vero hoc Blemmidae physicum compendium non integrum referre, sed 17. tantum capita. Absoluta quoque hac versione se incidisse in GEORGII VALLAE Opera, et inter ea physiologiam eius deprehendisse, totam ad verbum ex Blemmida, suppresso tamen eius nomine, transcriptam, additis tantum capitibus duobus de cometis et de coelo. Valde vero eum a sensu verborum Graecorum aberrauisse, et ita obscure vertisse, vt Graeci sermonis peritus facilius Graece legere possit. Adiecit autem, Wegelinus in margine loca Platonis et Aristotelis, ad quae Nicephorus passim respexit. Cererum hic Wegelinus cum Voegelino Augustano, Viennam postea translato, confundendus non est, quod quibusdam ipsique Fabricio accidit. Hoc enim ille integro seculo iunior est.

ita exercuit, vt inter celeberrimos Graeciae viros ea aetate numeraretur. Quo animo is ad philosophiam accesserit, iuuat ipsum audire narrantem [r]: *Ab eo tempore, quo philosophiae studiis vacans, atque eius consideratione in sublime arreptus, quasi ex alta quadam specula vitam hominum contemplatus sum, ac me ipsum quidem eiusmodi assiduo negotio occupatum, quod veram iucunditatem atque felicitatem allaturum videbatur, fortunatum esse duxi: reliquos autem secus agentes, eo quod talem viam admiratione plenam attingere, et ad haec exsuperantia mentis oblectamenta peruenire, vel alio modo contemplatione sua in altum euolare minime potuerit, vt inde quadam ad Deum eleuatione hac materia puriores ac meliores effecti ad diuinorum amorem pertraherentur, eos, inquam, in vanis atque subtilibus studiis operam consumentes, vt par est, plane infelices atque miseros esse existimaui.* His itaque eruditionis praesidiis munitus valde vbique commendatus et ad insignes honores Ecclesiasticos et palatinos promotus est, de quibus eius fatis scriptores historiae Byzantinae, inter quos ipse nomen tuetur, videndi sunt [s]. Haud infeliciter is philosophiae Peripateticae se tradidit, in quam diuersis libris commentatus est, ex quibus hodie supersunt *Epitome in philosophiam Aristotelis*, et *Compendium logicae Aristotelicae*, ab EDVARDO BERNARDO [t] editum. Plura in bibliothecis latent, enarrata a LEONE ALLATIO [u] et IO. ALB. FABRICIO [x].

Theodorus Metochita.

§. XIV. Insequente seculo XIV ineunte sub Andronico Palaeologo seniore vixit THEODORVS METOCHITA, splendido logothetae magni munere functus, postea vero sub Andronico iuniore dignitate imminutus et exul, redux tandem in monasterium Chorae, quod ipse instaurauit Constantinopoli seceſſit, ibique literis et pietati vsque ad mortem vacauit. Quanta eius inter summa aulae negotia in philosophia et literis peritia fuerit, discipulus eius NICEPHORVS GREGORAS [y], passim indicauit. Ita enim eum describit: *Facundia naturali et tolerantia laborum et memoriae praestantia summum omnis eruditionis fastigium conscenderat. Si quid ex eo siue nouum siue antiquum quaereres, ita recensebat, quasi ex libro recitaret. Quare in eius colloquiis parum aut nihil opus erat libris; erat enim viua bibliotheca, et eorum, quae scire velles, oraculum. Tanto interuallo omnes eos superabat, qui vnquam in studiis versati sunt. Veruntamen in eo reprehendi queat, quod ad nullius veteris oratoris imitationem stilum conformauit, neque grauitatem sententiarum suauitate dictionis condire voluit, neque ingenii vbertatem moderatus est, sed suo quodam genere et genio delectatus, aures offendit, et veluti pungit,*

r) Praef. ad Comp. Philos. Aristot.

s) HANCKIVS de Byzant. Rer. Script. P. I. c. 34. p. 566. seqq.

t) Oxon. 1666. 8.

u) De Georgiis §. 47. seqq. p. 704. seq.

x) Bibl. Graec. Vol. VI. p. 466.

y) Lib. VII. p. 124.

pungit, vt rosas carpentium spinae digitos. Qua vero eloquentia fuerit, e plurimis et vtilissimis eius libris aestimare licet. Iam quod cum primis in eo mireris, cum tanta moles negotiorum et curarum illi incumberet, nihil vnquam fuit, quod eum a lectione et scriptione, reuocaret, sed ea dexteritate in vtrisque versabatur, vt a mane vsque ad vesperam in palatio rempublicam administraret, tanta diligentia tantoque studio, quasi a literis prorsus alienus esset. Sero inde abiens adeo totus in literis erat, quasi scholasticus esset, neque cum republica negotii quicquam haberet. Alio vero loco [z] eum *in sterilitate ingeniorum solum omnium expressam naturae imaginem et optime informatam eam aetatem, lunae inter stellas similem ait*, eumque rogat, *vt patriae impertiat ornamenta sua, sicut Lycurgi et Solones, honorem habeat celebri huic vrbi, quemadmodum olim Athenis Socrates et Platones; vt aperiat mentis palpebras hominibus, et euidentius demonstret, quis sit omnium moderator, et qualis eorum aptissima compages, quo caussae conferendae sint nobis tanti boni, numquid ad necessitatem astrorum, vt tradunt profani auctores, aut ad vniuersitatis auctorem.* Quo quoque loco valde memorabili eum ad communicanda philosophiae praecepta multis rationibus excitat, ex quibus patet, quanta eo tempore fuerit de eruditione eius philosophica opinio. Vbi inter alia et aures quasi ei vellicat, monens, *philosophiam saepe migrauisse, nec diuturnam vno loco haerere, et ab Athenienſibus tandem auolasse, et nunc velut auiculam nido exturbatam longo iam tempore incertis sedibus vagari et oberrare: fierique autem posse ait aut apud ipsos Constantinopolitanos finitis erroribus, si ei ita visum fuerit, domicilium constituat, aut plane in coelos abeat.* Alia quoque habet hoc loco, quo se in logothetae familiaritatem peruenisse narrat, ex quibus status philosophiae eo tempore intelligi potest. Plura dixit in funebri eius laudatione * hic, ne nimii simus, non exscribenda, in quibus potissimum in laudes eruditionis eius philosophicae excurrit. Addimus modo, quod illi struxit epitaphium,

Magno hominum decori, cuius sapientia nuper
Certe erat huncce leuis iam lapis ecce tegit.
Musarum venerande cohors, complangite cunctae
Ille vir interiit; Pansophia ipsa iacet.

Nec ista solus Nicephorus, grato in praeceptorem testatur animo: audit etiam THOMAE MAGISTRO [a]: Μεσῶν ἐλικῶν λόγον ἔξιε, φιλοσοφίας τέμενος ἐητορικῆς ἕδρελος, καὶ συμπάσης ἄλλης λογικῆς ἐπιστήμης, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, πρόταυλεῖον, *Helicon Musarum, Vesta politiorum literarum, philosophiae templum, artis oratoriae columen, et ceterae*

z) Lib. VIII. p. 246.
*) Lib. X. p. 215.
a) In Epist. ad Theod. apud FABRIC. Biblioth. Graec. Vol. IX. p. 215.

terae liberalis doctrinae vniuerſae, vt verbo dicam, publicum prytaneum. Non has ſolius adulationis voces fuiſſe ſcripta viri illuſtriſſimi docent, et inter ea, quae hodie typis expreſſa legitur *Paraphraſis in Ariſtotelis libros VIII. phyſicorum, libros III. de anima, libros IV. de coelo, etc.* quam tamen Graece editam nondum habemus. Inter mſc. libros autem plura latent, ex quibus patet, reuertenti ignorantiae nocti hunc praecipue ſolem lumina ſua oppoſuiſſe, de quibus, ne nimii ſimus, videndus FABRICIVS [b]. Praecipue inter ea notari merentur *capita philoſophica et hiſtorica miſcellanea CXX.* quae elegantiſſimam pro eorum temporum captu eruditionem ſapere, ipſa eorum inſpectio ſatis ſuperque nos [c] docuit. Sunt inter ea multa quoque, quibus haud contemnenda lux accendi poteſt hiſtoriae philoſophicae. Agit enim cap. III. *de Scriptorum Ariſtotelis obſcuritate*, cap. V. *de Ariſtotelis gloriae ſtudio et de mathematicis.* cap. VII. *de veneratione, qua omnes ſapientes Pythagoram proſecuti ſunt, et de mathematica eius peritia.* cap. VIII. *quod omnibus ſapientibus in more poſitum ironia et facetiis vti, Platoni maxime et Socrati.* cap. IX. *Quod omnes ſapientes ſine verecundia auctoritatem priorum neglexerint, et inter hos etiam Plato et Ariſtoteles.* cap. XI. XII. *De Ariſtotele et laude viri in naturali atque rationali philoſophia.* cap. XIII. *De Platone et mathematica philoſophiae parte et maxime de harmonica.* cap. XIV. *Quod non ab initio ſtatim perfecta fuit mathematica ſcientia,* cap. XVI. *De Philone.* cap. XVIII. *De Syneſio.* cap. XIX. *De Dione.* cap. XX. *De Xenophonte.* cap. XXI. *De libris metaphyſicorum Ariſtotelis et Hermogenis libro, de vi dicendi comparanda.* cap. XXIV. *Quod Plato dialogis ſemper vtitur, propter bellum, quod rhetoricae indixit.* cap. XXV. *Quod Ariſtoteles ſingulare ſtudium impendit rhetoricae, vt Platoni aduerſaretur.* cap. LXXI. *De Plutarcho.* cap. LXXXI. *Quod omnes ferme Graecorum philoſophi a gerenda republica et ciuilibus negotiis abſtinuerunt* Sed et reliqua capita, quorum titulos exhibent LAMBECIVS [d] et FABRICIVS [e], egregia multa ſpondent, et non contemnenda philoſophiae Graecae infimae aetatis ſpecimina promittunt. Vnde cum Fabricio optamus, vt editorem inueniant, cui certe non deerit codicis Auguſtani copia, cum illuſtris reipublicae procerum ea ſit in rem literariam voluntas beneuola, vt more maiorum ſuae bibliothecae ornamentis carere non patiantur viros doctos, qui ea expetiuerint. Theodoro ſubiungimus diſcipulum NICEPHORVM GREGORAM, hiſtoria Byzantina clarum, et inter polygraphos Sec. XIV numerandum, de quo videndus HANCKIVS [f], et IO. BOIVINIVS [g]. Inter eius

Nicephorus Gregoras.

b) loc. cit. pag. 218.
c) Extant in Bibliotheca Auguſtana, vid. REISERI Cat. mſc. Bibl. Aug. pag. 74.
d) De Bibl. Vindob. Lib. VII. pag. 149. ſeqq.
e) loc. cit. pag. 217. ſeqq.
f) loc. cit. P. I. pag. 579.
g) In vita eius, praemiſſa nouae editioni hiſtoriae eius Byzantinae.

eius enim ſcripta recenſita a MONTEFALCONIO [b] ſunt quoque nonnulla, quae ad philoſophiam pertinent, quibus tamen nihil ad incrementa philoſophiae attulit. Commentatum autem fuiſſe in SYNESII *librum de inſomniis*, ſupra iam in vita Syneſii diximus.

§. XV. Sunt et alii inter viros doctos huius aetatis, qui philoſophiae non inutilem curam habuere, quos tamen recenſere omnes nec inſtitutum poſcit, nec circumſtantiae ſcriptionis huius patiuntur. Facile vero, quales fuerint, inuenient, qui PATRICII [i] et poſt hunc, qui maiori cura in hoc ſtadio cucurrit, FABRICII lucubrationes euoluent. Hi enim viros eruditos, qui philoſophiae extremis Graeci imperii annis operam nauarunt, tetigerunt tantum non omnes. Inter eos valde commendatur GEORGIVS CYPRIVS, poſtea Gregorius vocatus, ex diacono Eccleſiae Conſtantinopolitanae patriarcha, qui circa finem Sec. XIII inclaruit, de quo videſis LEONEM ALLATIVM [k]. Hunc inſigni facundia elegantes Graecae literaturae numeros et Atticam illam linguam longo iam tempore obliuionis gurgite demerſam ingenii dexteritate ac ſingulari ſtudio in lucem produxiſſe, ac velut ab inferis reuocauiſſe, tradit NICEPHORVS GREGORAS [l], EPHRAEMIO [m] autem audit *Georgius Cyprius.*

Σοφός τις ἀνὴρ Γρηγόριος Κυπρόθεν
Λόγων σοφῶν μαίευμα μουσῶν ἑσία.
Sapiens quidam vir Gregorius ex Cypro,
Sermonum ſapientum alumnus et Muſarum ſacrarium.

Hunc, addit, *a prima aetate patria paternaque domo extorrem eruditionis ac mathematum amore flagrantem ad Conſtantini vrbem ſe recepiſſe; vbi diſciplinis et laboribus delitus in magnum ſcientiae culmen peruenerit.* In vtraque eum philoſophia, Platonis et Ariſtotelis, egregie eum verſatum fuiſſe, teſtis eſt Io. VECCVS [n], qui ei nimium vtriusque ſtudium, eiusque iactantiam exprobrat. Nec alio forte ex fonte laudes hauſit, quas de Dionyſio Areopagita cecinit. Eius ciuis fuit GEORGIVS LAPITHA Barlaamo coaeuus, et Palamae, inter quos ille hunc iudicem conſtituit, ſeculo XIV fere medio [o]. De eo Agathangeli locum affert ALLATIVS [p], ex quo patet, Georgium hunc in maximo honore apud Cypri regulum fuiſſe, tum ob grauitatem morum, tum ob rerum omnium, qua pollebat, ſcientiam, *regem enim ipſum Latinorum philoſophiam apprime calluiſſe, praetereaque multos ex Latinis ſapientes ac doctos penes ſe retinuiſſe, ſed Gregorii doctrina ac conſuetudine ſummopere delectatum fuiſſe. Gregorium autem in vtraque ſapientia et lingua dexterrimum fuiſſe: ideoque libenter* *Georgius Lapitha.*

b) Catalogo ſubiuncto nouae editioni Boiuinii, vnde repetiit FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VI. p. 300. ſqq.
i) Diſcuſſ. Perip. Tom. III. Lib. X. p. 143. ſeqq.
k) De Georgiis §. 73. pag. 805. ſeqq.
l) L. VI. p. 76.
m) In chronico.
n) Orat. I. ad Conſtantin.
o) Vid. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. X. p. 666.
p) De Georgiis §. 34.

benter audiuiſſe ſaepiſſime cum doctoribus Latinis, qui apud eum erant diſſerentem, et demonſtratiuis ſyllogiſmorum iaculis penitiſſime percutientem, ac eos ſuperantem. Et paulo poſt ſcientiam eius aſtronomicam vehementer commendat.

Michaël Pſellus iunior.

§. XVI. Nemo tamen extremis his Graeci imperii temporibus eruditionis et philoſophiae nomine celebriore fama gauiſus eſt, quam MICHAEL PSELLVS iunior, quem eo natura fine produxiſſe videtur, vt vltimas in literis vires, circa imminentem earum inter Graecos interitum demonſtraret. Hunc enim ſupra ſeculi ſui conditionem longe emerſiſſe, fatebuntur, qui docti viri ſcripta vnquam legerunt. Aetatem ex diſcipulo Michaële Duca cognoſcere licet, cuius etiam parentis, Conſtantini Monomachi temporibus vixit, ex quo intelligitur, ſeculum eum vndecimum exornaſſe literis. Huc tamen referre eum voluimus, vt, quid Graecia vltimis his temporibus valuerit, vno exemplo quaſi ἐν ἀνακεφαλαιώσει oſtenderemus. Fuit patria Conſtantinopolitanus, et feliciorem naſcendi habuit originem, quam viuendi conditionem: conſulari enim et patricia proſapia ortus eſt. Filium optimae indolis praeſtantia et velocitate mentis diuina adiutum matrem ardentiſſimis per crebras vigilias continuatis precibus impetrauiſſe tradit ANNA COMNENA [q]. Puer quinquennis praeceptoribus admotus ſupra aetatis conditionem in literas ferri coepit, adeo, vt ludicra, praeter eas omnia ſordeſcerent. Id ipſe teſtatur [r]: *dulcem ſibi facilemque fuiſſe diſciplinam omnem, prae quolibet alio ludo, agere itaque tuliſſe, ſi non magiſter per totum diem delicias illas ſuggereret.* Aetate prouectior Ioannis Chryſoſtomi et Apoſtolorum monitu, qui matri in ſomniis viſi erant, vt ipſe refert [s], literis totus dicatus eſt. Plus tamen in eo erudiendo naturae bonitatem indolisque praeſtantiam, quam praeceptorum diligentiam et inſtitutionem effeciſſe, ex ANNAE [t] narratione conſtat. Dignus locus eſt, qui hic totus adſcribatur, eo quod ſtatum literarium iſtius ſeculi luculenter depingat. Ita vero illa: *Cum vero exinde inclutus ille Georgius Maniaces, imperante Monomacho, tyrannide aſſumta, Siciliam occupaſſet, aegre illinc Itali pater trepida fuga cum filio ſe recepit in Langobardiam Romanis ſubiectam adhuc. Hinc iam neſcio quo caſu quaue fortuna iſte Italus Conſtantinopolin venit, in vrbem eruditionis et artis ratiocinandi nequaquam tum egenam. Quamquam enim inde vsque a principatu Baſilii Porphyrogeniti ad prius memoratum imperium Monomachi melioris doctrinae ſtudium a plerisque neglectum iacuerat, non tamen vt extinctum planeque ſepultum eſſet. Extitit ergo atque emerſit illuſtrius, excitatum ingeniis excellentibus qualia circa tempora imperatoris Alexii magnus prouentus apparuit,*

q) Alexiad. Lib. V.
r) Orat. in funus Xiphilini patriarchae.
s) Orat. in matrem.
t) loc. cit.

apparuit: Ii ſerio veram eruditionem arripuerunt, nugante antehac fere iuuentute otioſisque aucupiis coturnicum aut aliis exprobrabilioribus ludicris aetatem diſcendi per inertem laſciuiam conterente, in ſummo contemtu elegantium literarum atque eruditarum artium. Ceterum quando Italus in vrbem venit, excuſſus hic torpor fuerat, magnusque vigebat in ſtudia liberalia concurſus ingeniorum; cum quibus et ipſe conflictatus, quotidianis concertationibus ſcholaſticorum contentioſorum et agreſti pertinacia cedere neſciorum hominum, cuiusmodi haud pauci tum Conſtantinopoli erant, logicam didicit. Deinde etiam Michaëli Pſello dedit operam, illi late incluto, homini non tam cura magiſtrorum ſapientum, quorum limina non multum triuerat, quam indolis praeſtantia et velocitate mentis diuinitus adiutae in eminentiſſimum ſapientiae atque eruditionis omnis apicem euecto, quippe qui ad Graecorum literas atque artes omnes quas perfecte norat, etiam Chaldaeorum diſciplinas adiunxerat, famamque meruerat doctiſſimi omnium, qui tunc eſſent. Ex quo notabili loco non hoc modo diſcimus, inter renaſcentia philoſophiae ſtudia ſeculo hoc maxime viguiſſe dialecticam, quod et frequentes philoſophorum commentationes in Ariſtotelis libros dialecticos, qui ab eo tempore prodierunt, confirmant, et amor artis diſputandi contra haereticos et ſchiſmaticos popoſcit: ſed et hoc intelligimus, Pſellum inter primos, et fere ſolum et primum fuiſſe, qui pulſis tenebris literarum et philoſophiae lucem reuocauerit, cum prius non magnopere eſſet, a quo eas diſceret, adeoque ſuo Marte in haec ſtudia tam feliciter incubuiſſe, vt renaſcentis eruditionis auctor αὐτοδιδάσκαλος haberi potuerit. Nihil itaque iactantius dixit, vbi de ſe in *funere Xiphilini patriarchae* profeſſus eſt: *Et ego quidem ad artem dicendi et diſciplinas philoſophicas animum applicui et mathematica attigi non ab aliis tradita lumen enim eorum exſtinctum euanuerat. Sed ipſe denuo illud accendens, qui ſimilium deſiderio tenebantur, illis praeluxi.* Ita vero ſuomet ingenio ex optimorum librorum lectione ad philoſophiae et mathematicarum diſciplinarum myſteria perductus iuuentuti Conſtantinopolitanae ſe ducem noui itineris praebuit, ingentemque adoleſcentium numerum ad haec ſacra adduxit, adeo vt communis Graecorum praeceptor haberi poſſet. Ipſe ſane ad Conſtantinum imperatorem *) hoc oſtentat, quem ita alloquitur: *Vides o diuiniſſime imperator, ſacrum hunc vereque philoſophum coetum. Omnes ſunt meae culturae foetus et germina; omnes ex meis laticibus biberunt, et ex meo fonte hauſerunt: et nunc quidem lingua ad artem dicendi promti ſunt et parati, non tantum vt diuidant, argumenta ducant, curioſe elaborent, et variis idearum formis orationem perficiant, ſed et vt emblemata conſtruant.* Praeter philoſophiam, de qua, eodem loco *ſe effeciſſe*, ait, *vt nouo lumine eluceſceret*, Medicinae quoque operam poſuit, tantoque in

*) Orat. II.

in vniuerſum eruditionis campum feruore excurrit, vt fateatur [x], *naturam ſuam cuiuscunque ſtudii auidam nunquam ſcientiis potuiſſe ſaturari, adeo vt prauorum etiam notitiam et abominandorum ſibi comparauerit, vt inde haberet, quod ea vſurpantibus opponeret.* Hac vero eruditionis praeſtantiſſimae copia in aula imperatoris commendatus negotiis publicis adhibitus eſt, et in maximi quoque momenti rebus proficua eius reperta eſt opera. Teſte enim ZONARA cum aliis ad rebelles in concordiam reuocandos legatus miſſus eſt, *τῶν φιλοσόφων ὢν ὕπατος, qui tunc princeps eſſet philoſophorum;* et dux ſenatorum Michaëlem Ducam imperatorem renuntiauit, et quod ſine philoſophia non feliciter imperare poſſe reges cum Platone credebat, hunc imperatorem philoſophiae praeceptis bonisque moribus inſtruxit. Id quod tamen vehementer reprehendit ZONARAS [y], eo quod in his literarum deliciis detentus a Pſello princeps imperii curam cum damno publico neglexerit. Scribit enim: *Homines atterebantur, et aerumnis premebantur, et nemo erat, cui illa curae eſſent. Nam imperator puerilibus rebus occupatus a principe philoſophorum et honoratiſſimo Pſello ad literarum ſtudia deduci videbatur, ac modo in arte grammatica verſibus, et linguarum differentiis erudiebatur, modo declamationibus rhetoricis, modo hiſtoriis aſſueſiebat, modo ad audienda philoſophica praecepta parabatur, quantuis ad haec omnia ineptus. Huiusmodi igitur ſtudiis Romanorum imperator affixus, rerum adminiſtrationem alteri, eique vni commiſit, vt legis auctoritatem haberet, quod logothetae viſum eſſet.* Quamuis itaque tanta inter omnes fama et exiſtimatione floreret, multum tamen ea nimio illo imperatoris in philoſophiam et elegantiores literas ſtudio quod Pſellus vrgebat, diminuta eſt, conqueſtique ſunt Byzantinae hiſtoriae ſcriptores [z] Pſellum imperatorem, nugis et ludis puerilibus perpetuo vacantem ad omne opus inutilem et minus idoneum reddidiſſe. Alia eorum loca, breuitatis cauſſa omittimus, in quibus conquerun-tur, *imperatorem a Pſello τῶν φιλοσόφων ὑπάτῳ principe philoſophorum* (quod peculiare in aula imperatoris axioma fuiſſe, ex his locis eſt manifeſtum [a]) *deceptum et illuſum totum mundum perdidiſſe.* Valde itaque ab eo tempore Pſelli imminuebatur auctoritas, quo factum, vt aduerſarium nanciſceretur Ioannem Italum, qui quamuis longe impar eſſet Pſello de philoſophiae tamen, quam eo magiſtro didicit, vt ſupra dictum, gloria cum illo non ſine felicitate contendit. Qua de re iterum ANNA COMNENA [b]: *His ille,* (Italus) *turbis admirationem ſibi et plauſum parauit, non plebis ſolum, ſed magnatum quoque, atque adeo ipſius*

x) De admirab. Lect. apud ALLATIVM de Pſellis p. 16.

y) T. III. p. 127.

z) IOANNIS SCYLIZAE CVROPALATAE, ZONARAE et GLYCAE loca integra attulit HANCKIVS l. c. p. 483. ſeq.

a) Cum enim exemplo imperatoris tota aula philoſophiae ſtudio flueret, et vndique ad aulam philoſophi affluerent, philoſophantibus cum ſingulari honoris axiomate Pſellus dux et *ὕπατος* praefectus eſt.

b) Alexiad. Lib. V.

ipſius Michaëlis Ducae tunc imperantis et fratrum ipſius. Hi enim licet primum doctrinae et exiſtimationis locum Pſello reſeruarent, Italo tamen iſto delectabantur, et eius opera vtebantur in logicis concertationibus. Erant enim literarum et eruditarum artium ſtudioſiſſimi Ducae, cum omnes, tum fratres imperatoris, et Auguſtus ipſe Michaël. Quorum Italus fauore alens confidentiam, ardenti Pſellum ſemper in congreſſibus et furioſo figebat oculo, facile ſe extricantem ex eius laqueis, et aquilina celeritate volucris mentis perplexas captiunculas pdioſi Sophiſtae alte ſuperuolantem. Qua ille re vrebatur primum intime ac ringebatur, tum ſtomachum erumpebat in iactationes corporis ac clamores impotentes. Quae res tandem funeſta fuit Pſello: exauctorato enim Michaële Duca, ſua quoque dignitate deiectus a Botaniata Nicephoro, monachi habitum ſenex induere coactus eſt, eique ſub Nicephori ſucceſſore Alexio Comneno in honoribus τῦ ὑπάτυ τῶν φιλοσόφων, aduerſarius eius Italus ſurrogatus, princepsque philoſophorum declaratus eſt [c], in quo tamen ſplendidum nouumque hoc aulae munus ſi non exſpirauit, certe in contemtum adductum eſt, atque euiluit. Pſellus autem tonſus et deliteſcens vitam diu non prorogaſſe videtur, incertum tamen mortis eius tempus eſt. Et haec quidem viri, quem σοφώτατον Graeci ſalutant, fata fuerunt, quem extremam philoſophiae inter Graecos aetatem ad ſumma honorum culmina euexiſſe, ex dictis conſtat. Non iniuria vero laudes illi tantas tributas eſſe, ſi temporum iſtorum conditionem reſpicias, fatendum eſt, libris eius doctiſſimis abunde teſtantibus, parem eum in philoſophia non habuiſſe. Quae qualis fuerit, non tantum ex *Paraphraſibus in Ariſtotelis libros logicos et phyſicos*, aliisque eius commentationibus philoſophicis intelligitur, verum etiam ex *Compendio quaeſtionum et reſponſionum* in gratiam Michaëlis Ducae conſcripto, quod editum debemus Io. Alb. Fabricio, [d] itemque ex *Expoſitione oraculorum Chaldaicorum*, quae hodie adhuc ſuperſtes eſt. Ex vtroque enim libello patet, verum eſſe, quod Annam Comnenam ſupra dicentem audiuimus, philoſophiae illum Graecae Chaldaicae quoque notitiam adieciſſe: Quae philoſophia Chaldaica nihil aliud eſt, quam Alexandrina, Orientalibus placitis attemperata. Id quod ſatis probant ſcripta Pſelli ab Allatio [e] prolixe enarrata, etiam vbi dialogum *de operatione daemonum* ad ſeniorem Pſellum referimus, quod Allatium facere ſupra indicauimus. Vt enim plurima Pſellus ſcripſit, omnino inter πολυγεάφυς καὶ πολυίσοφους referendus, ita *Oraculorum Chaldaicorum expoſitio*, liber *de animae facultatibus* aliaque docent, hoſpitem ex hac philoſophia animum eum non retuliſſe. Quamuis, vt verum fateamur, in explicandis myſte-

c) Anna Comnena Alexiad. Lib. V. d) Ad calc. Vol. V. Bibl. Graec. p. 69. ſeqq. e) loco cit.

mysteriis Alexandrinis ingenio plus iusto indulsisse videatur, vnde non sine examine testis adduci debet.

Graeci philosophi in Occidentem dilapsi.

§. XVII. Potiores hi fuerunt viri docti, qui ad deplorandam vsque vrbis Constantinopolis expugnationem, quae A. C. clocccLI. accidit, de philosophia inter Graecos bene meriti ad nostra vsque tempora eruditionis famaeque memoriam propagauerunt. Abierunt paulo prius nonnulli, rerum confusione, quae vbique in Oriente regnabat, permoti in Occidentales terras, Graecamque literaturam et philosophiam illuc detulerunt, quod imprimis fecit Emanuel Chrysoloras. Ipsa vero vrbe a Turcis capta, quicunque literis et philosophiae honorem locumque inter gentem barbaram fore desperabant, in Italiam aufugerunt, inque eius regionis historia quaerendi sunt. Qui cum restaurandis literis et Philosophiae diligentem admouerint manum, inter restauratores philosophiae *Tomo sequenti* enarrandi sunt, vbi pluribus de Ioanne Argyropulo, Georgio Gemisto Plethone, Bessarione, Michaële Apostolio, qui philosophiam Platonico-Alexandrinam inter Occidentales propagauerunt, itemque de Theodoro Gaza, Georgio Trapezuntio et Georgio Scholario, sincerioris Peripateticismi in his terrae plagis cultoribus tractabimus. Ibi itaque philosophorum Graecorum seculi XV historia quaerenda est, ex qua constabit, vsque ad captam vrbem philosophiam Constantinopoli non totam defeciſſe [f].

CAPVT SECVNDVM,

DE PHILOSOPHIA CHRISTIANORVM OCCIDENTALIVM A SECVLO SEPTIMO VSQVE AD DVODECIMVM.

§. I.

Fontes ex quibus H. Phil. medii aeui hauriendi.

Ex Oriente in Occidentem Graecis ad Latinos iam progredimur, vt quae fata habuerit philosophia in his regionibus, disquiramus. Qua in parte historiae philosophicae nos duce destitui, qui impeditum ante nos iter ingressus sit viamque in densa et caliginosa seculorum barbarorum sylua ostendat, supra iam conquesti sumus [e]. Vt enim ipsa philosophia situ squaloreque obducta et abiecta iacuit, ita humani quoque intellectus historia prorsus neglecta est. Ad eos itaque recur-

f) Conf. AENEAS SYLVIVS Epist. 162.

e) V. C. CORNELIVS DIETERICVS KOCHIVS Historiam philosophicam medii aeui meditatus est, sed morte praeuentus non perfecit. Eius laboris particulae quaedam in manus nostrae peruenerunt, quae integri opusculi desiderium valde excitarunt. Nihil tamen eius sperandum esse, inde colligimus, quod publicas preces nostras, vt qui reliqua habent, edant, per decennium exaudiuerit nemo.

recurrendum eſt, qui literariam eruditionis atque diſciplinarum hiſtoriam ſuo modo enarrarunt, deque ſcriptoribus Eccleſiaſticis eius temporis tractationes inſtituerunt, vel horum temporum vniuerſalem et monaſticam quoque hiſtoriam ſcribere aggreſſi ſunt. Qui enim generali catalogo vel viros doctos cuiusuis generis, vel Eccleſiaſticos recenſuerunt, ſaepe numero eorum de philoſophia merita ſimul expoſuerunt, cum non alii, quam ex hoc genere virorum doctorum, philoſophi fuerint. Annalium autem ciuſſium conditores, eruditionis decrementa, conatus, fata et viciſſitudines ſcholarumque origines deſcripſerunt, ſicque philoſophicarum quoque ſcientiarum acta haud raro tetigerunt. Cumque philoſophia in monaſteria tandem ſeceſſerit, ibique ſibi, vtcunque potuit, nidum parauerit, monaſticae quoque hiſtoriae conditores non ſine fructu conſuli poſſunt. Qui vero ex his hiſtoriae literariae, claſſibus ſcriptores euolui debeant, praeque aliis commendandi ſint, noſtri loci non eſt, copioſe exponere, ſufficitque paucis indicaſſe, quibus nos potiſſimum auctoribus vſi ſimus, curque fidem illis adhibuerimus. Inter eos ſcriptores hiſtoriae literariae et Eccleſiaſticae medio aeuo illuſtres primo loco ponimus, HONORIVM AVGVSTODVNENSEM, SIGEBERTVM GEMBLACENSEM, HENRICVM GANDAVENSEM, PETRVM CASINENSEM, et ANONYMVM MELLICENSEM, quos laudabili conſilio et non ſine egregio hiſtoriae literariae medii aeui commodo iunctim edidit Io. ALBERTI FABRICII diligentia [b]. Qui cum Io. TRITHEMII quoque libellum *de Scriptoribus eccleſiaſticis*, et AVBERTI MIRAEI *Auctarium de Scriptoribus eccleſiaſticis*, praeter alia adiecerit, horreum aliquod nobis aperuit eruditae ex medio aeuo hiſtoriae. Adiici his debet Io. SARISBERIENSIS infra pluribus commemorandus, eo quod in vtroque *Policratici et Metalogici* opere [c] plurima nobis conſeruauit, quae lucem haud contemnendam hiſtoriae philoſophicae medii aeui accendere apta ſunt. TRITHEMIVS autem praeter *Catalogum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* et *Catalogum illuſtrium virorum, Germaniam ſuis ingeniis et lucubrationibus omnifariam exornantium*, librumque *de viris illuſtribus ordinis S. Benedicti*, (de quibus auctores hiſtoriae literariae ſcriptorum Eccleſiaſticorum conſulendi ſunt, iisque adiiciendus, qui diligenter Trithemii hiſtoriam literariam enarrauit ὁ πάνυ FABRICIVS [d], immo ipſe TRITHEMIVS, qui in libro *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* [e] et in *Catalogo ſcriptorum illuſtrium Germaniae* [f], *et in libro de illuſtribus Benedictinis* [g], et alibi quoque in *ſcriptis ſuis* [h], rerum ſuarum memoriam conſignauit;) in *Annalibus* potiſſimum *Hirſaugienſibus*

b) In Bibliotheca eccleſiaſtica Hamb. 1718. fol. edita.
c) Vtimur nos editione Lugd. Bat. 1638. 8.
d) In Biblioth. mediae et infimae Latinit. Lib. IX. Vol. IV. p. 451. ſeqq. is erit inſtar omnium.
e) Cap. vlt.
f) Cap. 304.
g) Lib. IV.
h) Annal. Hirſaug. T. II. p. 692. ſeqq. edit. Sangall. et in libello de ſtudiis et ſcriptis ſuis a pueritia

tot nobis monumenta hiſtoriam philoſophicam concernentia reliquit, vt iis, ſecunda vice ab auctore editis et inſigni acceſſione auctis, atque labente ſeculo ſuperiore a monachis Benedictinis Sangallenſibus laudabili conſilio editis [i] in hiſtoria philoſophiae medii aeui nemo magnopere carere queat, cum philoſophiae fata in monaſteriis plerumque more ſuo haud indiligenter connotauerit. Idem de hiſtoricis tantum non omnibus, qui medii aeui annales condiderunt, maxime vero de vitarum ſcriptoribus tenendum eſt, qui more ſui temporis dum res ciuiles et eccleſiaſticas, in gente ſua geſtas, et hiſtoriam celebrium virorum tradunt, paralleliſmo cum reliquis actis publicis et priuatis inſtituto ea quoque tetigerunt, quae ad rem ſcholaſticam literariamque pertinent, quibuscum philoſophia arcte tum temporis connexa fuit. Ex recentioribus, quamuis deſit, qui ex inſtituto hiſtoriam philoſophiae medii aeui ſcripſerit, plurimi tamen fuere viri docti, qui res literarias et philoſophicas medii aeui non contemnenda diligentia expoſuerunt, quos tamen heic cumulare omnes nec licet nec libet, cum in ſequenti tractatione multoties ad eos prouocandi eosque in partes trahendi occaſio ſe oſtendat. Prae reliquis tamen virorum longe doctiſſimorum IOANNIS LAVNOII, HERMANNI CONRINGII et IO. ALBERTI FABRICII commendanda eſt ſingularis in hac literariae hiſtoriae parte induſtria. Quorum primus in libro *de ſcholis celebrioribus* [k] elegantiſſimas de ſtatu literario, ſcholaſtico et philoſophico medii aeui memorias ex ſcriptoribus illius temporis collegit: ſecundus in *Antiquitatibus academicis* [l] medii aeui literaturam pulchre depinxit, tertius in laboris improbi opere, cui *Bibliothecae Latinitatis mediae et infimae* titulum praefixit, cuiusque telam non ſine magna huius partis hiſtoriae literariae iactura abrupit mors viri beati inopinata, ſcriptorum a ſeculo VI ad XVI, Latinorum res literarias, omnium pleniſſime deſcripſit [m]. Quia vero philoſophia in coenobiorum receſſus his temporibus maiori ex parte coacta eſt aufugere, et S. Benedicti quoque familia, vna fere et tota, vsque ad ſcholaſticorum tempora, eruditionis poſſeſſionem et publice tradendi munus ſibi vindicauit, hinc non ſine inſigni vtilitate praeter ſplendidum Actorum SS. opus a BOLLANDO coeptum, egregia MA-

BILLO-

pueritia repetitis, cui Nepiachi nomen praefixit, et Corpori ſcriptorum medii aeui T. II. p. 1825. ſeqq. inſeruit IO. GEORGIVS ECKARDVS.

i) Dederat primo Trithemius Chronicon Hirſaugienſis coenobii, ab A. C. 830. ad annum 1370. quod primum typis prodiit Baſil. 1559. fol. ex quo loca hiſtoriam literariam et ſcholaſticam concernentia excerpſit IO. LAVNOIVS de ſcholis celebrioribus. Illud vero poſtea copioſe auxit mutauitque Trithemius anno 1514. cuius tamen *αὐτόγραφον* fatali incendio deletum eſt. *Ἀπόγραφον* autem, quod in monaſterio Sangallenſi vidit IO. MABILLONIVS, vid. Iter eius Germ. p. 57. tandem Sangalli 1690. fol. duobus Tomis characteribus luculentis ediderunt Monachi Benedictini.

k) Eum recuſum debemus curae optimi FABRICII Hamb. 1717. 8. cum MABILLONII Itinere Germanico.

l) Eas rarius occurrentes cum Auctario edi curauit nuper praeſtantiſſimus C. A. HEVMANNVS. In vſum vocamus nos, quam poſſidemus veterem editionem Helmſtad. 1674. 4.

m) Hiſtoriam praeſtantiſſimi operis ab A. ad Q. decurrentis ordine alphabetico exponit Cl. HERM. SAM. REIMARVS in Comm. de Vita et Scriptis Io. Alb. Fabricii §. 28. p. 181. ſeqq.

BILLONII et RVINARTI opera, quibus *Annales* et *Acta Benedictinorum* recenſuerunt, in conſilium adhiberi poſſunt. Immo tota hiſtoria Eccleſiaſtica ſimul diligenti intuenda eſt oculo, quae cum philoſophica arctiſſimo circa haec tempora vinculo cohaeret, et ſine qua multa in hac intelligi nullo modo poſſunt. Nos his omnibus pro virium modulo ita vtemur, vt nunquam ſcopum, quem tractationi noſtrae fiximus, dimittamus ex oculis, reſpectuque ad philoſophiae fata habito, ea ex hiſtoria ſacra atque literaria, quae tangere res noſtra poſtulabat, quanta fieri poteſt, breuitate notemus, fontes vero in fine paginae fideliter indicemus, ex quibus plura hauriendi curioſo Lectori dabitur copia. Ita enim in immenſae prolixitatis argumento modum aliquem ſcribendi, ne nimis longi ſimus, tenebimus, faciliusque origines commixtae foedo errore philoſophiae gentilis et impurae, cum ſacris dogmatibus patebunt. Sole enim meridiano clarius eluceſcet, et ſcholaſticam et myſticam theologiam illi confuſioni natales ſuos atque incrementa debuiſſe, et vtramque, licet externo habitu valde differant, illaque externam veritatum diuinarum confirmationem ex philoſophia, haec internae contemplationis atque vnionis promotionem ea auxiliante intenderit, vtraque quoque pars alteri contradicere ſolita fuerit, ex hac inepta atque praepoſtera applicatione philoſophiae Peripateticae et Platonicae ad theologiam ortam eſſe. Quae res quidem theologis diſcutienda eſt, quorum eſt, in vtriusque theologiae origines, diſpulſis praeiudiciorum et opinionum nebulis, inquirere; huius vero tractationis vſu vehementer iuuari poteſt. Haec enim clara in luce ponit et demonſtrat, ſcholaſticam theologiam ex introducta in Eccleſiam valdeque commendata dialectica, quae hoc aeuo medio maxime extollebatur, ortum ſuum habuiſſe, et, traducta ex ſeculo V, VI et VII, inepta applicatione eius ad ſacram doctrinam, confuſionem illam inter lucem et tenebras peperiſſe, vt ſequenti capite rationibus haud contemnendis probabitur: myſticam autem theologiam, quae hos foetus adulterinos iam ſeculo V Eccleſiae obtruſit, idem cum Platonica tentaſſe, et ex ſyncretiſticis Alexandrinae philoſophiae myſteriis propiorem viam ad vnionem cum DEO oſtendere voluiſſe, hocque peſtis genus maxime ſuppoſititiis operibus Dionyſii adiutum, opera Ioannis Erigenae Scoti, qui iſta ſcripta Latina fecit, vt ſuo loco dicetur, in Occidentalibus Eccleſiis propagatum fuiſſe. Quod vtrumque quam graui vulnere Eccleſiam afflixerit, dici pro dignitate ſatis hoc loco non poteſt, certe ex inſano philoſophiae gentilis amore et praepoſtera applicatione ad Chriſtiana dogmata exortum ſinceritatem diuinioris doctrinae miſere corrupit, humanarumque virium dignitatem commendando, gratiae diuinae neceſſitatem atque efficaciam nefando crimine adulterauit, ita vero dum philoſophiae gentilis adminiculis Chriſtianis coloribus pictis facilius ad ſalutem peruenirí poſſe perſuadebat hominibus, intolerabili in conſcientias imperio locum fecit. Mirum itaque non eſt, vtramque theologiam,

Ordo, vtilitas et ſcopus tractationis.

logiam, ſcholaſticam et myſticam, (quales nempe eo tempore viguere) licet inimicis inter ſe ſignis concurrerent, ad eundem tamen lapidem offendiſſe, Chriſto Platonem et Ariſtotelem reapſe praeferendo, rationisque lumen ineptiis gentilis ματαιολογίας corrumpendo, viribus illic intellectus, hic voluntatis nimium tribuendo, et haec tamen omnia obtentu diuinarum veritatum ſtrenue negando. Ineptis quoque, vagis falſisque regulis veram Chriſtiani cultus indolem in inanem loquacitatem transmutaſſe, et ſcholaſticam theologiam intellectum, myſticam voluntatem miſere corrupiſſe: ac duos ita hoſtes veritatem diuinam grauiſſime fuiſſe perſecutos. Quae hoc loco in limine paucis ideo monenda fuerunt, vt conſtaret, quem vſum hiſtoria philoſophica medii aeui in Eccleſiaſtica hiſtoria habeat, quamque neceſſe ſit, abiectis praeiudiciis ad veros errorum fontes ea duce reſpicere. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat, cum ad alium id locum proprie pertineat, demonſtratumque ſit a viris doctiſſimis, qui ea de re adeundi *n*).

Barbaries a Seculo VII. ingruens eiusque cauſſae.

§. II. Finiuimus ſuperiori capite hiſtoriam philoſophiae inter veteres Chriſtianos cum Boëthio, quem elegantiſſime eruditionis fulgore, et philoſophiae Platonicae atque Ariſtotelicae cognitione Occidentem inter barbararum gentium irruptiones literarum ſolem tantiſper retraxiſſe probatum dedimus. Ab eius tempore, ineunteque ſeculo ſeptimo tanta literarum barbaries, et imprimis philoſophiae ignorantia inualuit, vt rara auis eſſet philoſophus vel mediocriter talis. Cauſſas eius intuentibus mirum id videri non poteſt. Orientem enim ea aetate grauem quoque noctem preſſiſſe incuria imperatorum pereuntibus literis *ſuperiori* iam *capite* demonſtratum eſt, inde vero cum eruditionis, et praecipue philoſophiae flumina in occidentales terras iſtis temporibus deriuata fuerint, non potuit non ibi quoque fons ſapientiae naturalis exareſcere, perdique philoſophia. Valde auxit hoc malum Iuſtiniani in philoſophos odium, qui cum ſalaria, iis Athenis docentibus ſubtraxiſſet, et gentili religioni addictos tolerare amplius nollet, cum ſecta Eclectica omnem fere philoſophantium in Academia Athenienſi chorum diſſipauit. Quo cum ingenia excitatiora mitti ex Occidentis regionibus ſolerent, praecipua haec atque egregia occaſio diſcendae philoſophiae periit. Idem de Alexandria dicendum, licet Latini illuc parcius iam ante commigraſſent. Ea enim Academia paulo poſt, capta a Saracenis vrbe, diſſipata eſt, et philoſophia perſonare deſiit. Porro Barbarorum populorum incurſionibus adeo infeſta facta ſunt itinera, vt peregrinationes tales literarias ſuſcipere nec tutum eſſet, nec iucundum. Ipſa quoque, quae prius inter Orientalem et Occidentalem Romani imperii partem interceſſerat coniunctio, rupta per iſtas gentes et diſſoluta, in cauſſa fuit, vt Graeci quoque ſermonis vſus et cognitio tandem

n) Vid. praeter multos alios imprimis AD. RECHENBERGIVS de Orig. Theol. Myſt. in Vol. Exerc. in N. T. p. 241. IAC. THOMASIVS Orig. Hiſt. Phil. et Eccleſ. §. 52. p. 100. ſqq. CHR. THOMAS. Hiſt. paulo plen. I. N. c. III. §. 24. p. 30. ſeqq.

tandem perderetur, paucique et fere nulli eſſent, qui Graecorum philoſophorum libros legere poſſent, quod plerosque etiam melioris ingenii et acutioris homines coëgit relictis fontibus aridos conſectari riuulos, et verſiones quasdam librorum Ariſtotelis et Platonis eosque philoſophiae magiſtros eligere, qui ad priſtinorum temporum eruditionem minime adſpirabant, vt poſtea prolixe oſtendemus. Ipſe quoque illius temporis genius, cum vbique ſeruitus inualuiſſet, obſtitit, quo minus homines ad philoſophandum animos liberius attollerent, nec erant inter principes Barbaros, armis magis quam literis delectatos, qui fauore et beneuolentia viros doctos complecterentur, multo minus qui philoſophos alerent, et philoſophandi conſilia gratia ſua adiuuarent. Ita vero ſilentibus inter arma Muſis ſiluit etiam philoſophia, et tantum non omnem honorem amiſit.

§. III. Magnum id iam in ſe malum; ſed acceſſit maius et peſtilentius ex ſuperſtitione ineptoque de philoſophia iudicio, quo tantum non omnis literarum humaniorum et ſeueriorum vigor extinctus eſt, et exquo fonte ad ſequentia ſecula immanis deriuata eſt barbariei colluuies. Rem ab ouo vt repetamus, operae pretium exiſtimamus eſſe. Obtinuiſſe iam ſeculo a C. N. primo et ſecundo, vt Aſtrologi, Genethliaci, Chaldaei huiusque furfuris homines alii honeſto philoſophiae nomine abuſi, mathematicos ſe et philoſophos iactarent, et pro talibus quoque haberentur, multis veterum ſcriptorum, eius aetatis locis [o] conſtat, et vel ex vno GELLIO [p] diſcitur, qui diſerte: *Vulgus quos gentilitio vocabulo Chaldaeos dicere oportet, mathematicos dicit.* Ea ſignificatio etiam ſequentibus ſeculis, et hoc quoque, de quo agimus, tempore obtinuit, vt vel ex vno *Codicis Iuſtinianei Titulo XVIII Libri decimi, de maleficis et mathematicis, ac Libri noni in Codice Theodoſiano* [q], *de mathematicis vrbe Roma ac omnibus ciuitatibus pellendis et codicibus eorum cremandis* conſtat. Hos porro homines ſummopere non quidem inter profanum vulgus, quod iſtiusmodi ſtudiis delectari ſolet, inter ſummos tamen principes eorumque miniſtros exoſosfuiſſe, eo quod ad artes illicitas in vitam principis haud raro recurrerent, et nefandis vaticiniis rebellium animos alerent, ſupra iam *Tomo ſecundo* de ſecta Eclectica differentes annotauimus. Factum inde, vt et vrbe pellerentur, et ciuitatibus Romani imperii eiicerentur, et grauibus poenis coërcerentur [r], et ſeruerius caſtiusque philoſophantibus ſummo eſſent odio. Ipſe ſane notabili loco IVLIVS FIRMICVS [s] de illis ita: *Caue ne quando de ſtatu reipublicae vel de vita Romani imperatoris aliquid interroganti reſpondeas. Non enim oportet, nec licet, vt de ſtatu reipublicae aliquid nafaria curioſitate dicamus. Sed et ſceleratus atque*

Superſtitio cauſſa depreſſae philoſophiae, praecipue opera Gregorii M.

o) SEXT. EMPIR. adu. math. Lib. IV. ſ. vlt. Lib. V. ſ. 1. 2. EVSEB. Praepar. Ev. L. VI. cap. 1. SVETON. in Tib. cap. 14. 36.

p) Noct. Attic. Lib. I. cap. 9.

q) t. 16. l. 8. 12.

r) Vid. FABROTTVS ad t. 10. l. 16. Cod. Theodoſ. de paganis pag. 37.

s) Mathem. Lib. I. cap. 7.

atque omni animaduerſione dignus eſt, ſi quis interrogatus de fato dixerit imperatoris, quia nihil nec dicere poterit, nec inuenire. Scire enim te conuenit, quod et aruſpices quotiescunque a priuatis interrogati de ſtatu imperatoris fuerint, et quaerenti reſpondere voluerint, exta ſemper, quae ad hoc deſtinata fuerant, venarum ordines inuoluta confuſione conturbent. Sed nec aliquis mathematicus verum aliquid de fato imperatoris definire poterit, ſolus enim imperator ſtellarum non ſubiacet curſibus, et ſolus eſt; in cuius fato ſtellae decernendi non habent poteſtatem Cum enim fuerit totius orbis imperator et dominus, fatum eius Dei ſummi iudicio gubernatur. Tranſibat eo magis hoc odium aduerſus mathematicos ad Chriſtianos, quo magis in pietatem iniurioſa videbatur peſtilens curioſitas. Hinc non ſolum libris eam peſtem eiecerunt ex republica Chriſtiana viri docti, quod imprimis monachum quendam MACARIVM edito *aduerſus Mathematicos* libro feciſſe ſcribit GENNADIVS [t], ſed et epiſcopi tum in conciliis ſynodisque, certis ſtatutis ea de re canonibus, tum ad populum orationibus habitis ab eo hominum genere auditores auocauerunt. Illius exemplum erit *Canon XXXVI Concilii Laodiceni* [u], huius teſtimonium habes apud IOANNEM SARISBERIENSEM [x], qui *ſanctos patres eos, qui nocentiora praeſtigia, artesque magicas et varias ſpecies mathematicae reprobatae exercent, iam pridem ab aula amoueri iuſſiſſe*, ſcribit. Horum exemplum ſecutus fuit Gregorius Romanus epiſcopus, quem Magnum vocant, qui partes eius tuentur [y], doctorem exigui iudicii volunt, qui in magnis quoque viris errores reprehendunt, conſpicuos [z]. *Ille enim*, teſte iterum SARISBERIENSI [a] *Doctor ſanctiſſimus Gregorius, qui melleo praedicationis imbre totam rigauit et inebriauit Eccleſiam, matheſin iuſſit ab aula recedere.* Qui ſi in tollendis inutilibus et impiis nugis, quibus a vera philoſophia et pietate ſeuia ſeducuntur ingenia, hanc ſolum diligentiam atque prouidentiam probauiſſet, non haberemus forte, quod non tanto praeſule dignum laudaremus. Sed duplici ratione is in literas et philoſophiam magnopere peccauit. Nam, vt haud obſcure ex Sarisberienſis verbis colligitur, ad plerasque diſciplinas mathematicas hanc cenſuram eccleſiaſticam ſuperſtitione magis, et immaturo aduerſus eruditionem a gentilibus philoſophis traditam zelo ductus, quam rationibus prudentibus inſtigatus extendit, et, quod longe peius eſt, irreparabilem literis et philoſophiae iacturam, praepoſtero feruore inflammatus attulit. Narrante enim SASISBERIENSI [b], *vt traditur a maioribus incendio dedit probatae lectionis:*

Scripta

t) De Script. Eccleſ. c. 28. p. 16. et MIRAEVS ad h. l.

u) In PHOTII Nomocan. Tit. IX. c. 25.

x) Policrat. Lib. I. c. 9. p. 35. hincque exorciſmus ille ortum habuiſſe videtur, quem huius generis homines libris ſuis adiiciebant, vt ex IVL. FIRMICO Lib. VIII. Math. diſci poteſt.

y) BOLLANDVS Act. SS. ad XII. Mart. FR. PAGI Breuiar. Pontif. T. I. p. 340. MAIMBVRG. Hiſtoire du Pontificat de S. Gregoire le grand DIONYS. SAMMARTHANVS Hiſt. de S. Gregoire le grand.

z) BAYLE Dict T. II. art. Gregoire not. H. p. 597. C. OVDIN. de S. E. T. I. p. 1498.

a) loc. cit. Lib. II. c. 26. p. 123.

b) loco cit.

Scripta Palatinus quaecunque tenebat Apollo.

In quibus erant praecipua, quae coeleſtium mentem et ſuperiorum oracula videbantur hominibus reuelare. Palatinum vero Apollinem vocat bibliothecam ab imperatoribus in aede Apollinis iuxta palatium conditam, quae cum ex parte iam coeleſti igne tacta ſub Commodo conflagraſſet, tandem á Romano antiſtite tota deleta eſt. Feciſſe id Gregorium eo fine, vt ſacrarum literarum lectionem hominibus eo fortius commendaret, alio loco SARISBERIENSIS profitetur, ſcribens[c]: *Fertur tamen, beatus Gregorius bibliothecam combuſſiſſe gentiilem, quo diuinae paginae gratior eſſet locus, et maior auctoritas, et diligentia ſtudioſior.* Qui, dum publico tantum et incerto rumore haec ſe noſſe, ait, effecit, vt de tota hac re ſubdubitarent viri κριτικώτατοι PETRVS BAYLE[d] et IOANNES BARBAYRACIVS[e]. Nobis autem eo minus in dubium vocanda eſſe videtur traditio, quam maiorum fide niti ipſe SARISBERIENSIS[f] teſtatur, quo magis id Gregorii de literis profanis omnibus iudicio conforme eſt, quas vehementer contemnebat, indignasque putabat homine Chriſtiano. Cuius vt exemplum faciamus, ecce, quae ad grammaticae doctorem quendam Chriſtianum ſcribit[g]: *Peruenit ad nos, quod ſine verecundia memorare non poſſumus, fraternitatem tuam Grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita moleſte ſuſcepimus, ac ſumus vehementius aſpernati, vt ea, quae prius dicta fuerunt, in gemitum et triſtitiam verteremus: quia in vno ſe ore Iouis laudibus Chriſti laudes non capiunt. Et quam graue nefandumque ſit epiſcopis canere, quod nec laico religioſo conueniat, conſidera.* Et poſt pauca: *Si poſthac euidenter ea, quae ad nos perlata ſunt, falſa eſſe clarueriut, nec vos nugis et ſecularibus literis ſtudere conſtiterit: Deo noſtro gratias agimus, qui cor veſtrum maculari blaſphemis nefandorum laudibus non permiſit.* Ex his vero vel mediocri iudicio inſtructus facile colliget, quam grauia vulnera literis humanioribus et philoſophiae inflixerit papa Gregorius. Exoſo enim mathematicorum nomine cum omni philoſophiae macula turpisque nota inureretur, et id a tantae auctoritatis atque dignitatis doctore hominibus diuini oraculi inſtar inculcaretur, non poſſe cum Chriſtiana fide conſtare literas ſeculares, easque eſſe inſtar blaſphemiae, non potuit non horroris et abominationis praeiudicium animis altiſſime imprimi, excutique et ad flammas vltrices deferri philoſophicorum librorum copia ſanctioris vitae cupidis, quibus ipſe epiſcopus exemplo praeluxerat ſuo, optimosque codices delendo penuriam eorum inter Romanos introduxerat. Quo magis etiam mathematicorum nomen inuiſum fecerant philoſophi Eclecti-

ci,

c) Lib. VIII. cap. 19. pag. 646.
d) l. c. not. M. pag. 598.
e) De la morale des Peres c. XVII. §. 16. p. 332.
f) Lib. II. cap. 29. pag. 123.
g) Lib. IX. ep. 48.

ci, qui his artibus ſe magno ſtudio dedere, facti propterea inter Chriſtianos merito abominabiles; eo magis philoſophia ipſa in contemtum adduci, iſta Gregorii prohibitione debuit, cum ſtudio in ſe laudabili haec infamia affricaretur, eſſe eam nefariarum artium parentem. Quod equidem ſuperſtitioni, et iudicii paupertati, quam vbique, praecipue in dialogis, prodidit [h], adſcribi debet, ſed magno philoſophiae damno euenit. Cum enim vir tantus, qui ſummam ſibi auctoritatem conciliabat, et ex cathedra definiebat, tantis praeiudiciis occupatus in literas ſeculares et inter eas in philoſophiam, debaccharetur, gregem ſane totum iudicium paſtoris, quamuis ineptum et miſerandum ſequi oportuit. Alia, quibus ſcholaſticae theologiae praeluſiſſe Gregorium M. viri docti [i] obſeruarunt, e. g. rituum multiplicationem, ſanctorum cultum, etc. hic non tangimus, alibi enarranda. Id nemo paulo cordatior negabit, ſummopere inſeruiuiſſe Gregorium ſcholaſticis, et multoties ad eum illos tanquam ad auctorem claſſicum prouocauiſſe [k].

Gregorii M. moralia infeliciter libris philoſophicis ſubſtituta.

§. IV. Forte tamen meliora et pietatem Chriſtianam magis decentia philoſophiae praecepta ſurrogauit Gregorius? Ita quidem viſum Romano epiſcopo magna de ſe opinione occupato, ita creditum quoque hoc et ſequentibus aeui medii ſeculis. Is cum inſigni in philoſophiam odio arderet, puriorem doctrinam moralem tradere aggreſſus eſt, et celeberrimos illos *moralium* libros confecit, de quibus conſulendi ſunt, qui ſcriptorum Eccleſiaſticorum hiſtoriam literariam expoſuerunt. Qui cum ab auctore profecti eſſent, cuius ſumma erat auctoritas et tum pietatis tum eruditionis opinio atque exiſtimatio, mature ſummam ſibi famam fidemque conciliarunt, plurimique habiti ſunt. Cuius ſpecimen eſſe poteſt, quod de his libris diuina reuelatione repertis eius aetatis ſcriptores narrant [l]. Chintaſuintum Hiſpaniarum regem coacta in Toletana vrbe ſynodo, eaque probante miſiſſe Romam epiſcopum Caeſarauguſtanum ad obtinendos a pontifice Romano libros moralium Gregorii M. eo quod in nulla Hiſpaniarum bibliotheca reperirentur. Pontificem autem, ſumta in triduum mora, libros eos in bibliotheca reperire non potuiſſe, epiſcopum vero in baſilica SS. Petri et Pauli noctem vnam inſomnem in orationibus traduxiſſe, et circa medium noctis eorundem apoſtolorum viſione locum illi reuelatum eſſe, in quo libri illi deliteſcerent, quo facto et prodito libros eum iſtos accepiſſe et in Hiſpaniam a pontifice (quem Theodorum non Martinum fuiſſe probabiliter contra Baronium viri eruditi diſputant) traditos attuliſſe. Idem vero epiſcopus Taio, ex his Gregorii ſcriptis *quatuor ſententiarum libros* ipſis pontificis verbis collegit,

h) Non negant hoc candidi viri MELCH. CANVS LL. Theol. Lib. II. cap. 6. pag. 658. et LVD. ELL. DV PIN Biblioth. auct. Eccleſ. Sec. VI. pag. 137.

i) Conf. ADAM. TRIBBECHOV. de DD. ſcholaſticis cap. VI. pag. 252. ſeqq.

k) Facta id inductione probauit CAS. OVDIN. de S. E. Tom. I. pag. 1545. ſeqq.

l) Anonymus in App. ad Concil. Toletanum VII. Conf. FR. PAGI Breu. Pontific. T. I. pag. 426. ANT. PAGI Critic. antibaron. T. III. ad ann. 426.

git [m], qui in quibusdam bibliothecis hodie adhuc, exiguo rei literariae damno deliteſcunt. Eandem operam ſcriptis Gregorii praeſtitere ſeculo X Odo Cluniacenſis abbas, ſeculo XI Aluifus monachus, ſeculo XII Guarnerus Canonicus Pariſienſis, qui compendia et compilationes eiusmodi ex his moralium Gregorii libris confecerunt. Quae luculenter probant, libris philoſophorum moralibus, quos tanquam impios et blaſphemos fugiebant et deteſtabantur haec ſecula, Gregorii moralia ſurrogata fuiſſe, hancque ſibi normam conſtituiſſe, qui de animis emendandis ad populum dicere ſtatuerant. Aſt male hac ratione philoſophiae morali conſultum fuiſſe, fatebuntur; quotquot ſanum rebus iudicium eiurato ſectae et auctoritatis praeiudicio interponere, quam coeca adoratione ea, quae improbanda ſunt, magnifice extollere, malunt. Vt enim nulli rei minus aptus erat Gregorius ab omni philoſophiae praeſidio imparatus, quam tradendae morali doctrinae, ita nihil eum reuera in iſtis libris praeſtitiſſe, quo vel mediocriter philoſophia et theologia moralis iuuari poſſit, fatendum eſt. Adeo enim omnem humanitatis cultum ſe neglexiſſe in iſtis libris fatetur, vt videri queat, eos ideo ſcripſiſſe, vt omnis elegantioris doctrinae iugulum vno ictu peteret. Scribit enim in dedicatione: *Vnde et ipſam artem loquendi, quam magiſteria diſciplinae exterioris inſinuant, ſeruare deſpexi. Nam ſicut huius quoque epiſtolae tenor enuntiat, non metaciſmi colliſionem effugio, non barbariſmi confuſionem deuito: ſitus motusque praepoſitionum caſusque ſeruare contemno, quia indignum vehementer exiſtimo, vt verba coeleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.* Ex his Lector, qui iudicium adhibere potes, de tanti praeſulis acumine iudica. Mirandum itaque non eſt, ita confudiſſe dogmata inter ſe Gregorium, vt luculenter appareat, nullis eius doctrinam principiis niti, vagasque ſequi notiones, et haut raro inter ſe diſſidere ſibique contradicere. Cuius exempla plura apud eum occurrunt, adducta iam ab acutiſſimo BARBAYRACIO [n], quae apud illum, ne longi ſimus, legi poſſunt. Nos vnum notamus: Recte is ponit vim in perſuadendis religionis dogmatibus locum habere non poſſe, et nouam eſſe atque inauditam iſtam praedicationem, quae verberibus exigat fidem: et tamen alibi haereticos cogendos compellendosque eſſe ſtatuit, vt in Eccleſiae ouile redeant, qua de re legi merentur, quae monuit κριτικώτατος P. BAYLE [o]. Et quis quaeſo philoſophicum iudicium tribuet viro, omnem fere pietatis rationem externorum rituum ſolennitatibus elumbem reddenti? quis patrem hunc ceremoniarum ſimplicitati morum apoſtolicorum adhaeſiſſe affirmabit? quis hunc philoſophice, id eſt, ſecundum rationalem viam methodumque de moribus praecepiſſe ſtatuet, qui fundamentum praeceptionum ſuarum conſtituit ſenſum myſticum, allegoricum, anagogicum etc.? Plura non dicimus,

m) Vid. OVDINVS de S. E. T. I. p. 1546.
n) Praef. ad PVFENDORFII I. N. et G. et in Tr. de Doctrina morali PP. c. 17. conf. BAYLE loc. cit.
o) loc. cit.

ſed theologis expendenda relinquimus, vtrum hi moralium libri mereantur, vt, quod FRANCISCVS PAGI *p* fecit, inſtar promtuarii doctrinae moralis Euangelicae doctoribus Chriſtianorum publicis commendentur. His vero fontibus vſa eſt a ſeculo ſeptimo Eccleſia, vt moralis doctrinae praecepta diſceret. Hos theſauros carbonibus, vt putabat, epiſcopus Romanus ſurrogauit, haec in locum ceſſere philoſophiae, blaſphemiae cuiusdam inſtar exterminatae. An fieri, quaeſo, aliter potuit, quam vt omnem occidentem literarum et philoſophiae loco coeca obumbraret ignorantia, et ingenia foeda corrumperet barbaries? annon ita turpiter confuſa inter ſe philoſophia et theologia, vtrumque rationis et reuelationis, lumen, certe eius ſobrius rectusque vſus extinctus, et quaſi ſepultus eſt?

Auctores in philoſophia aeuo medio lecti.

§. V. Non defuere tamen his temporibus viri quidam docti, qui ſupra vulgi conditionem ſapiebant, quique non obſtante iſto praeiudicio ſecularis eruditionis et philoſophiae ſcriptores legere audebant. Cum autem et librorum philoſophicorum penuria, et Graeci ſermonis ignorantia vehementer obſtaret, quo minus ad meliorum philoſophorum meletemata poſſent pertingere, in Latinis ſcriptoribus, qui philologiam et philoſophiam attigerunt, ſubſiſtere coacti ſunt. Inter hos auctores, quibus tanquam claſſicis vſi ſunt medii aeui homines, primus et praecipuus fere fuit MARCIANVS MINEVS FELIX CAPELLA, philoſophus et philologus Madaurenſis ex Africa, qui imperante, vt videtur, Leone Thrace, Seculo V decurrente *nouem Librorum Satyram* edidit, dictioneque, vt tum mos erat Afrorum, aſpera et ſemibarbara interdum, philologiae *ἀποθέωσιν*, ſiue *Nuptias philologiae et Mercurii*, libris primis duobus; reliquis ſeptem ſingularum artium liberalium laudes ac praecepta complexus eſt, de cuius Satyrae hiſtoria legendus qui nobis otia fecit IO. ALB. FABRICIVS *q*. Magna attentione hunc ſcriptorem, licet delicatas aures aſperitate ſua radentem, cum meliores non ſuppeterent, legerunt ſeculi ſexti, ſeptimi et ſequentium viri docti. Nam GREGORIVS TVRONENSIS *r* hos libros egregie laudat, *quod in grammaticis doceant legere, in dialecticis altercationum propoſitiones aduertere, in rhetoricis perſuadere, in geometricis terrarum linearumque menſuras colligere, in aſtrologicis curſus ſiderum contemplari, in arithmeticis numerorum partes colligere, in harmoniis ſonorum modulationes ſuauium accentuum carminibus concrepare*, teſtaturque opus hoc in ſcholis praelectum eſſe. Diligenter quoque Dialecticam S. Auguſtini et Marcianum de liberalibus artibus, inſtinctu et exemplo praeceptoris Remigii euoluiſſe Odonem Cluniacenſem, qui ſeculo nono et decimo vixerunt, refert IOANNES eius diſcipulus. in *Vita praeceptoris* *s*.

Marcianus Capella.

p) loc. cit. p. 373. *q*) Bibl. Lat. Tom. I. p. 638. Lat. med. T. I. p. 910.
r) In fine Lib. X. Hiſt. Franc.

ris [s]. Nec depoſuere ex manibus Capellam ſequentia ſecula, SARISBERIENSIS [t] enim ad eum prouocat, vt alios ſcriptores medii aeui taceamus, breuitatis cauſſa non adducendos, quos facile colligere poterit ex indice ſcriptorum qui laudarunt Marcianum Capellam, quem praeſtantiſſimi FABRICII [u] induſtriae debemus, Lectoris diligentia. Rectequeque obſeruatum ex Nic. de Clemangis relatione, CASP. BARTHIO [x], hos Marciani libros in ſcholis praelectos eſſe. Sane Ioannem Scotum, Alexandrum Necham et Remigium Antiſſiodorenſem in Marcianum commentatos eſſe, viris doctis [y] obſeruatum eſt, quod argumento eſt, huic ſcriptori medii aeui viros eruditos plurimum tribuiſſe, verumque eſſe, quod alio loco BARTHIVS [z] obſeruauit: *Tantam his temporibus Capellae fuiſſe auctoritatem, vt qui eum teneret, videretur omnium artium arcana noſſe.* Hic vero cum praecipuus ad elegantiores et ſeueriores literas aeuo medio dux fuerit, iudicari inde facile poteſt, quam exigua eius temporis fuerit in vtroque diſciplinarum genere eruditio. Quamuis enim ſcriptor ipſe varia eruditione non careat, et imprimis multa habeat, quibus veterum de artibus liberalibus ſententiam licet cognoſcere, et ſartago tamen loquendi et tractationis obſcuritas inutiles prorſus infelicibus his ſeculis has Satyras fecerunt, quarum lectio virum poſcit veteris literaturae probe gnarum. Id quod ab horum temporum genio longe abfuit, quae ſcriptorem, ad quem intelligendum duce et interprete opus eſt, ducem ſibi et interpretem in philoſophiae et philologiae ſtudio elegerunt. Senſerunt id viri docti ipſo hoc aeuo, qui de obſcuritate Marciani conqueſti ſunt. Inter quos GANFREDVS CANONICVS *Epiſtola ad Petrum de Buxeria*, quam edidit EDMVNDVS MARTENE [a], hoc in eo vitium taxat, ſcribens: *Non petimus nos aut laſciuire cum Sidonio, aut vernare cum Hortenſio, aut inuoluere cum Marciano.* In ipſa quoque argumenti tractatione cum operoſe ſaepius Marcianus ineptiat [b], apparet inde, quam malus philoſophiae dux is ſeculis his barbaris datus fuerit. Poſt Marcianum Capellam lecti ſunt a philoſophiae diſcendae cupidis his temporibus praeter verſiones a Victorino confectas, ad quas GERBERTVS [c], ſiue Sylueſter II. pontifex Romanus prouocat, Boëthius, Macrobius, Iulius Firmicus Maternus et Chalcidius. Et BOETHII quidem magnam iam ſeculo VI fuiſſe famam *Boëthius.* et exiſtimationem ex CASSIODORO [d] et ENNODIO [e] intelligitur. Id quod minime mirandum eſt, quod virum eleganter doctum nemo ſua aetate eruditione antecelleret, cumque Graeca pauciſſimi legere noſſent, ipſius ſcripta ſufficere viderentur, ex quibus Graecae philo-

s) Apud SVRIVM Nou. 18. et in Act. SS. Bedict. Sec. V. Lib. I. n 19. p. 157.
t) Policrat. Lib. II. c. 19. p. 94.
u) Bibl. Lat. T. III. p. 185.
x) Ad Claudian. p. 32.
y) FABRIC. loc. cit.
z) Aduerſ. Lib. VIII. c. 22.
a) Veter. Monument. Anecdot. T. I. p. 506.
b) Iudicium hoc eſt Nicolai Heinſii in Ep. ad I. Fr. Gronouium, Syll. Burmanniano T. III. p 466.
c) Epiſt. 130.
d) Lib. I. Ep. 45.
e) Epiſt. Lib. VII.

ſophiae praecepta hauriri poſſent. Multum autem hanc eius auctoritatem confirmatam fuiſſe inter ſcholaſticae et monaſticae vitae homines oportet, ſi verum eſt, quod TRITHEMIVS [f] tradit: *Boëthium ſancti Benedicti amicitiam habuiſſe, et in monte Caſſino cum Tertullio Placidi monachi patre ſenatore in eius menſa comediſſe.* Illud dubio caret, omnibus Boëthium a ſeculo ſeptimo vsque ad renatas literas fuiſſe praelatum, et primum quaſi auctorem claſſicum in philoſophia fuiſſe. Cuius non contemnendum exemplum eſt, quod ipſe Alfredus Angliae rex, de cuius in literas meritis infra dicemus, librum Boëthii *de conſolatione philoſophiae*, metaphraſi Anglo-Saxonica expreſſerit, quam ſub fine nuperi ſeculi [g] publici tandem iuris fecit RAWLINSONVS. Ab hoc enim purpurato metaphraſte non potuit non Boëthius his temporibus magnopere commendari. Certatim itaque ad Boëthium prouocarunt, eumque laudauerunt medii aeui ſcriptores, in fine paginae, ne Lectorem moremur, nominandi [h]. Multum vero auxit Boëthii auctoritatem his ſeculis, quod de muſica arte ſcripſerit. Haec enim cum et artibus liberalibus adnumeraretur, et Gregorii M. cura eximium in Eccleſia locum teneret, ſtudioſe colebatur, librique huc pertinentes diligenter legebantur. Tertium, qui inter claſſicos medii aeui auctores

Caſſiodorus. numerandus eſt, nominauimus MAGNVM AVRELIVM CASSIODORVM, ſenatorem Romanum ſeculi ſexti. Is cum *de ſeptem diſciplinis* librum edidiſſet, et pro temporum ſuorum captu de grammatica, rhetorica, logica, arithmetica, muſica, geometria et aſtronomia egiſſet [i], quibus diſciplinis olim praecipua Encyclopaediae pars abſoluebatur, auide a viris doctis his temporibus lectus et commendatus

Macrobius. eſt, vt exemplo PAVLI DIACONI [k], PETRI BLESENSIS [l] aliorumque conſtat. Quartus MACROBIVS fuit, de cuius *Somnio Scipionis* et libris ſeptem *Saturnalium conuiuiorum* ſuo loco *Tomo ſecundo* quaedam attulimus, notauimusque veteris philoſophiae opiniones eum haud infeliciter expreſſiſſe. Fecit ſcriptoris eruditio et perſpicuitas, vt illis, qui paulo melius ſapiebant, Macrobius magnopere probaretur. Cuius ſpecimina multa in hiſtoria medii aeui literaria occurrunt. De geometricis enim nonnullis in Macrobium commentatum eſſe, Elbodum Epiſcopum Wimburgenſem peculiari *epiſtola ad Gerbertum* teſtis eſt continuator BEDAE [m] *de geſtis Anglorum.* Saepe numero etiam

[f] De S. E. c. CCI. p. 55.

[g] Oxon. 1698. conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 644. T. III. p. 209.

[h] THEODVLFVS Lib. IV. carm. p. 221. ed. Sirmondi PAVL. WARNEFRIED Lib. VII. Eutropii continuati Io. ERIG. SCOTVS Praef. in Libros de Conſol. phil. apud FABRIC. Bibl. Lat. pag. 638. Odo ſiue Odoardus Aurelianenſis apud PAGI Crit. Antibar. ad a. 1093. n 3. T. IV. p. 313. Io. SARISBER. Policrat. Lib. III. c. 9. Lib. VII. c. 15. p. 463. Metalog. p. 165. Commentati quoque in eum ſunt Beda, Thomas Aquinas, vel, vt alii volunt, Thomas Anglicus, Gilbertus Porretanus vel Eadmundus, Albanus, Nicolaus Triuetus, et Robertus Groshead, conf. FABRIC. l. c. T. III. p. 211.

[i] Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 651. T. III. p. 218 Extat liber inter eius opera Rothomagi 1676. edita Tomo II. et ſeorſim Paris 1540. 4. 1580. 8.

[k] Lib. VIII. Hiſt. Rom.

[l] Epiſt. 101.

[m] Lib. II. c. 14. apud LAVNOIVM de ſcholis celebr. c. XXI. p. 81.

etiam ad Macrobium prouocat HONORIVS AVGVSTODVNENSIS in libris *de philosophia mundi* [n]. Maxime vero IO. SARISBERIENSIS [o] Macrobium commendat, eo quod sit *conspicuus in sententiis, in verbis floridus, et tanta morum venustate redundans, vt in institutione conuiuii et dispensatione Socraticam videatur dulcedinem propinare.* Addi his potest P. PITHOEI et VSSERII coniectura, *Excerpta de differentiis et societatibus Graeci et Latini verbi*, quae ex Macrobio defloratа recentioribus eius editionibus solent adiici, medii aeui laborem suppeditare, et IO. ERIGENAE SCOTO, tribuenda esse. Alia testimonia, quibus comprobari potest, Macrobium viris doctis medii aeui valde placuisse, ne nimii simus, praeterimus. Macrobio iungendus est IVLIVS FIRMICVS MATERNVS, libris octo *de matheſi*, siue *astrologia apotelesmatica, deque potestatibus stellarum ex Aegyptiorum et Babyloniorum doctrina* clarus; qui cum seculo sexto iam in ea philosophiae parte, quae de mathematica agit, magni fieret, vt ex SIDONII APOLLINARIS *epistola ad Pontium Leonem* [p], videre est, multos quoque, non obstante doctorum Ecclesiasticorum ira et clamoribus contra philosophiam et mathematicam, lectores reperit. Meminit eius HONORIVS AVGVSTODVNENSIS [q] et post eum inferioris aetatis alii [r]. Tandem adiiciendus his est CHALCIDIVS, cuius *Commentarium in Timaeum Platonis* a philosophis emunctioris naris media aetate lectum fuisse ex IO. SARISBERIENSE [s] et THOMA BRAWARDINO [t] discimus. Ex his vero intelligimus, non defuisse his seculis viros doctos, qui oculos attollere ad profanos scriptores, qui de artibus liberalibus commentati sunt, auderent. Sed quo minus inde philosophiae incrementa emergerent, temporum infelicitas, et ingeniorum paupertas obstitit. Plerique enim ex adductis scriptoribus, quos auctorum classicorum instar eos habuisse probauimus, aut non ex instituto artium et scientiarum philosophicarum praecepta tradidere, sed aliud agendo ea inspersserunt; aut commentationes quidem philosophicas scripserunt, sed ex penitiori philosophiae consideratione petitas. Vtrumque genus magnam veteris doctrinae et philosophiae peritiam postulat, qua qui imbuti praeparatique non sunt, frustra ad eorum auctorum lectionem accedent. At haec omnia infelici aeuo deerant, quod nec ingenium satis cultum habebat, nec lectionem in veterum scriptis subactam, nec iudicium in philosophia Graeca exercitatum, adeoque fructum ex hac lectione exiguum poterat reportare. Id quod ea scriptorum medii aeui loca, quibus ad illos prouocant legentibus erit in propatulo.

Firmicus Maternus.

Chalcidius.

§. VI.

n) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. III. p. 145.
o) Policrat. Lib. VIII. c. 10. p. 567.
p) Praefixa carm. XXII.
q) De Philosophia Mundi Lib. II. c. 5.
r) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. T. III. p. 97.
s) Metalog. L. IV. c. 9. p. 890.
t) In causa Dei contra Pelagium.

§. VI. Praeter profanos illos, vel vt hoc tempore vocari consueuerunt, seculares scriptores, ecclesiasticus quoque magni nominis auctor silentio inter eos praetereundus haud est, qui ducis instar in philo-
Augustinus. sophia hac aetate electi sunt. Fuit is sanctus AVGVSTINVS, cuius magna semper in Ecclesia tum ob eruditionem tum ob pietatem fuit existimatio, lectioque scriptorum eius eo gratior hisce seculis quo acutius disputauisse, et scholasticam scribendi methodum seruauisse videbatur. Id quod nonnullos ex recentioribus permouit, vt doctissimum praesulem inter anteambulones scholasticorum eorumque philosophiae atque theologiae referrent [a]; iure an iniuria? alio loco dispiciendum est. Is quam peritus fuerit in arte Dialectica, quamque acute more Academicorum disputauerit, adeo, vt contra Ambrosium differens eum coëgerit ad preces confugere, ne sophismatis eius caperetur [b], *antecedente Capite* accurate exposuimus. Cum itaque hanc eius dialecticam eruditionem nossent, qui his seculis vixerunt, isque ob reliqua quoque, quae conscripsit, opera in Ecclesia esset commendatissimus [c], liberque sub eius nomine ferretur, qui Dialecticae praecepta exhibebat, aliusque Augustini nomen praefixum haberet, quo categoriae explicantur, hi libelli hermathenae instar philosophantibus commendati et publicis lectionibus in scholis explicati sunt, ita vt praestantior inter libros philosophicos auctor haberetur nemo. Eius rei documenta plurima in sequentibus occurrent, vnde ea hoc loco breuitatis caussa non tangimus, sed id vnum modo obseruamus, in publicis philosophiae lectionibus fundamentum hanc Dialecticam posuisse Remigium et Odonem Cluniacensem, vt ex huius vita constat [d]. Nec alius mos fuit seculorum reliquorum, quamdiu contemta et abiecta iacebat Aristotelis Dialectica [e]. Quo e puluere et squalore caput extollente, Augustini Dialecticae auctoritas diminui, et ex scholis illa proscribi coepit. Deceptos autem esse philosophiae studiosos seculis his mediis, dum Augustini auctoritate, famaque permoti hunc libellum ad discenda rationalis philosophiae praecepta adhibuerunt, ratos ita magni in Ecclesia viri se opera ad hoc sapientiae genus duci, ex iis manifestum est, quae *superiori Capite* de hac Dialectica Augustino tributa differuimus. Ibi enim monuimus, praestantissimos operum Augustini editores monachos Benedictinos ex congregatione S. Mauri in Gallia non sine iudicii sagacitate et artis criticae calculo hunc libellum ex serie scriptorum Augustini eieciisse, eo quod Dialectica, quam Augustinus scripsit, ipso teste, Pythagoricis et Platonicis principiis superstructa fuerit, haec vero Stoicam Dialecticam exhibeat: in libro quoque de *Categoriis* antipodes afferantur, quos alibi [f] AVGVSTINVS negat. Vnde suspicatus est editor FORTVNATIANI

a) BARBEYRAC. de Phil. mor. patrum praef. p. 59. aliique plures. b) Serm. 92.
c) Vid. EGINHARDVS in Vita Caroli M. c. 24. d) Vid. LAVNOIVS de Scholis cel. c. LIX. art. 1. p. 178
e) Conf. IDEM de fort. Arist. c. V. p. 197.
f) De C. D. Lib. XVI. c. 9.

TIANI *rhetoricorum*, PETRVS NANNIVS [g] Dialecticam hanc Auguſtini ad Fortunatianum referendam eſſe, eo quod vtrumque et verbis et ſententiis conuenire videat [h]. Quicunque vero huius Dialecticae auctor fuit, illud dubio caret deceptos fuiſſe, qui libello, ſpinoſam Stoicorum Dialecticam ſatis ieiune propinanti ob Auguſtini nomen famamque tantam auctoritatem detulere, vt maior vix poſſit. Cuius vt exemplum Lector habeat, en ex prologo quaedam, quem ad Carolum Magnum libello praefixit ALCVINVS et ex mſc. edidere Benedictini.

Continet iſte decem naturae verba libellus,
Quae iam verba tenent rerum ratione ſtupenda,
Omne quod in noſtrum poterit decurrere ſenſum.
Qui leget, ingenium veterum mirabile laudet,
Atque ſuum ſtudeat tali exercere labore,
Exornans titulis vitae data tempora honeſtis.
Hunc Auguſtino placuit transferre magiſtro
De veterum gazis Graecorum claue Latina,
Quem tibi rex magnus, Sophiae ſectator, amator
Munere qui tali gaudes, modo mitto legendum.

§. VII. Ex his quae de fontibus, auctoribusque claſſicis *, quibus in addiſcenda philoſophia vſi ſunt medii aeui viri docti, differuimus, ſole meridiano clarius patere exiſtimamus, quam curta ſupellex fuerit hac aetate philoſophantibus, et quod impoſſibile fere fuerit, vt magni philoſophi ſurgerent. Seculo itaque ſeptimo, de quo dicere coepimus, non inuenimus, quem magnopere commendemus, licet non dubitemus, quin his quoque temporibus ingenia fuerint, quae ſi in aliam aetatem incidiſſent, haud obſcurum in philoſophia nomen fuiſſent conſecuta. Inter ea ISIDORVM HISPALENSEM non immerito numerandum putamus, fratrem Fulgentii et Leandri, ſummis in Eccleſia honoribus functorum, qui et ipſe archiepiſcopalem dignitatem Hiſpali poſt fratris obitum A. C. DXCV ſuſcepit, et A. C. DCXXXVI obiit. De cuius hiſtoria vitae ſcriptorumque atque muneris poſt SIGEBERTVM GEMBLACENSEM [i], HONORIVM AVGVSTODVNENSEM [k], ILDEFONSVM [l], ANONYMVM MELLICENSEM [m], TRITHEMIVM

Seculi VII philoſophi.

Iſidorus Hiſpalenſis.

[g] In Praefatione.
[h] Scribit inter alia: „Hic dum vtriusque „rhetoricam confero, video illis plerumque et „verbis et ſententiis conuenire. Procedo ad „Dialecticam vtriusque, nihil omnino varieta„tis deprehendo. Miror, qui acciderit, vt „quae vel Fortunatiani ad Auguſtinum, vel „quae Auguſtini ad Fortunatianum tranſierint, „niſi forte alter alterius praeceptor fuerit, et „magiſtri traditiones, vt fieri ſolet, ſuis libris „impreſſerit." Monentque editores Benedictini, eum librum ſub Curii Fortunatiani nomine prodiiſſe Baſ. 1558. Vid. T. I. Opp. Aug. p. 614.
*) Plerosque auctores aeuo medio in ſcholis praelegi ſolitos enarrat EBERHARDVS Bethunienſis Sec. XII ſcriptor, in Graeciſmo, apud LEYSERVM in Hiſtor. Poëtarum medii aeui p. 825.
[i] De S. E. c. 55.
[k] Lib. III. c. 40.
[l] c. 9.
[m] c. 26.

HEMIVM [n] recentiores hiſtoriae literariae ſcriptorum eccleſiaſticorum auctores tantum non omnes [o] conſulendi ſunt. Quantus ille vir fuerit, ex elogio diſci poteſt, quo eum mactauit concilium Toletanum VIII, A. C. DCXXXVI habitum, vbi audit *noſtri ſeculi egregius doctor, Eccleſiae catholicae nouiſſimum decus, praecedentibus aetate poſtremus, doctrinae comparatione non infimus, et quod maius eſt, in ſeculorum fine doctiſſimus, atque cum reuerentia nominandus Iſidorus.* Alia ILDEFONSI [p], BRAVLII [q], TRITHEMII [r] aliorumque medii aeui ſcriptorum [s] teſtimonia, et recentiorum quoque elogia [t] tacemus. Certe virum fuiſſe non ſacrae modo ſed et profanae literaturae peritiſſimum, eius ſcriptā a laudatis viris enarrata, paſſimque a ſcriptoribus hiſtoriae literariae eccleſiaſticae enumerata oſtendunt. In quibus licet conſarcinatorem egerit veterum, centonisque inſtar ex illorum ſcriptis ſua conſuerit, iudicium tamen in ſeligendis optimis probauit, cumque multa excerpſerit ex libris, quibus hodie caremus, non inutilem praeſtitiſſe operam ſequentibus ſeculis cenſendus eſt. Quae ratio permouit magnum SCALIGERVM [u], vt Iſidori libros valde commendaret. Inter eos *opus* potiſſimum *etymologicum*, ſiue *originum libri XX, praemiſſis tribus ad Braulionem epiſcopum Caeſarauguſtanum epiſtolis, huiusque duabus Braulionis ad Iſidorum*, locum aliquem Hiſpalenſi epiſcopo facit in hiſtoria philoſophica medii aeui. Non enim ſolas etymologias ſectatur, aridoque calamo ieiunum argumentum proſequitur, ſed per omne fere eruditionis genus diffuſus plaeraque ſcitu digna et multa egregia alibique vix reperiunda affert. Inter haec autem multa ſunt, quae ad philoſophiam et mathematicas artes ſpectant. Agit enim *libro ſecundo* de dialectica, *tertio* de quatuor diſciplinis mathematicis, *quarto* de medicina, *vndecimo* de homine et portentis, *duodecimo* de animalibus, *decimo tertio* de mundo et partibus, *decimo quarto* de terra et partibus, *decimo ſexto* de lapidibus et metallis. Librum quoque *de natura rerum ſeu mundo* edidit, quo coſmographiam quandam exhibet [x], vel ideo commendandam, quod multa fragmenta Nigidii, Varronis, Suetonii Tranquilli aliorumque exhibeat dudum deperdita. Ex his vero tum de ipſa Iſidori philoſophia, tum de meritis eius in eandem iudicandum eſt. Priorem ex collectaneis veterum magis conſtitiſſe, quam ſyſtema aliquod cohaerens expoſuiſſe ex dictis intelligitur, adeoque magnum inter philoſophos locum, quem forte non admodum affectabat, non

n) De S. E. c. 232.
o) Ad annum 595. add. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. IV. p. 539. VOSSIVS de Hiſt. Lat. p. 263. NIC. ANTON. Bibl. Hiſpan. vet. T. I. p. 251. ſeqq.
p) De vir. illuſtr. c. 9.
q) Praef. ad libros Iſidori, quam quoque exhibet OVDINVS de S. E. T. I. p. 1583.
r) De S. E. c. 232.
s) Supra not i) ſeqq.
t) Vid. TH. POPE-BLOVNT Cenſ. celebr. auct. p. 334.
u) Scaligerana prima p. m. 95.
x) In eo „tam de eccleſiaſticorum doctorum, „quam etiam de philoſophorum indagine obſcu„ra quaedam de elementis abſoluiſſe," ait BRAVLIO in Praef.

non occupat *y*. Haec vero non exigua fuiſſe, ob plurima veterum philoſophorum, qui inter Latinos ſcripſerunt, fragmenta et excerpta, conſeruata omnino fatendum eſt. Quamuis enim non vbique iudicium probauerit, ſuaque non ex ſuis horreis, ſed ex aliorum penu hauſerit, eandem tamen philoſophiae eiusque hiſtoriae praeſtitit operam, quam in Diogene Laërtio, Suida, Stobaeo, aliisque collectaneorum philoſophicorum ſcriptoribus merito laudamus *z*. Id quod eo magis inter eius merita referendum eſt, quo magis ſecula haec meliora non habebant, nec egebant, magnaque erat veterum ſcriptorum penuria. Durius itaque cum Iſidoro agunt, nec aeui illius, quo vixit conditionem ſatis recordantur, qui centonum conſarcinatorem fartoremque ſemipriſcum nominando plagii et ineptae compilationis reum agunt *a*. Quem ſi non habuiſſent ſeculorum ſequentium ſcriptores, in multis grauius coecutiiſſent, nec depromere potuiſſent ea, quibus ſcripta ſua tanquam gemmis exornant, quod feciſſe Rabanum Maurum obſeruauit GVIL. MALMESBVRIENSIS, inuito licet GVIL. CAVEO *b*. Qui ſi cogitaſſet, hunc omnium fere medii aeui ſcriptorum morem fuiſſe, vt praecedentes ſcriptores excerperent, et ex his ſua compilarent, intellexiſſet, nihil Rabani eruditioni, qualis Seculo IX fuit, derogare, quod Iſidorum exſcripſerit.

§. VIII. Fuit haec philoſophiae ſeculo poſt natum redemtorem ſeptimo facies, quae tantum abeſt, vt ſequente octauo, (quo periiſſe in oriente quoque et literas et philoſophiam *praecedente capite* probauimus) comtior et ornatior prodierit, vt potius deformem, quam iam ſeculo ſeptimo acceperat, vultum deteſtabili barbarie et ignorantia pudenda magis augeret. Quanta ſeculi huius in omni eruditionis genere, tam ſeculari, quam eccleſiaſtico, corruptio atque tenebrarum denſiſſimarum velum ingenia obumbrauerit, dicere hoc loco non licet, et ab iis expoſitum eſt, qui annales eccleſiaſticos et literarios condiderunt *c*. Vno id exemplo confici poteſt, quanta tunc inter eos, qui eruditi habebantur, inſcitia regnauerit, nempe concilii Toletani canone VIII, qui prohibuit ordinare clericum, pſalterium, et cantiones ſolennes baptiſmique ceremonias ignorantem. Tales cum admoueri vetet ſynodus ſeculo VII habita, quales credas inter viros eccleſiaſticos repertos fuiſſe, ſeculo VIII, in dies augeſcente barbarie? Haec cum ad eruditionem eccleſiaſticam tam ſplendidum concilium ſufficere iudicauerit, quis quaeſo locus philoſophiae eſſe potuit, cum legere et pſallere in eruditionis parte haberetur? Mirandum itaque non eſt, loco literarum et philoſophiae, canendi artificium eccleſiaſticum hoc ſeculo obtinuiſſe, eumque pro inſigni philoſopho viroque eruditiſſimo reputatum fuiſſe, qui optime omnium

Facies philoſophiae Sec. VIII.

y) Inde BALTH. BONIFACIO Ludier. Hiſtor. Lib XV. c. 5. audit non tam doctrina, quam vita philoſophus.

z) BEAT. RHENAN. ad Tertull. de poenit. p. 417.

a) I. DOVSA ad Salluſt. p. 18. conf. IAC. THOMAS. de plagio lit. n. 474. ſeqq.

b) Hiſt. Liter. Scr. Eccl. p. 456.

c) Conf. BALVZIVS not. ad Reginon. Prumienſem p. 540.

cantaſſet. Quod ne ſine teſte dixiſſe videamur, ecce miram litem, quam in vita Caroli M. narrat monachus Engoliſmenſis [d]: *Ecce orta eſt contentio per dies feſtos Paſchae inter cantores Romanorum et Gallorum. Dicebant Galli melius ſe cantare et pulchrius, quam Romani. Dicebant ſe Romani doctiſſime cantilenas eccleſiaſticas proferre, ſicut docti fuerant a S. Gregorio papa, Gallos corrupte cantare, et cantilenam ſanam deſtruendo lacerare, quae contentio ante dominum regem Carolum peruenit. Galli vero propter ſecuritatem domini regis Caroli valde exprobrabant cantoribus Romanis. Romani propter auctoritatem magnae doctrinae eos ſtultos, ruſticos et indoctos, velut bruta animalia affirmabant, et doctrinam ſancti Gregorii praeferebant ruſticitati eorum.* Non afferemus reliqua, quibus narrat, quomodo Gallorum cantum ad normam Gregoriani cantus reformauerit imperator, ne taedio Lectorem afficiamus, legi haec apud ipſum biographum poſſunt, vel apud LAVNOIVM, qui non immerito hoc exemplum eſſe ait, *literarum ſtudia, quae priſcis Eccleſiae temporibus viguerant in Gallia, et praeſtantiſſimos cultores habuerant, paulatim excidiſſe.* Non haec vero ſolius Galliae hoc ſeculo labes fuit, ſed per omnis occidentis regiones malum hoc inualuit. Nec dubitamus affirmare, ipſam, quam in conſtituendo cantu eccleſiaſtico [e] poſuit diligentiam Gregorius M. multum ad hanc barbariem contuliſſe. Dum enim viros eccleſiaſticos in eo totos occupat, dum potiſſimum in eo ſtudium ponit, dum aliis praefert, literarum et philoſophiae totus fere orbis Occidentalis obliuiſcitur: et quo magis ignorantiam alit et otia fouet pſallendi ſtudium, eo magis decreſcunt ſeueriores ſcientiae. Neque hoc ſolum malum fuit, ſed qui philoſophiae ſtudio ſe exercuiſſe videri volebant, muſicam hanc eccleſiaſticam excolebant, tempusque ſcribendis de arte cantandi pſallendique libris [f] terebant, eo quod muſica partem philoſophici curſus conſtitueret. Quod hoc quidem loco digito tantum attigiſſe ſufficit, cum ad eccleſiaſticam hiſtoriam pertineat, et a viris doctis abunde ſit enarratum, in hac tamen hiſtoriae philoſophicae medii aeui parte inter impedimenta philoſophiae omnino attentionem meretur.

Monaſteria maxime Ord. S. Benedicti aſyla philoſophiae, ſed miſera.

§. IX. Magnis itaque tenebris hoc ſeculo occupata ſunt plerorumque, qui docti haberi volebant, ingenia, vixque remedium aliquod barbariei inuentum eſt, quod, licet ſatis imbecille et inefficax, monaſteria exhibere videbantur. In quae cum illi recipiendi eſſent, qui praeter muſicam Eccleſiaſticam et computum Eccleſiaſticum, pauca quaedam artium liberalium elementa hauſiſſent, factum inde eſt, vt in illis iuuenes ad ea praepararentur, ſicque aliquod literarum aſylum in his locis ſacris reperiretur.

d) Integrum locum affert LAVNOIVS de ſcholis celebr. cap. I. p. 3.

e) Scriprores huc pertinentes recenſet FABRICIVS Bibliograph. antiq. c. XI. p. 368. ſeqq.

f) Elenchum ſcriptorum medii aeui Latinorum de muſica cantuque Eccleſiaſtico exhibet FABRICIVS Biblioth. Lat. med. Tom. I. p. 644. ſeqq.

tur. Solet haec gloria ad monachorum Occidentalium parentem S. Benedictum referri [g], qui cum familiae suae hominibus commendaret in praescripta regula, vt qui initiari sacro ordine vellent, prius docerentur, occasionem huius ordinis ascetis dedit scholas eas in monasteriis suis erigendi, in quas Musae hoc aeuo proscriptae et profugae tanquam in latibulum quoddam secesserunt. Sunt tamen nonnulla, haud leuis momenti, quae viri eruditi [h] contra receptam hanc opinionem vrgent, contendentes, nihil ipsum ordinis patriarcham ad literarum culturam sua regula contulisse. Monent enim, ipsum Benedictum a literis auerso plane fuisse animo, easque contemsisse. Ita enim ex Gregorii papae *dialogo secundo* ANTONINVS, *summae historialis* [i] scriptor: *Benedictus nobiliore genere ex prouincia Nursiae ortus Romae liberalibus literarum studiis traditus a parentibus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressu mundi posuerat pedem retraxit: ne si quid de eius scientia attingeret, ipse quoque postmodum in immane praecipitium totus iret. Despectis itaque literarum studiis, relicta domo rebusque paternis, soli Deo placere desiderans, sanctae conuersationis habitum quaesiuit. Recessit itaque scienter nescius et sapienter indoctus.* Nec his obstant, quae passim vitae eius scriptores memorant, Romanos nobiles filios suos sancto praeceptori erudiendos commendasse, sicque Equitium Maurum, Tertullium vero Patricium Placidum ei tradidisse: haec enim non de institutione literaria, sed ascetica et monastica, quae ad vitae sanctimoniam euitandaque seculi vitia comparata esse debebat, referenda sunt. Ipse quoque, Maurus, Benedictinorum in Gallia monachorum conditor, si vera sunt, quae in vita eius dicuntur, quae nonnullis suspecta est [k], aliam Francicae iuuentutis institutionem non respexisse videtur. Ipsa porro S. Benedicti regula hanc virorum doctorum sententiam confirmare videtur, quae de studiis vel secularibus vel sacris excolendis habet nihil, et lectionem atque meditationem tantum asceticam iniungit, opus manuum quotidianum autem suis acriter commendat, quod luculento argumento est, Benedictum veterum ascetarum instituta imitatum de literis inter suos excolendis nihil cogitasse, quod et alios quoque ordines sacros qui tum inclarescebant, non feciſſe ex eorum regulis a LVCA HOLSTENIO editis [l] manifestum est. Vnus Cassiodorus *Institutiones* suas *diuinas humanasque* siue *Lectiones* pro monachis suis Viuarienſibus condidit, vt manuductionem haberent ad diuina humanaque studia. Qui licet eodem cum Benedicto tempore vixerit, probari tamen non potest, hoc Cassiodori institutum ad Benedicti familiam transiisse, immo

g) Vid. CONRING. Antiqq. Acad. Diss. III. p. 62.
h) Vid. IDEM Supplem. XXX. p. 272. seqq.
i) Tit. XV. c. 13.
k) Conf. BAILLET. Vit. nou. SS. BASNAGE Hist. Eccles. Lib. XXI. c. 4. T. IV. p. 1621. seqq. quibus respondet RVINART. peculiari Apologia pro missione S. Mauri in Galliam, Paris 1702. 8. lingua Gallica edita.
l) In Codice regularum Romae 1661. edito.

hiſtoriae fidei conſentaneum eſt, monaſticam Benedicti ſimplicitatem tandem literarum ſtudium a Caſſiodoro commendatum et promotum ſuppreſſiſſe. Alia, quae viri eruditi hac de re afferunt, copioſe non repetemus, legenda apud elegantiſſimae doctrinae virum GABRIELEM NAVDAEVM[m], qui prolixe ad obiecta exempla eruditorum ex Benedicti coetu virorum veterum et primorum reſpondit, quae allegari ſolent, vt probetur, literarum ſtudia in hoc ordine a prima inſtitutione viguiſſe. Is enim illuſtres illos viros Benedictinos fuiſſe cum multis aliis pernegat. Nos hanc controuerſiam neque excutiemus, neque dirimemus, cum habeat haec ipſa familia, ſine contradictione a ſeculo nono ad noſtra tempora de literis omnium meritiſſima, viros doctiſſimos, qui pro gentis ſuae gloria literaria decertare poſſint, et ex parte quoque decertarunt. Illud vero dubiis eximendum putamus, monaſteriorum quorundam praeſidio ingruentem barbariem euaſiſſe ſeculo octauo, quicquid literarum et philoſophiae cognitione tinctum quodammodo fuit: quod tamen ſi cum prioribus temporibus comparaueris, ſtellarum inſtar nebuloſarum fuit, quae coecam noctem ſpiſſasque tenebras colluſtrare lumine non poſſunt ſuo. Id qua ratione hoc ſeculo factum ſit, iam porro enarrabimus.

Hibernia et Anglia aſyla philoſophiae.

§. X. Nempe vbique regnabat inſcitia, triumphabat cum Barbarorum armis barbaries, quam in Italiam Longobardi, in Hiſpaniam et Galliam Saraceni etc. inuexerant *. Sola Britannia, literarum cultu felix inſula exules Muſas patentibus vlnis amplexa profugam cum reliquis literis philoſophiam cultu ſqualoreque deformem vixque dignoſcendam recepit et in amplexus admiſit ſuos. Id imprimis et iure quodam ſuo ad Hiberniam pertinet, quo hoc ſeculo Angli literarum addiſcendarum cauſſa adhuc proficiſci ſolebant. Qua de re ita GVIL. CAMBDENVS: *Anglo-Saxones noſtri illa aetate in Hiberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam, vndique confluxerunt. Vnde de viris ſanctis in noſtris ſcriptoribus legitur: amandatus eſt ad diſciplinam in Hiberniam.* Recte id probat auctoritate biographi veteris *Sulgeri*, qui in hac eius vita:

Qui poſtquam nablam primo tener edidit infans
Perluſtrat ſcholas ſtudio florente Britannas
At creſcente ſimul ardore et tempore multo
Exemplo patrum commotus amore legendi
Iuit ad Hibernos Sophia, mirabile claros.

Ex quibus verbis acute, niſi fallimur, colligit HERM. CONRINGIVS[n] illa tempeſtate Britanniae quidem ſuas fuiſſe ſcholas, ſed aptas magis

m) In Coniect. cauſſae Kempenſ. p. 155.

* Prolixe de hac barbarie inter Galliae incolas obtinente differunt eruditiſſimi literariae hiſtoriae inter Gallos ſcriptores, initio Tom IV.

n) Antiquitat. Academ. Supplement. XXXI. p. 230.

magis primae aetati, in Hibernia autem doceri philoſophiam ſolere. Et ex hac inſula in Britanniam philoſophiam commigrauiſſe, teſtis eſt ERICVS ANTISSIODORENSIS [o], ad Carolum Caluum ſcribens; *quid Hiberniam memorem, contemto pelagi diſcrimine, pene totam cum grege philoſophorum ad littora noſtra migrantem?* Nec exemplis huius rei deſtituimur. Ioannem enim Scotum, ex plerorumque mente Hibernum ex ea inſula philoſophiam in Angliam deportauiſſe, in ſequentibus dicemus. Sanctitatis quoque inter Britannos laude celebres viros Egbertum, Wicbertum et Wilgiſium, eorumque exemplo excitatum Willibrordum in Hiberniam ſoluiſſe diſciplinae literariae et ſcholaſticae eruditionis cauſſa, affirmat ALCVINVS [p]. Ex hoc itaque equo Troiano egreſſi cum in Angliam rediiſſent viri literarum et philoſophiae ſtudioſi, Anglia quoque viris doctis repleta eſt. Quos cum nonnulli peregrini iuuarent, factum eſt, vt paucae illae philoſophiae reliquiae, quas barbaries nondum extinxerat, vires pauliſper reſumere, et reflo-reſcere inciperent. Inter quos memorari meretur THEODORVS CILIX, domo Tarſenſis, monachus, qui poſt medium ſeculum VII archiepiſcopus Cantuarienſis a Vigiliano pontifice Romano conſtitutus, cum in Angliam veniſſet, id ſibi datum credidit, vt Eccleſiae Anglicanae faciem pulchriorem faceret, nitorique reſtitueret ſuo. Is diu in componenda Eccleſia Anglicana ad eam imaginem, quam Romae pictam acceperat, laborauit, qua de re adeundi ſunt annalium Britannicorum conditores, et in his maxime HENRICVS SPELMANNVS [q], reliquique, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt auctores [r]. Hac emendatione perfecta, cum pro temporis ratione ſeculari eruditione homo Graecus, et in patria literarum ferace inſtitutus literis non careret, ad barbariem pellendam reuocandasque literas animum adiecit. Quod iam diu meditatus Bibliothecam copioſam tam Graecis quam Latinis libris inſtructam ſecum in Angliam adduxit; cumque ipſe in arte metrica, aſtronomia et arithmetica ſiue computo eccleſiaſtico, et muſica eccleſiaſtica haud contemnendos profectus feciſſet, alios quoque in his literis erudiuit, teſte BEDA [s], qui ſimilia de eius ſucceſſore Berechtwaldo memorat, alioque loco Tobiam quoque epiſcopum Rhoſenſem eius diſcipulum nominat, ſecularem eruditionem a Theodoro edoctum. Alia Bedae loca diligenter a CONRINGIO [t] collecta, breuitatis cauſſa praetermittimus. Laudabile fuiſſe hoc Anglorum ſtudium omnino fatendum eſt, praeſtititque paucas quasdam ſtellulas Cimmeriam iſtam literarum noctem diſtinxiſſe, quam tenebris cuncta fuiſſe obumbrata. At, quae iſtorum temporum fuit infelicitas, parum iſtorum virorum in monaſteriorum ſcholis vigili ſtudio in literas incumbentium diligentia in pellenda promouit barbarie, et tantopere malum illud, quod totam Eccleſiam inuaſerat, inualuit, vt

Theodorus Cilix.

BEDA,

o) In vita S. Germani.
p) In vita Willibrordi.
q) Ad. A. C. 668. T. I. concil. Angl. p. 152.
r) CAVE pag. 387. OVDINVS T. I. p. 1655.
s) Hiſt. Anglic. Lib. IV. cap. 1. 2.
t) Loc. cit. pag. 285.

BEDA[w], qui ex praecipuis se pesti ingruenti obiecit, *Lectorem rem lacrymis dignam contemplari* iubeat, *quantum Ecclesiae status in peiora quotidie, vel vt mitius dicat, ad infirmiora gerenda deuoluatur.* Id imprimis ad philosophiam referendum esse, nec in ea aliquid, quod hoc nomine vere dignum sit praestitisse eos, qui reformatores emendatoresque barbariei videbantur, Bedae exemplo constat. Nec diu in Britannia haec felicitas durauit. Cum enim paulo post crudelibus Danorum aliorumque populorum Septentrionalium depraedationibus et vastationibus cuncta iterum barbarie mergerentur, per aliquot secula honos literarum in hac gente redire non potuit, et licet subinde vires eruditio et philosophia resumere tentaret, quod imprimis curante Aelfrido rege aliquandiu factum, vt infra dicemus; sub Normannicae tamen familiae regibus emergere demum potuit, id quod seculo XI contigisse, ex Guilielmi conqueſtoris aetate intelligitur. Testem damus GVILIELMVM MALMESBVRIENSEM celebrem huius gentis historicum, scribentem [x]: *Literarum et religionis studia obsoleuerant, non paucis ante aduentum Normannorum annis. Clerici literatura tumultuaria contenti vix sacramentorum verba balbutiebant: stupore et miraculo erat ceteris, qui grammaticam nosset.* Continuator autem *Historiae* BEDAE[y], *cum eo*, ait, *sepultam esse pene omnem gestorum notitiam ad nostra tempora. Adeo nullum Anglorum studiorum eius aemulum, nullum gloriarum sequacem fuisse, qui omissae monetae lineam persequeretur. Paucos, quos aequus amauerit Iesus, quamuis literis non ignobiliter informatos tota vita ingratum consumpsisse silentium. Alios vix primis labris illas gustantes ignauum confouisse otium. Ita cum pigro semper succederet pigrior, multo tempore studiorum in tota insula tepuisse feruorem.* Sed haec ad sequentia pertinent secula, quae tamen in octauo, iam coeperunt. In quo cum nonnulla comtiora emicuerint ingenia, quae vmbram quandam studiorum philosophicorum seruauerunt, ea iam nobis enarranda sunt.

Aldhelmus. §. XI. Floruit exspirante seculo septimo et exoriente octauo ALDHELMVS, quem scriptores Adelmum quoque, Adelinum, Althelmum vocant [z]: is Anglus, ex regia Isae Visi-Saxonum familia oriundus fuit. Qui cum Theodorum Cantuariensem, Adrianum et Maildulphum domi praeceptores habuisset, iuuenis adhuc Galliam et Italiam peragrauit, tantoque ardore et industria in literas incubuit, vt a nemine sui temporis facile vinceretur. Redux primo monachus deinde abbas Bladunensis factus est, cui monasterio a praeceptore Maildulpho, nomen Maildulphsburgum, fecit, ex quo hodiernum Malmsburiense factum est. Tandem Schirburnensis Ecclesiae antistes factus anno DCCIX,

w) Exposit. allegor. in Samuel. L. IV. cap. 2.
x) Lib. III. conf. MATTH. WESTMONASTER. Chron. ad ann. 839.
y) Lib. I. c. 8.
z) PITSEVS de Script. Britann. p. 116.

DCCIX obiit. Huius ideo hoc loco mentionem facimus, quod BEDA [a] teſtatur, *fuiſſe virum vndecunque doctiſſimum, et ſermone nitidum, et ſcripturarum tam liberalium quam eccleſiaſticarum eruditione mirandum.* Quae eius eruditio philoſophiam quoque attigit; ſcripſit enim *de octo vitiis principalibus*, librumque *de natura inſenſibilium*; itemque *de arithmetica, de aſtrologia, de ſchematibus, de philoſophorum diſciplinis*; de quibus ſcriptores hiſtoriae literariae Britannicae Io. PITSEVS [b], et Io. BALEVS [c], et qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt [d], videndi ſunt.

§. XII. Medio fere ſeculo octauo inter Anglos emicuit velut inter ignes luna minores BEDA, qui qualem ortum, educationem et fortunam habuerit, ipſe ad calcem *Hiſtoriae Anglorum* [e] recitat, ex quo omnes fere, qui hiſtoriam literariam ſcriptorum eccleſiaſticorum tetigerunt, ſua hauſerunt, qui cum in omnium manibus ſint, nolumus breuitati conſulturi eius vitam repetere, quae ad ſacram proprie hiſtoriam, annalesque eccleſiaſticos [f] pertinet. Scientiarum is elementa hauſit ab abbatibus Benedicto, ac deinde Oeolfrido monaſterii BB. Apoſtolorum Petri et Pauli, quod eſt ad Wirimundam ſiue oſtium Wiri amnis, et Ingiruum. Sed et epiſcopo Hagulſtadenſi Ioanni, poſtea ad Eboracenſem ſedem promoto in diſciplinam traditus eſt, diemque obiit A. C. DCCXXXV. Inter philoſophos ſui temporis eum numeratum fuiſſe, ex incondito, quod ei agreſtis quidam calamus poſuit, epitaphio intelligere licet, *Beda.*

Presbyter hic Beda requieſcit carne ſepultus.
Dona, Chriſte, animam in coelis gaudere per aeuum,
Daque ei Sophiae ebriari de fonte, cui iam
Suſpirauit ouans intento ſemper amore.

De quo epitaphio continuator hiſtoriae eius ita [g]: *Poteritne vlla exclamatione hic pudor extenuari, vt nec in eo monaſterio, vbi illo viuente totius literaturae exultabat gymnaſium, potuerit inueniri homo, qui memoriam eius formaret, niſi exili et miſerabili ſtilo?* Laudandus vero Beda magnopere, quod non ſacris tantum, et profanis ſcientiis atque philoſophia ingenium, quantum infelicia tempora patiebantur, exornauerit, ſed in erudienda quoque iuuentute, quae ignorantia valde premebatur, ſedulus fuerit, quo effecit, vt docti viri ex eius diſciplina prodirent, qui ingruentem inſcitiae noctem aliquantiſper ſua doctrina illuſtra-

a) Hiſt. Angl. Lib. IV. c. 19.
b) loco cit. p. 118.
c) Cent. I. p. 84.
d) CAVE p. 389. DVPIN. T. VI. p. 44. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p. 142.
e) T. III. Opp. p. 151.
f) Erunt inſtar omnium MABILLON. Sec. III. Bened. P. I. p. 531. et Acta SS. 27. Maii T. VI. p. 718. ſeqq.
g) Lib. I. c. 8.

illuſtrarunt. Quanta diligentia in literas incubuerit, ex catalogo ſcriptorum eius diſci poteſt, quem contexuerunt CASIMIRVS OVDINVS [h], et IO. ALBERTVS FABRICIVS [i]. Inter ea multa ſunt, quae demonſtrant, Bedae ingenium philoſophicum non defuiſſe, modo temporis felicitate aetatisque genio meliore fuiſſet adiutus. Sui ſane temporis homines eruditione ſua ita in admirationem rapuit, vt in prouerbium abiret, deque eo diceretur, hominem in extremo orbis angulo natum, vniuerſum orbem ſuo ingenio perſtrinxiſſe. Praecipue vero laudandum in eo eſt, quod cum ſeculares diſciplinas diligenter excoleret, libros philoſophorum etiam gentilium legerit, inque iis adeo exercitatus fuerit, vt eo ſeculo parem vix haberet. Phyſicam quoque et matheſin non ex riuulis ſordidis, ſed ex puriſſimis fontibus, hoc eſt, ex Graecis et Latinis auctoribus primis hauſiſſe, obſeruat IO. BALEVS [k]. Id quod eo magis mirandum, ſi ad SIMEONIS DVNELMENSIS [l] obſeruationem attendatur, *quod in extremo mundi angulo latens nunquam maria transfretauerit ob addiſcendam ſapientiam, ſcholasque philoſophorum nunquam frequentauerit.* Plura, ſi locus pateretur, poſſent addi ex ſcriptoribus Britannicis, qui in immenſum Bedae eruditionem extollunt. Inter quos de eruditione eius philoſophica magnifice ſentit THOMAS FVLLERVS [m], de eo ita pronuntians: *Seculi ſui omnigena eruditione ornatiſſimus fuit. Incipiat ab eius axiomatibus ſophiſta, ad eius metaphyſica progrediatur baccalaureus, ad eius mathematica magiſter artium; et illum ſinguli in quauis harum artium ac ſcientiarum quouis ſcriptore Chriſtiano illius ſeculi praeſtantiorem deprehendent.* Alia de eruditione eius theologica iudicia, quae huc non pertinent, non adiicimus, cum ſufficiat venerabilis nomen, ideo illi datum, ſi fabulas nugatorum [n] reiicimus, quod ex epiſcoporum ſententia ſcripta eius publice populo praelegerentur. Et haec quidem omnia in laudem Bedae facile concedi poſſunt, modo ad ſeculi VIII conditionem referantur, et hoc pacto relatiuo ſenſu intelligantur, obſerueturque literarum culturam poſt eius aetatem, vt ſupra dictum, iterum intercidiſſe, et ita cariorem feciſſe meritorum eius memoriam. Si vero in ſe Bedae eruditio philoſophica aeſtimanda eſt, omnino fatendum, ingeniis eum magnis accenſeri non poſſe. Quamuis enim eſſet diligentiſſimus, nec a lectionis copia deſtitutus, caruit tamen iudicandi acumine, ſine quo magni philoſophi non fiunt, et quam a natura habuit iudicii vim inepto ſui temporis praeiudicio, eruditionem in farragine multiiugae lectionis conſiſtere, ſuffocauit. Cui cum accederet ſeculi, quo viuebat infelicitas, ſenſusque philoſophiae

h) De S. E. T. I. p. 1672. ſeqq.
i) Bibl. Lat. med. T. I. p. 496. ſeqq.
k) loco cit.
l) In Epiſt. ad Hugon. decanum Eborac.
m) Praef. ad res Angl. apud THOM. POPPLOVNT cenſ. celebr. auct. p. 340.
n) Vid. CALVISIVS in Chronol. ad An. 734. DVRANDVS in Rationali diuinorum officiorum c. 40. p. 280. Viuus hoc nomen ob ſummam, quam tuebatur, auctoritatem et pietatis opinionem accepit, quod, ſatis illas fabellas refutat.

loſophiae ineptus, quo ſufficiebat, ex aliis ſcriptoribus conſarcinata repetere, nihil reuera, quod momentum habeat, in philoſophia praeſtare potuit. Hinc videas, multum quidem fuiſſe Bedam in argumento philoſophico, parum autem promouiſſe. Scripſit *Commentarium in Boëthii conſolationem philoſophiae, libros quatuor de philoſophia; ſententias ex operibus Ariſtotelis et Ciceronis; de natura rerum, de diuinatione mortis et vitae; de tonitruis, de officiis: Ariſtotelis axiomata expoſita* [o], vt alia taceamus, aſtronomiam, chronologiam, geographiam, computumque atque muſicam eccleſiaſticam illuſtrantia, et ad artes liberales explicandas facientia, quibus demonſtrauit, nec voluntatem, nec ſtudium et induſtriam ſibi defuiſſe, vt magnus philoſophus euaderet. Horum vero ſcriptorum omnium ea eſt conditio, vt vires eum in tanto conatu defeciſſe conſtet. Vt taceamus enim, in plerisque alios eum tantum exprimere, et in libro de *ſchematis* Caſſiodorum, *de numero* Apuleium et Boëthium, *de diuiſione temporum* Iſidorum diligenter ſequi, et in ſua eos arua deriuare: confuſis omnia notionibus, aeui illius barbariem prodentibus ſcatent [p]. Verum inter coecos luſcum quoque imperaſſe mirum non eſt, adeo vt ipſe conqueratur [q], ſe ob librum *de tonitruis* in magiae ſuſpicionem adductum fuiſſe. Ex quo luculento exemplo foeda iſtorum temporum ignorantia et ſuperſtitio intelligi poteſt. Ceterum hoc quoque monere ex re noſtra eſt, non omnes Bedae libros genuinos videri viris doctis, et ſuppoſitionis ſuſpecta eſſe *axiomata philoſophica, ſententiasque excerptas ex Cicerone.* Libellum etiam *de philoſophia* a quibusdam GVILIELMO DE CONCHIS, de quo infra inter Scholaſticos dicetur, tribui, de quibus ſcriptis Bedae ſuſpectis videri poteſt C. OVDINVS [r].

§. XIII. Bedae coaeuus et familiaris fuit ACCA, paulo poſt Bedam defunctus, monachus et poſtea epiſcopus Hagulſtadenſis, hoc loco ideo memorandus, quod et Bedam ad colendas et propagandas literas excitauerit, et ipſe eccleſiaſtica atque ſeculari literatura pro aeui illius conditione ſatis tinctus, bibliothecam ſedi ſuae donauerit, cuius vſu collabenti eruditioni ſuppetias ferre viri docti poſſent. Eiusdem fere commatis eo tempore fuit Felix Croylandenſis ſiue Gerwenſis, quem ſeculārium literarum cognitione egregium fuiſſe ſcriptores [s] memorant. Tum EGBERTVS ſiue Ecbertus Anglus, regio ſanguine natus tandemque ab A. C. DCCXXXII archiepiſcopus Eboracenſis, huc refe- *Acca.* *Egbertus.*

 rendus

o) Laudati not. *h*) *i*).

p) Exiguam Bedae eruditionem philoſophicam fuiſſe obſeruauit etiam CONRING. loc. cit. p. 288.

q) In Praef. Libri de Tonitruis.

r) loc. cit. p. 1682. ſeqq. Eſt inter haec ſuſpecta ſcripta Bedae libellus quoque de ſubſtantiis. Hunc caue inter libros philoſophicos referas, eſt enim collectio variarum praeceptionum tam clericis quam laicis vtilium, et titulum accepit, quod etiam de ſubſtantiis monaſteriorum non alienandis agat.

s) CAVE loc. cit. p. 408. VOSSIVS de Hiſtor. Lat. Lib. II. c. 28. p. 279. OVDINVS T. I. p. 1672.

rendus eſt. Is enim inter viros ſuae aetatis literatiſſimos eminuit, cumque elegantiores atque ſeueriores diſciplinas impenſe amaret, auctoritate ſua eorum culturam, quibus poterat viribus adiuuit, eruditorum moecenas optimus promouendisque ſtudiis natus. Hinc de bibliotheca quoque ſuis proſpexit, et ad literarum ſtudia (quibus reliquias philoſophiae admixtas fuiſſe, vno hoc loco ſemel monemus) adoleſcentes ſerio excitauit. Ita enim ALCVINVS. *in epiſtola ad Carolum M.* [t]: *Date mihi exquiſitioris eruditionis ſcholaſticae libellos, quales in patria habui, per bonam et deuotiſſimam magiſtri mei Egberti archiepiſcopi induſtriam, et ſi placet, excellentiae veſtrae, remittam aliquos ex pueris noſtris, qui excipiant quaeque neceſſaria et reuehant in Franciam flores Britanniae.* Maxime Egbertum memorabilem facit FLACCVS ALCVINVS, vel Albinus, inter praecipua huius ſeculi ornamenta eaque praeſidia numerandus, quibus literarum et philoſophiae ruina inter Anglos Gallosque pauliſper cohibita eſt. Is gente Anglus, veroque nomine Alchwinus, et praenomine et cognomine eruditionis teſtimonium meruiſſe nonnullis viſus eſt. Flacci enim nomen aut ab imitatione Horatii, aut a Caroli M. gratia, illi ſimili, qua Flaccum proſecutus eſt Auguſtus, ei inditum eſſe nonnulli contendunt [u]. Alchwini autem, id eſt veteris vini explicationem ipſe hanc dediſſe videtur, in *epiſtola ad Carolum M.* [x]: *Alios vetere antiquarum diſciplinarum mero inebriare ſtudeo* [y]. Prodiiſſe Alcuinum ex Bedae diſciplina, teſtatur MONACHVS SANGALLENSIS, qui *de geſtis Caroli regis Francorum et imperatoris libros ad Carolum Craſſum duos* compoſuit [z], is enim *Albinum* vocat *in omni latitudine ſcripturarum ſupra ceteros modernorum temporum exercitatum, vtpote diſcipulum doctiſſimi Bedae, peritiſſimi poſt S. Gregorium tractatoris.* Id quod recentiores plerique ſequuntur [a]. Sed obſtare temporum rationes dudum viris quibusdam doctiſſimis obſeruatum eſt. Eo enim tempore, quo Beda vita deceſſit, quod vel A. C. DCCXXXI, vel quod plerique volunt A. DCCXXXV factum, vix vitalem auram primum hauſiſſe Alcuinus videtur. Hic enim A. C. DCCCIV obiit, ad quod tempus ab emortuali Bedae anno effluxere ſeptuaginta anni, vt fere impoſſibile ſit, Albuini adoleſcentiam ad Bedae tempora extendi, cum vix natus tunc videatur. Niſi ſtatuamus, Alcuinum octogenario maiorem obiiſſe, dicamusque puerum prima tantum literarum rudimenta a Beda accepiſſe. Nec diſplicet coniectura IOANNIS LAVNOII [b], hunc ſcriptorem Albinum ex ignorantia confudiſſe cum illo Albino, cuius Beda meminit in *praefatione hiſtoriae Anglorum* his verbis: *Auctor* ante omnes *atque adiutor opuſculi huius Albinus*

Flaccus Alcuinus.

t) Apud WILH. MALMESBVR. de geſtis pontificum Anglorum Lib. III. p. 269.

u) PAGI ad A. C. 796. n. 22. MABILLON. Sec. IV. Bened. P. I.

x) loc. cit. et apud LAVNOIVM l. c. p. 31.

y) Aliis tamen lingua Anglo-Saxonum Alchwin omnium amicus eſt, vid. ECKARD. Hiſtor. ſtud. etymol. p. 39.

z) Apud LAVNOIVM loc. cit. c. 2. p. 15.

a) PAGIVS ad A. 778. CONRING. Antiqq. Acad. Diſſ. III. p. 75. MABILLON. Sec. IV. Ben. P. I. p. 148. LAVNOIVS l. c.

b) l. c.

binus abbas reuerendiſſimus, vir per omnia doctiſſimus extitit. Quae coniectura inde confirmatur, quod cum Bedae mentionem facit Alcuinus, non ſuum vtique, ſed ſui temporis nobiliſſimum magiſtrum appellat[c]. Illud vero certum eſt, ex Egberti diſciplina Alcuinum profeciſſe, vt ex verbis ſupra adductis conſtat, aliisque eius locis demonſtrari poteſt. Hoc praeceptore non tantum Latinae et Graecae atque Hebraicae linguae notitiam ſibi Alcuinus acquiſiuit, ſed et mathematicas atque philoſophicas ſcientias, ſupra captum ſeculi ſui, ſi Anglis credimus, didicit. Sane PITSEVS[d], *eum*, ſcribit, *fuiſſe ingenii feliciſſimi, mitis animi, facundae linguae, mirae modeſtiae, moderatae grauitatis, maturi iudicii, magnae pietatis, ſingularis eruditionis, terſi ſermonis, ſtili ſuccincti, ſimplicis, puri: polite tum verſu tum proſa ſcripſiſſe: cum Latinarum literarum ſcientia Graecarum etiam et Hebraicarum cognitionem coniunxiſſe: has enim linguas et perfecte calluiſſe, et publice docuiſſe. Omnes denique ſcientias mathematicas, philoſophicas et theologicas accurate tenuiſſe, atque etiam docuiſſe.* His alia addit, iactantiora, quae non exſcribimus. IO. BALAEVS[e] autem ad annales Cantabrigienſes prouocat, teſtantes, *quod omnes illic artes liberales poſt Bedam docuerit, Latine, Graece et Hebraice peritus; et quod tandem Eboraci ſub Egberto praelegerit philoſophorum ſui temporis anteſignanus.* Et paulo poſt addit: *Hunc inſtructorem prae aliis omnibus Carolum Caeſarem habuiſſe in rhetoricis, dialecticis, mathematicis ac theologicis, qui et ſimul computandi arte atque ſiderum curſus varios ſub eo didicerit.* Horum auctoritate VOSSIO[f] quoque Alcuinus audit philoſophus et mathematicus nobilis. Sed hoc recte intelligendum, et comparate tantum accipiendum, quatenus nempe cum aliis ſui ſeculi hominibus ignauia et ignorantia ſepultis conferri poteſt, alias nimium dixiſſe laudatores iſtos omnino fatendum eſt. Id enim in literaria et philoſophica aeui medii hiſtoria vniuerſali quadam obſeruatione probe notandum eſt, viros doctos, qui tunc eminuerunt, ideo tantum extolli, quamuis mediocri enituerint doctrina, quod inter coecos luſco etiam imperandi occaſio fuerit. Non itaque elegantiorum ſeculorum viri eruditionis laude commendatiſſimi cum his viris doctis medii aeui comparandi horumque elogia ex iſtorum laudibus dimetienda ſunt, ſed id eruditioni eorum pretium ſtatuendum, quod temporum patitur conditio. Idque imprimis de Alcuino notandum, quem primorum ſeculorum literatiſſimis viris ſimilem faciunt medii aeui ſcriptores, quos in extollenda gente ſua diligentiſſimi ſequuntur ſcriptores hiſtoriae literariae Britanni. Nos medio tutiſſime ibimus, nec Alcuinum ſummorum virorum choro, et primae philoſophantium claſſi inſeremus, dabimus vero hanc meritis eius laudem, quod temporum ſuorum conditionem, qua rariſſima auis erat Graece et Hebraice doctum eſſe, longe ſuperauerit, ingeniumque quod natura acu-

c) Epiſt. 49. d) loc. cit. e) Cent. I. Script. Angl. p. 110. f) De Hiſt. Latinis Lib. II. c. 30. p. 289.

tum habebat et elegans, quantum ſeculi ſui indoles permittebat, eximie diſciplinis omnibus ornauerit, adeoque inter aetatis ſuae homines literatos principe loco numerandus ſit, quamuis cogitandum eſſe moneamus, aeuo eum barbaro vixiſſe, eiusque veſtigia quam plurima eius eruditionem referre. Maxime vero aeternam ſibi meritorum de literis fecit memoriam, quod et eruditionis ſuae, et auctoritatis, qua apud Carolum M. florebat praeſidiis vſus ſit ad reſtituendas et amplificandas literas. Cuius primam occaſionem habuit, cum in Galliam a Carolo M. euocatus, vt ipſi in Felicis Orgelitani haereſi et canonibus pſeudo-ſynodi Nicaenae expugnandis conſilio et doctrina adeſſet, imperatorem A. C. DCCLXXXI prima vice Parmae conueniſſet. Ibi enim tantopere eruditionem, fidem et prudentiam magno principi probauit, vt altera eum vice ad ſe inuitaret A. C. DCCXCII, eiusque opera ad reſtituendas excitandasque literas vteretur. Quod duplex iter ex ſerie vitae Alcuini luculenter demonſtrauit MABILLONIVS *g*. Ab eo tempore nihil in imperio Caroli M. accidit, quod vel ſtatum eccleſiaſticum vel ſcholaſticum et literarium concernebat, quod non ex Alcuini conſilio geſtum ſit. Nam et ſcholae palatinae eum praefecit, et comitem ad Synodum Francofurtanam ſibi adſciuit, et patribus eius ſynodi maxime commendauit, et eius potiſſimum inſtigatione et perſuaſione complures ſcholas in Gallia, Germania et Italia erexit. Inque his aliisque ludis literariis e. g. Fuldenſi, Pariſienſi etc. Alcuinum publice docere iuſſum eſſe, ſcriptores eius aetatis tradunt *h*. Tandem viribus ſenio conſumtis cum ab aula et ſecularibus negotiis, miſſionem diu fruſtra expetiiſſet, rudi donatus in coenobium ſuum S. Martini Turonenſe ſeceſſit, et, quod reliquum vitae erat, otio literario, iuuenumque, qui ibi magno numero confluxerant, inſtitutioni vacauit, fruſtra ſaepius in aulam ab imperatore reuocatus. Qua de re ipſe ad imperatorem ſcribit *i*: *Ego Flaccus veſter ſecundum exhortationem et bonam voluntatem noſtram aliis per tecta ſancti Martini ſanctarum in olla ſcripturarum miniſtrare ſatago, alios vetere antiquarum diſciplinarum mero inebriare ſtudeo, alios grammaticae ſubtilitatis pomis enutrire incipiam, quosdam ſtellarum ordine ceu picto cuiuslibet magnae domus culmine illuminare geſtio, plurimis factus, vt plurimos ad profectum ſanctae Dei Eccleſiae, et ad decorem imperialis regni veſtri erudiam, ne ſit vana Dei omnipotentis in me gratia, nec veſtrae bonitatis largitio inanis.* Quibus ea ſubiungit, quae ſupra iam adduximus, quibus libros ſibi exſcribi petit. Tandem ſenex A. C. CMIV obiit. Haud parum autem gloriam famamque eruditionis eius auxere diſcipuli, qui ex eius diſciplina prodiere, clariſſimi poſtea magnique in Eccleſia nominis, Rhabanus Maurus, archiepiſcopus Moguntinus, Ludgerus Monaſterienſis, Haymo Halberſtadienſis epiſcopus, et innumeri alii. Cumque eruditioni ſupra aetatis ſuae conditionem eleganti inſolitam iunxiſſet induſtriam, et

g) loc. cit. *h*) Vid. PAGI loc. cit. MABILLON. loc. cit. *i*) loc. cit.

et docendo et scribendo inter primaria eruditionis fulcra numerari meruit. Scripsit multa, passim a viris doctis, qui scriptores ecclesiasticos recensuerunt [k], indicata, quae pleraque edidit ANDREAS DV CHESNE, siue QVERCETANVS [l], cuius tamen editio ex MABILLONII *Analectis* et BALVZII *Miscellaneis* augeri potest, quaeque passim extant, recenset Io. ALB. FABRICIVS [m]. Inter haec scripta Alcuini sunt nonnulla philosophica, *de virtutibus et vitiis ad Guidonem comitem; de natura et immortalitate animae ad Eulaliam, sororem virginem; de dialectica, de septem artibus, de musica et astronomia, de differentia aeterni et sempiterni, immortalis et perpetui seculi, aeui et temporis, et quae huius generis sunt alia.* Non vero propter solam eruditionem seculo suo maiorem laudandus est Alcuinus, sed et propter magnum, quo barbariei se obiecit, animum, et propter egregiam, quam in docendo scribendoque demonstrauit prudentiam, modestia et perspicuitate stipatam, qua sacrarum literarum studio philosophiam et matheſin iungere, et discipulos maiori accuratione, quam tum fieri solebat, de disciplinis cogitare et iudicare docuit. Qui si in meliora tempora incidisset, nec obstitisset optimo viro infelicitas seculi sui, quam nec diligentia eius, nec Caroli M. gratia vincere potuit, dubium non est, quin inter primi ordinis ingenia fuisset numerandus. Ast istis impedimentis pressus, fecit non quantum voluit, sed quantum potuit, dignus tamen cuius grata in historia philosophica conseruetur memoria.

§. XIV. Alcuinus CAROLVM MAGNVM imperatorem nobis in mentem reuocat, cuius ille gratia ad restaurandas literas et philosophiam vsus est. Qui licet philosophus non fuerit, omitti tamen eius memoria in historia philosophica non potest, cum non maius in toto aeuo medio disciplinae omnes praesidium habuerint, quam hunc principem. Quem ideo natura dotibus instruxisse videtur praestantissimis, vt rei publicae, sacrae, ciuili et literariae, quae tantum non tota depressa iacebat, succurreret; quique si aliam habuisset educationis rationem, praeceptoresque in adolescentia iudicio et eruditione meliores, praeter ea, quae magni nomen illi parauerunt, facinora, maiora edidisset, immo maxima. Huic certe principi ea rei scholasticae, literariae atque ecclesiasticae facies accepta referenda est, quae sequentibus seculis barbariem aliquo modo dispulit, et quicquid fere vsque ad renatas literas memoria dignum obseruat historia philosophica. Vitam eius et res gestas qui descripserint, nostri non est recensere, notique qui in hac arena ex medii aeui et recentioribus scriptoribus desudauerunt, quos copiose quoque enumerauit inde-

Caroli M. in literas et philosophiam merita.

k) Praeter eos videndi HENSCHEN Act. SS. 19. Maii T. IV. p. 333. C. LE COINTE Annal. Franc. T. VII. p. 18. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. I. p. 134, seqq.

l) Paris 1612. fol. praefixa est eius vita, scripta ex traditione Sigulfi discipuli eius per Anonymum.

m) loco cit. Quaedam etiam edidere, Cointius, Mabillonius, Pezius.

defeſſa I. A. FABRICII diligentia [n]. Nos hoc loco ad ea tantum reſpicimus, quae pro reſtaurandis literis, pro pellenda barbarie, proque artibus liberalibus, inter quas tunc temporis numerabatur, quicquid philoſophiae ſupererat, ſuſcepit princeps optimus. Magno vero literarum emolumento accidiſſet, ſi in adoleſcentia praeceptores nactus eſſet haud ignauos, qui eum melius, quam pro captu ſeculi et conditione artium in eo vigentium ad literas manu duxiſſent fideli. Teſte autem EGINHARDO [o] in *diſcenda tantum grammatica Petrum Piſanum audiuit, diaconum ſenem*, id quod hoc modo ſine dubio effecit, vt aliquo literarum ſenſu afficeretur. Multumque ei obſtitiſſe temporum infelicitatem, quo minus perfecti quid aſſequeretur, ex duabus vitae eius circumſtantiis colligi poteſt. Refert enim EGINHARDVS [p]: *Tentabat et. ſcribere tabulasque et codicillos in lectulo ſub ceruicalibus circumferre ſolebat, vt cum vacuum tempus eſſet, manum effigiandis literis aſſuefaceret.* Valde haec narratio Eginhardi torſit viros doctos, cum aliunde conſtet, pingendarum literarum vſum Carolum Magnum habuiſſe. Vt enim taceamus, ipſum EGINHARDVM [q] referre: *Antiquiſſima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur, ſcripſiſſe et memoriae mandauiſſe:* in concilio apud S. Macram A. C. DCCCLXXXI habito inter alia hoc traditur [r]: *Carolus nunquam ſine tribus de ſapientioribus et eminentioribus conſiliariis ſuis eſſe patiebatur, ſed viciſſim per ſucceſſiones, vt eis poſſibile foret, ſecum habebat, et ad capitium lecti ſui tabulas cum graphio habebat, et quae ſiue in die, ſiue in nocte de vtilitate ſanctae Eccleſiae, et de profectu ac ſoliditate regni meditabatur, in eisdem tabulis annotabat, et cum eisdem conſiliariis, quos ſecum habebat: et quando ad placitum ſuum veniebat, omnia ſubtiliter tractata plenitudini conſiliariorum ſuorum monſtrabat, et communi conſilio illa ad effectum perducere procurabat.* Cui difficultati qualem medicinam attulerint viri docti, huius loci non eſt enarrare: nobis vero tanta non eſſe videtur, vt conciliari cum Eginhardo nequeat, quem teſtem ἀυτόπτην rerumque imperatoris gnariſſimum fidem omnino mereri nemo temere inficias iuerit. Nempe quod ad antiquiſſima carmina heroica a Carolo ſcripta attinet, ea facile ad illud tempus referri poſſunt, quo effigiandarum literarum artem aliquo modo tenuiſſe Eginhardus dicit. Quae vero ex concilio iſto afferuntur, ſine neceſſitate ad ſcribendi artem applicantur. Non enim id dicit hiſtoricus, eum in tabu-

n) Bibl. Latin. med. T. I. p. 959. add. perilluſtr. HENR. DE BVNAV Hiſt. imperii Germ. et imperatorum Germ. T. II. in calce, qui monumenta vetera pleraque ad hiſtoriam Caroli M. pertinentia recenſuit. Maxime vero huc referendi ſunt, doctiſſimi hiſtoriae literariae Franciae ſcriptores Galli, qui Tomo IV. elegantiſſimi operis Caroli M. de re literaria merita ita depinxerunt, vt quibus ciuilibus conſiliis hanc in rem vſus fuerit, oſtenderent.

o) cap. 25. Vit. Caroli M.

p) loco cit.

q) cap. 29.

r) Apud SIRMOND. Concil. Gall. T. III. p. 514.

tabulas ſuas ſcripſiſſe, quae de regni ſui et Eccleſiae neceſſitate et vtilitate conſultanda memoriae occurrerint; ſed tantum, in eisdem illa tabulis adnotaſſe; nec dicitur, eum notata conſiliariis praelegiſſe, ſed monſtrauiſſe. Ex quo, niſi fallimur, ſponte ſequitur, imperatorem, quamuis artem ſcribendi non calleret, vt tamen memoriae ſuccurreret, certis ſignis notasque ea in tabulis ſuis diſtinxiſſe, ſicque mnemoneuticis characteribus quibusdam, quos facile ex lubitu fingere vel etiam rudioribus literarum ductibus, poterat impediuiſſe, ne, quae cogitationem ſubiiſſent, ipſi iterum exciderent. Quod cum valde moleſtum Carolo accideret, et forte multoties confuſionis cauſſa exiſteret, accurate pingendis literis animum adiecit. Ita ſane ſine difficultate omnia cohaerent, et illorum temporum barbaries intelligitur, quae impediuit, ne in ſcribendi arte puer purpuratus erudiretur. Ex quo ſuſpicamur, ſcribendi artem tum, vt pleraque alia, ſolis clericis reſeruatam fuiſſe, nobilesque laicos inter arma et venationes in ruditate conſenuiſſe. Alterum argumentum, quod non ſatis accurate in adoleſcentia doctum fuiſſe Carolum probat, hoc eſt: *Habuit*, teſte iterum EGINHARDO [s] *inceteris diſciplinis praeceptorem Albinum cognomento Alcuinum item diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem virum vndecunque doctiſſimum: apud quem et rhetoricae et dialecticae, praecipue tamen aſtronomiae ediſcendae plurimum et temporis et laboris impendit; diſcebat et artem computandi et intentione ſagaci ſiderum curſum curioſiſſime rimabatur.* Alcuinus autem A. C. DCCXCII ad aulam imperatoris altera vice euocatus, vt ſupra monuimus; Carolus M. autem A. C. DCCXLVII Ingelshemii prope Moguntiam in lucem editus eſt. Ex quibus conſtat, quadraginta quinque annos natum fuiſſe, cum ab Alcuino liberales artes et philoſophiam diſcendi conſilium oppido rarum cepiſſet, adeoque adoleſcentiam et iuuentutem in hiſce rudem exegiſſe. Ab eo vero tempore, quo ſcientiarum ſemina in tam nobilem agrum Alcuinus ſparſit, laeta literarum ſeges in tanto principe effloruit, et non ipſe tantum imperator artium liberalium ornamentis animum excoluit, ſed vt id quoque fieret ab aliis, omni niſu viribusque ſategit. Non abs re erit, hoc loco narrationem afferre Monachi Sangallenſis, qui *de geſtis Caroli regis Francorum et imperatoris ad Carolum Caluum duos libros* conſcripſit, qua occaſione literarum ſtudia ſub hoc principe refloreſcere coeperint. Is ita refert [t]: „Omnipotens, regum diſpoſitor ordinatorque regnorum „et temporum cum illius admirandae ſtatuae pedes ferreos vel teſtaceos „comminuiſſet in Romanis, alterius non minus admirabilis ſtatuae caput „aureum,

s) Cap. 25.

t) Locum praeter alios affert LAVNOIVS l. c. cap. 2. pag. 14. et CONRINGIVS Antiq. Academ. diſſ. III. pag. 77. Ipſum Chronicon exhibet CANISIVS Tom. II. Coll. P. III. p. 57. 58. ed. rec.

„aureum, per illuſtrem Carolum erexit in Francis. Qui cum in occi-
„duis mundi partibus ſolus regnare coepiſſet, et ſtudia literarum vbique
„propemodum eſſent in obliuione, contigit duos Scotos de Hi-
„bernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliae deuenire, vi-
„ros et in ſecularibus et in ſacris ſcripturis incomparabiliter eru-
„diti, qui cotidie, cum nihil oſtenderent venale ad conuenientes
„emendi gratia turbas clamare ſolebant: Si quis ſapientiae cupidus eſt,
„veniat ad nos, et accipiat eam; non venalis eſt apud nos, quam ta-
„men idcirço venalem ſe habere profeſſi ſunt, quia populum non gra-
„tuita, ſed venalia, mercari viderunt, vt ſic vel ſapientiae, ſicut ceteris
„rebus coëmendis eos incitarent, vel, ſicut ſequentia probant, per
„tale praeconium in admirationem verterent, et ſtuporem. Denique
„tamdiu conclamata ſunt iſta, donec ab admirantibus vt inſanos illos
„putantibus, ad Caroli regis ſemper amatoris et cupidiſſimi ſapientiae
„(aures) perlata fuiſſent. Qui ſub omni celeritate ad ſuam eos prae-
„ſentiam euocatos interrogauit, ſi vere, vt ipſa fama comperit, ſa-
„pientiam ſecum haberent. Qui cum inquiſiſſet ab illis, quid pro ipſa
„peterent, reſponderunt loca tam opportuna, et animas ingenioſas, et
„ſine quibus iſta peregrinatio tranſigi non poteſt, alimenta, et quibus
„tegamur. Quo ille percepto ingenti gaudio repletus, primum qui-
„dem vtrumque apud ſe paruo tempore tenuit. Poſtea vero cum ad
„expeditiones bellicas vrgeretur, vnum eorum nomine Clementem *)
„in Gallia reſidere praecepit, cui et pueros nobiliſſimos mediocres et
„infimos ſatis multos commendauit, et eis, prout neceſſarium habu-
„erunt, victualia miniſtrare praecepit, habitaculis opportunis ad medi-
„tandum deputatis: alterum vero in Italiam direxit, cui et monaſterium
„S. Auguſtini iuxta Ticinenſem vrbem delegauit, vt qui illuc ad eum
„voluiſſent, ad diſcendum congregari potuiſſent. Audito autem Albi-
„nus de natione Anglorum, quod gratanter ſapientes viros religioſiſſi-
„mus regum Carolus ſuſciperet, conſcenſa naui venit ad eum: qui erat
„in omni latitudine ſcripturarum ſupra ceteros modernorum temporum
„exercitatus, vtpote diſcipulus doctiſſimi Bedae peritiſſimi poſt S. Gre-
„gorium tractatoris. Quem vsque ad finem vitae iugiter ſecum reti-
„nuit, niſi quando ad ingruentia bella proceſſit, adeo vt ſe diſcipulum
„eius, et ipſum magiſtrum ſuum appellari voluiſſet. Dedit autem illi
„abbatiam S. Martini iuxta Turonicam ciuitatem, vt quando ipſe ab-
„ſens eſſet, illic requieſcere, et ad ſe confluentes docere deberet.
„Cuius in tantum doctrina fructificauit, vt moderni Galli ſiue Franci anti-
„quis Romanis vel Athenienſibus aequarentur.“ His alia ſubiungit, examen puerorum Clementi traditorum a Carolo inſtitutum referentia, quae

*) Eſt is Claudius Clemens Scotus, Monachus vti volunt Benedictinus, de quo vid. TRITHEMIVS de S. E. cap. 258. de claris Benedict. Lib. II. cap. 28. FABRIC. Bibl. Lat. med. Tom. I. pag. 1082.

quae ne Lectorem moremur, non describimus. Eandem historiolam repetit VINCENTIVS BELLOVACENSIS [x], qui his addit, quatuoradfuisse in Gallia ex disciplina Bedae, Rabanum, Alcuinum, Claudium et Ioannem Scotum. Et hos nugatores, vt mos erat illorum temporum, alii quoque sequentis temporis scriptores secuti sunt, quos nominarunt LAVNOIVS [y] et CONRINGIVS [z]. Qui si paulo accuratius ad hanc narratiunculam attendissent, fabulas fabulis non auxissent. Nam vt taceamus, nec Rabanum, nec Ioannem Erigenam Scotum huc referri posse ob temporis rationes, nec vnquam ex disciplina Bedae prodiisse, et, vt supra quoque obseruatum, Alcuini aetatem extendi ad Bedam docentem non posse: falsum oppido est, ipsum Alcuinum audita beneuola ciuium suorum apud Francos receptione ipsum ad Carolum M. accurrisse, cum ex ipsis ALCVINI [a] verbis constet, eum ad Carolum vocatum et ex Anglia accersitum fuisse. Falsum porro est, literarum studia per totum Caroli imperium tum floruisse; vnde dubitandum non est, quin tota illa narratiuncula de duobus Scotis ex Hibernia in Galliam ad vendendam sapientiam profectis, inter fabulas referenda, et ab originibus scholae Parisiensis expungenda sit; apertum, enim, in cerebro otiosi monachi enatam esse, vt simplicitate sui temporis abuteretur, quo non facile credebatur quicquam, nisi τὸ θαυμαστὸν simul referret. Illud vero in dubium vocari nequit, Carolum M. ab Alcuino edoctum, emendandae eruditionis, et reuocandi philosophiae honoris cupidissimum fuisse. Supra enim iam Eginhardi verba attulimus, quibus refert, Alcuinum Carolo praeter rhetoricam dialecticam quoque, et astronomiam siderumque cursus explicuisse, itemque imperatorem et computum ecclesiasticum et cantum in Ecclesiam a Gregorio introductum ipsum didicisse: id quod non potuit non magna disciplinarum illarum (quibus tum temporis omnis fere philosophiae cursus absoluebatur, vt in sequentibus dicemus) commendatione euenire. Praecipue autem inter rara purpuratae matheseos exempla reponendum est, quod, praecipue teste biographo, plurimum et temporis et laboris astronomiae discendae impenderit. Ad quam scientiam vsum eum fuisse opera illius, qui conscripsit annales Francicos a NVARENO editos, coniicit HERMANNVS CONRINGIVS [b], eo quod et illo tempore vixerit, et sideralis scientiae haud fuerit indoctus, immo pro conditione illius tempestatis coelestium ignarae et incuriosae sedulus scrutator. Quam tamen coniecturam merito in medio relinquimus, cum nihil fundamenti loco ponat, nisi, vixisse eum scriptorem isto tempore et astronomiae peritum fuisse: quod, nisi fallimur, nondum euincit, nullum alium eo tempore sideralis scien-

x) Specul. historial. Lib. XXIII. c. 73.
y) loc. cit. p. 20.
z) loc. cit. p. 77.
a) Apud LAVNOIVM l. c. p. 19.
b) loc. cit. Suppl. XL. p. 326.

tiae paulo meliorem notitiam habuiſſe, vt neceſſario hic ſcriptor praeceptor imperatoris in addiſcendis ſiderum curſibus eſſe debuerit. Immo, niſi nos oculorum fides decipit, alium nobis in aſtronomia quoque praeceptorem Caroli indicat Eginhardus, cuius haec verba ſunt: *In ceteris diſciplinis Albinum cognomento Alcuinum, item Diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum vndecunque doctiſſimum praeceptorem habuit, apud quem et rhetoricae et dialecticae, praecipue tamen aſtronomiae ediſcendae plurimum et temporis et laboris impendit.* His enim verbis aperte indicat biographus, Carolum aſtronomiae praecepta ab Alcuino hauſiſſe. Praeter hoc eruditionis philoſophicae ſtudium Germanicae quoque linguae cultura merito in Carolo M. laudanda eſſet, quam tot laboribus promouit, ſi hiſtoria nobis literaria ſcribenda eſſet. Sed cum noſtrum ea inſtitutum non tangat, ſcopumque feriat, eam praetermittimus, dabit autem, quantum ſatis eſt, deſideratibus DANIEL MORHOFIVS [c], qui hiſtoriam Caroli literariam eleganter illuſtrauit. Et huc quoque pertinet, quod de eloquentia principis Magni EGINHARDVS [d] tradit: *adeo facundum fuiſſe, vt etiam dicaculus appareret.* Quo loco dicaculus idem eſt ac copioſe et prolixe diſertus, ſic vt neceſſarium non ſit, pro voce, *dicaculus*, quam codex quoque Florentinus habet, reponere, didaſcalum, vt vult LAVNOIVS. Copioſam enim Caroli facundiam alii quoque ſcriptores eius aetatis extollunt et commendant [e]. Alia eius merita quibus memoriam ſui fecit commendatiſſimam, aeternamque famam meruit, tum haereſibus obicem ponendo, et inſanum imaginum cultum reprimendo, tum animos propagata Chriſtiana religione emendando, et vitia cleri corrigendo, annalibus eccleſiaſticis enarranda relinquimus: id monuiſſe contenti, praeparauiſſe cultum eruditionis et philoſophiae quamuis tenuem animum imperatoris, vt talia et videret, et emendare auderet. Ceterum non omittendum hoc loco eſt, quod biographus quoque refert [f]: *Inter coenandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat: legebantur ei hiſtoriae et antiquorum res geſtae. Delectabatur et libris S. Auguſtini, praecipue iis, qui de ciuitate Dei praetitulati ſunt.* Eſſe in his Hipponenſis praeſulis libris plurima ad hiſtoriam philoſophiae Graecae pertinentia conſtat, ſupraque obſeruatum eſt. Hos itaque libros cum legerit Carolus, minime dubitandum, quin harum ex hiſtoria philoſophica particularum, quas Auguſtinus tetigit, eam ſibi notitiam comparauerit, quae ad intelligendam ſancti doctoris mentem requirebatur. Id quod eo facilius fieri potuit, cum *peregri-*

c) Vnterricht von der deutſchen Sprache vnd Poëſie c. VII. p. 281. ſeqq.

d) loc. cit.

e) Ipſe EGINHARDVS: „Erat eloquentia „copioſus et exuberans poteratque, quicquid „vellet, apertiſſime exprimere.„ conf. CONRING. loc. cit. Suppl. XL. p. 322. placuit tamen didaſcali vox recentioribus editoribus Eginhardi et FABRICIO loc. cit.

f) cap. 24.

peregrinis quoque linguis, teſte EGINHARDO [g], *ediſcendis operam impenderit, inque his Latinam ita didicerit, vt aeque illa ac patria lingua orare ſit ſolitus: Graecam vero melius intelligere, quam pronuntiare poſſet.* Et haec quidem inter curas imperii non deponebat princeps optimus: vbi autem earum partem in Ludouicum filium deuoluit, paulo plenius otium nactus, maiori ſtudio ad promouendas literas conuerſus eſt. Vnde THEGANVS [h] refert, *poſtquam diuiſi fuerint Carolus et Ludouicus, nihil aliud coepiſſe agere Carolum, niſi orationibus et eleemoſynis vacare, et libros corrigere, librosque euangeliorum anno vltimo ante obitus ſui diem cum Graecis et Syris optime correxiſſe.* Quod cum ipſe Imperator, Syriacae linguae imperitus facere non potuerit, conſtat inde, aluiſſe eum viros doctos, qui in promouendis ſtudiis et ſcientiis emendandis ipſo auctore, duce et hortatore gnauiter exercitati non inutilem operam poſuerint. Ex his vero, quam ipſe perſonam tantus princeps in theatro eruditionis ſuſtinuerit, intelligitur. Maius eſt, quod ad incrementa literarum artiumque liberalium contulit, in quo immortalia eius merita fuiſſe, omnino fatendum eſt. Cum enim voluntate impelleretur optima, ſatisque intelligeret princeps acumine iudicii ſenſuque recto non deſtitutus, quanta damna intulerit reipublicae ſacrae et ciuili ignorantia et barbaries, ſummo feruore in pellendos tantos a finibus imperii ſui hoſtes inſurrexit. Quod eius ſtudium voluntatemque non ſine voluptate intelligere licet, ex *epiſtola eius ad Baugulfum abbatem Fuldae*, quam integram exhibet IOANNES LAVNOIVS [i] in qua inter alia conqueritur: *Sibi cum in his annis a nonnullis monaſteriis ſaepe ſcripta dirigerentur, cognouiſſe, in plerisque praefatis ſcriptionibus eorundem et ſenſus rectos et ſermones incultos, quia quod pia deuotio interius fideliter dictauerit, hoc exterius propter negligentiam diſcendi lingua inerudita exprimere ſine reprehenſione non valuerit.* - - Quibus vbi damna inde enaſcitura expoſuiſſet, addit: *Quamobrem hortamur vos literarum ſtudia non negligere, verum etiam humillima et Deo placita intentione ad hoc certatim diſcere, vt facilius et rectius diuinarum ſcripturarum myſteria valeatis penetrare. Cum autem in ſacris paginis, ſchemata, tropi et cetera his ſimilia inſerta inueniantur, nulli dictum eſt, quod ea vnusquisque legens tanto citius ſpiritualiter intelligit, quanto prius in literarum magiſterio plenus inſtructus fuerit.* Sed et reliqua legenda ſunt, quibus ardentiſſimum imperatoris deſiderium promouendi literas artesque liberales exprimitur. Hac vero ratione vbique epiſcopos abbatesque, in quorum Eccleſiis ſola perſonabat literaria inſtitutio, ad pellendam ignorantiam excitauit, damna ex barbarie oriunda depinxit, officii memores praeſules fecit, ſuisque et verbis et factis cohortatus eſt, vt ad excitanda eruditionis incrementa,

g) cap. 21 h) De Geſtis Ludouici imperatoris c. 7. i) loc. cit. p. 5.

ſuo quisque loco, quantum poſſet conferret: quem in finem conſtitutionibus quoque, eccleſiaſticis caueri iuſſit, ne priſtina ignorantiae tempora, pulſis his tenebris, reuerterentur. Teſtem huius rei damus Concilium Cabilonenſe anno DCCCXIII habitum, quod auctoritate imperatoris Caroli iniungit, *vt epiſcopi ſcholas conſtituant, in quibus et literaria ſolertia diſciplinae, et ſacra Scripturae documenta diſcantur.* Alia huius generis ſtatuta ex hoc ſeculo attulit LAVNOIVS [k], qui videndus. Hoc promouendarum artium liberalium atque eruditionis vniuerſae deſiderium ab Alcuino conſiliis et exhortationibus auctum confirmatumque eſſe, Eginhardus non negat; hac autem ratione ſcholas quoque partim reſtauratas partim recens excitatas eſſe, ſicque reſpiranti literaturae vires potiſſimum ipſum Carolum addidiſſe, fatetur, et potiſſimum conſtitutis praemiis et ſalariis doctores publicos ad excolendas iuuandasque literas inſtigauiſſe docet. Scribit enim [l]: *Artes liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis afficiebat honoribus.* Inter has artes liberales autem, quas in ſcholis a Carolo excitatis, eius iuſſu praemiisque illectos viros eruditos docuiſſe biographus tradit, fuit etiam philoſophia, vel eius tamen ſcientiae aliquot, vt ad ſeculum decimum dicemus. Hincque deriuandum, quod in academia Pariſienſi artium liberalium, et inter eas dialecticae profeſſio antiquiſſima ſit [m], ceteris facultatibus, quas vocant, nondum conſtitutis, quamquam nec integer philoſophiae circulus tunc abſoluebatur. Ex quo intelligitur, quam fidem mereantur verba GEORGII BVCHANANI [n], qui *a Carolo*, ſcribit *Galliam non minus literis quam armis illuſtrare cupientem accerſitos fuiſſe ex Scotia, qui philoſophiam Lutetiae Graece et Latine docerent. Apud Scotos enim adhuc fuiſſe monachos vetere diſciplina nondum extincta, literis et pietate inſignes.* Inter has vero ſcholas, quas promouendis artibus liberalibus deſtinauerat Carolus imperator, ea imprimis illuſtris eſt, quam in aula ſua, ſiue palatio inſtituit, quod Alcuini conſilio factum fuiſſe, huncque doctorem praecipuum ornamentum habuiſſe, ipſe in epiſtola ſupra iam adducta innuit ALCVINVS: *Ego ignarus neſciens Aegyptiacam ſcholam in palatio Dauidicae verſari gloriae, ego abiens Latinos ibi dimiſi, neſcio quis ſubintroduxit Aegyptios.* Pluribus id probat, et loca ſcriptorum eius aetatis, quibus conſtat ſcholam Palatinam floruiſſe, exhibet IO. LAVNOIVS [o], qui adeundus. Tantae autem auctoritatis ea ſchola fuit, vt et omnium ſcientiarum, quarum tunc vſus erat, cum ſecularium tum ſacrarum doctrinae in ea perſonarent, et libri ad eam defer-

k) loco cit. p. 9. et Capitularia CAROLI Lib. I. n. 62.
l) cap. 25.
m) Facultatem philoſophicam hodie dicimus.
n) Hiſt. Scot. Lib. V.
o) loco cit. c. IV. p. 27. ſeqq.

deferrentur, edendi, vt a prudentiſſimis huius ſcholae magiſtris examinarentur, et vel probarentur, vel repudiarentur. Ad quam ſcholae huius famam plurimum contulit, quod ipſe imperator et conſiliarii eius curam illius habebant peculiarem, quo pacto iuncta palatio imperatoris ſchola, artium liberalium et ſacrae Scripturae explicationem diu tradidit, et adhuc ſub Lothario claruit. Id quod ex ANGELOMI, monachi Luxouienſis *Praefatione in canticum cant.* [p] colligi poteſt, qui *ſe* ait, *in imperatoris ſacro palatio ſub obtentu traditionum liberalium artium, enucleationumque diuinarum ſcripturarum excubuiſſe.* Eo autem effectu artes liberales in hac ſchola Palatina doctae ſunt, vt ipſi, qui palatio inſeruiebant, imperatoris miniſtri, ex hac ſchola ornati comtique prodirent, ſynodusque apud Cariſiacum habita ad Ludouicum Germaniae regem ſcriberet [q]: *Domum regis ſcholam dici, id eſt, diſciplinam, quia non tantum ſcholaſtici, id eſt, diſciplinati et correcti ſint, ſicut alii, ſed potius ſchola ipſa, quae interpretatur diſciplina, id eſt, correctio dicatur, quae alios habitu, inceſſu, verbo et auctoritate atque totius bonitatis continentia corrigat.* Et ſimiliter ERICVS [r] monachus Antiſſiodorenſis de aula regia: *Merito, vocitatur ſchola palatium: cuius apex non minus ſcholaribus, quam militaribus conſueſcit quotidie diſciplinis.* Auxit ſcholae huius famam et incrementa Bibliotheca, cuius tamen ſub Ludouico demum fit mentio [s]. Praeter hanc ſcholam Palatinam in potioribus quoque Galliae Germaniaeque vrbibus ſcholas excitauit, artesque liberales, interque eas philoſophiam doceri iuſſit imperator Carolus. Quarum omnium hiſtoria alibi quidem exponenda eſt, quam quoque more ſuo eleganter condidit LAVNOIVS [t], hoc tamen loco quaedam celebriorum ex illis mentio facienda eſt, vt conſtet, quibus locis refloreſcere coeperit philoſophiae ſtudium. Inter eas vero ſcholas Pariſienſem ſuo iure primo loco ponimus, de cuius originibus, quas nonnulli ad ipſum Carolum M. referunt, negantibus aliis hoc loco diſceptari non poteſt [u]. Nobis pro inſtituti ratione ſufficit, monuiſſe: quamuis vix in dubium vocari poſſit, eam celeberrimae ſcholae faciem, quam poſtea accepit, Caroli M. temporibus nondum fuiſſe, diſtinctam ſcilicet in quatuor facultates, vt hodienum obtinet, immo

Scholae a Carolo M. erectae.

p) In Biblioth. PP. Lugdun. Tom. XV. p. 307

q) Apud LAVNOIVM loc. cit. p. 31.

r) In Epiſtola praemiſſa libris carminum de Vita S. Germani, qui extant in Act. SS. T. VII. Iul. 31.

s) Vid. LAVNOIVS loco cit. p. 30. Io. CHR. COLERVS ad STRVVII Introd. in rem lit. c. II. §. 17. p. 39. ſeqq.

t) De Scholis celebrioribus, addendae CONRINGII Antiqq. academicae, BVLAEI Hiſt. Acad. Paris. IAC. BVRCKARDVS de variis ſcholarum a Caroli M. aetate ad Sec. XVI mutationibus Ienae 1715. 4.

u) Videnda prae reliquis CAESARIS EGASSII BVLAEI Hiſtoria Vniuerſitatis Pariſienſis T. I. et quae in eo notant auctores Hiſt. Liter. Galliae T. IV.

immo nec sacrarum literarum explicationem tunc temporis in ea fuisse traditam, sed solas artes liberales siue philosophiam, latiori significatione, more illius aeui, fuisse doctas: certissimum tamen esse ex locis scriptorum coaeuorum adductis scholam publicam, in qua artes liberales exponerentur Parisiis fuisse constitutam. Quamuis non magnopere repugnare velimus, si quis contendat, scholam hanc post Caroli M. excessum ex hac vita demum florere coepisse, eo quod Remigius Antissiodorensis monachus primus apud scriptores huius aetatis occurrat, qui in schola Parisiensi dialecticam et musicam docuisse dicitur, qui A. C. DCCCLXXXII floruit: et ab eo demum tempore philosophicae facultatis siue artium liberalium apud Parisienses doctarum frequens fiat mentio. Qua de re, qui plura cupit, ei praeter reliquos, qui celeberrimi Musarum emporii historiam condiderunt, legendus est, qui prolixe in hoc argumento versatus est IOANNES LAVNOIVS *. Post Parisiensem Fuldensis schola a Carolo M. instituta memorari meretur, quam eo imperante iam floruisse, ex *epistola* Caroli *ad Baugulfum abbatem Fuldensem*, supra iam adducta constat. In ea enim imperator abbatem vehementer hortatur, vt ad auertendam monachorum suorum insciciam eiusmodi scholam erigeret. Literis vero eo tempore in illa schola operam dedisse LVPVM FERRARIENSEM ex *epistola eius ad Eginhardum* y discitur, et ex Rhabani Mauri, quia eum ibi instituit, disciplina colligitur. Qui cum seculo sequente vixerit, in sequentibus de philosophiae studio, quod in hac schola viguit, quaedam afferemus. Addi his debent Osnabrugensis, Turonensis aliaeque scholae, hic singulari tractatione non enarrandae, quod otium nobis fecit doctissimi LAVNOII diligentia. Has scholas omnes imperatoria Carolus M. auctoritate constituit, viros iis doctos praefecit: reditibus auxit, stipendia doctoribus decreuit, legibus muniuit, priuilegiis ornauit, et imprimis id egit, vt et sacrarum disciplinarum et artium liberalium studium in iis vigeret. Tantis laudatissimi imperatoris in artes liberales et philosophiam omnemque eruditionem meritis hoc quoque adiiciendum est, excitasse optimi imperatoris et exemplum et cohortationes episcopos nonnullos, vt simili contentione ad restauranda literarum, et artium praesidia animum applicarent. Quamuis enim laudabili virorum piorum instituto, qui monasteria condiderant, et episcoporum cura cautum esset, vt in his locis sacris, et praecipue in Ecclesiis cathedralibus scholae excitarentur, in quibus iuuentuti sacrae literae traderentur, eaque ad diuinarum rerum cognitionem munusque sacrum praepararentur, vt vel ex solo regularum monasticarum codice, quem HOLSTENIVS

x) loc. cit. cap. 59. p. 177. seqq. y) Epist. I.

NIVS edidit, colligi potest, fecit tamen partim odium quod in disciplinas seculares monachorum et monasteriorum conditores conceperant, partim episcoporum negligentia seculi infelicitate et barbararum inuasionum tumultibus enutrita et aucta, vt in his scholis nihil fere, quod ad artes liberales et philosophiam pertinebat, (si Hiberniam et Scotiam, vti supra dictum, excipias), audiretur, sed foeda vbique regnaret ignorantia. Cuius testem cum ipsum Carolum M. iam supra adduxerimus, ibi dicta nolumus otiose repetere. Huic itaque malo vt occurreret princeps prudentissimus, Alcuini consiliis adiutus pristinum institutum in vsum reuocare suscepit. Vt itaque artibus liberalibus et scientiis locum faceret, serio episcopos exhortatus est, vt Ecclesiarum cathedralium sedibus scholas iungerent. Id quod eo euentu factum, vt in plerisque sedibus episcopalibus sub Caroli, et Ludouici Pii imperio scholae ab episcopis et canonicis instituerentur. Et quamuis harum scholarum scopus hic potissimus fuerit, vt ingenuorum et seruorum filii, grammaticam, musicam et arithmeticam docerentur, vt ex Angesisi verbis probat H. CONRINGIVS *, adeo vt Osnabrugensi scholae singulari priuilegio imperator. concesserit, vt Graecae et Latinae literae ibi docerentur, ne vnquam deessent clerici vtriusque linguae gnari: patet tamen ex testimoniis scriptorum huius aeui a LAVNOIO collectis, artibus liberalibus locum quoque concessum in his scholis fuisse. Id quod luculenter expositit Io. TRITHEMIVS [z], qui, ne nimii simus, ipse videndus est. Ex eius enim testimonio constat, in his scholis Episcopalibus et monasteriorum praeeunte scholastico siue professore [a] praeter sacras literas, scientias reliquas siue triuii et quadriuii cursum fuisse explicatum. Qua de re cum prolixe egerint, qui historiam literariam et scholasticam medii aeui tradiderunt, in his copiosi esse nolumus. Haec enim ea fini tantum adduximus, vt constaret, Caroli M. studio episcopos abbatesque excitatos fuisse, vt bonarum artium palaestras aperirent. Qua de re digna sunt, quae consulantur Caroli M. *Capitula*, quibus imperatoris ea de re cohortationes ad episcopos abbatesque exhibentur, et ecclesiasticae constitutiones comprehenduntur. Quae omnia quem effectum sortita fuerint, ex sequentis seculi eluceſcet historia.

§. XXVI. Respirauisse cum reliquis literis philosophiam iamiam exspiraturam, Carolique beneficio publice doceri iussam esse, ex dictis intelligitur. Nec immerito optimi et prudentissimi principis laudes ideo

Frustranei conatus Caroli M. inuandae eruditio-nis.

*) loc. cit. pag. 67.

z) In Chronico Hirsaug. ad A. C. 952. edit. primae, in altera enim pleniori, haec strictissime tantum prosequitur pag. 95.

a) Conf Cel. HEVMANNVS praef. ad TRITHEMIVM de Dd. Scholast. pag. 11.

ideo extulimus, quem si temporum conditio adiuuisset, dubium non est, quin ad pristinam elegantiam philosophiae faciem reduxisset. Sed obstitere tempora ferrea hominumque in iis viuentium conditio, vt laeta inde reparatio elegantioris eruditionis et comtioris philosophiae sequi haud posset. Caussam, nisi fallimur, recte in ingeniorum paupertatem coniicimus, quae optimis Alcuini consiliis et laudandis imperatoris constitutionibus parere nec poterant, nec volebant. Conquestus ea de re est LVPVS FERRARIENSIS *in Epistola ad Eginhardum scripta* his verbis: *E grammatica ad rhetoricam, et deinceps ordine ad ceteras disciplinas liberales transire hoc tempore fabula est.* Sed et probro vitioque versum esse scribit, literis operam dare. Qualia barbariei specimina passim apud huius aetatis scriptores prostant, in sequentis seculi historia ex parte quoque adducenda. Nos Lectorem ea recordari iubemus, quae supra de Bedae et Alcuini eruditione philosophica disseruimus. Hi enim, quos philosophorum huius seculi antesignanos fuisse omnes fatentur, cum parum in philosophia viderint, quid mirum reliquos, infinitis parasangis ab istis distantes, luscos fuisse coecosque? Cumque deessent viri docti, qui philosophiae praecepta paulo melius ornatiusque iuuentuti traderent, situs squalorque, qui ingenia obduxerat, detergi non potuit. Maxime vero incrementis philosophiae obstitit sterilis et ieiunus artium liberalium circulus, quo, quicquid philosophiae supererat, tanquam claustris quibusdam constringebatur, vixque ex toto philosophiae ambitu, si quasdam scientias mathematicas exceperis, sola supererat dialectica, quae ex libello, qui Augustino tribuitur, inani leuique opera iuuenibus explicabatur. Maiora enim et praestantiora qui vel concupisceret, vel attingere auderet, inuentus est fere nemo. Solum itaque triuium et quadriuium cum cursum philosophicum absolueret, dici non potest, quam depressa, non obstantibus Caroli M. conatibus, philosophia iacuerit.

Triuium et Quadriuium quid fuerit?

§. XXVII. Monet nos triuii et quadriuii mentio, vt hoc loco paulisper ab historiae nostrae via digressi exponamus, quae illius aetatis de artibus liberalibus sententia fuerit, quemque illae philosophiae et humaniorum literarum circulum absoluerint, eo quod sine his philosophiae fata in sequentibus enarranda intelligi nequeant. Artes autem liberales quae fuerint, et quot numero humanitatis circulum apud veteres constituerint, et quid aeuo medio isto nomine comprehensum sit, ex MARCIANO CAPELLA, CASSIODORO et IOANNE SARISBERIENSI [b] discendum est,

b) Libros eorum, quibus de artibus liberalibus disseruerunt, initio huius capitis nominauimus.

eſt, ex quibus recentiores nonnulli ſua collegerunt, et argumentum curioſitate Lectoris non indignum erudite illuſtrauerunt [c]. Nos pauca, quae ad inſtitutum noſtrum ſufficient, dabimus. Et I. quidem monendus eſt Lector, apud veteres Graecos et Latinos diuerſam artium liberalium ſignificationem fuiſſe, eosque ab ea notione abiiſſe, quam medium aeuum ſibi concepit. Illi enim per artes λογικὰς, σεμνὰς, liberales, interdum intellexere propaedeumata, ſiue diſciplinas encyclicas; quo ſenſu artibus illiberalibus et popularibus opponebant; interdum vero nomen etiam ad philoſophiam extenderunt. ARISTOTELES [d] enim diſerte: Δῆλον ἔν, ὡς δι' ἐδεμίαν αὐτὴν ζητοῦμεν χρείαν ἑτέραν, ἀλλ' ὥσπερ ἄνθρωπός φαμεν ἐλεύθερος ὁ αὐτοῦ ἕνεκα, καὶ μὴ ἄλλου, ὕτως καὶ αὐτὴ μόνη ἐλευθέρα ἔσται τῶν ἐπιστημῶν, μόνη γὰρ αὐτὴ αὐτῆς ἕνεκέν ἐστι. *Patet itaque, quod ob nullam aliam vtilitatem quaerimus, ſed quemadmodum dicimus, liber homo de eo, qui ſui ipſius et non alterius gratia eſt, ita et haec ſola ſcientiarum* (metaphyſica) *libera eſt, ſiquidem ſola haec ſui ipſius gratia eſt.* Ex Latinis autem non minus diſerte SENECA [e]: *Quare liberalia ſtudia dicta ſint, vides, quia homine libero digna ſunt. Ceterum vnum ſtudium vere liberale eſt, quod liberum facit, hoc ſapientiae, ſublime, forte magnanimum: cetera puſilla et puerilia ſint.* Quae prolixe poſtea perſequitur, multisque contendit, grammaticam, muſicam, geometriam, aſtronomiam, hoc artium liberalium nomen non mereri, eo quod ad liberandum ab affectuum iugo animum nihil conferant. Ex quo loco patet, ab artium encyclicarum ſignificatione receſſiſſe, qui artes liberales ad philoſophiam retulerunt, illae enim animum tantum praeparant ad philoſophiam virtutemque recipiendam, vt ipſe Seneca monuit. Vnde dudum Pythagoras de his artibus propaedeumaticis [f]: Ὡς πρὸ τῶν μεγάλων μυστηρίων τὰ μικρὰ παραδοτέον, καὶ πρὸ φιλοσοφίας παιδείαν, *vt ante maiora myſteria tradi debent minora, ſic et artes liberales ante philoſophiam.* Quod ad muſicam, arithmeticam, geometriam potiſſimum pertinere, et de his diſciplinis παρασκευαστικῶς dictum eſſe, Lector ex illis colligere poterit, quae *Tomo primo* de methodo philoſophica ſcholae Pythagoreae prolixe diſputauimus. Ad hanc vero diſciplinarum propaedeumaticarum numerum relata eſt philoſophia rationalis, eo quod ad reliquas ſcientias viam ſtruere videbatur. Id quod tamen in Aegypto inter philoſophantes potiſſimum ex philoſophia Pythagorico-Platonica obtinuiſſe videtur, cum reliquae ſectae, quae in Graecia florebant, logicam ad ipſum philoſophiae corpus referrent, vt ſuo loco dictum,

c) Videndi prae aliis Io. WOWERIVS de Polymath. G. I. VOSSIVS de artium et ſcientiarum conſtitutione imprimis IAC. THOMAS. Obſ. Hal. T. I. Obſ. 4. p. 41.

d) Metaphyſ. Lib. I. cap. 2. Tom. II. p. 644.

e) Epiſt. 88.

f) STOB. Serm. XLI.

et ex LAERTII *prooemio* intelligitur. Sane PHILO [g] ita ratiocinatus logicam ad artes praeparationi ad philoſophiam deſtinatas retulit, ſcribens: *Eſt ſapientiae famula muſica, logicaque, qua liberaliter inſtituimur. Sicut enim in domibus veſtibula ſunt ante ianuam, et vrbes habent ſua ſuburbia, per quae adeuntur: ita et ante virtutem artes liberales ſitae ſunt: nam illa per hanc viam aditur. Sciendum autem, quod magnorum argumentorum magna eſſe conuenit etiam prooemia: atqui virtus eſt argumentum maximum; habet enim materiam maximam, videlicet totam hominum vitam. Merito igitur non paruis vtetur prooemiis, ſed grammatica, geometria, aſtronomia, rhetorica, muſica, reliqua contemplatione logica vniuerſa.* Addimus TZETZAE carmen [h], luculenter hunc artium liberalium circulum deſcribens:

Δευτέρως δὲ ἐγκύκλια μαθήματα καλεῖνται
Ὁ κύκλος τὸ συμπέρασμα πάντων τῶν μαθημάτων,
Γραμματικῆς, ῥητορικῆς, αὐτῆς φιλοσοφίας,
Καὶ τῶν τεσσάρων δὲ τεχνῶν τῶν ὑπ' αὐτὴν κειμένων,
Τῆς ἀριθμήσης, μουσικῆς, καὶ τῆς γεομετρίας,
Καὶ τῆς ἐρανοβάμονος αὐτῆς ἀστρονομίας.
Ἐγκύκλια μαθήματα δευτέρως, ταῦτα πάντα.
Ὡς ἔγραψεν Πορφύριος ἐν βίοις φιλοσόφων
Καὶ ἕτεροι μυρίοι δὲ τῶν ἐλλογίμων ἄνδρες.

Secundo autem circulares diſciplinae vocantur,
Circulus enim concluſio eſt omnium diſciplinarum;
Grammatices, rhetorices, ipſiusque philoſophiae,
Et quatuor artium ſub ipſa poſitarum,
Arithmetices, muſices, geometriae
Et coelum aſcendentis ipſius aſtronomiae,
Circulares diſciplinae ſecundo hae omnes ſunt:
Vt ſcripſit Porphyrius in vitis philoſophorum,
Et alii innumeri doctiſſimi viri.

Quo

g) De Congreſſu quaer. Erudit. gratia p. 425. h) Chil. XI. ſ. 379.

Quo carmine Tzetzes luculenter innuit, ipſius philoſophiae partes nonnullas Platonicos ad artes liberales et encyclicas retuliſſe. II. Ab his autem patres hunc artium liberalium circulum accepiſſe, dubium haut eſt, earum enim diſtributio AVGVSTINO tribuenda videtur, qui cum Platonicos reliquis praeferret, hanc quoque eorum opinionem aſſumſit, et vt artes iſtas accuratius diſtingueret, alias dixit [i] eſſe propter vſum humanae vitae, alias propter cognitionem rerum. Poſt quem CASSIODORVS [k], eadem diſtinctione vſus illas artes vocauit, has diſciplinas appellauit. Hinc celeberrima illa artium liberalium diſtinctio, quae per totum fere aeuum medium in ſcholis perſonuit, in duas claſſes artes iſtas diuidens, quarum illa grammaticam, rhetoricam, dialecticam, haec muſicam, arithmeticam, geometriam, aſtronomiam comprehendit. De quibus, vt ſeculorum barbarorum voces quoque ea de re habeas, en ſequentes verſiculos *μνημονευτικὸς*,

GRAMM. loquitur, DIA. vera docet, RHET. verba colorat.

MVS. canit, AR. numerat, GEO. ponderat, AST. colit aſtra.

Ex his facile quis aſſequetur, quid celeberrima in hiſtoria medii aeui philoſophica diſtinctio curſus artium in triuium et quadriuium ſibi velit. Scilicet triuium inferiorum artium ternionem comprehendebat, grammaticam, rhetoricam et dialecticam: quadriuium ſuperiorum circulum abſoluebat, nempe muſicam, arithmeticam, geometriam et aſtronomiam. Ita enim ſui temporis diuiſionem artium liberalium exponit IOANNES SARISBERIENSIS [l]: *Sed cum artium multa ſint genera, ingenio philoſophantis animi primae omnium liberales occurrunt. Hae quidem omnes aut triuii, aut quadriuii ratione clauduntur: et tantam dicunt obtinuiſſe efficaciam apud maiores, qui eis diligenter inſtiterant, vt omnem aperirent lectionem, ad omnia intellectum erigerent, et omnium quaeſtionum, quae probari poſſunt, difficultatem ſufficerent enodare. Neque enim doctore egebant in aperiendis libris, aut quaeſtionibus diſſoluendis hi, quibus aut ratio triuii omnium ſermonum, aut quadriuii lex totius naturae ſecreta exponebat.* Haec in ſequentibus latiſſime perſequitur, et *Metalogici Libro ſecundo* totus in eo eſt, vt demonſtret, logicam ad hanc philoſophiae praeparationem pertinere. Qui autem factum ſit, vt contra mentem plerorumque philoſo-

i) De Ordine Lib. II. c. 16. k) p. 442. ſeqq. l) Metalog. Lib. I. c. 12. p. 758.

loſophorum Graecorum rationalis ſcientia philoſophiae choro exemta ſit, ex dictis facile colligi poteſt. Cum enim Plato logicam in dialecticam et rhetoricam diuiſiſſet, quam eius diuiſionem Stoici quoque ſuo modo ſecuti ſunt, medii aeui philoſophi, ipſo forte Auguſtino praeeunte, non ſeparari poſſe rhetoricam et dialecticam credentes, cum ad artes liberales illam retuliſſent, hanc quoque huc referendam eſſe iudicarunt. Id quod nec ſatis Platonicum, nec Peripateticum eſt, at in hac medii aeui confuſione, vbi ſeruatis vetuſtis diſciplinarum nominibus, ipſae ſcientiae immutatae ſunt, aliamque faciem acceperunt, eo magis obtinuit, quo magis reliquae philoſophiae partes fere omnes tacebant, neglectaeque iacebant, ſola triumphabat dialectica, cuius vſus tam neceſſarius habebatur, vt in omnibus ſcholis doceri iuberetur, vnde triuiales dictae ſunt; illis autem, qui ſublimius philoſophari cuperent, τὰ μαθήματα deſtinarentur. Has itaque artes liberales eſſe praeparationem non modo ad philoſophiam omnem, ſed imprimis ad ſcientias, vti vocabant, ſuperiores, iurisprudentiam, medicinam, et praecipue ad theologiam ſtatuebant hoc aeuo, cuius teſtimonia collecta exhibet IACOBVS THOMASIVS [m]. Et in his quidem plerique medii aeui viri docti conſentiebant. Aſt cum III. ambigua eſſet dialecticae notio, nec ſatis eam noſſent a rhetorica, et a philoſophia ipſa diſtinguere, cum et confuſas ſibi notiones de ſcientiis finxiſſent, et mentem veterum, partim ad rhetoricam, partim ad philoſophiam eam referentium, non intellexiſſent, imprimis autem a Peripateticis ſeducti omnem logices vſum ad nominum verborumque et propoſitionum interpretationem retuliſſent, ipſam vero analyticam partem quo referrent, neſcirent, hinc factum, vt mire ea de re inter ſe diſſentirent [n]. Id quod huius aetatis philoſophos legenti aliquoties obſeruandum occurrit. Ita vero dum de voce litigant, dum in inſtrumentis philoſophiae verſantur, dum, quid vera ſit ſcientia, ignorant, ſolis dialecticarum argutiuncularum ſubtilitatibus inſudantes, philoſophiam ipſam amittunt: et dum inſtrumentalem ſibi fingunt, philoſophiae partem, deque ea potiſſimum ſolliciti ſunt, quod in rationali philoſophia praecipuum eſt, negligunt. IV. Accidiſſe id magno philoſophiae damno, negari non poteſt, et aperte teſtatur hiſtoria huius aeui philoſophica. Reliquae enim ſcientiae philoſophicae prorſus periere, cum vix inuenirentur, qui triuium abſoluerent, quadriuium pauciſſimos cultores haberet. Nam pauciſſimi de naturali philo-

Potiores ſcientiae philoſophicae neglectae.

m) loc. cit. §. 23. p. 52. ſeqq.

n) Haec cauſſa eſt, cur SARISBERIENSIS Metalogicum ſuum ſcripſerit.

philoſophia ſolliciti erant, cum in ea verſarentur opinione, aſtronomiae et geometriae ſtudio, omnia, quae huc referri queant, abſolui. Quod cum rariſſime attingeretur, factum inde eſt, vt omnis fere naturalis doctrina, proſcriberetur. Licet enim ipſe Carolus imperator praeter triuium etiam quadriuium pernouiſſet, et imprimis ſiderali ſcientiae diligentiſſimam operam poſuiſſet, tam illuſtre tamen exemplum, qui imitaretur, inuentus eſt ferme nemo, nam quae muſicae diſcebantur rudimenta, ad cantum eccleſiaſticum tantum modo relata ſunt, reliqua in ipſis elementis atque initiis haeſerunt. Et de his rudimentis intelligendum eſt, quando ECKEHARDVS auctor *vitae S. Notkeri* o) ſcribit, *in monaſterio S. Galli ſeptem liberalium artium ſtudium floruiſſe, eumque ſub Iſone magiſtro hoc in tempore literatiſſimo artium liberalium ſubtilitates non pro gloria ſeu fauore ſeculi, ſed pro vtilitate ſanctae Dei Eccleſiae admodum ſatis edoctum fuiſſe:* quod et in ſequentibus aſſerit. Alia loca, quae in ſchola Sangallenſi ſeptem artes liberales perſonuiſſe, docent, quaeque collegit LAVNOIVS p), eadem ratione intelligenda ſunt. Nec feliciora fuere fata philoſophiae moralis, quam naturalis, ea enim in exilium eiecta erat per compilatores Gregorii M. qui moribus inſtrui homines non poſſe cenſebant, niſi centonis inſtar moralis doctrina ex diuerſiſſimis auctoribus conſcriberetur, et quaſi conſueretur. Reſtabat dialectica, quae qualis fuerit, ex ſupra dictis, nobis non monentibus intelligitur, et ex Bedae atque Alcuini ſcriptionibus dialecticis cognoſci poteſt. Cauſſas tam arctorum in philoſophia finium varias afferre licet. Inter quas ipſe artium liberalium circulus referendus eſt. Nam qui eum tenebant, ſe philoſophos eſſe cenſebant. Acceſſit magiſtrorum, qui reliquas quoque philoſophiae partes docti eſſent, inopia, ſub qua ſuccubuit, quicquid ad eas addiſcendas caput extuliſſet. Cumque in ſolis monaſteriis iſtae artes docerentur, ſolisque clericis deſtinarentur, factum eſt, vt, cum alia praeter triuium, et muſicam eccleſiaſticam ab ipſis ad obeunda Eccleſiae, vel chori magis, munera non poſtularentur, nemo ad maiora et ſublimiora adſpiraret, laici autem de his omnibus prorſus non eſſent ſolliciti. Immo ipſi quoque libri philoſophici, qui tum eruditorum manibus verſabantur, inter has cauſſas referendi ſunt. Nam Marciani Capellae, Caſſiodori, Iſidori et ſimilium de artibus liberalibus libelli, introductiones magis erant ad artes liberales, haud raro male compilatae, quam inſtitutiones; Victorini et Boëthii verſiones autem cum a philoſophis fuiſſent profectae, qui Eclecticae philoſophiae addicti fuerant, magnam, vt intelli-

Cauſſae neglectae in curſu artium philoſophiae.

o) Apud CANISIVM Tom. III. Antiq. Lect. pag. 554.

p) loc. cit. cap. 17. pag. 66.

intelligi poſſent, veteris philoſophiae Graecae notitiam poſcebant, quae in his ignorantiae ſeculis albo erat corvo rarior, praecipue cum nemo ferme Graece doctus eſſet, nugisque contemtis veterum libris legendis occuparetur. Tacemus ſcripta dialectica Apuleii, Auguſtini, Victorini, Boëthii partim Stoica, partim Platonica Peripateticis miſcuiſſe, quo factum, vt cum philoſophica hiſtoria a nemine coleretur, logica haec ex diuerſis conſarcinata ſectis male intelligeretur, ſicque etiam dialecticae exiguus eſſet vſus, eo quod ex turbidis fontibus hauriretur, donec poſtliminio Ariſtoteles reuocaretur, ſicque aliqua philoſophiae facies iterum eniteret, de qua in ſequente capite dicemus. Hoc enim tum demum factum eſt, cum Saracenorum cura inter Occidentales Ariſtotelis opera innoteſcerent, vt ex ſequentibus patebit. Aliam cauſſam cur et mathematicarum ſcientiarum et philoſophiae naturalis cura pauciſſimos tangeret, attulit CHRISTIANVS THOMASIVS q), nempe, *parum vtile viſum fuiſſe clero et monachis, vt laici in talibus ſcientiis profundius informarentur, aut exercerentur, quae omnem auctoritatem humanam reſpuunt, et vel rationes palpabiles, vel aſſenſum ſenſus communis deſiderant, quales prae ceteris ſunt ſcientiae mathematicae.* Haec ſi ad laicos referantur, nolimus praefracte negare, talia reſpexiſſe ex clero nonnullos, certe laici illas ſcholas rariſſime frequentabant, quanquam aliter cautum erat a Carolo M. Licet fatendum quoque ſit, et voluptates luxumque et arma, quae ſectabantur nobiles, quendam literarum contemtum inter potentiores excitaſſe, extremam autem oſcitantiam et ſuperſtitionem inter inferioris conditionis laicos literarum culturae obſtitiſſe, et occaſionem dediſſe, vt ſibi ſoli eruditionis honorem, commoda et munera clerus vindicaret, hacque ratione ignorantiam inter eos conſeruaret, quorum erat, collum iugo ſubdere, nec rationes ſuperſtitiois poſcere. At hoc ad eccleſiaſticos viros, epiſcopos, canonicos, monachos non pertinet, de quorum tamen in praeſentia ſupina in his ſcientiis negligentia et oſcitantia quaeritur. In quibus cauſſis definiendis non ſuſpicionibus, ſed hiſtoria duce vtendum eſt. Verum haec ὡς ἐν παρέδῳ. Ex hac itaque breui obſeruatione de artibus liberalibus conſtare arbitramur, quam arctis philoſophia limitibus circumſcripta, vel ſi dicendum, quod res eſt, prorſus eiecta et pulſa fuerit, id quod ad cognoſcenda accurate fata philoſophiae in ſequentibus ſeculis probe eſt notandum. Sed in viam reuertendum, et philoſophiae facies detegenda eſt, quam ſeculo nono habuit.

§. XXVIII.

q) Hiſt. Iuris nat. cap. III. §. 3. pag. 43.

§. XXVIII. Eo ineunte praefidiis ſuis adhuc fruebatur eruditio et, quae illi ex parte cohaerebat, philoſophia. Quamdiu enim ipſe Carolus M. imperii habenas rexit, quod non ſine magna auctoritate factum eſt, tamdiu epiſcopi, abbates, canonici clerusque reliquus etiam huius ſeculi initio literis fauere non intermittebant, ita imperatoris deſideriis, quae multis conſtitutionibus eccleſiaſticis expoſuerat, velificaturi. Alcuinus quoque, qui initio huius ſeculi adhuc vixit, cohortari principem, et literas commendare non deſtitit. Cumque vix nouae illae ſcholae, quibus originem dedit Caroli cura et munificentia, florere coepiſſent, aliquo, vt fieri ſolet, feruore in literas incubuere, qui clero adnumerabantur. Verum vbi curarum imperii partem Carolus depoſuit, ſibique atque Muſis ſuis vixit, paulatim refrixit ardor diſcendi, et quae cum eruditione colluctata erat, vincere iterum coepit ignorantia et barbaries. Cui vires acceſſere ab imperatoris morte, quae literis ipſique philoſophiae adeo funeſta accidit, vt, quod ſupra iam tetigimus, fabula fuerit e grammatica ad rhetoricam, et deinceps ordine ad ceteras diſciplinas liberales, dialecticam puta et mathematicam, tranſire. Quam labem ad ſacras quoque literas progreſſam eſſe, ex conciliorum canonibus, querelisque virorum cordatorum manifeſtum eſt, id quod alibi demonſtrandum. Cauſſas eius rei in antecedentibus iam expoſuimus, et grauia illa impedimenta oſtendimus, quae magnos Caroli conatus ſufflaminauerunt, et ex potiori parte fecerunt irritos. Plurimum autem hoc ſeculo ad contemtum neglectumque eruditionis artiumque liberalium contulere cleri vitia, quae hoc ſeculo regnauerunt, longe maxima. Cum enim laici vel omnem ipſi a ſe doctrinae rationem procul eſſe iuſſiſſent, voluptatibus, ſeculique curis toti dediti; vel a clero excluderentur, arcerenturque ab eruditionis limitibus, triumphante de literarum poſſeſſione ſacro ordine, ſimul cum hominibus vitia quoque triumphauerunt, captiuamque eruditionem duxere omnem. Quibus autem ſcelerum vitiorumque ſordibus ſe hoc ſeculo polluerit ordo eccleſiaſticus, hoc loco ob inſtituti noſtri rationem exponi haud poteſt, et in Eccleſiae annalibus ſolet referri, ſolae autem imperatorum atque conciliorum conſtitutiones cenſuraeque ſatis ſuperque de vniuerſa hominum eccleſiaſticorum corruptione loquuntur. Dabimus, ne in re cuiusdam momenti in hac hiſtoriae philoſophicae parte abeamus ἀσύμβολοι, AVENTINI r) verba; eo quod

Philoſophiae conditio Sec. IX.

r) Annal. Lib. IV. p. 359.

quod pleraque, quae huc pertinent, in compendio exhibeant: *In eodem concilio de vita et honeſtate ſacrificulorum, quorum mores a diſciplina maiorum lapſi ad luxum libidinemque, plus quam profano licet, tendebant, leges latae ſunt.* Et paulo infra [s]: *Poſt natalem Chriſti deinde imperator Ludouicus conuentum ad Aquas Graneas cogit: pontifices, monachos, ſacerdotes vitam Chriſti auctoris noſtri legatorum eius aemulari, ſpretis negotiis profanis, literis operam dare, ſacrae philoſophiae ſtudere, pueros docere, libros omnium profeſſionum ſcribere iuſſit, ſciuit.* Et alibi [t] de ſynodo Colonienſi: *Sacerdotes, epiſcopi auari, veneri ventrique dediti ignominia notati tribuque moti ſunt. Ceteri iuſſi ſuni viuere iuxta Chriſti Seruatoris noſtri placita. Imperatum myſtis, vt literis, ſacrae philoſophiae operam darent, vt oues paſcerent, neue gregem a Deo creditum malis exemplis trucidarent, neu lac conſumerent, de lanis ſe contegerent.* Quae omnia ſtatuta canonesque ſynodorum luculentiſſime probant. Tales cum fuerint, et ambitionem, tyrannidem, auaritiam, luxum, licentiamque cum impura Venere conſectati eſſent, quibus ſolis eruditionis, nempe artium liberalium et ſacrae philoſophiae; id eſt, theologiae cura tota erat relicta commendataque, fieri aliter non potuit, quam vt ipſe, qui ſurgere coeperat eruditionis vigor in ipſa fere origine ſuffocaretur. Nam cum literatorum ſacrorumque hominum vitam ab omni philoſophia et ſacra doctrina tantopere abhorrentem viderent homines laici, aut exemplo paſtorum iisdem ſceleribus perdebantur, et, quam domeſticam habebant, ignorantiam ad gignendam vitiorum colluuiem transferebant, aut, ſi cordati eſſent bonique viri, graui odio eos proſequebantur, apud quos literarum praeſidia eſſe dicebantur, quae inuidia tandem ad ipſas artes diſciplinasque transiit, turpiſſimamque ignominiae notam philoſophiae quoque affricuit. Quod ne odioſe magis, quam decebat, dixiſſe videamur, ecce verba SERVATI LVPI, optimi et cordati viri, haec ſui ſeculi vulnera graui planctu querelaque proſequentis; is enim ea de re ita [u]: *Nunc oneri ſunt, qui aliquid diſcere affectant, et velut in edito ſitos loco ſtudioſos quoque imperiti vulgo affectantes, ſi quid in eis culpae deprehenderint, id non humano vitio, ſed qualitati diſciplinarum affectant. Id dum alii dignam ſapientiae palmam non capiunt, alii famam verentur indignam, a tam praeclaro opere deſtiterunt.* His ea verba ſubiungit, quae in antecedentibus iam attulimus, fabulam fuiſſe e grammatica et rhetorica ad philoſophiam transire. Rari itaque apparebant nantes

s) Annal. Lib. IV. p. 380. t) p. 433. u) loco ſupra cit.

nantes in gurgite vaſto, et vbique triumphum agebat ignorantia. Non deerant quidem, quae vel acutius videbant, vel meliora optabant cordatorum virorum ingenia. Illi vero aut laici erant aut clerici. Iſtos ſi non vitae luxu detinere poſſent, magnis praemiis ad ſacros ordines ſuſpiciendos ſub opinione ſanctitatis meritique apud Deum ſingularis pelliciebant: Hos ita odio, calumniis et innumeris aliis modis vexabant, vt ſilere et intra monaſteriorum parietes vniuerſalem barbariem literarum morumque deplorare, quam ignorantiae telis confodi mallent. Et tamen hoc non obſtante doloris grauitas querelas nonnullis, qui meliora optabant, expreſſit. Hae vero cum ad imperatorum aures peruenirent, qui a Carolo eruditionis amorem, laudisque atque gloriae ex doctrina commendata cupiditatem haereditario quodam iure acceperant, illi ad quaerendam tanto malo medicinam animum laudabili contentione applicuerunt. Idque imprimis dignus parente Carolo filius Ludouicus Pius ſategit, inque id ſummis viribus conniſus eſt, vt parentis conſilia ad maturitatem quandam deduceret, caueretque, ne in ſpongiam prorſus incumberent. Hinc conſtitutionibus ſacra dignitatis ſummae auctoritate munitis ſanxit, vt ſtudiorum cura reuocaretur, ſcholae diligenter curarentur, literis honor haberetur. Ideo eo *Capitulari* [x], quod A. C. DCCCXXIII ediderat, inter alia praecipit: *Scholas ſane ad filios et miniſtros Eccleſiae inſtruendos vel edocendos, ſicut nobis praeterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis, et vobis iniunximus, in congruis locis, vbi nec dum perfectum eſt, a vobis ordinari non negligant.* Aperuit laudatiſſimi imperatoris candor et voluntas ſeria epiſcopis oculos, vt quam grauia Eccleſiae et reipublicae damna ex hac barbarie ſequerentur, obſeruantes, ipſum precibus ſuis imperatorem adirent, rogarentque, vt eius auctoritate publicae in imperio ſuo regnisque ſcholae aperirentur, in quibus diſciplinae artesque doceri poſſent. Inter quae eorum deſideria maxime notari merentur, Pariſienſis concilii ſexti, quod A. C. DCCCXXIX celebratum eſt, preces. Ita enim memorabili conſtitutione patres ſanxerunt [y]: *Similiter obnixe ac ſuppliciter veſtrae celſitudini ſuggerimus, vt morem paternum ſequentes, ſaltem in tribus congruentiſſimis imperii veſtri locis ſcholae publicae ex veſtra auctoritate fiant, vt labor patris veſtri et veſter per incuriam, quod abſit, labefactando non depereat, quoniam ex hoc facto et magna vtilitas, et honor ſanctae Dei Eccleſiae, et vobis magnum mercedis emolumentum et memoria ſempiterna accreſcet.* Quod conſilium vtrum exſecutus ſit Ludouicus, dici non poteſt, nec audemus ſubſcribere coniecturae CONRINGII [z], iam

x) cap. 5.
y) Apud LAVNOIVM, loc. cit. c. 11. p. 49.
z) Antiqq. Acad. Suppl. XXXIX. p. 315.

a Carolo M. tres ſcholas in imperio fuiſſe erectas. Illud vero ex hoc concilii loco poſſe euinci putamus, aut prorſus deſiiſſe literarum mercatum, quem Pariſiis inſtituit Carolus M. aut ita obſcuratum et neglectum fuiſſe, vt in ipſa hac vrbe patres concilii ſcholas excitari praeoptare neceſſe habuerint, vtque id fieret, imperatorem rogauerint. Pari fere modo etiam epiſcopos ad tuendum literarum honorem excitarunt ſynodi, vt ex concilio, quod in Aquarum Granearum vrbe coactum eſt, et cuius verba ſupra adduximus, diſci poteſt. Ludouici exemplum ſecutus eſt filius Carolus Caluus, magnus literarum literatorumque Moecenas, cuius infra in Ioanne Scoto Erigena exemplum dabimus; is cum peſtem hanc ex imperio proſcribere cuperet, vbi poſſet, de eruditis ſibi viris proſpexit, magnisque praemiis propoſitis eos ad ſe vocauit, venientes clementer ſuſcepit, honoribus et diuitiis auxit, literisque pretium, quantum valeret, ſummum ſtatuit. Teſtimonium ea de re illuſtre habet ERICVS ANTISSIODORENSIS, qui in *Dedicatione vitae S. Germani ad Carolum Caluum* [a] inter alia multa haec quoque ſcribit: *Ne noſtra inertia, quae ſuam ſponte amplectitur coecitatem, velum ſibi excuſationis de ignorantia obduceret, neue de praeceptorum inopia merito cauſſaretur, id tibi ſingulare ſtudium effeciſti, vt, ſicubi terrarum magiſtri florerent artium* (nomen hoc aeuo medio philoſophorum fuiſſe, quod hodie quoque obtinet, ex ſupra dictis repetendum eſt) *quarum principalem operam philoſophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem vndiquaque tua celſitudo conduceret, comitas attraheret, dapſilitas prouocaret. Luget hoc Graecia, nouis inuidiae aculeis laceſſita, quam ſui quondam incolae iam dudum cum Aſianis opibus aſpernantur, tua potius magnanimitate delectati, ſtudiis illecti liberalitate confiſi: dolet, inquam, ſe olim ſingulariter, mirabilem a ſuis deſtitui: dolet certe illa, ſua priuilegia, quod nunquam hactenus verita eſt, ad climata noſtra transferri. Quid Hiberniam memorem, contemto pelagi diſcrimine pene totam cum grege philoſophorum ad litora noſtra migrantem?* Similia complura his addit, ne longiores ſimus, non exſcribenda. Magnifico monachum hunc loquendi genere, vt ſolet in dedicationibus fieri, iſta ſcripſiſſe, non negamus, facileque nobis perſuademus, tantum, quantum ille crepat, lumen philoſophiae ſub Carolo Caluo non fuiſſe ortum: recte tamen, niſi fallimur, ex hoc loco euincitur, imperatorem de accerſendis euocandisque viris doctis, praecipue philoſophis fuiſſe maxime ſollicitum, hancque eius in literas et philoſophiam beneuolentiam in cauſſa fuiſſe, vt fugientes Muſae retraherentur. Ita enim laudatus porro ſcriptor ad imperatorem: „Ita namque ſpretis ceteris in eam mundi partem, quam „tua

a) Tom. VI. Act. SS. Iul. 31.

„tua poteſtas complectitur, vniuerſa optimarum artium ſtudia con„fluxerant, vt veriſimile habeam, iam dudum eas humanae peroſas „inertiae terris penitus exceſſiſſe, niſi tuae integritatis amplitudine „tenerentur, in qua etiam vnicum ſuae profeſſionis culmen ac fa„ſtigium, vt palam eminet, mirabiliter collocarunt. Hinc eſt, quod „cum ſit perantiqua ſententia, leges ſilere inter arma, hae tamen „tam belli, quam pacis tempore apud te plurimum ſemper obtinent „dignitatis: ita vt merito ſchola vocitetur palatium, cuius apex non „minus ſcholaribus quam militaribus conſueſcit diſciplinis. Quic„quid literae poſſunt, quicquid aſſequuntur ingenia tibi debent, tibi „inquam, qui natus ad agendum ſemper aliquid dignum viro, cum „virtute praecellis, tum etiam ſapientia refulges". In ſequentibus autem hanc imperatori gloriam tribuit, „quod aui ſui ſtudium erga „immortales diſciplinas non modo ex aequo repraeſentet, verum et„iam incomparabili feruore tranſcendat, dum quod ille ſopitis edu„xerit cineribus, ipſe fomento multiplici tum beneficiorum, tum au„ctoritatis vsquequaque prouehat". Alia loca ſcriptorum huius aetatis [b], ne Lectorem nimis diu detineamus, omittimus. Ita vero ex Graecia, Hibernia aliisque, vbi literarum decus paulo melius florebat, locis, euocati tradu&tique ſunt, in imperatoris ditiones viri docti, interque eos philoſophi. Exemplum auguſti ſecuti ſunt pontifices nonnulli et concilia, quae literaturae diuinae et humanae ſtudium vehementer commendauerunt; cuius exemplum eſſe poſſunt, quae concilium apud Saponarias A. C. DCCCLIX celebratum, ſtatuit [c]: „Vt ſcholae ſanctarum Scripturarum, et huma„nae quoque literaturae, vnde annis praecedentibus per religioſo„rum imperatorum ſtudium magna illuminatio Eccleſiae et eruditio„nis vtilitas proceſſit, deprecandi ſunt pii principes noſtri, et „omnes fratres ac coëpiſcopi noſtri inſtantiſſime commonendi, vt „vbicunque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt, fide„liter et veraciter intelligentes donare dignetur, conſtituanturque vn„dique ſcholae publicae, ſcilicet vt vtriusque eruditionis, et diui„nae ſcilicet et humanae in Eccleſia Dei fructus valeat accreſcere, „quia quod nimis dolendum eſt, et pernicioſum maxime, diuinae „Scripturae verax et fidelis intelligentia iam ita dilabitur, vt vix eius „extrema veſtigia reperiantur".

§. XXIX. His itaque hoc ſeculo Ludouici et Caroli, imperatorum curis et laudatiſſimis conatibus, tot ſcholae debentur, quae his temporibus ſurrexere, et ex quibus prodiit, quicquid literaturam *Fata ſcholarum ſec. IX.*

b) Conf. LAVNOIVS l. c. p. 51. et Hincmari Rhemenſis locum in Synopſ. librorum Biblioth. Thomaſ. Vol. I. p. 742.

c) Apud LAVNOIVM l. c. p. 53.

ſacram et profanam, quicquid philoſophiam ornauit. Non permittit ampliſſimi argumenti, quod tractatio noſtra ſuſcepit, prolixitas, vt ſcholarum hac aetate conditarum et viris doctis ornatarum hiſtoriam exſequamur, licet ab inſtituto noſtro haud procul abeat. Peculiarem hoc eorum operam poſcit, qui literariam medii aeui hiſtoriam ſcribere aggreſſi ſunt, eo quod hiſtoria eius ſcholaſtica potiſſimam partem abſoluat. Tangemus tamen ſummam rei, vt quibus fatis vſae fuerint paucae illae philoſophiae reliquiae, quas haec media ſecula exhibent, intelligamus. Inter iſtos vero ludos literarios Lugdunenſem ſcholam primo loco ponimus, eo quod viuente adhuc Carolo Magno excitata teſtibus ſcriptoribus illius aetatis magnopere floruerit, qua de re Leidradi epiſcopi Lugdunenſis verba attulit IOANNES LAVNOIVS [d], qui videndus, ſeculo vero nono eam non ſacrarum tantum diſciplinarum, verum etiam philoſophiae laude inclutam fuiſſe, ex ODILONIS verbis in *Vita Sancti Maioli* [e] conſtat, ſcribentis: *Iuuenili iam imminente aetate altiora et potiora in diuinis, acriora in humanis ſtudiis et grauiora non diſtulit attentare, et ideo per vtramque exercitatus doctrinam non timuit accedere Lugdunenſem ad aram, deinde apud hanc vrbem philoſophiae nutricem et matrem; et quae totius Galliae ex antiquo more et eccleſiaſtico iure non immerito retinet arcem, Antonium eruditum virum et prudentem in liberalibus ſtudiis habere voluit praeceptorem.* Antonium hunc *magnae deditum philoſophiae* vocat Anonymus Diuionenſis apud LAVNOIVM [f]. Philoſophiam autem et artes liberales eo tempore idem ſignificaſſe, ex ſupra dictis repetendum eſt. Poſt Lugdunenſem Fuldenſi ſcholae locus eſſe debet, quam Caroli M. cohortationibus ad Baugulfum abbatem originem ſumſiſſe ex ſupra dictis notum eſt. Paſſim de hac ſchola loquuntur medii aeui ſcriptores, quorum verba legi poſſunt apud LAVNOIVM [ff], ex quibus diſcimus, a Caroli Magni aetate hanc ſcholam floruiſſe. Quamuis enim celeberrimum monaſterium a Bonifacio, qui Seculo VIII monaſteria reformauit, ad Benedicti regulam extructum exactumque ſit, nihil tamen ille praeſtitit, quo eruditio iuuari poſſet, ſed exemplo Benedicti a literarum ſtudio monachos auocauit, et ad manuum opus deduxit, cum et ipſe nec literatus eſſet, nec literis faueret. Caroli Magni cura autem, et Ludouici Carolique Calui ſtudio ſchola in artium quoque liberalium cultura eleganter profecit, Rabano Mauro, qui ex Alcuini diſciplina prodierat, plurimum ad haec ſcholae Fuldenſis incrementa, conferente. De quo memorabilis hic eſt locus TRITHEMII [g], qui de Lutberti primi Hirſau-

d) loc. cit. cap. 7. p. 37. ſeq.
e) Act. SS. Tom. X. 2. Maii pag. 684.
f) loc. cit. cap. 8. pag. 40.
ff) Annal. Hirſaug. Tom. I. pag. 11.

Hirſaugienſis coenobii abbatis inſtitutione haec habet: „Conſuetudo „fuit eo tempore in monaſterio Fuldenſi, quam Albinus praeceptor „Caroli M. imperatoris, Bedae quondam diſcipulus introduxerat, vt „monachis praeficerentur doctiſſimi praeceptores, qui eos non ſolum „in Scripturis diuinis, ſed in omni quoque literatura ſecularium ſtu„diorum inſtruerent, et qui poſt longum exercitium literarum eua„ſiſſent doctiores, ceteris magiſtri praeponerentur, et ad ſimilia du„ces. Inter quos duodecim ſemper erant praecipui, quorum conſilio „abbas in arduis rebus vtebatur. Et quoties aliquis ex eorum nu„mero vel morte fuiſſet ſublatus, vel ad aliud monaſterium miſſus, „mox alius, qui magis videbatur idoneus, in locum eius conſue„uerat computari; vnde non ſolum Fuldenſis coenobii monachos, „ſed etiam complures, qui propter ſtudium de aliis mittebantur coe„nobiis, illi duodecim in omni facultate ſcripturarum inſtituerunt.“ Haec Trithemius in altera pleniorique annalium Hirſaugienſium editione; qui in prima hoc quoque addit: „Cum nouae huius inſtitu„tionis apud Germanos fama tranſiuiſſet in publicum, plures coeno„biorum praelati eam docendi formam laudantes, alii monachos ſuos „ad Fuldam miſerunt, ſub Rabani ferula ſacris imbuendos ſtudiis: alii „vero ſcholas erexerunt in monaſteriis propriis, quibus praeceptores „de praefato coenobio doctiores quosque praefecerunt. Sed in tem„pore breui valde creuit numerus diſcipulorum Rabani docentis, et „per totam Germaniam et Galliam eruditionis et ſanctitatis eius vene„rando opinio ſe diffudit. Vnde factum eſt, quod non ſolum abba„tes, monachos, ſed etiam nobiles terrae filios ſuos Rabani do„cendos magiſterio ſubdiderint. Quos ille, vt erat manſuetiſſimus, „omnes cum ſumma diligentia informabat, prout vniuscuiusque vel „aetas vel ingenium permittebat, alios in grammaticis, alios vero „in rhetoricis, atque alios in altioribus diuinae atque humanae philo„ſophiae ſcripturis, ſine inuidia communicans, quod ſinguli ab eo „poſtulaſſent; omnes vero, quos in auditorium ſuum docendos „admiſit, non ſolum proſa, ſed etiam carmine, quicquid occurriſſet, „ſcribere informauit, multos inſignes doctos atque ſapientiſſimos au„ditores habuit.“ Hanc ſcholam ex Alcuini conſilio condiderat Ratgarius, ſeique Rabanum praefecerat, Baugulfo tamen prima eius fundamenta ponente. Poſt Fuldenſem ſcholam Corbeienſis memoratu digna eſt, quam ſeculo nono doctis viris abundauiſſe ſcriptores teſtantur, qui in diuinis ſcripturis et ſecularibus literis iuuentutem monaſticam inſtituerunt, quae loca cum collegerit LAVNOIVS[b], vno intuitu apud illum cognoſci poſſunt, qui in hac arena deſudauerunt.

b) loco citato pag. 71.

nerunt. Idem de Corbeia veteri apud Gallos teſtatur TRITHEMIVS [i], qua in ſchola Paſchaſius, Ratbertus, Ratramnus et Odo, horum temporum fere doctiſſimi docuerunt. Floruiſſe quoque hoc ſeculo Remenſem ſcholam, inque ea philoſophiae praecepta iuuentuti tradita fuiſſe, ex FLODOARDI [k] narratione conſtat, qui de Fulcone, qui Remenſem Eccleſiam A. C. DCCCLXXXII adminiſtrare coepit, haec habet: „Praefatus praeſul honorabilis Fullo „ſollicitus circa Dei cultum et ordinem eccleſiaſticum amore quoque „ſapientiae feruens, duas ſcholas Remis, canonicorum ſcilicet loci „atque ruralium clericorum iam pene dilapſas reſtituit, et euocato „Remigio Autiſſiodorenſi magiſtro liberalium artium ſtudiis adoleſcentes clericos exercere fecit, ipſeque cum eis lectioni ac meditationi „operam dedit. Sed et Hucbaldum [l] S. Amandi monachum, virum quoque diſciplinis Sophicis nobiliter eruditum accerſiuit, et „Eccleſiam Rhemenſem praeclaris illuſtrauit doctrinis.“ Hunc autem Hucbaldum peritia liberalium artium ita inſignem fuiſſe, vt philoſophis aequaretur, refert SIGEBERTVS [m]. Alia de hac ſchola teſtimonia videſis apud LAVNOIVM [n], quibus confirmatur, liberalium artium praecepta in ea fuiſſe tradita. Excitata quoque eſt exoriente hoc ſeculo ſchola Floriacenſis ad Aurelianenſes poſtea celeberrima. In qua philoſophiam perſonuiſſe, cum artium liberalium doctrina ex Abbonis vita recte colligitur, qui cum Rector ſcholae fuerit, philoſophiam quoque ibi ſine dubio docuit. Refert enim in *Vita eius* AIMOINVS [o]: „Ipſum adhuc maiora gliſcentem ſci„entiae ſcrutari arcana, diuerſorum adhuc adiiſſe ſapientiae officinas „locorum, vt quia grammaticae, arithmeticae nec non dialecticae „iam ad plenam indaginem affixiſſet, ceteras ingenio ſuo pergeret „ſuperadiicere artes. Quapropter Pariſios atque Remos ad eos, „qui philoſophiam profitebantur profectum, aliquantulum quidem in „aſtronomia, ſed non quantum cupierat, apud eos profeciſſe.“ Ex quo loco LAVNOIVS [p] quidem concludit, ante Abbonis rectoratum, qui ſeculo X demum contigit, artium liberalium ſtudia in Floriacenſi ſchola non viguiſſe, quia alias hic monachus alios non

i) Annal. Hirſaug. Tom. I. pag. 13.

k) Hiſt. Rem. Lib. IV. cap. 9.

l) Videndus de eo TRITHEM. de S. E. cap. 284. de illuſtr. Bened. Lib. II. cap. 49. FABRIC. Bibl. Lat. med. Tom. III. p. 840. Ab hoc carmen habemus in laudem Caluorum, ad imperatorem Carolum Caluum, cuius ſingulae voces incipiunt a litera C, hoc initio:

Carmina cleriſonae caluis cantate Camoenae;

exhibet illud praeter alios BARTHIVS Aduerſ. Lib. XLVI. c. 22. Alio etiam nomine Hucbaldus locum hic poſtulat. Nam teſte SIGEBERTO GEMBLACENSE c. 107. p. 105. ſcripſit librum de Arte Muſica, „ſic contemperans „chordas monochordi literis alphabeti, vt poſ„ſit quis per eas ſine magiſterio alterius diſcere „ignotum ſibi cantum.

m) loco cit.

n) cap. 21. p. 77.

o) In vita Abbonis T. VI. Act. Bened.

p) cap. 23. p. 87.

non quaesiuisset in philosophiae praeceptores, si quos nactus esset in monasterio; sed plus sibi ex isto loco sumit, quam par est. Non enim scribit Aimoinus, nihil artium liberalium eum domi didicisse, sed triuium perfecte tenuisse Abbonem fatetur, quadriuium tamen non recte tenuisse ait. Id quod hoc modo innuit, scholam Floriacensem, Abbonis aetate non habuisse magistrum, vel Scholasticum, in quadriuii artibus satis versatum; non vero euincit, nunquam illas fuisse eo loco doctas. Immo nisi fallimur, contrarium probat Aimoinus, narrans, ipsum Abbonem Scholasticis praefectum fuisse, id est professorem constitutum esse, et artes has omnes docuisse. Id vero munus illi non collatum ex more fuisset, nisi in philosophia excelluisset. Id quod luculenter probat, abbatem Floriacensem ad restituendam philosophiae artiumque liberalium professionem, vt hodie loqui solemus, tum respexisse, eo quod a Caroli M. tempore in his scholis ex Alcuini consilio moris esset, eum iuuentuti praeceptorem dare, qui et sacrae et secularis doctrinae esset peritus. Refrixisse vero superiorum artium siue quadriuii studium ineunte seculo decimo, et tum demum Abbonis industria, (de quo infra dicemus) resuscitatum esse, facile concedimus. Eadem fere celebritate floruit hoc seculo Schola Leodiensis, quam imprimis Franco episcopus Leodiensis nobilitauit. Hunc TRITHEMIVS [q] ait, *fuisse in diuinis scripturis eruditissimum, et in studio secularium literarum egregie doctum philosophum, rhetorem, poëtam et musicum excellentem, ingenio acutum, sermone disertum, vita et conuersatione deuotum atque sanctissimum, et pluribus annis publicae scholae praefuisse, et multos in omni scientia discipulos doctissimos enutriuisse.* Hunc Francone nem secuti in professione artium liberalium sunt alii, quos LAVNOIVS [r] nominat, et inter eos alius Franco Scholasticus Leodiensis, quem distinguunt ab abbate Afflighemensi viri docti [s], seculo XI clarus, et propter librum *de quadratura circuli* memorabilis, de quo post SIGEBERTVM GEMBLACENSEM [t] recentiores historiae literariae Ecclesiasticae scriptores videndi sunt [u]. Addi his scholis possent plures, si id ageremus, et nisi argumentum occupasset LAVNOII industria. Ex his igitur bonarum mentium literarumque officinis, quae hoc seculo vel excitatae, vel confirmatae et in vsum pleniorem traductae sunt, manifestum est, barbariei, quae omnes fere Occidentis regiones, maxime vero Hispaniam, Galliam, Italiam et Germaniam inundauerat, se et summos imperantes et episcopos oppositisse, nec defuisse viris cordatis et ingenium et industriam: ast cum ipsis cum infelici seculo colluctandum esset, parum ad pellendas has tenebras promouerunt. Huic sane

q) Catal. S. E. p. 88. r) Cap. 25. p. 101. u) Plerique cum Afflighemensi abbate eundem putant, vid. CAVE H. L. S. E. p. 563. LAVNOIVS l. c.
s) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. II. p. 602.
t) Cap. 164. TRITHEMIVS c. 346.

ſane ſeculo in felicitatis parte ponendum eſt, quod grauem noctem ſtellae quaedam diſtinxerint, quae luce eruditionis cuiusdam ſatis magnae, ſi temporis conditionem reſpicias, caliginem diſpungere conati, vniuerſalem eruditionis interitum auerterunt, licet diem reddere non poſſent.

Alfredus Angliae rex.

§. XXX. Inter hos ſtatores literarum pereuntium, qui fugientibus Muſis manus iniecerunt, easque aliquantiſper retraxerunt, & purpurae ſplendore, et eruditionis amore, & reuocandarum diſciplinarum feruore aliis praeferendus eſt ALFREDVS, vel Aelfridus, quem et alii Aluredum et Ealfridum vocant, cognomento Magnus, Aethelwolphi Occidentalium Saxonum regis quatuor filiorum natu minimus, qui ab anno DCCCLXXI, poſt fratres defunctos Angliae ſceptrum vsque ad initia ſeculi decimi tenuit. Is cum natura tantae tarditatis eſſet, vt duodecim annos natus nondum literas noſſet, ſtupenda induſtria diſcendique deſiderio prorſus inſatiabili difficilem naturam, ſola memoriae vi quadam inſignem ita vicit emendauitque, vt omnes ſui temporis doctos viros non modo facile aequaret, ſed et ſuperaret, mereaturque inter ſumma, quae ſeculis his emicuerunt, ingenia connumerari. Quem tanta animi contentione ſtudiis inuigilaſſe tradunt, qui de vita eius rebusque geſtis commentati ſunt [v] vt cum grauiſſimis regni oneribus curisque premeretur, quae ex incurſionibus hoſtium ipſi enaſcebantur, quotidie tamen octo horas literis traderet, inque iis, aut legeret, aut dictaret, aut meditaretur, aut oraret. Inde factum, vt in grammatica, rhetorica, philoſophia, hiſtoria, matheſi et poeſi paucos ſui temporis haberet pares, ſuperiorem neminem. Id quod hodie quoque intelligi poteſt ex ſcriptis eius doctiſſimis, quibus probauit, ſibi Muſas curae cordique, et philoſophiam in ſpecie in delitiis fuiſſe. Supra enim iam memorauimus, expreſſiſſe eum lingua Saxonica BOETHII librum *de conſolatione philoſophiae* a CHRISTOPH. RAWLINSONIO editum, vt alia eius ſcripta taceamus recenſita a CAS. OVDINO [w] et I. A. FABRICIO [x]. Quemadmodum autem purpurata eruditione ſeculo huic, quod honorem literarum tantum non omnem amiſerat, nitorem ſuo exemplo reſtituit, ita omnem lapidem mouit, vt literarum et imprimis, philoſophiae interitum auerteret, barbariem pelleret, diſciplinas reuocaret, ſicque aliam eruditionis faciem induceret. Iunctis ita, quas regia poteſtas ſubminiſtrabat, viribus ſategit, vt viros vndecunque conquireret doctiſſimos, eos in inſulam inuitaret, magnificisque ſtipendiis illectos vinctosque ſuos redderet, hosque ſubditis ſuis publicos profeſſores doctoresque conſtitueret. Quo fine celeberrimam Oxonienſem ſcholam,

v) Vid. praeter alios LELANDVS c. 115. Vitam eius ab ASSERIO MENEVENSI ſcriptam edidere MATTH. PARCKERVS Lond. 1574. fol. et GVIL. CAMDENVS Fr. 1602. conf. ſcriptores hiſtor. lit. medii aeui CAVEVS OVDINVS, VOSSIVS alii, qui in notiſſimis libris res eius literarias tetigerunt.

w) De S. E. T. II. p. 309. ſeqq.

x) Bibl. Lat. Med. T. I. p. 69.

holam, ab hoc tempore ad noſtram aetatem magno doctrinae cuiuscunque incremento florentem, condidit, vt a viris doctis demonſtratum [y], inque ea grammaticam et rhetoricam, itemque philoſophiam atque theologiam doceri iuſſit. In quo laudatiſſimo conſilio exequendo Neotus monachus eum adiuuit ad quem in exilio aliquando diuerterat. Recenſuit quosdam viros doctos ab Aelfrido in Angliam euocatos INGVLFVS Abbas Croilandiae [z], cuius haec verba ſunt: *In diuinis libris et ſacra lectione tam aſſiduus erat, quod Dauidicum Pſalterium vel alium aliquem librum aedificatorium in ſinu ſuo ſemper ſecum ferret, et viros literatiſſimos de terris exteris ad ſe accerſeret, aliquandiu in palatio ſuo ſecum pro ſacris literis addiſcendis retentos, demum diuerſis praelatiis et dignitatibus promouebat. Hinc S. Grimbaldum artis muſicae peritiſſimum et in diuinis ſcripturis eruditiſſimum euocatum e Francia, nouo ſuo monaſterio, quod Wintoniae conſtruxerat, praefecit abbatem. Similiter de veteri Saxonia Ioannem cognomento Scotum acerrimi ingenii philoſophum ad ſe alliciens, Aethelingiae monaſterii ſui conſtituit praelatum Athelſtanum & Wewulphum ad ſe aduocans de Mercia, qui ambo ſacerdotes erant deuotiſſimi. Plegmundum etiam poſtea promotum in Archiepiſcopum Cantuariae, ac Askerum abbatem Bangorenſem, poſtea Schireburnenſem Epiſcopum illis in temporibus doctores celeberrimos ſuo lateri adiunxit.* Aliorum de maximi viri meritis loca, et imprimis luculenta verba POLYDORI VIRGILII [a], ne nimii ſimus, praetermittimus. Non diu tamen haec inter Anglos durauit eruditionis felicitas; paucis enim poſt annis crudeles Danorum incurſiones factae ſunt, quae tantum non omnia euerterunt, quibus acceſſit Haraldi regis immanis crudelitas, quae totam fere Angliam inque ea ipſam Oxonienſem ſcholam ſanguine cineribusque miſcuit. Quam calamitatem durauiſſe vsque ad Normannorum dynaſtiam, ſupra iam obſeruauimus. Superfuiſſe tamen in Oxonienſi ſchola, qui humaniores literas et philoſophiam docerent, collegere iſtius Academiae hiſtorici ex verbis Ingulfi, qui Seculo XI. floruit, quibus ſe Oxonienſi ſtudio traditum in Ariſtotele arripiendo ſupra multos coaetaneos profeciſſe ſcribit, vt ſuo loco et tempore notabimus. Sed reuera refloreſcere coepere demum literae in Anglia ſub Henrico II, et Richardo, de qua re in ſequentibus quaedam monebimus.

§. XXXI. Ad illuſtre hoc exemplum, quod praeceſſerunt Caroli M. filiique et nepotis eius, Ludouici Pii Carolique Calui, in artes et philoſophiam ſtudia, compoſuit ſe, quicquid bonae mentis, cordatique animi inter viros eccleſiaſticos erat, nec deerant inter nobiles

Cura virorum doctorum de reſtaurandis literis et philoſophia Sec. IX.

y) BRIAN. TWYNVS Apol. antiq. Oxon. THOMAS CAIVS Vindic. antiq. Acad. Oxon. p. 312. BVLAEVS Hiſt. Acad. Pariſ. T. I. p. 211. ſeqq.

z) In Hiſtor. Croyland. apud OVDIN. l. c.

a) De inuent. rer. c. 71.

nobiles paulo liberius e luxu et ignauia, qua plerique detinebantur, emergentes nonnulli, qui desideriis honestis eorum, quibus literae curae cordique erant, annuentes, filios suos in scholas episcopales, et monasteriorum mittebant [b]. Quo factum est, vt, quae valde minabatur, plena omnis eruditionis ruina auerteretur, viuerentque in hoc seculo viri quidam doctrinae, et philosophiae laude non priuandi, qui si meliora attigissent tempora, inter primae magnitudinis ingenia referri meruissent. Et hos strictim quidem recensebimus, literaria enim illorum historia passim inuenitur, et plerique eam attigerunt, qui scriptores ecclesiasticos enumerauerunt. Inter hos viros doctos seculi post Christum natum noni coryphaei instar eminet, et primo loco suo iure nominari meretur RABANVS MAVRVS, seculo adhuc octauo natus. Teste enim TRITHEMIO [c] A. C. DCCCXIII, annum agens vigesimum quintum scholae Fuldensi praefectus est, adeoque natiuitatis annus incidit in A. C. DCCLXXXVIII. Moguntiae fuisse natum recte obseruatum est doctissimis viris ANT. PAGI [d] et IO. MABILLONIO [e], inde etiam nomen Magentii vel Magnetii apud quosdam habet, qui vero vel Britannum vel Fuldensem faciunt, hos errare apertum est, Fuldam enim admodum adolescens missus est, et tum demum a Radgario abbate Alcuino commendatus in eius disciplinam concessit, ab eoque in omni eruditionis sacrae et profanae genere eruditus est. Qui cum ingenium attulisset naturae muneribus ornatissimum, magnoque discendi desiderio arderet, sub hoc praeceptore tam egregie profecit, vt et illi esset carissimus, et inter condiscipulos vnus excelleret, et ab Alcuino vehementer commendaretur. Et ab eo nomen Mauri quoque accepit. Solebat enim Alcuinus ad honestam veterum imitationem excitandam, nomina antiquitatis celebria suis imponere; e. g. Brunonem appellauit Candidum, Riculphum Damaetam, Angilbertum Homerum, ipsumque Carolum M. Dauidem [f]. In tanti itaque artificis officina egregie formatus, cum spe omni maiora incrementa in literis cepisset, diaconi ordine auctus, tandem A. C. DCCCXIII Scholasticus Fuldensis a Radgario abbate constitutus est. Quam prouinciam tuendam nactus Rabanus laudabile praeceptoris exemplum sequendum, iuuentutemque Ecclesiasticam antequam ad sacrarum doctrinarum adyta perduceretur, ad secularium literarum et inprimis philosophiae cognitionem excitandam formandamque esse statuit. Teste enim TRITHEMIO [g], *Mos erat in Fuldensi coenobio his temporibus, monachos non solum in Scripturis sanctis instituere, sed etiam in omnis secularis scientiae literatura ad plenum erudire,*

Rabanus Maurus.

b) Id in Fuldensi factum esse, supra Trithemii testimonio docuimus.

c) De S. E. conf. LAVNOIVS de schol. cel. c. 8. p. 42. Errant itaque, qui cum CAVEO l. c. p. 456. An. 785. natum volunt.

d) Crit. antibar. ad A. 814. n. 28.

e) Annal. Bened. T. III. p. 52.

f) MABILLON. Sec. IV. Bened. P. I. in elogio Alcuini.

g) In chron. Hirs. ad an. 813.

erudire, probe enim iudicabant viri ſapientiſſimi, diuinas ſcripturas neminem poſſe intelligere, quem literas ſecularis doctrinae contigiſſet ignorare. Quo pacto autem hoc conſilium executus ſit Rabanus, idem TRITHEMIVS * enarrat, qui locus cum luculenter ſeculi huius eruditionis hiſtoriam illuſtret, quibusque fatis ſub celebri magiſtro philoſophia vſa ſit, exponat, dignus eſt, licet aliquas particulas ſupra iam adduxerimus, qui hic totus adſcribatur: *Ratgarius memorabilis abbas vtilitati cupiens conſulere plurimorum, de fratrum ſuorum conſilio ſcholam in monaſterio Fuldenſi publicam inſtituit, cuius magiſterium Rabano commendauit. Anno itaque dominicae natiuitatis DCCCXIII, indictione Romanorum ſexta, Rabanus annorum XXV, monaſterii monachorum ſcholae praeficitur, et eum docendi modum, quem ab Albino nunc didicerat, etiam apud Fuldenſes monachos inuiolabilem ſeruare iubetur. Qui mox vt docendi ſubiuit officium, per omnia curauit Albinum ſequi et imitari magiſtrum, vt iuniores videlicet monachos primum doceret in grammaticis, et cum apti viderentur ad maiora, grauioribus etiam firmarentur inſtitutis. Cumque nouae huius inſtitutionis apud Germanos fama tranſiiſſet in publicum, plures coenobiorum praelati eam docendi formam laudantes, alii monachos ſuos ad Fuldam miſerunt, ſub Rabani ferula ſacris imbuendos ſtudiis: alii vero ſcholas erexerunt in monaſteriis propriis, quibus praeceptores de praefato coenobio doctiores quosque praefecerunt. Sed in tempore breui valde creuit numerus diſcipulorum Rabani docentis, et per totam Germaniam et Galliam eruditionis et ſanctitatis eius veneranda opinio ſe diffudit. Vnde factum eſt, quod non ſolum abbates monachos, ſed etiam nobiles terrae filios ſuos Rabani docendos magiſterio ſubdiderint. Quos ille, vt erat manſuetiſſimus, omnes ſumma cum diligentia informabat &c.* His reliqua ſubiungit §. XXIX iam allata, ex quibus diſcimus, et diuinam et humanam philoſophiam Rabanum diſcipulos ſuos docuiſſe. Qui cum doctiſſimo magiſtro vterentur, ad elegantem, pro illius aetatis conditione eruditionem peruenerunt. Cuius exemplum eſſe poſſunt, qui ex Rabani diſciplina prodierunt Walfridus Strabo, Seruatus Lupus, et Ottfridus, Weiſſenburgenſis monachus, Euangeliorum metaphraſi Theotiſca clarus, aliique, qui ex Fuldenſi hac ſchola progreſſi ſunt hoc ſeculo, quos nominatos vide a TRITHEMIO *i*. Inter hos Hirſaugienſis quoque ſcholae monaſteriique magiſtri eius cura, cum abbas Fuldenſis eſſet electus, conſtituti ſunt, vt idem Sponheimenſis abbas prolixe narrauit. Tantus autem doctrinae amor virum literatiſſimum occupauerat, vt monaſterii cura et regimine Hattoni tradito ſola abbatis dignitate contentus tantummodo literis vacaret. Quod occaſionem dedit monachis ignauiam ſeculi ſui literarum ſtudiis praeferentibus et diſciplinam Rabani ferre recuſantibus, vt de neglectis a Rabano monaſterii reditibus, cum totus literis ſe traderet conquerentes, eum ex coenobio, cui tanta cum laude praefuerat, eiicerent. Qui ad aulam Lotharii imperatoris

h) In Chron. Hirſ. ad an. 813. *i*) Annal. Hirſaug. T. I. p. 4. 5.

ratoris conuerſus, fruſtra reuocantibus ingratis monachis ibi moram fecit, donec ad ſedem Moguntinam eueheretur, id quod factum A. C. DCCCXLVII [k]. Quo loco poſitus illuſtri controuerſiis Gotteſchalci, aliisque momentis inclaruit, de quibus in hiſtoria Eccleſiaſtica diſputari ſolet. In his vero omnibus et ingenii magnitudinem, et eruditionis praeſtantiam et laboris aſſiduitatem tantopere probauit, vt non ſuae modo aetatis homines in admirationem raperet, ſed ſequentium quoque ſeculorum potiſſimus dux et arbiter eſſet. Id quod mirandum haud eſt, cum in tanta literarum penuria ſtellae inſtar cuiusdam primae magnitudinis effulſerit, et tum libris plurimis ſuae aetatis ignorantiam diſſipauerit, tum ex diſciplina ſua dimiſerit, quotquot fere Galliam Germaniamque eruditione poſtea nobilitarunt. Nobis ideo laudandus hoc loco eſt, quod philoſophiae cognitionem neceſſariam eſſe, ad intelligendas ſacras literas, ſuis tradiderit diſcipulis, nam haec ipſa regula tum quidem prorſus in obliuionem deuenerat, id quod magnas in Eccleſia nugas et ineptias produxit. Hinc calamum quoque in argumento philoſophico exercuit, ſolentque ei tribui libri *de vitiis et virtutibus*, *de anima et virtutibus &c.* quibus vt reliquis ſcriptis theologicis eam ſibi famam comparauit, quae nec noſtris euiluit temporibus [l]. Magiſtro iungimus diſcipulum et notarium ſiue amanuenſem WALAFRIDVM STRABONEM vel Strabum, carminibus quidem, vitis SS. et ſcriptis hermeneuticis ſacris conſpicuum, ſed et artium liberalium atque philoſophiae peritiſſimum. Quamuis enim ſcripta eius philoſophica hodie non extent, teſtis tamen eſt TRITHEMIVS [m], *eum cum in Scripturis diuinis ſtudioſum, tum in ſecularibus literis omnium ſui temporis doctiſſimum fuiſſe*, id quod in chronico quoque confirmat, vbi narrat, eum magiſtro in regimine Scholarum Fuldae ſucceſſiſſe. Hoc itaque auctore in monaſterio quoque S. Galli, in quo decanus fuit, et Augiae diuitis, quod abbatem eum habuit, ſtudia artium liberalium viguiſſe, eſt longe veriſimillimum.

Walafridus Strabo.

§. XXXII. Nemo tamen hoc ſeculo philoſophiae laude magis eminuit, quam IOANNES SCOTVS, dictus ERIGENA; de quo nomine eius diſceptatum eſt inter viros doctos, aliis eum Scotum eſſe contendentibus ex oppido Aire, aliis perhibentibus ob patriam Hiberniam, quae Eri ſiue Eris olim dicta fuit, ita vocari, quum et Scotiae nomen illi regioni haeſerit: aliis Wallum facientibus, ex Ergene in confiniis Walliae, in comitatu Angliae Herfordienſi ſita [n]. Cui liticulae iudicium interponere noſtrum nec libet nec licet, monentibus nec patriam, nec tempus eius ſatis certum cognitum eſſe, cum vehementer de vtroque ſcriptores diſſideant; quorum rationes illis expendendas relinquimus, qui hiſtoriam literariam ſcriptorum Eccleſiaſticorum, vel eruditionis medii aeui colligunt, ferme enim nemini, qui in hoc argumento

Ioannes Scotus.

[k] TRITHEMIVS de S. E. c. 247. p. 71.
[l] Vid. THOM. POPE-BLOVNT. Cenſur. cel. Auctor. p. 346.
[m] De S. E. c. 246. p. 67.
[n] Videndi quos nominat I. A. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. IV. p. 397. not. a. b. c. d.

mento defudauit indictus abiit. Sapientis autem nomen ob philoſophiae notitiam prorſus ſingularem a ſcriptoribus medii aeui accepit, qui *perſpicacis ingenii ac mellitae facundiae philoſophum* appellare non recuſarunt [o]. Hunc in iuuentute in Graeciam profectum Athenis philoſophiam didiciſſe, per Aegyptum autem Italiam et Galliam in Angliam reducem ingenii philoſophici diuitias attuliſſe, hiſtoriae literariae Britannorum conditores, Baleus, Pitſeus aliique aſſerunt. Qui tamen aſſenſum non merentur, eo quod nullo teſte fide digno conſtet, Ioannem Erigenam in Orientem abiiſſe, notumque ex antecedente capite ſit, quam ieiuna hoc tempore eruditionis et philoſophiae conditio inter Graecos fuerit, quodque Athenae tunc temporis obmutuerint. Nec aliunde haec fabula originem accepiſſe videtur, quam quod Graecae, Hebraicae et Arabicae linguae gnarus fuit, quae cum a plerisque ignorarentur, facile ad eam nonnulli coniecturam delati ſunt, has Scotum linguas exoticas in Oriente didiciſſe. CONRINGIVS [p] autem ex Erigenae apellatione coniicit, in patria Hibernia, quae ſemper doctorum virorum ferax fuit, eum philoſophiam didiciſſe et humanitati quoque literarum litaſſe. Quod tamen vel ob ſolam nominis Erigenae incertam ſignificationem attentionem non meretur, cum ſint plurimi, qui gente quidem Hibernum, patria vero Scotum vel Anglum fuiſſe contendant. Quocunque autem loco et linguas peregrinas et philoſophiam didicit, in quibus naturae magis perſpicacia et diligentiae felicitate, quam inſtitutione profeciſſe nobis videtur; illud certum eſt, in puſillo corpore habitauiſſe magnum ingenium, non facetum modo et iucundum, ſed et ſupra modum acutum et excellens, ſic vt nemo illi iſta aetate in philoſophia praeſtiterit, in linguis exoticis parem habuerit neminem. His autem praeſidiis inſtructus cum ad libros Graecorum legendos ſe accinxiſſet, illud ad philoſophiae cognitionem iter detexit, quod reliquos omnes latuit, et in intima Graecae philoſophiae, maxime Platonico-Alexandrinae, myſteria penetrauit. Qua eruditione mature fama per omnes terras notus, inque ſubtiliſſimis philoſophorum ſpeculationibus verſatus Carolo Caluo imperatori innotuit. Is enim, teſtibus ſcriptoribus Britannis GVILIELMO MALMESBVRIENSI [q], SIMEONE DVNELMENSI [r], MATTHAEO WESTMONASTERIENSI [s], eum ob doctrinae celebritatem ex Anglia in Galliam euocatum clementer habuit, et inter familiares allectum menſae cubilisque indiuiduum comitem apud ſe retinuit, ac tum in rebus ſeriis tum in ludicris (erat enim Ioannes ingenio mire feſtiuo multoque ſale condito) eo familiariter vſus eſt. Id quod magnam ei auctoritatem peperit, quam cathedrae quoque Pariſienſi admotus et in ſchola Palatina docens tuitus eſt, auditoresque et aſſeclas habuit plurimos. Cum autem mirae ſubtilitatis philoſophus in cauſſa Praedeſtinatiana

o) Io. FORDVN. L. IV. c. 19. p. 669. Chron. Scot. Edit. GALEI.
p) Antiqq. Acad. Suppl. XXXI. p. 281.
q) De geſtis reg. Angliae L. II. c. 4.
r) In Recapit. ad A. C. 882.
s) Flor. Hiſt. ad A. 883. p. 253.

tiana contra Gotteſchalcum pro Rabano ſtrenue decertaret, aduerſarios paſſim expertus eſt, quos recenſent annales Eccleſiaſtici [t]. Cumque nec ingenii eius acumina hebes aetas et ignaua aſſequeretur, nec ſummam imperatoris gratiam aequo ferre poſſet animo inuidia, ex eruditione et diligentia grauis ei enata eſt perſecutio, quae res digna eſt, quae paulo plenius enarretur; quo enim pacto philoſophia Alexandrina Chriſtiano habitu induta ad Occidentales peruenerit, memorat. Miſerat Ludouico Pio imperatori Michael Balbus Graecorum imperator A. C. DCCCXXIV, ſcripta Pſeudo-Dionyſii Areopagitae *de coeleſti hierarchia*. Quae cum magna in veneratione eſſent apud Graecos, vt in *antecedente capite* demonſtratum, et in videndis ſe theſauris Occidentis dominum beare haud obſcure ſignificauiſſet Imperator, cupido inceſſit Ludouici filium Carolum Caluum, qui literis impenſe fauebat, hos libros legendi, & cum Graeca non intelligeret, vt in Latinum ſermonem verterentur curandi. In quo eum conſilio ſine dubio valde confirmauit vniuerſalis, quae tunc obtinebat, opinio, Dionyſium Areopagitam fuiſſe primum Galliae Chriſtianum doctorem, ſiue Apoſtolum: ad hunc enim cum ea ſcripta referenda eſſe, ignara criticae artis aetas ſibi certiſſime perſuaderet, non potuit non apud hanc gentem magna eſſe ſcriptorum horum auctoritas. Huic itaque deſiderio imperatoris cum ſolus poſſet velificare Ioannes Scotus, laborem iſtius verſionis ſuſcepit, librosque *de coeleſti hierarchia*, *de Eccleſiaſtica hierarchia*, *de diuinis nominibus*, *et de myſtica theologia in Latinum ſermonem transtulit*. Qua in verſione licet ſe Graecae linguae gnarum Scotus probauerit, merito tamen reprehenditur nimia Graecismi affectatio, qua Latinis eam auribus non ſatis intelligibilem eſſe dudum animaduertit ROGERVS HOVEDENVS [u], et poſt eum MATTHAEVS WESTMONASTERIENSIS [x]. Et ita quidem cum his libris, ipſa quam exhibent, philoſophia vel theologia potius Platonico-Alexandrina in Occidentales regiones translata myſticae theologiae locum fecit, interpres autem Scotus magnam eo labore gratiam apud Carolum quidem meruit, non autem apud pontificem, cui paulo poſt occaſio vlciſcendi hanc contemtae auctoritatis Romanae negligentiam ſe obtulit. Cum enim paſſim rumores de ἑτεροδοξίᾳ Ioannis diſſeminarentur, perlati ad aures pontificis Romani tantos irarum fluctus commouerunt, vt plenas minarum literas ad Carolum Caluum is ſcriberet, quibus Scotum aut Romam mitti, aut eiici ex Schola Pariſienſi poſtulabat. Negat hoc Io. MABILLONIVS [y], omnium de ordinis ſui hiſtoria meritiſſimus, et Ioannem ob opus de corpore et ſanguine Domini Romam euocatum eſſe contendit. Sed his ipſa Nicolai Epiſtola recte opponitur, qua

t) Conf. MABILLON. praef. P. II. Sec. IV. Bened. §. 133. LVD. CELLOTIVS in Hiſtoria Gotteſchalci Praedeſtinatiani p. 415. et GILB. MAVGVINI collectio operum et fragmentorum veterum Auctorum, qui Sec. IX. de praedeſtinatione et gratia ſcripſerunt T. I. P. I. p. 415.

u) Annal. ad an. 883. f. 234. p. 2.

x) loc. cit.

y) loc. cit.

qua inter alia scribit ad Carolum pontifex [z]: *Relatum est pontificatui nostro, quod opus B. Dionysii Areopagitae, quod de diuinis nominibus vel coelestibus ordinibus Graeco descripsit eloquio, quidam vir, Ioannes Scotus genere, nuper in Latinum transtulerit, quod iuxta morem nobis mitti et nostro iudicio debuit approbari, praesertim cum idem Ioannes, licet multae scientiae esse praedicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur.* Hanc itaque causſam mouisse Nicolaum, vt Ioannem poscceret, ex ipsis literis patet, quod nec probatum nec emendatum opus ediderit: quamuis suspectum fuisse Romae Erigenam, ipsa epistolae verba innuant, quibus tacite sententia eius de Dei praecognitione et praedestinatione ante conditum mundum, de libero hominis arbitrio eiusque cum gratia Dei concursu de punitione reproborum malorumque Angelorum, etc. tangitur, quam feruente Praedestinatianae causſae lite a nonnullis oppugnatam fuisse, annales Ecclesiastici referunt [a]. Neque tamen pontifici morem gessit imperator, sed carum sibi semper Erigenam habuit: qui vero, cum se satis tutum non crederet, Parisiensem Scholam reliquit: et priuatam passim vitam in Gallia delitescens egit, vt obseruatum C. E. Bvlaeo et L. E. Dvpinio [b]. Carolo autem fatis concedente, cum ab insidiis sibi caueret, in Angliam rediisse, dicitur nouum Moecenatem nactus. Valde dubium est iter hoc Erigenae in Angliam, variisque virorum doctorum disceptationibus controuersum. Qui enim Scotum hunc in Anglia miserabili morte periisse post summam regis Aelfridi gratiam narrant, quod magno conatu post alios defendit Casimirvs Ovdinvs [c], rem ita exponunt: Legem Angliae in accersendis ad se viris vndecunque doctissimis assiduum, vt Oxonienſis scholae studia augeret, hunc quoque Ioannem Scotum ad se vocasse, eumque in Britanniam cum Grimbaldo A. C. DCCCLXXVII soluisse, et a rege clementer exceptum nouae Academiae Oxonienſi praefectum esse, vt philosophiam artesque liberales, et in primis geometriam et astronomiam praelegeret: immo regem ipsum eius institutione vsum fuisse. Post triennium autem exorta inter Scholasticos Oxonienſes discordia Malmesburium eum secessisse, et in celebri illo monasterio ludum literarium instituisse, ibi autem cum morum seueritatem et disciplinae rigorem non ferrent discipuli, (quos alii monachos faciunt) Anno DCCCLXXXIII, vel vt alii volunt DCCCLXXXVIII, stilis et graphiis eorum confossum periisse. Valde vero huic narrationi refragantur, qui contendunt, confundi Ioannem Scotum Erigenam, cum Ioanne presbytero et monacho e Saxonia oriundo Aethelingiae abbate e Saxonibus Occidentalibus, quem A. C. DCCCXCV a mo-

z) Vid. Avb. Miraevs ad Sig. Gembl. ac. c. 93. p. 104.

a) Sententia enim de modo praesentiae corporis I. C. in S. coena, tum nondum adeo suspecta erat, vt non in vtramque partem disputari posset.

b) Bibl. des Aut. Eccl. T. VII. p. 78.

c) L. c. p. 238. seqq.

a monachis trucidatum refert, et ab Erigena diſtinguit Lelandus, inter doctos eum viros numerans, Plegmundum, Werefridum, Aſterium Meneuenſem et Grimbaldum, quos praeceptores et familiares habuit Aelfridus rex. Hunc enim a ſcriptoribus Anglicis vocari Ioannem Eald-Saxonem, quod in Ioannem Erigenam non quadret. Ita quidem MABILLONIVS [d], et qui diſſertationem de Ioanne Scoto dedit lingua Gallica ANSELMVS PARISIVS [e], vt alios taceamus adductos a I. A. FABRICIO [f]. Nos ab hac quaeſtione enodanda explicandaque, quam alibi [g] fuſe tetigimus, eo magis abſtinemus, quo magis et ad annales eccleſiaſticos pertinet, et nobis curis ſecundis eam examinantibus in vtramque partem diſceptari poſſe videtur [h]: vnde arbitrio Lectoris eam permittimus. Duplici autem nomine ſingularem attentionem meretur in hiſtoria philoſophica Ioannes Scotus, cum ob vulgatos inter Latinos libros Pſeudo-Dionyſii, tum ob librum *de natura rerum* editum. Illos enim Latinis auribus accommodando chaos ſimul Alexandrinum, quod plerosque hactenus in Occidente latuerat, notum fecit, anſamque dedit, vt cum theologia ſcholaſtica, myſtica quoque caput extolleret, rationi ſanae et philoſophiae non minus inimica, quam illa, vt ſupra dictum. Ita vere Enthuſiaſmus ille philoſophicus, quem Orientalis philoſophia genuit, Platonica nutriuit, Aegyptus educauit, Aſia firmauit, Graeca Eccleſia irrepentem admiſit, in Occidentales quoque Eccleſias praetextu auctoritateque magni et Apoſtolici viri introductus damnis Eccleſiam afflixit plurimis, vt mox dicemus. Libro vero *de natura omnium rerum*, et acumen atque ſubtilitatem ingenii demonſtrauit et poſt fata demum damnationis notam meruit. Diu latuit foetus hic Ioannis Scoti in bibliothecis, donec tandem a THOMA GALEO vulgaretur, hoc titulo: IO. SCOTI ERIGENAE *de diuiſione naturae libri quinque, diu deſiderati. Accedit appendix de ambigiuis S. Maximi Graece et Latine* [i]. Ipſe Scotus Graecum titulum praefixit, *περὶ φύσεων μερισμοῦ*, eo quod naturae diuiſiones in hoc dialogo inter diſcipulum et magiſtrum explicandas ſibi ſumſiſſet. Nam mox in limine naturam diuidit in eam, quae creat, et non creatur; in eam, quae creatur et creat, in eam quae creatur et non creat, et in eam, quae nec creat, nec creatur. Et hac quidem ratione entium genera fere omnia perſequitur, cuius diſputationis ſummam ipſe in limine *Libri quarti* [k] complexus eſt. Non patitur loci anguſtia, vt ex libro memorabili, cui ſimilem haec quidem aetas non habet, potiores, more noſtro, aſſertiones excerptas exhibeamus, reſtinguet tamen ſitim illis, qui librum extra Britanniam rarius obuium

d) Annal. Bened. T. III. p. 68. & praef. Sec. IV. Bened. §. 136. in Elogio Ioannis.

e) Ad Calc. T. III. de perpet. fid. Art. V. et T. IV. P. III. p. 180. ſq.

f) L. c. p. 406. qui ipſe quoque has partes ſequitur.

g) In Germ. opere Hiſt. Phil. T. V. p. 653.

h) Praeſertim ſi ſupponatur veriſimiliter Guil. Malmesburienſem, et ex hoc alios Ioannem Martyrem, ſ. Ioannem de Scotia, qui eo die obiit, cum Erigena confudiſſe, vid. PARIS l. c. p. 188.

i) Oxon. 1681. fol.

k) pag. 160.

obuium non habent, L. E. DVPINII *l*) et CHR. AVG. HEVMANNI *m*) induſtria. Nos in genere pauca, quae ad notitiam philoſophiae Scoti facere poſſunt, notamus, eſſe librum hunc valde affinem Scholaſticorum tractationibus: vbique enim regnat affectata ſubtilitas, obſcuritasque notiones vagae et indeterminatae, et multoties confuſae, ita vt vix improbandi ſint, qui inter ſcholaſticorum praecurſores hunc Scotum referunt. Quem eadem iam tum chorda oberrauiſſe, qua Scholaſtici, rationis et reuelationis lumen pudenda confuſione miſcentes vel ex vno, quod libro *de praedeſtinatione* *n*) praemiſit, prooemio liquet, quod pace Lectoris hic apponemus, cum luculenter demonſtret, quam confuſis notionibus vſi fuerint hoc ſeculo, illi quoque, qui philoſophi κατ' ἐξοχήν habiti ſunt. Ita vero: „Cum omnis piae perfectaeque doctrinae modus, quo omnium „rerum ratio et ſtudioſiſſime quaeritur, et apertiſſime inuenitur, in ea „diſciplina, quae a Graecis philoſophia ſolet vocari, ſit conſtitutus, de „eius diuiſionibus ſeu partitionibus quaedam breuiter ediſſerere neceſſa„rium duximus. Sic enim, vt ait S. Auguſtinus, creditur et docetur, „quod eſt humanae ſalutis caput, non aliam eſſe philoſophiam, id eſt, „ſapientiae ſtudium, et aliam religionem, cum hi, quorum doctrinam „non approbamus, nec ſacramenta nobiscum communicant. Quid eſt „aliud de philoſophia tractare, niſi verae religionis, quae ſumma et prin„cipalis omnium rerum cauſſa Deus et humiliter colitur et rationabiliter „inueſtigatur, regulas exponere? Conficitur inde veram eſſe philoſo„phiam veram religionem, conuerſimque, veram religionem eſſe ve„ram philoſophiam, quae dum multifariam diuerſisque modis diuiditur, „bis binas tamen partes principales ad omnem quaeſtionem ſoluendam „neceſſarias habere dignoſcitur, quas Graecis placuit nominare διαιρετι„κὴ, ὁριστικὴ ἀποδικτικὴ, ἀναλυτικὴ, easdemque Latialiter poſſumus dicere, „diuiſoriam, diffinitiuam, demonſtratiuam, reſolutoriam. Quarum enim „prima vnum in multa diuidendo ſegregat, ſecunda vnum de multis de„finiendo colligit; tertia per manifeſta occulta demonſtrando aperit, „quarta compoſita in ſimplicia ſeparando reſoluit. Earum etiam ex„empla in proceſſu huius operis, quantum ipſa lux, quae illuminat „cor quaerentium ſe, nobis aditum rerum, quas conamur ingredi, „aperuerit, oſtendemus. His enim tanquam vtili quodam honeſtoque „humanae rationis quadruuio ad ipſam diſputandi diſciplinam, quae „eſt veritas, omnis in ea eruditus peruenire non dubitat." Qui locus Scoti omnino attentione dignus eſt, quamuis enim ex libro *de diuiſione naturae* pateat, metaphyſicarum abſtractionum et ſubtilitatum eum non fuiſſe ignarum, ex hoc tamen loco conſtat, omnem eum philoſophiam ad vnam dialecticam, quae ſola tunc ex ſcientiis philo-

l) loc. cit. p. 79.
m) Act. philoſ. Vol. III. p. 858. ſeqq.
n) In GILB. MANGVINI Vindic. praedeſt. T. I. p. 103. ſeq. Qua ratione vero triuium et quadriuium definiat, ex libro de nat. rerum L. I. p. 19. diſci poteſt.

sophicis supererat, retuliſſe, cuius illae quatuor partes conſtitui ſolent: eamque reſpectu ad theologiam habito, vſuque eius in demonſtrandis confirmandisque religionis Chriſtianae capitibus conſiderato, ita cum religione confudiſſe, vt idem eſſe velit philoſophiam et theologiam. Id quod ipſum Scoti *de praedeſtinatione* opus legenti erit manifeſtiſſimum, veſtigiaque Scholaſticae theologiae apertis ſe prodent documentis. Eadem ratione in eo, de quo dicere coepimus libro *de natura rerum et eius diuiſione* verſatur, licet paulo magis heic metaphyſicum agat, quam theologum. Vbique enim controuerſias theologicas immiſcet, et talia aſſerit, quae probari in Eccleſia nullo modo poſſunt. Quod vt vno alteroue confirmemus exemplo, en philoſophiam vere Scotiſticam, et vel ex tenebris profectam, vel tenebris dignam [o]: „Cum au„dimus Deum omnia facere, nihil aliud debemus intelligere, quam Deum „in omnibus eſſe, hoc eſt eſſentiam omnium ſubſiſtere. Ipſe enim ſolus „per ſe vere eſt, et omne, quod vere in his, quae ſunt, dicitur eſſe, ipſe „ſolus eſt.“ Et alibi [p]: „In Deo non eſt accidens. Itaque non eſt Deo „accidens, vniuerſitatem condere. Non ergo Deus erat ſubſiſtens ante„quam vniuerſitatem crearet. Nam ſi eſſet, creatio rerum ei accideret, „hoc eſt, eſſet accidens. Si igitur nulla alia ratione Deus vniuerſitatem „a ſe conditam praecedit, prater illam ſolam, qua ipſe cauſſa eſt, Deo„que non accidit cauſſalis eſſe. Semper enim et cauſſa eſt et erat et erit: „ſemper igitur cauſſatiua in cauſſa ſua ſubſiſtunt, et ſubſtiterunt, et ſub„ſtitura ſunt. Proinde vniuerſitas in ſua cauſſa aeterna eſt.“ Ex his vero ipſe concedit *omnia eſſe Deum, et Deum eſſe omnia, vt in monade ſint numeri omnes aeternaliter* [q]; et credere nos iubet, *quaecunque vniuerſitas totius creaturae contineat in verbo Dei, ea et aeterna ſimul, et facta eſſe, et neque aeternitatem in eis praecedere facturam, neque facturam praecedere aeternitatem.* Ex his alia deducit haud leuiora; *Deum eſſe omnium factorem, et in omnibus factum* [r]: *non poſſe interire animas brutorum* [s]; *ſi Adam non peccaſſet, non paſſurum fuiſſe naturae ſuae partitionem in duplicem ſexum* [t]: *mundum in reſurrectione et conſummatione ſeculi non in nihilum redactum iri, ſed in cauſſis ſuis modo ſuo finito perpetualiter quieturum eſſe.* Alia, non minus παραδόξα καὶ ἑτεροδόξα, omittimus, legi autem poſſunt, quae ex hoc libro diligenter collegit praeſtantiſſimus C. A. Hevmannvs [u]. Ex his vero nobis non monentibus, de Ioannis Scoti philoſophia iudicium accuratum formari facile poteſt. Quae quamuis externa dialecticae methodo tractandique ordine Ariſtotelem referat, quem Scotus Graecae linguae accurate gnarus legiſſe videtur, tota tamen Alexandrinum Platonicorum recentiorum ſyſtema exprimit, apertumque facit, totam eum metaphyſicam ſuam ex Pſeudo-Dionyſio hauſiſſe, et iuxta horum philoſophorum placita philoſophari.

o) Lib. I. p. 42. p) L. III. p. 185. q) p. 111. r) p. 128. s) p. 157. t) p. 242. u) loc. cit.

phari. Quaecunque enim ab eo afferuntur, ſi in lucem ex quaeſitis affectatisque tenebris protrahantur, eo redeunt: omnia quaecunque ſunt, in Deo non radicaliter modo et virtualiter, ſed et eſſentialiter contineri, atque adeo omnia ex Deo ab aeterno progreſſa eſſe, et fluxiſſe, inque varias claſſes inferiorum et ſuperiorum, deteriorum meliorumque entium diſtincta tandem in fontem originemque ſuam reditura eſſe: id quod ipſum illud ſyſtema emanatiuum eſt, quod recepiſſe Orientales, Aegyptiacos, Cabbaliſtas, Platonicos, et poſt hos Origenianos, Syneſium, Pſeudo-Dionyſium hisque ſimiles fuſe ſuis locis probauimus. Noſh facere nos Scoto iniuriam, vnus alterque locus probabit euidentiſſime. Inter quos clauem quaſi nobis porrigunt verba *dedicationis ad Carolum Caluum ambiguis Maximi* praepoſitae, quibus fatetur *ſe didiciſſe a Dionyſio Areopagita, eiusque commentatore, Maximo, quod Deus omnia ſit, et omnia Deus ſint, et quomodo diuina in omnia proceſſio dicatur ἀναλυτικὴ, hoc eſt reſolutio, reuerſio vero θέωσις deificatio.* Quibus verbis non potuit πρῶτον ψεῦδος philoſophiae Alexandrinae depingi clarius. Hinc Deum more philoſophiae Orientalis, Cabbaliſticae et Eclecticae, ex nihilo quidem creauiſſe mundum concedit, ſed ita, vt quod in eo vnum fuit, ex abyſſo eius infinitatis progreſſum ſe multiplex oſtendat, et ideo ſit, quia in eo ipſo eſt. Ita enim [x]: *Per nihilum, ex quo omnia creata eſſe ſcriptura dicit, intelligo ineffabilem et incomprehenſibilem diuinae naturae inacceſſibilemque claritatem, omnibus intellectibus ſiue humanis, ſiue angelicis incognitam: quae dum per ſe ipſam cogitatur, neque eſt, neque erat, neque erit. In nullo enim intelligitur exiſtentium, quia ſuperat omnia. Cum vero per condeſcenſionem quandam ineffabilem in ea, quae ſunt, multis obtutibus inſpicitur, ipſa ſola inuenitur in omnibus eſſe, et eſt, et erat, et erit.* Ita vero dum omnia ex Deo fluxiſſe et progreſſa eſſe aſſerit, omnia quoque in eum reditura perhibet. Scribit enim [y]: *Poſt reſurrectionem ipſa natura cum ſuis cauſſis mouebitur in Deum; erit enim Deus omnia in omnibus, quando nihil erit, niſi ſolus Deus.* Haec ſi ſyſtema emanatiuum non referunt, nihil illud exprimit. Ex his vero, cum Origenianum dogma de ſtatu animarum impiarum poſt mortem ſequatur, quae neceſſario purgatae luſtrationibus in Deum quoque redire debent; Scotus ne ab hoc quidem errore ſibi abſtinendum ratus eſt. Ita enim praecipit [z]: *Quamuis non eodem modo, ſed multiplicius in infinitum diuinarum viſionum aſcenſionibus et deſcenſionibus iuſtis et impiis apparebit, omnibus tamen apparebit, quando in omnibus iniuſtis, ſola iniuſtitia punita et interemta, ipſa purgata et intemerata relinquitur natura, in ipſos gradus, de quibus peccando corruerat reuerſura.* Habes hic Lector, haud contemnendum totius ſyſtematis emanatiui, quod tamdiu mundum faſcinauit, interpretem ex ſaculo nono, qui, ne ὀρθοδοξωτέρως intelligeretur,

x) p. 127. y) p. 232. z) p. 280.

ipſe in *epilogo operis* cauit, monens: *Cum omnia, quae ab ipſa natura per generationem intelligibilem ſeu ſenſibilem proceſſerint, mirabili quadam et ineffabili regeneratione reuerſura ſint ad eam, in ea omnia futura eſſe quieta, quoniam vlterius nihil ab ea per generationem profluat, nihil dicatur creare, dum ipſa omnia in omnibus fuerit, et in nullo, niſi ipſa, apparitura ſit.* In hoc quoque epilogo, ne ab Adam-Kadmon Cabbaliſtarum, ſiue λόγω Alexandrinorum diſcedit, ſed ex Dei vnigenito filio et per eum, ab iſta diuina natura omnia profluxiſſe contendit. Ex his vero Lectori originum philoſophicarum non ignaro facile patere poſſe putamus, quid de hac Scoti philoſophia iudicandum ſit. Quam ſuppoſito illo principio emanationis cohaerere totam, ipſa libri lectio paulo attentior et iterata confirmat. Nempe cum in eodem cum reliquis Platonicis recentioribus, inque his cum Pſeudo-Dionyſio ſuo haereat luto, idem de eo pronunciandum eſt. Quamuis enim inter Spinozae praecurſores eum numerare nolimus [a] (cum nunquam Spinoza emanationis ſyſtema elegerit) et fortaſſe cauſſa ſit, cur ab Atheiſmo directo Scotum abſoluamus [b]: inter pantheiſtas tamen et fanaticae philoſophiae alumnos referendus eſt, quorum tota philoſophia nefario pudendoque Enthuſiaſmo et deificatione quadam (ſit venia verbo barbaro de barbaro argumento) nititur: quamuis ipſe philoſophiam ſuam diuinam appellare non ſit veritus [c]. Adeo vero aperte ſanam doctrinam omnem labefactauit Scotus, vt Sec. XIII, quo parum adhuc acute videbant homines, viri tamen docti ſuſpectiſſimam hanc tractationem habuerint, et in aula Romana detulerint. Quo factum, vt a papa Honorio III, peculiari Bulla proſcriberetur, in qua indicatur [d]: *Significaſſe nuper pontifici Epiſcopum Pariſienſem, eſſe quendam librum, qui Periſiſis (περὶ φύσεως) tituletur, inuentum tot ſcatentem vermibus haereticae prauitatis, ideoque ab Archiepiſcopo Senonenſi reprobratum, ſe itaque eo quod clauſtrales nonnulli viri et ſcholaſtici eius lectione ſe occupent, praecipere, vt vbicunque inueniatur, Romam mittatur ad comburendum &c.* Ex his autem larga manu datis iudicandum quoque, de ingenti damno, quod Eccleſiae intulit Scotus, libros Pſeudo-Dionyſii iſta impietate plenos Latina veſte donando, ſicque impuram illam theologiam myſticam, cuius ne hodie quidem radices exaruerunt, introducendo, quae pantheiſmo et enthuſiaſmo omnia cumulauit. Praecipue cum id eo tempore factum ſit, quo non potuit non latiſſime fimbrias dilatare. Vt enim taceamus, venerationem, qua haec ſcripta ſuppoſititia monachi Orientales et Epiſcopi nonnulli proſecuti ſunt, occaſionem dediſſe legatis pontificis Romani, qui hoc ſeculo in cauſſa Photiana in Graeciam mittebantur, de eorum praeſtantia apud ſuos domi multa praedicandi, ipſa illa doni ratio, qua ad Ludouicum imperatorem a Michaële imp. CP. peruenerunt, ſatis oſten-

Promota a Scoto theologia myſtica.

a) Placuit id doctiſſimo HEVMANNO l. c.

b) Militat pro eo diſtinctio entium in limine notata, quae inter Deum et res ex Deo progreſſas more ſyſtematis emanatiui quoddam diſcrimen ponit.

c) p. 68. nempe θέωσιν finem eſſe ipſe dixit.

d) Apud ALBERICVM in Chron. ad an. 1225. p 514.

oſtendit ſummo ea loco cum in Oriente habita, tum in Occidente recepta fuiſſe. Quae cum a Dionyſio Areopagita profecta fuiſſe crederentur, quem ob miſſionem ad gentem Gallicanam, et conuerſionem illius ad Chriſtianam fidem eius miniſterio, vt ferebatur, procuratam ſummo loco habebant, ipſa Auctoris pſeudonymi auctoritas ad eius ſcripta doctrinamque deuoluta eſt. Quae cum prius ob Graecae linguae ignorantiam neglecta iacuiſſent, Scoti interpretatione quamuis obſcura, & Latinis auribus inſolente, vulgatiora facta illis arriſerunt, qui paulo ſeueriora & ſinceriora in morali doctrina ſibi praeoptabant, quam eo ſeculo ſuggerebantur. Corruptiſſima enim omnis de moribus philoſophia et theologia erat, cuius ſumma in eo conſiſtebat, vt ex veteribus doctoribus nonnullae ſententiae atque dicta temere corraſa exhiberentur, et compilationes eiusmodi inſtituerentur, ex quibus quid virtus, quid vitium, quaeque emendandi via animi eſſet, nemo ſanus, diſcere poſſet. Cuius generis hoc ſeculo ſcriptor fuit ALVARVS [e], vt plerique volunt [f], qui librum moralem titulo: *Scintillae patrum*, edidit, in quo ſententias patrum de virtutibus vitiisque ſecundum quosdam locos communes collegit. Ex quo miſero penu, quid depromere potuerint eſurientes animae, quilibet ipſe intelligit. Scribebant alii quidem ſuomet ex ingenio de virtutibus & vitiis, vt Rabanum feciſſe ſupra memorauimus. Aſt hi nec philoſophum habebant ſobrium quem ſequerentur, nec virtutis naturam indolemque hominis moralem perſpiciebant, nec quae Scriptura de Chriſtianorum officiis praecipit, ex ſuis fontibus recte deducebant, et Gregorii exemplum ſecuti conſarcinatores magis erant praeceptionum male cohaerentium, quam doctores morales. Cum itaque his non ſatiati eſſent animi paulo excitatiores, quique inani leuique, qua plerique detinebantur ſuperſtitione conſcientiae ſatisfieri non poſſe videbant, horumque in manus Dionyſiana ſcripta perueniſſent, externo ſplendore, magnificisque promiſſionibus vehementiſſime commoti captique ſunt. Vbique enim viſionem DEI, vnionemque cum ſummo ente crepare, & neſcio quae ſuauiſſima ſomnia oſtendere ſcriptorem obſeruabant, mirabanturque, internam animi a corporis vinculis liberationem, aſcenſumque ad ſupremae bonitatis fontem vrgeri, & ſanctimoniam poſci externa ſimulatione, meliorem, & ſic ad angelicam perfectionem hominem adduci poſſe. His perfectionum promiſſionibus ſpeque futurae beatitatis ineſcati, quicquid ſolidiorem pietatem affectabat, auide in lectionem librorum Dionyſianorum inuolabat, eosque ſumma auiditate deuorabat. Qui homines ſi iudicio fuiſſent ſatis apto inſtructi, ſi pretioſum a vili diſtinguere nouiſſent, ſi Alexandrinorum principiorum peſtem pauliſper inſpexiſſent, non tam facile manus dediſſent. His vero praeſidiis deſtituti

[e] Patricius Cordubenſis Hiſpanus, vid. NIC. ANTONIVS Bibl. Hiſp. L. I. c. 8. T. I. p. 349.
[f] vid. VOSSIVS de Hiſt. Lat. III. c. 4 p. 759. CAVE Hiſt. lit. S. E. Sec. IX. p. 458. ſed DEFENSORIS eſſe, monachi et grammatici Locociagenſis apud Pictones, obſeruauit FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. II. p. 55.

tuti cum ad horum ſcriptorum volumina euoluenda ſe accinxiſſent, carbones pro theſauris receperunt. Id quod eo facilius fieri potuit, quo obſcurius ipſum eſt argumentum, quod ſibi explicandum ſumſit ſcriptor Pſeudonymus, quae obſcuritas verſione Scoti Graecae magis linguae quam Latinae indolem referente admodum aucta eſt. Cum enim pleraque in illis ſcriptis boni iſti ſed ſimplices viri non intelligerent, myſteriorum ſublimitatem ſuamque infantiam cauſſati, eo magis ea extulerunt, quae ignorabant, et ignauum eſſe cenſentes, his imbecillitatis ſuae defectibus ſuccumbere, ea ſibi decerpſerunt, quae cum proprio, quod formare ſibi coeperant, ſyſtemate cohaerere credebant. Donec nexum illum egregium quo cohaeret tota illa theologia Dionyſiana, vel potius Alexandrina, nempe ſyſtema emanationis et reductionis rerum omnium ex Deo et in Deum tandem deprehendentes (quod ipſi Scoto accidit) cum auctoritatis praeiudicio et opinione Apoſtolicae auctoritatis, quam Auctor prae ſe fert, eſſent occupati, doctrinam iſtam Dionyſianam pro ſancta, diuina, & myſtica haberent, et ambabus, quod aiunt manibus amplecterentur. Qua ratione theologia myſtica ex Platonismo Alexandrino orta, et per Origeniſtas aliosque inuenuſti pulli admiratores per Orientem ſparſa etiam in Occidentali Eccleſia diſſeminata eſt. In qua cum monachis et aſcetis omnia turgerent, quorum ingenia otium alebat, exoptatiſſimam illi habuerunt occaſionem de his humanae curioſitatis tricis altius meditandi. Cumque omnis ſanae rationis vſus euiluiſſet, nec arte rationali exercitati iudicium rebus interponere rectum hi homines noſſent, ſine examine ſomnia Alexandrina ſublimioris cuiusdam philoſophiae Chriſtianae inſtar receperunt, ſicque myſtica illa theologia inualuit. Eam vero mirati ſunt, laudauerunt que illi quoque, qui a ſeueriori hoc pietatis internae exercitio abhorrebant, eo quod Dionyſii nomen ipſis ſumme eſſet venerabile, hic vero parens iſtius theologiae haberetur. Quam Dionyſiani nominis famam atque dignitatem hoc ſeculo valde auxerunt HILDVINVS & ANASTASIVS. Ille enim iuſſu Ludouici A. C. DCCCXXXV *Areopagitica* conſcripſit, narrationemque *de rebus geſtis, paſſione et ſcriptis Dionyſii Areopagitae* in iis contexuit, in qua licet nec diuerſos inter ſe Dionyſios diſtinxiſſet, nec a puerilibus Graecorum fabellis abſtinuiſſet, nec fidem ſatis et dexteritatem probauiſſet, ſed conſuendo, fingendo, mutando pingendoque quadrata rotundis miſcuiſſet, iſto tamen ſeculo, quo ars critica prorſus in exilium eiecta erat, facile hominibus perſuaderi potuit, quicquid voluit. ANASTASIVS autem *encomium Dionyſii* a METHODIO ſcriptum Latinum fecit, et hoc pacto admirationem eius, quo capta iam erat Eccleſia, admodum auxit. Sicque myſticus factus eſt mundus Chriſtianus, antequam ſe talem noſſet. Verum de his alio loco prolixius et ex inſtituto differendum eſt; hoc enim ſufficit, vt demonſtretur, qui riuuli ex philoſophiae Alexandrinae fontibus in Occidentalem Eccleſiam deriuati fuerint. Ceterum

terum Hunc Ioannem Scotum Erigenam cum Ioanne Duns Scoto, de quo in *capite ſequente* dicemus, caue confundas.

§. XXXIII. Paaeter hos, quos recenſuimus, viros doctos alii fuerunt, in hac tractatione non prorſus praetermittendi, eo quod inter ſeculi huius eruditos locum illum tenent, quem eo tempore philoſophia occupabat. Hos ſtrictim recenſebimus. Inter eos reliquos et dignitate et eruditione antecellit Eginhardus, ob doctrinam dictus ſapiens, de cuius vita, fatis et ſcriptis, poſt virorum doctiſſimorum Io. HERMANNI SCHMINCKII [g], IO. MABILLONII [h], IOANNIS WEINSKENSII [i] aliorumque meſſem, ſpicilegium, quod addamus, non habemus. Hic non ſolum ob vitam Caroli M. cultiori, quam illa aetas tulit, ſtilo exaratam in hiſtoria philoſophica memoria dignus eſt, eo quod plurima in ea occurrunt, ſine quibus ſeculi octaui hiſtoria literaria intelligi nequit: ſed ipſe quoque in philoſophia talem ſe praeſtitit, qualem permiſere tempora, qualesque tunc extitere oppido pauci. Vnde ſuo quoque tempore inter philoſophos acutiores relatus eſt. Cuius exemplum eſſe poteſt, quod Auctor *Faſciculi temporum* [k] tradit: *Cometa*, inquit, *apparuit valde ſingularis et terribilis. Vnde imperator attonitus cum Eginardo philoſopho contulit, dicens, quod mutationem regni mortemque principis portenderet. Verum philoſophus noluit eum contriſtare, ſed verbum prophetiae allegans ait: a ſignis coeli nolite timere. At imperator deuotus non aliud*, inquit, *timere debemus, niſi illum, qui noſtri et huius creator eſt ſideris etc.* Quem vero is ſenſum iudiciumque poſſederit de philoſophicis ſcientiis, quamque ſobrie de iis ſtatuerit, captumque ſuae aetatis in eo longe ſuperauerit, ex *epiſtola* patet *ad filium* [l], ſub Rabbani diſciplina Fuldae artibus liberalibus vacantem [m]. Ad eum enim inter alia haec habet auro contra cara: *Sicut te praeſens monui, in ſtudio diſcendi te exerce, et quicquid ex ipſo lucidiſſimo et abundantiſſimo magni oratoris ingenio aſſequi nobilis ſcientiae potueris, nihil intactum relinque. Maxime autem probos mores illius, quibus excellit, imitari memento. Quoniam grammatica et rhetorica, ceteraque liberalium artium ſtudia vana ſunt, et valde nociua ſeruis Dei, niſi per gratiam diuinam bonis moribus ſubeſſe noſcantur; quia ſcientia inflat, charitas vero aedificat. Melius quidem mihi eſt, vt te mortuum videre contingat, quam inflatum et ſcatentem vitiis.* Haec Eginhardus, dignus, qui nullo non tempore audiatur. *Eginhardus.*

§. XXXIV.

g) Is egregiae vitae Caroli M. Editione Trai. ad Rhen. 1711. 4. excuſae, elegantem praemiſit diſſertationem de vita et ſcriptis Eginhardi.

h) Sec. IV. Bened. P. I.

i) In Nauarchia Seligſtadiana, et in Eginharto illuſtrato ac vindicato Fr. 1707. fol. conf. GVNDLING. Otia T. II. c. 5.

k) p. 65. b.

l) Recuſas EGINHARDI epiſtolas dedit WEINSKENSIVS l. c.

m) Conf. MABILLON. Sec. IV. Bened. P. I. Praef. §. 188.

Alii viri docti seculi noni philosophiae laude celebres, Ansegisus.

§. XXXIV. Porro inter viros doctos, qui philosophiae studio pro ratione seculi sui animum excoluerunt referendus est, ANSEGISVS, Lobiensis et exinde Fontanellensis abbas, cuius vitam alibi enarratam[n] vide. Is collectione *Capitularium Caroli M.*[o] et *Ludouici Pii* celebris, ideo hic locum occupat, quod non tantum sacrarum literarum apprime peritus fuit, sed et secularibus literis eleganter doctus, teste TRITHEMIO[p], qui tamen eum cum Ansegiso archiepiscopo Senonensi confundit. In vtraque vero palaestra eum iuuentuti se magna dexteritate ducem praebuisse, et vita simul recta atque integra praeluxisse scriptores eius aeui tradunt[q]. Iungendus huic est ADELHARDVS, filius Pipini, fratris Caroli M. qui tantopere artium liberalium cognitione inclaruit, vt sapientis cognomen mereretur, et a Carolo M. inter consiliarios electus, Pipinoque iuniori praeceptor datus, prorex Italiae constitueretur, tandemque abbas Corbeiae veteris: cuius quoque consilio Corbeia noua excitata est. Is libellum *de computo Ecclesiastico* scripsit ideo notandum, quod hoc tempore pars haec fuerit philosophiae sublimioris. Ab hoc Adelardo distinguendi sunt alii eiusdem nominis, et praecipue praeter Adelhardum monachum Hirsaugiensem coecum, quem ob singularem pietatem et patientiam laudat TRITHEMIVS[r], alius Adelhardus, seculo sequente clarus, scholasticus S. Galli, quem TRITHEMIVS[s] ait. *Diethmarum et Helpericum singulari praeditos ingenio singulari quoque diligentia docuisse, sic vt Diethmarus in omni scientia philosophiae tam mundanae quam ecclesiasticae doctus euaderet, non minus integritate monasticae conuersationis quam eruditione literarum insignis.* Sed et alium Adelardum Sec. XII philosophiae et matheseos longe peritissimum infra memorabimus. Nec praetereundus nobis silentio est HINCMARVS Remensis archiepiscopus, cuius nobilis est in historia Ecclesiastica huius seculi ob lites de praedestinatione memoria[t]. Is enim cum, teste TRITHEMIO[u], in secularibus literis nulli suo tempore secundus esset, ad argumentum morale et politicum, raro ea aetate exemplo, scriptis tractandum animum applicuit. Scripsit enim *de regis persona et regio ministerio: de cauendis vitiis et virtutibus exercendis, de diuersa et multiplici animae ratione*, in quibus ad emendandos sui temporis mores in aula respexit, quod et alios eo tempore fecisse[v] constat,

Adelhardus.

Hincmarus.

n) DACHERIVS Spicil. T. II. p. 278. seqq. Acta SS. 20. Iul. T. V. p. 90. MABILLON. Sec. IV. Bened. P. I. p. 630.

o) Vid. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. XI. p. 85. seqq.

p) De S. E. c. 272. p. 73.

q) Vid. CAROL. LE COINTE Ann. Franc. T. VII. p. 767. MABILLON Sec. IV. Bened. P. I. p. 308.

r) In Chronico Hirsaug. apud LAVNOIVM c. 17. p. 68.

s) Annal. Hirsaug. T. I. p. 65.

t) Vid. qui opera eius diligenter edidit IAC. SIRMONDVS in Diss. praelim. Opp. Paris 1645. fol. duobus voluminibus editorum, quae recensent Synopses librorum in Bibl. Thomas. T. I. p. 675. seqq. T. II. p. 107. seqq.

u) c. 264. p. 73.

v) IONAS Episc. Aurel. scripsit librum de institutione regis LVC. DACHERIO T. I. Spicileg. p. 57. editum. Conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. IV. p. 513. Similiter SMARAGDVS Abbas S. Michaëlis in Lotharingia de officio principis, in libro: Ira regia, commentatus est. Vid. MABILLON. Sec. IV. Bened. P. I. CAVE, S. E. p. 435.

conſtat, cum principum aures ad eiusmodi monita haud illibenter paterent. Quos tamen cum Hincmaro, eo quod philoſophiae accuratione deſtituerentur, multa ἀπροσδιόνυσα admiſcuiſſe confudiſſeque inter ſe cognoſcendi principia, imbecilli quoque argumentatione haud raro vſos fuiſſe fatendum, et inter naeuos huius ſeculi referendum eſt. Eodem quoque ſeculo praeter doctrinae Eccleſiaſticae laudem ſecularis quoque eruditionis fama inclaruit PAVLVS WINFRIDVS Warnefridi filius Foroiulienſis, ſiue Aquileienſis patriarchii diaconus, Deſiderii, vltimi Longobardorum regis notarius, ſiue cancellarius, cuius aduerſa fata ipſum quoque in carcerem et exilium detruſerunt, quibus liberatus Caſſinenſe monaſterium ingreſſus eſt, et Carolo M. carus fuit propter ingenium et doctrinam. *Paulus Warnefridi Diaconus.* De quo praeter recentiores hiſtoriae literariae medii aeui ſcriptores maxime videndus PETRVS DIACONVS [w]. Hic non modo diuinioris eruditionis laudem conſecutus eſt, ſed et hiſtoriae, poëſeos et philoſophiae nomine conſpicuus fuit. Valde eum ideo laudauit diſcipulus Hildericus monachus Caſſinenſis in eo, quod praeceptori Paulo ſcripſit epitaphio [x], vbi inter alia:

Diuino inſtinctu regalis protinus aula
Ob decus et lumen patriae te ſumſit alendum
Cum tua poſt Tibridem populis et regibus altis
Tunc placida cunctis vita, ſtudiumque maneret,
Omnia ſophiae cepiſti culmina ſacrae,
Rege monente pio Ratchis, penetrare decenter
Plurima captaſſes digne cum dogmata, cuius,
Reſplendens cunctos ſuperis vt Phoebus ab aſtris,
Arctoas rutilo decoraſti lumine gentes.

PETRVS autem, philoſophia eum a pueritia enutritum eſſe teſtatur, id quod Leo quoque OSTIENSIS [h] de omnibus diſciplinis liberalibus tuetur. Vixit quoque hoc tempore LVPVS SERVATVS Abbas Ferrarienſis, qui quam graui querela artium liberalium et philoſophiae neglectae iacturam deplorauerit, ſupra iam adductis eius verbis ex epiſtola ad Eginhardum, amicum et familiarem ſuum oſtendimus. *Lupus Seruatus.* Ex cuius epiſtolis patet, valde ſollicitum fuiſſe virum optimum de barbarie inualeſcente, ipſumque philoſophia eleganter et ſobrie magis, quam aetas iſta ſolebat, fuiſſe imbutum. Teſtes damus verba eius ad Ebrardum monachum, propinquum ſuum [z]: *Reuiuiſcentem*, inquit, *in his noſtris regionibus ſapientiam quosdam ſtudioſe colere pergratum habeo; ſed hinc haud quaquam mediocriter moueor, quod quidam noſtrum partem illius appetentes inſolenter partem repudiant. Etenim plerique ex ea cultum ſermonis quaerimus: Et paucos admodum reperias, qui ex ea morum probitatem, (quod longe con-*

w) De illuſtr. viris Caſin. c. 8. p. 167.
x) Dedit id Io. BAPT. MARVS in annot. ad h. l. Petri Diaconi.
y) In Chronico Caſinenſ. L. I. c. 15.
z) Ep. 34.

ducibilius eſt,) proponant addiſcere. Sic linguae vitia reformamus et purgare contendimus, vitae vero delicta parui pendimus et augemus. Similia paſſim inuenias, quae, philoſophiam μέχρι τῦ λέγειν, ἄνευ πράττειν cordatis ſententiis damnant, quae breuitatis cauſſa praetermittimus. Eius diſcipulus fuit HERRICVS, Heiricus vel Ericus Autiſſiodorenſis monachus [a], qui, vt ipſe quoque teſtatur, Haymonis etiam diſciplina enutritus eſt. Is quanto gaudio Caroli Calui induſtriam in excitandis ſcholis promouendisque artium liberalium ſtudiis exceperit, laudibusque extulerit ſummis, ex *dedicatione* eius *vitae S. Germani* ſupra iam oſtendimus. Qui cum eodem loco imperatorem hoc quoque nomine laudet, quod Lotharium filium in philoſophia erudiendum curauerit, hic omnino audiendus eſt. Ita enim poſt verba ſupra adducta pergit: *Quorſum iſta protulerim illud cauſſa eſt, diuae memoriae Lotharium tuae filium maieſtatis, annis puerum, mente philoſophum (ingenue confiteor) animi indole et ſolertiae opibus, vt tibi vni concedam, prae caeteris ſui aeui mortalibus extitiſſe pretioſum.* Ex quibus verbis patet, non ſcholae modo Autiſſiodorenſis famam eo tempore tantam ob philoſophiam quoque fuiſſe, vt regius ei filius optimis diſciplinis imbuendus traderetur, ſed Herricum quoque hanc eruditionis in ea coruſcantis ſplendorem valde auxiſſe. Graecas enim et Latinas eum literas ſupra aetatis ſuae conditionem doctum fuiſſe, ex eius ſcriptis intelligitur. Dolendum tamen virum doctum maluiſſe in compilandis praeceptorum dictis vires tentare, quam in propriis exaſciandis. Talia enim *collectanea* illa ſunt, quae ex ore praeceptorum excerpſit, quaeque edidit IO. MABILLONIVS [b]. Ex iis enim liquet, vitio ſeculi ſui Herricum, praeceptorum ſuorum praeceptis et gentilium ſcriptorum dicta et patrum, Auguſtini, Hieronymi, Bedae aliorumque ſententias aſſuiſſe. Qui mos omnem prorſus, quae raro exemplo adhuc ſuperabat, philoſophiam corrupit. Tulit quoque haec aetas ANGILBERTVM nobilem Francum, Scholae Palatinae diſcipulum, Abbatem Centulenſem, apud Carolum M. gratioſum, qui eum Homerum ſuum, ob carminum ſuauitatem ſolebat nominare [c]. Hunc *clariſſimum virum nobilitatis et ſapientiae merito chariſſimum Carolo M.* vocat, qui *vitam eius* ſcripſit HAIRVLFVS [d]. Et alter eius biographus apud MABILLONIVM. *Ad vnguem* ait, *informatum fuiſſe in liberalibus ſtudiis, et venuſtate formae conſpicuum, quae ei Bertae imperatoris filiae coniugium conciliauit*: ex eo Nithardum filium, doctiſſimum virum ſuſcepit, cui librum debemus *de diſſenſionibus filiorum Ludouici Pii* a KVLPISIO [e] editum. Quamuis autem ex his nemo fere naturalem philoſophiam attingeret, fuit tamen interdum vnus itemque alter, qui ad eiusmodi argumentum, lauda-

Herricus.

Angilbertus.

a) Vid. FABRIC. l. c. T. II. p. 327.
b) Annal. T. I. p. 422.
c) Id nomen ab Alcuino acceperat. Conf. LEYSER. de poëtis medii aeui p. 270.
d) Act. SS. 18. Febr. T. III. p. 100. MABILLON. Sec. IV. Bened. P. I.
e) Script. rer. Germ. p. 83. De hoc ſcriptore vide quos laudat FABRIC. T. V. p. 409.

laudabiliori quidem conatu, quam feliciori euentu, adſpiraret. Inter hos fuit AGOBARDVS, ex Hiſpania in Galliam Narbonenſem traductus, et ad ſedem Lugdunenſem promotus quem celebrem fecit, ſingularis, quam in errore Felicis Vrgelitani detegendo et eradicando poſuit, diligentia ſtudiumque, quo filios Ludouici perduelles Lotharium et Pipinum proſecutus eſt, ipſi tantum non exitiale. Scripſit enim librum *de grandine et tonitruis*, in quo laudando conſilio inſulſam et execrabilem vulgi ſuperſtitionem, quae tum temporis ob ſummam in rebus naturalibus imperitiam inualuerat, rationibus et theologicis et phyſicis iugulauit. Sed et alio ſpecimine oſtendit, ſe ad res naturales paulo diligentius, quam aetas iſta ſolebat, attendiſſe. Cum enim eo tempore epidemica quaedam epilepſia aliique inſoliti morbi praſſarentur, rogatus a Bartholomaeo Narbonenſi cauſſam, haud ineleganter de naturalibus eius rei cauſſis reſpondit [f] *Agobardus.*

§. XXXV. Poſſent his alii adhuc addi, niſi modus eſſet tenendus, ne prolixior fiat noſtra tractatio. Paucis ita reliquos, quos nomen aliquod artium liberalium ſtudio conſecuti ſunt, adiicimus. Inter hos CLEMENS SCOTVS merito nominandus eſt, quem ſupra monuimus, Alcuino a Carolo M. ſocium in inſtituenda iuuentute et iuuandis literis datum, egregie reuiuiſcenti eruditioni operam ſuam commodaſſe, inque Scholis Galliae et Italiae conſtituendis diligentem gnauumque fuiſſe [g]. Hunc in ſecularibus et in Sacris Scripturis incomparabiliter eruditum fuiſſe, ſupra quoque ex monacho Sangallenſi audiuimus. Schola quoque Prumienſis hoc ſeculo viros duos aluit doctores, philoſophiae artiumque liberalium fama inſignes, WANDELBERTVM Diaconum et REGINONEM Abbatem. Wandelbertum enim TRITHEMIVS [h] vocat *virum in diuinis Scripturis eruditum, et in ſecularibus literis magnifice doctum, ingenio promtum et clarum eloquio*, eumque ait inter doctores ſui temporis in philoſophia, rhetorica et poëſi eminuiſſe. Alioque loco [i] teſtatur, eo magiſtro Prumienſe monaſterium optimarum artium ſtudiis viguiſſe. Alius eodem fere tempore Wandelbertus Scholaſticus Sangallenſis fuit, quem *vndecunque doctiſſimum et metro excellentem et proſa multa ſcripſiſſe* idem teſtatur TRITHEMIVS [k]. Reginonem autem *et ſacris et ſecularibus literis egregie doctum, ingenio ſubtilem, eloquio clarum, vita et conuerſatione deuotum, facile inter doctores ſui temporis obtinuiſſe principatum*, IDEM [l] affirmauit. Horum virorum aetate ſtudia prorſus collapſa in Gallia, reſuſcitata eſſe, Wandelbertus alicubi ſcribit [m], teſtatus: *Apud Gallos multos annos literarum ſtudia* *Clemens Scotus.* *Wandelbertus.* *Regino.*

f) Vid. CAVE H. L. S. E. p. 438. DOMINICVS DE COLONIA Hiſt. Literaire de Lion. T. II. p. 93. Acta SS. Iun. T. I. p. 748. ſeqq.
g) Vid. ALCVIN. Ep. 9. MABILLON. l. c. LAVNOIVS l. c.
h) De S. E. c. 281. p. 75.
i) Ann. Hirſ. T. I. p. 22. LAVN. p. 74.
k) loc. cit.
l) De S. E. c. 294. p. 76.
m) In vita S. Goaris, praef. apud MABILLON. Sec. IV. Ben. Part. I. §. 175.

iacuiſſe, quousque ſua aetate principum liberalitate, et optimorum virorum ſolertia diſciplinarum ſtudia iterum profecerint. GRIMBALDVM quoque ad Aelfridum vocatum in Angliam renaſcentibus literis fortiſſimas manus adhibuiſſe, ſupra iam tetigimus. Is in ſynodo Londinenſi regi perſuaſit, vt omnibus clericis ac comitibus tribunisque ſtudium literarum ac diſciplinam artium liberalium efficaciſſime commendaret, quod quo effectu factum ſit, ex dictis intelligere eſt: Ornauit quoque hac aetate Germaniam RVTHARDVS Scholaſticus Hirſaugienſis, de quo haec habet TRITHEMIVS [n]: *Hildulfo primo huius coenobii Scholaſtico Ruthardus monachus aeque doctiſſimus ſucceſſit, qui et ipſe vnus ex primis quindecim monachis extitit, quos Rabanus abbas Fuldenſis in Hirſaugiam miſit. Hic Strabi quondam auditor iuuenis in omni doctrina conſummatus euaſit, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus; metro excellens et proſa, ac magnae apud principes et magnates eo tempore aeſtimationis &c.* Hunc tantopere literarum ſtudia deperiiſſe, ſcribit, vt Halberſtadienſem epiſcopatum otio literario poſtponeret. Poſſunt his addi Felix Vrgelitanus, Elipandus Toletani, Paſchaſius Radbertus, Godeſchalcus et Ratramnus, quorum in annalibus Eccleſiaſticis ob errores, quos in agro Dei ſparſiſſe viſi ſunt, celeberrima eſt memoria. Hos enim in artium liberalium ſtudiis, praecipue vero in dialectica exercitatiſſimos fuiſſe, et ſcripta eorum oſtendunt, et controuerſiae, quae haud alios fontes, quam dialecticae alicuius argutiis et cauillis ludentis abuſum et rationis atque reuelationis confuſa inter ſe principia agnoſcunt. De quibus tamen hoc loco dicere quicquam nec licet nec libet, cum in ſacrae hiſtoriae enarratione res omnis prolixe ſoleat exponi. Alios huc non afferimus, facile ex catalogis ſcriptorum eccleſiaſticorum colligendos; vix enim fuit hoc ſeculo ſcriptor paulo celebrior, qui non artes liberales eo ſenſu, quo ſupra deſcripſimus, attigerit, et paucas illas philoſophiae reliquias deguſtauerit. Aſt quamuis haec barbariei ſeculi huius pellendae ſuffeciſſe, merito videri queant, cum et principes omnes neruos intenderent, et epiſcopi virique docti vires in id omnes conferrent, fatendum tamen eſt, eos multum quidem mouendo parum promouiſſe, et rediiſſe Cimmerias illas, quas paucae iſtae ſtellae illuminare coeperant, tenebras. Id quod mirandum non eſt, cum tam diraé tempeſtates rempublicam ciuilem pariter atque eccleſiaſticam affligerent, principumque diſſenſiones tantas ſtrages tantum non omnis felicitatis ederent, vt quicquid elegantiae apparebat, neceſſario interire debuerit. Hincque propudioſa ſeculi huius inſcitia, bellorum tumultibus ſuſtentata et aucta, qua an turpius quid accidere triſtiusque potuerit, merito dubitandum eſt. Praeter multa alia paſſim a viris doctis adducta, ad teſtimonium formulae inquiſitionis prouocamus, ſecundum quam inquirere debebat epiſcopus per vicos, pagos atque paroecias ſuae dioeceſeos, quae extat ſub initium operis REGI-

Grimbaldus.

Ruthardus.

Alii.

Neque tamen ſic pulſa barbaries.

NONIS

n) Ann. Hirſaug. T. I. p. 26.

NONIS *de disciplina ecclesiastica.* In ea enim inter alia circa presbyteros iubetur inquiri, *si euangelium et epistolam bene legere possit, atque saltim ad literam eius sensum manifestare. Item, si sermonem Athanasii de fide SS. Trinitatis memoriter teneat, et sensum eius intelligat, et verbis communibus enuntiare sciat etc.* Ad quae verba recte doctissimus BALUZIUS: *Ea erat seculi illius infelicitas, vt necesse esset presbyteros ab episcopis interrogari, vtrum bene legere nossent.* Additque, electum Caroli Calui tempore Gislemarum quendam in archiepiscopum Remensem, oblatum textum euangeliorum aliquatenus quidem legere, nihil tamen eius intelligere potuisse. Ex his itaque et similibus deplorandam rerum literariarum faciem si quis considerauerit, miserebitur et ipsius philosophiae, coelestis doni, et humani generis, cui ea aetate vterque velut oculus effodiebatur. Quamuis enim scholae passim supererent, sparsimque vir quidam doctus emergeret, obiici tamen tam infirma munimenta barbariei, quae omnia inundauerat, torrenti non potuerunt, sed seculi infelicitate quasi rapta et in praeceps simul data sunt. Quod enim scholarum otium, a quo nomen habent, esse potuit, cum omnia ciuilibus bellorum tumultibus personarent, et sanguine maderent? Cuncta enim ita conquatiebantur, vt Musae, ipsae iam cultu suo priuatae et in squalore oberrantes, non potuerint non, penitus aufugere. Normannorum enim bella, quae omnia in Gallia concutiebant, et funesta fratrum Lotharii, Caroli et Ludouici dissidia omnia fatali rerum conuersione perdebant, praesertim cum A. C. DCCCXLII proelio commisso res Galliae valde attenuarentur. Hunnorum vero irruptiones in Pannoniam et Germaniam, Danorumque et Normannorum in Angliam succiderunt, quicquid literarum adhuc marcidos equidem flores ostentabat. Quae omnia in ciuili seculi huius historia enarrari solita, hic quoque in memoriam reuocanda sunt, vt caussae intelligantur, cur cum literis fere omnibus philosophiae quoque nitor penitus disparuerit. Neque tamen ipsa cleri vitia hic tacenda sunt, quae has obices vehementer promouerunt, et quas ille solus promouere et debebat et poterat, artes liberales otio, luxu, ignauia, Venere, et mille aliis scelerum generibus suppresserunt. Cum enim Scholastici officium canonicis commendatum esset, qui, vt ad regulam viuerent, demandatoque officio facerent satis, fidem obstrinxerant; et ad promouenda literarum studia, eiusmodi munera reditibus a principibus non malo consilio essent aucta, degenerante in licentiam auctoritate ex abusu prouentuum satis opimorum, ignauia otiumque inualuit et Scholastici nomen, dignitas, emolumenta seruata sunt, officii vero cura et literarum doctrina vel prorsus periit, vel hominibus obscuris et nulla eruditione nobilibus permissa est, qua de re ALBERTI KRANZII *) verba oppido memoratu digna, cum passim adducta sint a viris doctis, adscribere nolumus. Vnum canonici irregularis vel

saecularis

*) Metropol. L. IV. c. 1.

ſecularis nomen, quantum a laudabili regula diſceſſum ſit, inepta prorſus appellatione oſtendit. Nec dubitamus aſſerere, ſummam Caroli M. filiorumque beneuolentiam in clerum, et liberalitatem inſolitam, cetera quidem, ſi homines rectae mentis et ſobrii conſilii aluiſſet, non reprehendendam, ſed indignos plerumque paſcentem, multum ad haec mala augenda contuliſſe. Dum enim inter menſae lautitias, inter venationum ſtrepitus, inter combibonum ouationes, et reliqua voluptatum genera clerici conſeneſcunt, qui literis dicati erant, aetas ipſa in plumbeam conditionem abiit, et infelix illud ſeculum X genuit, de quo iam porro dicemus.

Facies literarum et philoſophiae ſeculo X.

§. XXXVI. Quale fuerit ſeculum poſt Seruatoris natiuitatem decimum, et quam infanda infelicitate ex omni parte corruptum fuerit, nemo ignorat, qui res huius temporis attento perluſtrauit oculo, nec opus erit, rem omnium confeſſione certam prolixe probare. Facient hoc, qui annales Eccleſiae ſcribent, reſpondebuntque iis, quae in contrarium dixit ANTONIVS ARNALDVS *p*. Nobis hoc loco ſufficit eruditiſſimi BARONII *q* VOX: *Nouum nunc inchoatur ſeculum, quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia ſcriptorum appellari conſueuit obſcurum.* *Ea* paſſim repetit annalium Eccleſiaſticorum ſcriptor, conſentientibus cordatis quibuscunque, qui miſeram et deplorandam reipublicae ſacrae et ciuilis faciem deteſtari ſatis non poſſunt. Haec vero vniuerſalis clades non Eccleſiam modo et regna afflixit, ſed literas quoque et philoſophiam penitus proſtrauit. Teſtem vnum prouocamus Rhemenſem ſynodum apud BARONIVM *r*, ita inter alia conquerentem: *Sed cum hoc tempore Romae nullus pene ſit (vt fama eſt) qui literas didicerit, ſine quibus, vt ſcriptum eſt vix, oſtiarius efficitur, qua fronte aliquis docere audebit, quod nunquam didicit?* Vnde miramur, CAROLVM SIGONIVM *s*, cum in ſterilitate huius ſeculi literarumque ignorantia depingenda verſaretur, ſtatum reipublicae ſub Ottone I. ita deſcripſiſſe: *Literarum ea aetate ſtudia ferme nulla, niſi philoſophiae ac theologiae; nam ius ciuile Romanum vsque ad Lotharium imperatorem prope Italiae fuit incognitum et medicorum vſus ſemper fuit maior quam dignitas. Poëtae et oratores, ſi qui hoc nomine digni erant, ſibi potius quam populo canebant. Qui vero ceteris antecedere eloquentiae laude ac varia literarum doctrina putabantur, ii plerique monachi erant.* Quod plane falſum eſſe, et veros huius ſeculi vultus non referre, ex dicendis conſtabit. Certe philoſophiae vſum tum quidem pene nullum fuiſſe, apertiſſima aeui medii monumenta teſtantur. Neque obiiciendus eſt Gerbertus quidam vel alius huic ſimilis, quos ſupra aetatis ſuae captum in philoſophia ſapuiſſe in ſequentibus dicemus. Hi enim alborum

p) De perpet. fidei P. III. p. 367.
q) Ad an. 900. n. 1.
r) Ad an. 992. n. 25.
s) De regno Italiae L. VII. c. 178.

rum coruorum inſtar erant, nec ferebat eos infelix ſeculum. In quo quam pauper et miſerabilis conditio artium liberalium et philoſophiae fuerit, ex eo intelligi poteſt, quod non modo triuii et quadriuii circulo totus eruditionis ambitus abſoluebatur, et de naturali, morali, tranſcendentalique philoſophia altum erat ſilentium, ſed plerique etiam quadriuium non attingebant. Id quod adductis huius aetatis teſtimoniis docte probauit IACOBVS THOMASIVS [f], qui videndus. In ipſa ſane grammatica et rhetorica plerique balbutiebant, et rara erat auis, vir doctus, qui paulo comtius ornatiusque diceret, aut ſcriberet. Dialecticae vero aliquod nonnullos hoc ſeculo ſtudium tribuiſſe operamque in ea diſcenda collocauiſſe, non negamus; ſed vt omnis rationalis philoſophiae ratio vera et vſus diu iam euanuerat, ita inanibus liticulis et inconditis clamoribus, dum rationis et reuelationis principia confundebantur, et miſcebantur quadrata rotundis, pleraque abſoluebantur, et tamen qui in his reliquos ſuperaſſent inter ſeculi lumina referebantur, reliquis ita ſtupidis vt vix legere poſſent. Id quod in hiſtoria huius ſeculi philoſophica et literaria probe tenendum eſt, vt quales illi fuerint, qui philoſophiae laude mactari ſolent, intelligatur. Nempe cum artes liberales et philoſophiam ancillari theologiae ſtatuiſſent, qui ſuperiori ſeculo ſcholas condiderant, hocque fine eas in his animorum officinis introduxiſſent, rati huius ſeculi homines, nihil earum addiſcendum eſſe, niſi quod ad hunc ſcopum collinearet, virisque Eccleſiaſticis inſeruire poſſet, ſolos qui vitae eccleſiaſticae et monaſticae deſtinati erant, iuuenes triuium edocebant, nec plus diſcendum eſſe ſtatuebant, quam literatura eius aeui ſacra poſtulabat. Quae cum valde eſſet tenuis et ieiuna, et in ſolis verborum diſputationibus et inanibus contentionibus verſaretur, dialectica quoque rixoſa, abſurda et canina quaedam ſola inualuit, quae ad ſacra theologiae dogmata applicata monſtra et portenta opinionum peperit, vt vel ex ſola Paſchaſii Ratberti factione, quae hoc ſeculo valde fimbrias ſuas dilatauit, intelligi poteſt. Hincque factum, vt philoſophorum huius ſeculi praeſtantiſſimi in dialecticis diſputationes conſeneſcerent. Faſſusque eſt IOANNES PARVVS [g], *fuiſſe eſſeque adhuc ſuo tempore, dialecticae ita ſtudioſos, vt clament in compitis, et in triuiis doceant, et in ea, quam ſolam profitentur, non decennium aut vicennium, ſed totam conſumſerint aetatem. Nam cum ſenectus ingruat, corpus eneruet, ſenſuum retundat acumina, et praecedentes comprimat voluptates, ſolam hanc in ore volui, verſari in manibus, et aliis omnibus ſtudiis praeripere locum. Fieri itaque illos in puerilibus academicos ſenes omnem dictorum aut ſcriptorum excutere ſyllabam, immo et literam, dubitantes ad omnia, quaerentes ſemper ſed nunquam ad ſcientiam peruenientes, et tandem*

f) Obſ. Hal. Lat. T. I. obſ. 4. p. 41. T. V. obſ. 18. p. 46. conf. CONRING. Antiqq. Acad. diſſ. I. p. 44. diſſ. III. p. 80.

g) Metalog. L. II. c. 7. p. 797.

tandem conuerti ad vaniloquium ac neſcientes quid loquantur, aut de quibus aſſerant, errores condere nouos, et antiquorum aut neſcire aut dedignari ſententias imitari. Compilare omnium opiniones, et ea quae etiam a viliſſimis dicta vel ſcripta ſint, ab inopia iudicii deſcribere, et referre; proponere enim omnia, quia neſciant praeferre meliora. Tantam eſſe opinionum oppoſitionumque congeriem, vt vix ſuo nota eſſe poſſint auctori. Haec Sarisberienſis, qui eleganter natiuam philoſophiae faciem, quae a ſeculo decimo vsque ad literarum παλιγγενεσίαν obtinuit, depinxit, quamque hoc quoque ſeculo inualuiſſe ex illorum ſcriptis intelligi poteſt, qui in arenam deſcenderunt et velitationes ſubierunt literarias. Vnde non errant, qui Scholaſticam philoſophiam iam hoc ſeculo prima accepiſſe ſtamina formatamque quaſi in vtero matris fuiſſe contendunt, vt infra dicemus. Et hi tamen heroës erant, reliqui infantum more balbutiebant ſummamque exoſculabantur ignorantiam. Qua de re querelas ſummorum virorum in antecedentibus iam ex parte attulimus, paſſimque plura viri eruditi cumularunt, qui, ne prolixi ſimus, adeundi ſunt. Pleraque enim a ſcriptoribus hiſtoriae literariae et eccleſiaſticae medii aeui tanguntur[x]. Nos ſpeciminis loco vnum modo alterumque adducimus exemplum; Ioannem abbatem Gorzienſem, (cuius *vitam* ſcripſit IOANNES abbas S. Arnulfi Metis, quam exhibent BOLLANDVS et ſocii [y] et MABILLONIVS [z]) neglecto non modo quadriuio ſed et triuio, *primas tantum partes Donati ex Bernero audiuiſſe, eaque introductoria aſperſione contentum diuinis ſe omnino transtuliſſe ſcriptis*: et Meinwercum epiſcopum Paderbornenſem ne recte legere quidem potuiſſe, et in pſalterio legiſſe [a]: *Benedic domine regibus et reginis mulis et mulabus tuis*, pro famulis et famulabus tuis. Vnde vix credi poteſt, quod idem vitae Meinwerci ſcriptor [b] refert, *ſtudiorum multiplicia ſub eo floruiſſe exercitia, et bonae indolis iuuenes et pueros ſtrenue fuiſſe inſtitutos.* Neque mirum; puerum enim quinquennem Eriberti Aquitaniae ducis filium adhuc ἀναλφάβητον archiepiſcopum Remenſem conſtitutum fuiſſe, narrat et indignatur BARONIVS [c], hancque rem peſſimo exemplo in conſuetudinem abiiſſe dolet. Quam eruditionis peſtem ſecuta eſt ſumma quoque, vt ſolet fieri, morum coruptio, quae ſceleribus, ſuperſtitione, et ἀσωτίᾳ cuncta repleuit; vbique enim regnabant ambitio, voluptas, calliditas, aemulatio, et quo quis nequior, eo erat honoratior. Qui fructus eſſe ſolent inſcitiae et barbariei, quae non intellectum modo inuadit, ſed et voluntatem corrumpit perditque. Neque vero id mirandum magnopere eſt, cum ſedem Romanam monſtra magis hominum, quam viri pii doctique occupaſſent, non negantibus BARONIO [d], et, qui totus in dealbandis coruis alias eſſe ſolet, FRANCISCO

x) Vid. CONRING. Antiqq. Acad. ſupplem. XXVII. p. 312. HEIDEGGER. Hiſt. papat. Per. III. §. 65. p. 67.
y) Act. SS. T. III. 27. Febr. p. 610. ſqq.
z) Sec. V. Bened. p. 363.
a) In eius vita in LEIBNIZ. Coll. Script. Brunſuic. T. I. p. 555.
b) Cap. 92. p. 546.
c) Ad an. 925. n. 9. 10.
d) loc. cit.

CISCO PAGI *). Cuius exempla in annalibus eccleſiaſticis inuenient, qui primas huius ſeculi paginas euoluent. Non ignoramus quidem, fuiſſe paſſim in ſcholis monaſteriorum viros quosdam doctos, pro aeui conditione non illiteratos; e. g. in ſchola Sangallenſi, Mediolanenſi, Floriacenſi et aliis, de quibus ſupra, quantum ſatis, diximus: verum parum aut pene nihil hoc ad emendandam ſeculi huius infelicitatem contulit: adeo enim anguſtis limitibus horum virorum eruditio coarctata eſt a ſeculi illiterati genio, vt ferme nihil valeret. Nam et exiguo triuii quadriuiique circulo ea concludebatur, et ad paucos quosdam iuuenes, qui monaſticae vitae ſe mancipauerant, extendebatur, et quis vſus, quae exercitatio eſſet, a nemine oſtendebatur, et, quod ſupra tetigimus malum, dialecticae ſtudium ad ſacra dogmata inani perüerſoque labore applicatum, apud excitatiora ingenia inuehebatur, ſicque monſtrum Scholaſticae philoſophiae ſenſim generabatur. Naturalem philoſophiam et mathematicas diſciplinas cum plerique in antecedente ſeculo ignorauerint, facile ex eo colligi poteſt, hoc ſeculo, quo barbaries in dies magis adoleuit, eas tantum non ab omnibus inter artes occultas relatas eſſe; ſane tam ſuſpectae fuerunt, vt magiae inſimularentur, quod Gerberto accidiſſe infra narrabimus. Ethica vero et politica doctrina plane ex circulo eruditionis excludebantur, et quid moralis quid ciuilis philoſophia eſſet, ignorabatur. Licet enim eſſent, qui de principe ſcribere, vel ſubditorum officia explicare auderent, caue tamen putes, praecepta eos ſuggeſſiſſe philoſophica; quaecunque enim blaterabant, confuſum chaos exhibebant compilationemque dictorum et ſententiarum ex vulgata, patribus Latinis et canonibus conciliorum decretisque pontificum, quae ſatis barbaro loquendi genere effutiebant: quique reliquis meliores et peritiores erant Gregorii moralia ducem ſibi eligebant, fontemque proponebant. Plurimum vero moralis doctrina corrumpebatur inepta illa diligentia vitas ſanctorum conſcribendi. Eas enim ita conſarcinabant, qui huic ſtudio ſe dederant, vt rationes politicae cleri poſtulabant; hinc nec fabularum nec nugarum finis, quae eo apertius et audentius cumulabantur, quo pauciores erant, qui vel ab ignorantia vel a praeiudicio auctoritatis vel a puerili ſuperſtitione immunem ſeruauerant animum. Quae tamen omnia, non quidem ſine veritatis damno, contemni negligique potuiſſent, modo ipſi doctrinae morali neruos non ſuccidiſſent ſcriptores ineptiſſimi. Illi enim cum, quoscunque vel naturali quadam morum auſteritate ſeueros, vel imaginationis ferventis emotaeque mentis enthuſiaſmo notabiles, vel propter inſignia in clerum beneficia piorum nomine dignos iudicauerant, in ſanctorum album retulifient, initaque cum perditiſſimo hominum, qui tunc viuebant, grege ſui ſeculi comparatione meliores exiſtimauiſſent, eam virtutis conſummatae notionem tanquam verum vitae typum hominibus commendauerunt, quo neque a vitiis emendari animus, nec ad veram

*) Breuiar. Pontif. Rom. T. II. Sec. X. p. 196.

ram virtutem formari, neque a turpiſſima ſuperſtitione liberari potuit. Quo pacto omnis philoſophiae vſus miſere periit. Id quod vitas SS. hoc tempore ſine praeiudicio legenti erit in propatulo. Accedit, quod qui ſanctitatem commendabant morumque probitatem, ad vitae monaſticae laudes et perfectionem extollendam reſpiciebant. Quod quidem homines laicos ad ſummam cleri venerationem cultumque etiam ſanctorum permouit, effecitque, vt cum vitiorum ſordes illorum precibus detergi poſſe crederent, ipſi moribus inquinatiſſimi, manus cruentas et foedas, auro plenas, ad hos homines extenderent, vt facta interceſſione pro peccatis ſuis ſibi conſilio et auxilio adeſſent: ita vero omnis ſana ratio de moribus ſtatuendi, et emendationem animi commendandi euerſa eſt. Quod nos teſte hiſtoriae fide dixiſſe, ipſa huius ſeculi monumenta loquuntur, et imprimis ex ſcriptis eorum, qui hoc ſeculo vitas SS. ſcripſerunt, e. g. Hubaldi, Odilonis, Stephani Leodienſis aliorumque diſci poteſt. Sed et aliud malum tangendum eſt, quod, vt ex philoſophiae neglectu contemtuque ortum eſt, ita omnem quoque philoſophiae reſtituendae ſpem euertit. Superſtitionem atque credulitatem innuimus, quae ad ſummum hoc ſeculo gradum promota eſt. Quemadmodum enim impoſſibile fuiſſet tot miracula hominibus perſuadere, qui vel ſummis tantum labiis philoſophiam deguſtaſſent, ita incredibiles ineptiae, quae tunc coeco applauſu ſummaque veneratione excipiebantur impediuere, vt ad veritatem philoſophia duce reſpicere nemo poſſet. His longe deterior peſtis erat vita cum laicorum tum clericorum adeo perditiſſima, vt virorum cordatorum querelae non ſine ſtupore et admiratione hodie legantur. Quod ne ſine teſte dixiſſe videamur, ad vnam Edgari Britanniae regis orationem ad clerum Anglicanum prouocamus, qua ei luxum, verborum impudentiam, laſciuiam morum, negligentiam in cultu diuino, et quae alia ſuſcipere ſolent voluptatum mancipia exprobrat: qua de re tamen prolixi eſſe nolumus, cum in H. E. de ea pluribus ſoleat agi [f]. His animorum vitiis et ſceleribus occupatis vtrum poſſibile fuerit philoſophiae operam dare, Lectoris eſto iudicium. Haec vero in clero videbant Laici, qui cum hominum vitia a cultu literarum diſcernere non noſſent, ipſam eruditionem, quam poſſidere ſe ſolum clerus iactabat, ſummo proſecuti ſunt odio, qua ratione philoſophiae nomen quoque in contemtum adductum eſt. Doluiſſe hanc eruditionis omnis et praecipue philoſophiae, quam ferre coacta eſt, infamiam viris nonnullis cordatis, vt de eius honore reſtituendo, de debellanda barbarie et emendando eruditorum grege cogitarent, et conſilia quoque eius rei caperent, fatendum eſt. Aſt hi albis coruis rariores erant, et ſi ſurgerent, tot calumniis et perſecutionibus vsque ad nominis infamiam vitaeque pericula impetebantur, tamque grauiſſimis calamitatibus premebantur, vt tot tantisque malis deterriti ſibi viuere atque philoſophari, quam cum tanto periculo laterem in emendandis ingeniis

f) Vid. SPELMANNI Concil. Brit. apud SPANHEM. Introd. mai. in H. E. N. T. T. II. p. 1002.

ingeniis lauare mallent, vt Gerberti exemplo diſci poteſt. Et ſane inter felicitates ſuas numerabant, ſi intra monaſteriorum clauſtra paucis quibusdam certioris fidei diſcipulis melioris ſapientiae praecepta quaedam inſtillare liceret. Et ita quidem tenebris, ſqualore ſituque obnubilatum eſt, quicquid eruditionis nomen tueri aptum erat, nec emicabant, niſi ex angulis quibusdam ſcintillae aliquot, quae prohibebant, ne vniuerſalis literarum pernicies inualeſceret. Mirandum itaque non eſt, in tanta philoſophiae inopia, tantam malorum omnium copiam in Eccleſia et republica extitiſſe; ſemper enim ita euenit, teſte hiſtoria philoſophica, vt pereunte philoſophiae honore et vſu, ingentia a ſuperſtitione et malitia damna pateretur, respublica ſacra et ciuilis, eo emergente, animumque emendante, et ſobrium rationis vſum commendante, ſurgeret quoque publica felicitas. Et profecto, niſi nonnullos inter ſummos imperantes, et inter doctos viros hoc ſeculo excitauiſſet diuina prouidentia, qui plenas omnis eruditionis ruinas auertiſſent, actum hoc ſeculo fuiſſet de philoſophia cunctisque literis.

§. XXXVII. Inter haec artium et ſcientiarum aſyla ſupremum iure ſuo locum obtinent OTTONES ſummo imperii faſtigio admoti. Et primus quidem, qui ob res geſtas Magnus audit, illiteratus fuit, obſeruante MABILLONIO [g], habuit autem generum Conradum, Franciae Orientalis ducem, qui ſapientis cognomen accepit [h]. Filius autem Otto II. cognomento Rufus ſcholae Hildeſienſi educandus traditus et in literis inſtitutus eſt. Quae refert IOACH. CVREVS [i], inter alia ſcribens: *Collegia canonicorum olim fuerunt ſcholae, in quibus adoleſcentia erudiebatur in doctrina coeleſti, in bonis artibus, et ſimul habebat exercitia precationum et lectionum in templis illis, quando epiſcopus tanquam praecipuus rector et inſpector doctrinae et diſciplinae eccleſiaſticae praerat: ſicut circa illam aetatem Otto ſecundus filius praeſtantiſſimi imperatoris Ottonis primi adoleſcens didicit literas, et Eccleſiae doctrinam in Collegio Hildesheimenſi et publice cum ſuis aequalibus in templo precatus eſt, et cecinit.* Et hoc quidem ſatis euincit, illiteratorum numero, qui tum potiorem nobilium partem comprehendebat, Ottonem II. eximendum eſſe; artes autem liberales et philoſophiam attigiſſe vix credi poteſt, ſi ad ea attendatur, quae ex TANGMARI *vita Barwardi* obſeruat CONRINGIVS [k], Hildeſienſem hanc ſcholam rudimentis tantum docendis, deſtinatam fuiſſe, quanquam in ea vita legitur Bernwardum propoſuiſſe magiſtro quaeſtiones ex intimo adyto philoſophiae; has enim non in iſta ſchola didicerat. Superauit autem Ottonem ſecundum eruditione Otto tertius, ob rerum magnitudinem ceterasque, quibus ornabatur, dotes et fata ſingularia mirabilia mundi dictus, qui, ſi illius aetatis ſcriptoribus fides danda, in eius temporis

Literarum praeſidia hoc ſeculo Ottones.

g) Praef. in Sec. V. Bened.
h) Conf. HAHN. Orat. de Conrado II. pag. 9.
i) In Annal. Sileſ. apud LAVNOIVM de ſchol. celebr. c. XXI. p. 84.
k) Antiqq. acad. ſuppl. XLII. p. 332.

eruditione fuit verſatiſſimus. Habuit enim matrem Graeci imperatoris Nicephori II. filiam Theophanam, ex quo nonnulli colligunt, et patrem Graeci ſermonis peritum fuiſſe, eiusque beneficio aliquando periculum euaſiſſe, qui tamen coaeuorum ſcriptorum teſtimonio deſtituuntur; et filium eandem linguam calluiſſe. Illud dubio caret, a Gerberto, quem vnum haec aetas tulit philoſophicis ſcientiis ſupra vulgi conditionem apprime eruditum, imperatorem in adoleſcentia inſtitutum, itemque Bernwardi, Hildeſienſis epiſcopi diſciplina formatum artium liberalium elementa hauſiſſe. His quidem meruiſſe vtrumque, vt philoſophis huius ſeculi annumerarentur, dici non poteſt: aſt effecit tamen ſenſus eruditionis inſtitutionis literariae beneficio formatus vt et ipſi, quantum poſſent, barbariei conatus ſuos opponerent, et Gerbertum acriori iudicio talia conantem, pro rerum et aetatis circumſtantiis adiuuarent. Quo factum, vt ex ruinis pereuntium literarum reſurgerent paſſim viri quidam eruditi, qui, quodcunque eruditionis artiumque hoc ſeculo ſuperfuit, conſeruarunt. Paulo melius hoc ſeculo ſidus illuxit Angliae, in qua plures tum temporis viri docti ſupererant, cum in reliquis regionibus omnis pene eruditio exaruiſſet. Aelfridi enim exemplo ipſi reges literarum incrementis obſtetrices porrexerunt manus. Inter quos Athelſtanus, Eduardi ſenioris filius, qui ab A. C. DCCCCXXIV, ad DCCCCXXXIX regnauit, non ſolum eruditorum conatus promouit, et rariſſimo exemplo, a doctis quibusdam Hebraeis in regno eius ad fidem Chriſtianam conuerſis vetus teſtamentum ex Hebraico ſermone in Anglicum verti curauit, ſed et teſte PITSEO[l] ipſe haud pauca ſcripſit et Anglice et Latine quae mſc. ſeruantur; interque ea praeter correctionem legum antiquarum, et leges nouas, librum *de rebus aſtrologicis*. Similiter Eadgerus rex, teſte eodem ſcriptore, a Dunſtano, Ethelwoldo et Oswaldo viris optimis doctiſſimisque eruditus eſt, valde ideo laudatus a gentis ſuae hiſtoricis. Ab his regibus Oxonienſi ſcholae de doctoribus idoneis proſpectum eſt, in qua hoc ſeculo nonnulli docuerunt, ceteris in Occidente meliores et doctiores. Inter quos eminuerunt BRIDFERTHVS, LELANDO[m] Bigthefertus, Saxo, qui ex Abbonis diſciplina prodiit, et in philoſophia atque diſciplinis mathematicis ſe non hoſpitem animum gerere demonſtrauit. In monaſterio enim Rameſienſi literis diligentiſſimam operam collocans. Bedam ſibi et imitandum et explicandum ſumſit, et in eius librum *de rerum natura et de temporibus* commentatus eſt. Memorat etiam BALEVS[n] librum *de principiis mathematicis*; et in Bibliotheca Bodleiana mſc. ſeruatur *Computus Latinorum, Graecorum, Hebraeorum, Aegyptiorum et Anglorum* ab eo confectus[o]; ex quibus ſcriptis patet ſeueriores literas in Anglia tunc temporis non apud omnes intercidiſſe. Maxime vero DVNSTANVS hic nominandus eſt, epiſcopus

Reges Angliae.

Viri docti in Anglia.

Bridferthus.

Dunſtanus.

l) p. 173. m) cap. 136. n) Cent. II. c. 35. o) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p. 765.

ſcopus Pigornienſis, et tandem archiepiſcopus Cantuarienſis, cuius vitam OSBERNVS [p], et GVILELMVS MEILDVNENSIS ſcripſerunt, fabulis tamen, vt his ſeculis fieri ſolebat, valde conſpurcatam, de qua videndi Anglicarum rerum ſcriptores, et inter eos WHARTONVS [q]. Nam et ipſum eruditione clariſſimum fuiſſe, et literas in aula regum, apud quos plurimum valebat, egregie promouiſſe, ſcriptores referunt. Ita enim de eo OSBERNVS [r]: *Philoſophorum ſcientias diligenti excoluit ratione, magnam in his et conſtantem perſpiciens eſſe perfectionem, et quamuis his omnibus artibus magnifice polleret, eius tamen, quae muſicam inſtruit, ſpeciali affectione ſcientiam vindicabat.* Et alibi [s]: *Tanta illi rerum ſubtilitas inerat, tanta dicendi facultas, vt nihil eſſet aut inuentu ſapientius, aut dictu ornatius, aut auditu iucundius.* Hinc inter alia multa, quae et BALEVS [t] et PITSEVS [u] ei tribuunt ſcripta, vnum etiam occurrit *de philoſophia occulta.* Talis cum ipſe eſſet, alios quoque ad vindicandum literis honorem erexit excitauitque, vnde eum *artium liberalium, excitatorem mirificum* vocat GVILELMVS MALMESBVRIENSIS [x]. Eminuit porro inter Anglos ALFREDVS MALMESBVRIENSIS Abbas, tandemque epiſcopus Cridienſis in Weſtſexia Deuonia Angliae. Hunc philoſophiae non ignarum fuiſſe, libri teſtantur *de naturis rerum*, quos tribuit PITSEVS [y]. Hunc caue confundas cum Alfredo Anglico, cognomento philoſopho, quem ſeculo XIII inclinante vixiſſe, et in *meteora Ariſtotelis* atque Boëthium *de conſolatione philoſophiae* ſcripſiſſe, idem PITSEVS [z] memorat. His igitur et ſimilibus viris doctis obſtetricantibus factum eſt, vt in Anglia vix vllo vnquam tempore tot tantique viri pietate et doctrina, qualem ferebat aetas, quot iſto ſeculo, inſignes exiſterent, vt obſeruatum Io. MABILLONIO [a]. Quamuis nimium laudaſſe iſtorum temporum patriae ſuae felicitatem videatur WILHELMVS MALMESBVRIENSIS [b], de tribus Eadgeri praeceptoribus Dunſtano, Ethelwoldo, et Oswaldo ſcribens: *Eo tempore micuerunt per Angliam ſanctorum virorum lumina, vt crederes e coelo arridere ſidera; ita his tribus viris, quaſi triformi lumine Angliam ſerenante denſae vitiorum tenebrae euanuere.* Id enim, aut ad monaſticam iſtam ſanctitatem, quam imprimis vrgebat Dunſtanus, magnus coelibatus cleri promotor, referendum [c], aut comparate, ad reliquarum regionum tenebras vel priſtinum ſqualorem intelligendum eſt. Nihil enim eos promouiſſe, quod cum primorum ſeculorum elegantia comparari queat, facile intelligitur.

Alfredus Malmesburienſis.

§. XXXXVIII.

p) Act. SS. 19. Maii. T. IV. p. 359. MABILLON. Sec. V. Benedict. p. 663.
q) Angliae S. T. I. p. 102.
r) Cap. 8. s) Cap. 34.
t) Cent. 2. c. 38.
u) Pag. 179.
x) De reg. Angliae L. II. c. 8.
y) loc. cit.
z) p. 351. FABRIC. l. c. T. I. p. 180.
a) Praef. Sec. V. Benedict.
b) loc. cit.
c) Scripſit enim DVNSTANVS regulam vitae monaſticae, ETHELWOLDVS contra presbyteros fornicarios, et de conſuetudine monachorum ordinis S. Benedicti OSWALDVS, ſtatuta ſynodalia.

In Gallia, Remigius Autissiodorensis.

§. XXXVIII. In Gallia magnam caliginem ingenia occupauisse hoc seculo, supra dictum est. Res tamen literarias pauliſper ſuffulſit REMIGIVS AVTISSIODORENSIS, a Fulcone Archiepiſcopo Remenſi qui anno IↃCCCLXXXII ſcholam inſtituerat, vocatus vt ſcholae illi praeeſſet: in qua, teſte, FLODOARDO [d], liberalium artium ſtudiis clericos adoleſcentes exercuit, ipſo Fulcone cum iis lectioni ac meditationi operam dante. Prodiit autem Remigius ex diſciplina Herrici, de quo dictum, vnde ADEMARVS in *Chronico* [e], *Herricum*, ait, *Remigium et Vebaldum Caluum haeredes philoſophiae reliquiſſe.* Quam cum Herricus a Lupo, Lupus ab Alcuino didiciſſet, vt ſupra obſeruatum, intelligi inde poteſt, qualem haereditatem Ademarus hoc loco ſignificare voluerit. Docuerat vero Remigius prius Pariſiis philoſophiam, vt ex *vita Ottonis* conſtat, hunc enim apud Pariſios dialecticam muſicamque edoctum fuiſſe a Remigio in eius vita [f] dicitur. Pariſiis vero Remos euocatus, plurimos diſcipulos habuit, adeo vt ex eo propagata dicatur per vniuerſam fere Galliam ſcientia literarum. Inter eos fuere Hildeboldus et Blidulfus, quorum ille hoc ſeculo in coenobio S. Michaëlis ad Moſam ſacras et ſeculares literas docebat; hic Eccleſiae Metenſis archidiaconus literarum ceteros eius loci ſcientia praeibat, vt inquit auctor *vitae Ioannis Abbatis Gorzienſis* [g]. In triuio vero et quadriuio, pro temporis ſui conditione valde exercitatum fuiſſe Remigium, ex ſcriptis eius hodie inter mſc. latentibus intelligitur [h], quibus CAPELLAM *de nuptiis Mercurii et philologiae* DONATVM, *de grammatica*; itemque rhetoricam, dialecticam, geometriam, arithmeticam, aſtrologiam, muſicam illuſtrauit. Valde hunc Remigium laudat TRITHEMIVS [i], eumque *virum vocat in omni ſcientiarum genere doctiſſimum, qui multa reliquerit praeclari ingenii ſui monumenta, quibus ſe et tunc praeſentibus reddiderit vtilem et futuris poſtea memorandum.* Quibus addi poteſt SIGEBERTI GEMBLACENSIS teſtimonium, quo *et in ſecularium et in Sacrarum Scripturarum explicatione vtiliſſimum ſe praeſtitiſſe* Remigium, tradit. Praeter iſta enim, quae nominauimus, ſcripta, multis ad S. Scripturae explicationem aliaque theologiae capita pertinentibus inclaruiſſe ex catalogo ſcriptorum eius apud Auctores hiſtoriae literariae S. E. conſpicitur. Cum hoc Remigio non confundendus alius, circa finem huius ſeculi inclareſcens, in coenobio S. Luthwini Mediolacenſi quem TRITHEMIVS [k] ait, *virum fuiſſe vndecunque doctiſſimum, ingenio ſubtilem, et diſertum eloquio, vitae quoque merito venerandum, philoſophum, poëtam, rhetorem et muſicum omnium ſuo tempore celeberrimum, ſub cuius magiſterio multi viri clariſſimi claruerint.* Et hos quidem ex omni Germania et Gallia ſe illi

d) Hiſt. Rem. L. IV. c. 9.
e) Apud MABILLON. Sec. V. Ben. p. 32.
f) L. II. c. 19. apud MABILLON. l. c. p. 654. & LAVNOIVM l. c. c. 59. art. 1. p. 177.
g) Apud MABILLON. l. c. p. 388.
h) Vid. OVDINVS de S. E. T. II. p. 330. ſeqq. & ex veteribus SIGEBERTVS c. 123 pag. 107. Anonymus MELLICENSIS c. 66. p. 152.
i) De S. E. c. 285. p. 76. Annal. Hirſ. T. I. p. 35.
k) l. c. p. 123.

illi inſtituendos ſubieciſſe, in prima Chronici Hirſaugienſis editione memorat. Remigio ex hoc ſeculo iungimus CONSTANTINVM Scholaſticum Floriacenſem, inter elegantiora huius aetatis ingenia numerandum. *Conſtantinus Floriacenſis.* Amicitiam is coluit cum Gerberto, inter cuius epiſtolas ſunt nonnullae, ex quibus colligitur, Conſtantinum hunc non minus quam Gerbertum, philoſophiae ſeuerius, quam ea aetate ſolebat, operam dediſſe. Ita enim inter alia GERBERTVS [l]: *Vis amicitiae pene impoſſibilia redigit ad poſſibilia. Nam quomodo rationes numerorum Abaci explicare contenderemus, niſi te adhortante, o mi dulce ſolamen laborum Conſtantine! Itaque cum aliquot luſtra iam tranſierint, ex quo nec librum, nec exercitium harum rerum habuerimus, quaedam repetita memoria eisdem verbis proferimus, quaedam eisdem ſententiis. Nec putet philoſophus ſine literis haec alicui arti vel ſibi eſſe contraria. Quid enim dicet eſſe digitos, articulos, minuta, qui auditor maiorum fore dedignantur?* Alia eius loca, quae de communi elegantiorum literarum et philoſophiae ſtudio inter eos culto teſtantur, breuitatis cauſſa praeterimus: hic enim ſolus ſufficit, vt intelligamus, Conſtantinum aeque ac Gerbertum, ſe ab eo philoſophorum genere diſtinguere, qui ſine literis philoſophentur, quibus verbis ſine dubio ad miſeras Dialecticorum ſophiſticationes reſpexit, quas eiusmodi illiteratam philoſophiam coluiſſe, ſupra demonſtrauimus. Cum hoc Conſtantino alius Seculo XI clarus, Afer genere, et philoſophicis atque medicis ſcriptis atque verſionibus notus confundendus non eſt. Dicemus de eo infra ſuo loco. Alium, Conſtantinum, ſophiſtam monachum Luxouienſem circa finem huius ſeculi viuentem a triuii et quadriuii cognitione commendat GVDINI cuiusdam *Planctus* in eius obitum, quem edidit Io. MABILLONIVS [m].

§. XXXIX. Magnam quoque hoc ſeculo eruditionis famam et philoſophiae laudem obtinuit ABBO, Floriacenſis Abbas, cuius vitam ſcripſit AIMOINVS [n]. *Abbo.* Qui poſtquam origines primae literarum inſtitutionis eius narrauerat, addit porro [o]: *Cum eo vsque in literis profeciſſet, vt alios quoque iis imbuere poſſet, ſcholaſticis Floriacenſibus praefectum non ſine eorum commodo doctrinaeque augmento fuiſſe. Cum autem grammaticae, arithmeticae et dialecticae arcana iam accurate teneret, ad diſcenda reliquarum artium myſteria Pariſios et Remos ad eos, qui philoſophiam profitebantur profectum, Aſtronomiam, et apud Aurelienſes muſicam didiciſſe, hisque artibus liberalibus pleniſſime imbutum ſapientiae magnitudine omnes praeiuiſſe coaetaneos. In rhetorica vero et geometria quamuis hoſpes non eſſet, omnem tamen doctrinam*

l) Epiſt. 160.
m) Analect. T. III. p. 217.
n) Extat in Io. a BOSCO Bibliotheca Floriacenſi p. 299. et apud MABILLON. Sec. VI. Bened. P. I. p. 38. Videndus quoque de Abbone CAES. EG. BVLAEVS Hiſt. vniu. Pariſ. T. I. p. 543.
o) Cap. 1.

nam perfectiſſime non comprehendiſſe, legiſſe autem Victorinum, et in geometricis ſe non mediocriter exercuiſſe. Verba ipſa ſcriptoris ſupra ex parte adduximus, cum huius Scholae mentionem iniiceremus. Addit autem, vt, qualis philoſophus Abbo fuerit, noſcas: *Denique quosdam Dialecticorum nodos ſyllogiſmorum enucleatiſſime enodauit, computique varias et delectabiles ſecularium in morem tabularum texuit calculationes. De ſolis quoque ac lunae ſeu planetarum curſu a ſe editas diſputationes ſcripto poſterorum mandauit memoriae.* Ex quo loco haud obſcure intelligitur, philoſophiam, in Floriacenſi ſchola aut neglectam, aut languentem ab Abbone fuiſſe reſtitutam. Luſcum fuiſſe in his artibus Abbonem facile nobis perſuadet ſeculi, artiumque in ea exultarum conditio. Verum inter coecos tamen ille imperabat, ſic vt Lemouicenſis concilii patres eum appellent [p] *florentiſſimum philoſophum, et omni diuina et ſeculari auctoritate totius Franciae magiſtrum famoſiſſimum*, praeeunte Odolrico monaſterii S. Martialis abbate. Talis cum de eo eſſet omnium opinio, literis ſe egregie conſulturum credidit Oswaldus Odonius ex monacho Floriacenſi epiſcopus Wintonienſis atque inde Eboracenſis archiepiſcopus, ſi hunc, quem Floriaci vel praeceptorem habuiſſe, vel ſaltem propius nouiſſe videtur, in Angliam ad reſtituendas literas inuitaret, quam quoque vocationem, *ad inſtruendas eiusdem nationis hominum mentes diuina atque humana ſapientia, qua ipſe inſigniter pollere credebatur*, lubens ſuſcepit, iterque ingreſſus eſt, docente id eodem biographo, cuius verba quoque habes apud Io. LAVNOIVM [q]. Qui tamen cum Io. MABILLONIO [r] aut antiquitatis praeiudicio, aut gentis ſuae amori nimium tribuit, ſcribens: *Quod non ita pridem Alcuinus Gallis praeſtiterat, id Anglis Abbonem repenſauiſſe, atque par pari datum hoſtimentum eſſe.* Alcuinus enim in Gallia haerens, omnem ferme literarum honorem reſtituit. Abbo, teſte AIMOINO [s], *per duorum annorum ſpatium in coenobio Rameſenſi commoratus, aliquos monachorum ſcientia imbuit literarum*, quae inter ſe longe diſtant. Redux vero ex Anglia Abbo, Floriacenſis abbas conſtitutus eſt, et dum anno MIV, ad monaſterium Squirs, hodie Regula dictum, in Guaſconiam profectus, res coenobii illius, quod Floriaco vindicauerat, reſtituere cogitat [t], oborto inter ſuos comites & monachos iſtos tumultu interfectus eſt, lancea ventrem transforatus [u]. Vnde falſum eſſe intelligitur, quod TRITHEMIVS [x] narrat: *Eum diuino ſuccenſum amore verbum Dei in Vaſconia praedicantem martyrio coronatum eſſe, propriique ſanguinis effuſione teſtimonium praebuiſſe veritati.* Libros eum ſcripſiſſe dialecticos et aſtronomicos, ſupra ex Aimo-

p) Apud LAVNOIVM l. c. p. 88.
q) c. 26. p. 104.
r) Sec. VI. Bened. p. 31.
s) c. 5.
t) Diligentiſſimum fuiſſe Abbonem in vindicandis coenobii Floriacenſis iuribus et priuilegiis eius hiſtoria multis exemplis teſtatur. Conf. CLAVD. SAVSSEII Annal. Aurel. L. IV. c. 8.
u) Vid. Epiſt. Encyclica monach. Floriac. de caede Abbonis apud BALVZ. Miſcell. T. I. p. 441. hinc inter martyres referri ſolet.
x) Annal. Hirſaug. T. I. p. 112.

ex Aimoino obſeruauimus; illi autem interciderunt *y*: teſte quoque SIGEBERTO *z* ſuper calculum Victorii commentatus eſt, id eſt in *Canonem paſchalem* Victorii, quo cyclos annorum ab incarnatione domini ad ſua vſque tempora iuxta veram euangeliorum fidem reſtituit, quibus commentationibus, Sigebertus, ait, eum demonſtrauiſſe, quantum valuerit in vtraque ſcientia, ſacra puta et ſeculari. Quod ſi BALEO *a* fides, ſcripſit quoque *de motibus ſtellarum* librum vnum, *de planetarum curſu*, et *demonſtrationes aſtronomiae*, itemque *de computo*. Aſt haec omnia aut interciderunt, aut in bibliothecis paſſim latent.

§. XL. In Germania pereuntes literas pauliſper retraxit NOTKERVS, ſcholaſticus Sangallenſis, cognomento Balbulus, Sanctis etiam adſcriptus. Cuius vitam ſcripſit EKKEHARDVS decanus S. Galli, editam a GOLDASTO *b*, HENSCHENIO *c*, CANISIO *d*, MABILLONIO *e*, qui de eo pluribus videndi. Is eo tempore, teſte biographo, in monaſterio S. Galli diſciplinae monaſticae traditus eſt, quo ſeptem liberalium artium ſtudia et regularis vitae rigor et diſciplina florebant. Ibi itaque *magiſterio Iſonis, omnium*, vt ille ait, *artium eruditiſſimi traditus, et liberalis diſciplinae bonae indolis puer, appoſitus tanto ingenio quaeque docte didicit, vt facile agnoſceretur, non hoc humani ſtudii eſſe capacitatem, ſed diuini ſpiritus operationem.* Et poſt alia idem refert: *Eius mentem micis de magna menſa ſanctae Scripturae cadentibus ſaturatam ſub Iſone magiſtro hoc in tempore literatiſſimo artium liberalium ſubtilitates non pro gloria ſeu fauore ſeculi, ſed pro vtilitate ſanctae Dei Eccleſiae admodum ſatis edoctam fuiſſe.* Et in ſequentibus ſcribit, *habuiſſe eum quoque Marcellum quendam praeceptorem, a quo ſeptem liberalium artium ſcientia ad plenum imbutus ſit, eumque Marcellum in diuinis humanisque ſcripturis, linguaque Graeca et Latina fuiſſe eruditiſſimum.* His praeceptoribus ita formatus eſt, vt literas iterum in hoc monaſterio tradere, artesque liberales docere poſſet, quod non ſine diſcentium profectibus, quamuis lingua balbum eum fuiſſe, ſcriptores eius temporis referunt *f*. Ceterum ideo quoque in hiſtoria rituum Eccleſiaſticorum notabilis eſt, quod ſequentiarum auctor fuit, de quo tamen alibi dicendum. Hunc cum Notkero epiſcopo Leodienſi plerique confundunt *g*. Huius generis viros doctos plures nobis narrant medii aeui ſcriptores, ſtrictim hoc loco enarrandos. Inter hos RATBODVS fuit, ſucceſſor in epiſcopatu Traiectenſi Baldrici viri doctiſſimi, quem Bruno praeceptorem habuit. De quo TRITHEMIVS *h*: *Ratbodus XIV Epiſcopus Traiectenſis natione Teutonicus, vir*

Notkerus.

Ratbodus.

y) Vid. ſcriptores H. L. E. DVPINIVS, CAVEVS, OVDINVS ad an. 980. ſeqq. VOSSIVS de H. L. L. II. c. 41. p. 354.
z) c. 139.
a) Cent. II.
b) T. II. Rer. Alemann. p. 226. ſeqq.
c) Act. SS. 6. Apr. T. I. p. 579.
d) Antiqq. Lect. T. III. p. 552.
e) Act. Bened. T. V. Conf. Gundling. XXVI. 6.
f) Vid. SIGEBERT. c. 108. p. 106. HONOR. AVG. L. IV. c. 9. p. 91. Anonymus MELLIC. c. 68. p. 152. TRITHEMIVS c. 279. p. 74.
g) Ipſe TRITHEM. l. c. et Ann. Hirſ. T. I. p. 22.
h) De S. E. c. 293. p. 77.

vir in diuinis ſcripturis valde eruditus, et ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vita et conuerſatione ſanctiſſimus, multis et viuus et mortuus miraculis coruſcauit. Hunc in omnibus literis humanitatis Nanno philoſophus doctiſſimus inſtruxerat, qui aduocatus [i] *in palatio regis Caroli Groſſi* (i. e. Craſſi) *fuit, et poſtea monaſterium ingreſſus, tandem epiſcopus conſecratus Eccleſiam Traiectenſem in graui perſecutione Danorum decem et ſeptem annis ſtrenue gubernauit.* Non omittendus hic NANNO Staurienſis Friſo in hiſtoria philoſophica medii aeui eſt, teſtibus enim hiſtoriae literariae Belgicae ſcriptoribus SVFFRIDO PETRI, VALERIO ANDREA, et P. SWERTIO ſcripſit in *Platonem de legibus et republica*, atque in *Ariſtotelis libros de coelo et mundo*, et vniuerſam quoque eius ethicam illuſtrauit [k]. Quod ſi verum eſt, cognoſcitur ex eo, non prorſus exulaſſe veterum Graecorum philoſophorum ſcripta, inuentumque eſſe inter Germanos, qui rariſſimo ſui temporis exemplo, de naturali et morali philoſophia ſollicitus, Graecos philoſophos adierit. Porro in ea Schola, quam Otto M. Magdeburgi conſtituit, quamque curandam et doctoribus eruditis inſtruendam commendauit Adelberto, Epiſcopo literarum et ſapientiae ſtudioſiſſimo, hoc ſeculo poſt Othricum floruit Giddo quidam philoſophus, cuius inſtitutioni commendatum fuiſſe Brunonem, narrat DITMARVS [l]. Qualis tamen ea philoſophia fuerit, partim ex miſera conditione huius ſeculi, partim ex iis, quae ipſe Ditmarus refert, iudicari poteſt. Idem de Tangmaro, ſcholae Hildeſienſis primicerio, presbytero, notario et bibliothecario notandum, qui Bernwardum, poſtea epiſcopum, inſtituit, vitamque eius ſcripſit. Qui de ſe praeceptore et illo diſcipulo, haec inter alia tradit [m]: *Eum adoleſcentem iam audita alios docuiſſe, ſaepe totum diem ſecum inter equitatum ſtudendo attriuiſſe, nunc legendo, nunc carminibus ludendo, inde ad proſaicam palaeſtram redeundo, interdum ſimplici contextu rationem conferendo, ſaepe ſyllogiſticis cauillationibus deſudando. Ipſe quoque*, ita pergit, *me crebro, etſi verecunde, acute tamen ex intimo adyto philoſophiae prolatis quaeſtionibus ſollicitabat.* Deinde mechanicas eius artes exponit, et bibliothecam quoque eius tam diuinorum quam philoſophicorum codicum plenam commemorat. Nos cum ſupra huius Scholae Hildeſienſis meminiſſemus, ex CONRINGIO [n], obſeruationem adduximus: philoſophiam artesque liberales in ea ſchola non fuiſſe doctas et has quaeſtiones philoſophicas a Bernwardo Tangmaro praeceptori propoſitas non euincere, philoſophiam ibi perſonuiſſe. Et hoc quidem ſuo fundamento non deſtituitur. Aſt demonſtrat tamen hic locus, nec Tangmarum philoſophiae fuiſſe ignarum, nec diſcipulos

Nanno.

i) Id eſt inuitatus ad docendum in ſchola Palatina; male hinc quidam aduocatum exſculpunt.

k) Conf. FABRIC. Biblioth. Lat. med. T. V. p. 287.

l) L. VI. Chron. p. 398. T. I. Script. Rer. Brunſu. a LEIBNIZIO editorum.

m) In prologo vitae Bernwardi, in eadem collect.

n) Antiqq. Acad. ſuppl. XLIII. p. 332.

pulos excitatiori ingenio praeditos occasionem dimisisse, in iis philosophiae partibus proficiendi, quae tunc obtinebant, licet publica Hildesiae institutione eam haurire non potuissent. Qualis autem philosophia ea fuerit, ex supra dictis repetendum est; colligique ex mechanicis, quas Bernwardus callebat, artibus potest, has quaestiones potissimum ad mathematicas disciplinas, quae tum superiores philosophiae partes siue quadriuium absoluebant, pertinuisse. Ipse porro BRVNO, Ottonis M. frater, dux Lotharingiae, qui Colonienſem postea Ecclesiam magna cum laude rexit, vna cum BALDRICO praeceptore huc aduocandus est. *Bruno Coloniensis et Baldricus.*

De eo ita ROTGERVS in *vita eius* [o]: „Eo tempore generosa regum „proles annos circiter quatuor habens, liberalibus literarum studiis im„buenda Baldrico episcopo, qui adhuc supereſt, Traiectum missa est. „Vbi cum ipse disciplinabiliter, vtpote bonae indolis puer, ingenio saga„ci proficeret, inuisa Nortmannorum barbaries quasi per huiusmodi ob„sidem nonnihil refriguit, et ecclesiae demum ceteraque aedificia restau„rata sunt. - - Deinde vbi prima grammaticae artis rudimenta percepit, „sicut ab ipso in Dei omnipotentis gloriam hoc saepius ruminante didi„cimus, Prudentium poëtam tradente magistro legere coepit, qui summa „fide intentioneque catholicus, et eloquentia veritateque praecipuus et „metrorum librorumque varietate eloquentissimus, tanta mox dulcedine „palato cordis eius complacuit, vt iam non tantum exteriorum ver„borum scientiam, verum intimi medullam sensus, et nectar, vt ita „dicam, liquidissimum, maiori, quam possit dici, auiditate hauriret. „Postea nullum fuit studiorum liberalium genus, in omni Graeca et „Latina eloquentia, quod ingenii sui viuacitatem aufugeret.„ Ex quo loco discimus, non defuisse ingenia, quae hac aetate meliora sibi veteris disciplinae exempla imitanda proponerent, artesque liberales, iis auctoribus addiscerent; quamuis tantum, quantum debebat, eos profeciſſe, temporum calamitas et ingeniorum paupertas dubitare nos iubent. Sed vt ad Brunonem reuertamur, *libros is, quos lectitabat, a quoquam minus diligenter tractari aegre ferebat, et quocunque proficiscereturr, bibliothecam suam secum ducebat. Post parentis Henrici mortem, ab Ottone fratre iam rege in palatium reuocatus, et optimis, quoscunque congregare licebat, magistris instituendus traditus est.* Inter eos fuere ISRAEL episcopus Scotigena, sub cuius magisterio plurimum profecit, et teste FOLCVINO [p], *velut pretiosissimus lapis multis philosophorum argumentis politus est* [q]. Tum RATGERIVS, qui cum e Veronensi episcopatu esset deiectus, in aula Brunonis clementer habitus est. Hunc idem FOLCVINVS [r] scribit: *Inter palatinos philosophos primum habitum fuisse, nec destitisse, donec regiam illam et mirificam Brunonis* *Israël Scotus.* *Ratgerius.*

o) C. 4. apud SVRIVM ad 11. Oct.

p) Chronic. de gestis abbatum Laubiensis coenobii, quod est apud DACHERIVM Spicil. T. II. p. 730. seqq.

q) cap. 22.

r) l. c. De Radgerio vid. SIGEB. c. 127. p. 107. TRITHEM. c. 297. p. 78. MABILLON. Sec. V. Bened. p. 484.

indolem in omnibus disciplinis perspicacissimam redderet et perfectam. Nec his solis praeceptoribus contentus fuit Bruno, sed teste ROTGERO in *eius vita, quicquid philosophicum, vndecunque contraxit; Graecos etiam magistros habuit, et saepe cum Graecorum et Latinorum doctissimis de philosophiae sublimitate disputauit.* Qui et haec porro de eo testatur: *Comoedos et tragoedos lectitasse, virtutibus emicuisse, ab Ottone imperatore Occidentis tutorem constitutum esse hoc elogio: Nec abesse ei ipsam ingenuarum artium matrem et vere virtutem philosophiae, quae ipsum ad modestiam magnitudinemque animi erudiuerit.* Ex quibus recte infertur, Brunonem et institutionis et naturae beneficio philosophiam non verbo modo, sed re quoque, expressisse. Talis cum esset, mirum non est, aluisse eum discipulos, qui ad summas Ecclesiae dignitates promoti non indignos se iis exhibuerunt.

Gerbertus postea Sylvester II. P. R.

§. XLI. Neminem tamen hoc seculo philosophi nomen aequiori iure meruisse, et supra aetatis suae captum philosophatum esse, quam GERBERTVM, literaria huius seculi historia declarat. Is natione Gallus, Aurelianensis fuit, vnde errant, qui ex gente Caesia Itala oriundum fuisse perhibent [s]. Infimo genere natum, scriptores eius temporis, *Chronicon Aurelianensis abbatiae* [t], et Ademarus [u] vocant, vnde merito BZOVIVM [x] ridet P. BAYLE [y], Gerberti genus a Temeno Argus rege vetustissimo deriuantem. Is prima disciplinarum elementa in schola Floriacensi hausit ab Odonis discipulis, tum in literas Aureliaci, magistro Raymundo quodam incubuit, tandemque in Hispaniam abiit, vbi eruditio florebat comtior [z]. Quod superbiae cuiusdam stimulo feciisse scribit TRITHEMIVS [a] his verbis: *Hic in Gallia natus a puero monachus apud Floriacum adoleuit: demum adolescens factus instigante superbiae spiritu monasterium abiecto habitu deseruit, et in Hispaniam fugit. Inde profectus ad vrbem Hispalim, quam Sebiliam vulgariter vocant, studio literarum operam dedit, et paruo tempore in scientia scripturarum doctissimus euasit.* Sed dedisse in eo aliquid vel suspicioni, vel falsis, quibus vehementer premebatur Gerbertus, rumoribus Trithemius videtur; ADEMARO enim teste [b], cum domi non haberet, vnde studia aleret, in Hispaniam profectus est, et in literas Cordubae incubuit. Id quod eo verisimilius dicitur, quo rariores tum in Gallia erant, qui philosophiae mysteriis et matheseos praeceptis paulo sublimioribus, quibus se totum Gerbertus dederat, erant innutriti aliosque docere poterant. Quamuis fieri quoque potuit, vt, vrgente melioris literaturae et praestantioris philosophiae stimulo, cum loci mutandi veniam ab abbate Floriacensi non impetrasset, inuitus abierit, clamque aufu-

s) Vid. PETR. FRIZON in Gallia purpur. FR. PAGI Breu. pontif. T. II. p. 278.
t) Apud MABILLON. Anal. T. II. ibi Gerlenrius vocatur.
u) Apud PAGI l. c. T. II. p. 277.
x) In vita Sylu. II.
y) Dict. T. I. art. BZOVIVS not. H. p. 719.
z) MABILLON. PAGI ll. cc. et quos citant.
a) Annal. Hirsaug. T. I. p. 135.
b) loc. cit.

aufugerit, qua de re tamen, cum antiquiores Trithemio teſtes deſiderentur, nihil definimus. Ex Hiſpania in Galliam redux, ſummaque eruditione ornatus, et imprimis philoſophiae atque mathematicarum ſcientiarum laude inclytus, omnes facile anteuertit. Qua fama inuitati plurimi, cum publicas philoſophantium ſcholas teneret, ad eum conuolarunt eiusque ſe inſtitutioni crediderunt. Cumque non eruditione tantum eſſet celeberrimus, ſed prudentia quoque mirabilis, praeter multos alios nobiles et inſignes diſcipulos ab Hugone Capeto filii Roberti ſtudiis praefectus eſt, quo viam ingreſſus eſt ad ſummos in Gallicana Eccleſia honores: diſcipulo enim purpurato obſtetricante Remorum archiepiſcopus conſtitutus eſt, poſtquam Aurelianenſi et Bobienſi abbatia eſſet functus. Deiectus tamen ab ea ſede a Ioanne XX, quod Arnulphus prater rem officio motus videretur, in aula Ottonis III aſylum inuenit exoptatiſſimum. Tanta enim erga eum imperator Otto II fiducia vſus fuerat, vt filium ei inſtituendum committeret: ad hunc itaque cum confugiſſet, eo pararío Rauennatenſem inſulam nactus, et tanto patrono non quieſcente, tandem poſt Gregorii V mortem ad ſupremum Romani pontificis faſtigium elatus eſt [c], dictus Syluester II. De quibus miris ſatis eius, deque ſummo, quo in pontificum Romanorum inſolentiam exarſit, zelo, et quae aliae eum illuſtrem fecere, circumſtantiis, cum in huius ſeculi hiſtoria eccleſiaſtica plerique egerint, nec eius hiſtoriam omiſerint, qui Romanorum pontificum annales condiderunt, nos hoc loco nihil dictis addimus, de eius eruditione philoſophica tantummodo ſolliciti. Ea vero tanta fuit, praeſertim in tam obſcuro et omnis doctrinae vacuo ſeculo, vt non errauerit, qui dixerit, eum omnes ſui temporis homines doctrinae elegantia et profunditate longe ſuperaſſe, quamuis, ſi, vel cum veterum eruditione vel cum noſtrorum temporum luminibus comparetur, intra mediocritatem ſubſtitiſſe dicendus ſit. Verum in eo ſeculo in tantum profeciſſe plane miraculo eſt, laudandusque eſt merito, quod vnus pereuntium literarum atque philoſophiae honorem reuocauerit, et conſeruauerit. Probe id agnouerunt ea ipſa, quibus mille fabulis et calumniis infamatus eſt tempora, quorum ſcriptores multi in eius eruditione laudanda ſunt. Nos ne, cum Lectoris taedio coaceruentur eorum teſtimonia, ad TRITHEMIVM [d] prouocamus, illius aetatis teſtimoniis nixum. Ita enim ille luculenter: *Nam, vt Vincentius ait, ſua eruditione vicit in aſtrolabio Ptolemaeum, in aſtrorum ſcientia ſuperauit Alexandrum, et in fato longe praeceſſit Firminium philoſophum.* Recentiorum teſtimonia tacemus, qui

c) Aditum ſibi apud Ottonem Gerbertus parauit inſcriptione libri philoſophici, de rationali et ratione vti, in cuius praefatione locum Porphyrii illuſtrat. Edidit eum librum Cl. BERN. PEZIVS T. I. Anecdotorum P. II. p. 149. De eo ita FR. BENZONIVS ſo Hiſt. L. I. c. 15. apud illuſtr. Io. PETR. DE LVDEWIG. Reliq. monum. T. IX. p. 249. et in Script. Rer. Germ. a MENCKENIO editis T. I. p. 980.

Logica cum voluis, quid tu, Gerberte reſolvis?
Hinc orbi toto te praefert tertius Otto.

„Accepta ſolutione de ratione vti et rationali Gerberto reſolutori poſt Rauennam placuit Romam „dare. donum videlicet imperiale.“

d) Annal. Hirſ. T. I. p. 135. 142.

qui vnanimi conſenſu, magni oratoris, poëtae, philoſophi et mathematici laudem ei tribuunt, vt ex eorum narrationibus videri poteſt, qui literariam ſcriptorum eccleſiaſticorum hiſtoriam expoſuerunt. Quamuis autem Gerbertus in quouis pene literarum genere haud perfunctorie fuerit verſatus, maximam tamen famam ex matheſeos peritia conſecutus eſt, et imprimis machinarum hydraulicarum artificiis admirationem et ſtuporem ſuae aetatis hominum meruit; quae eius opera hydraulica paſſim ſcriptores commemorant. Continuator enim BEDAE[e] apud Remenſem eccleſiam doctrinae ipſius documenta extare ait, *horologium arte mechanica compoſitum, organa hydraulica, vbi mirum in modum per aquae violentiam ventus emergens implet concauitatem barbiti, et per multiforabiles tractus aereae fiſtulae modulatos clamores emittunt.* Quibus addimus DITHMARI MERSEBVRGENSIS[f] verba, ita de Gerberto ſcribentis: *Erat is natus de occiduis regionibus, a puero liberali arte* (alii naturalibus artibus legunt) *nutritus, et ad vltimum Rhemenſem vrbem ad regendum iuſte promotus. Optime callebat aſtrorum curſus diſcernere, et contemporales ſuos variae artis notitia ſuperare. Hic tandem a finibus ſuis expulſus Ottonem petiit imperatorem, et cum eo diu conuerſatus in Magdeburg, horologium fecit, illud recte conſtituens, conſiderata per fiſtulam quadam ſtella, nautarum duce.* Ex quo loco memorabili ſimul liquet, modum aſtrorum curſus obſeruandi per tubos, hac aetate Gerbertum non latuiſſe. Quem aeuo medio iam in vſu fuiſſe, diligentiſſimus MABILLONIVS ex imagine Ptolomaei inſtrumento longiori, quaſi tubo ſidera contemplantis picta a Conrado monacho Schirenſi pulchre quoque obſeruauit[g]. Talis tantusque cum eſſet, plurimos, vti dictum, nactus eſt diſcipulos, quos melius, quam ea aetate fieri mos erat, formare conniſus, ad artium et ſcientiarum ſacraria adducere, et ſummis earum myſteriis initiare contendit. Inter hos purpura fulgentes fuiſſe Ottonem tertium et Robertum Hugonis Capeti filium ſupra iam obſeruauimus. Et illum quidem literis egregie tinctum fuiſſe, ſupra quoque dictum, hic vero ex tanti praeceptoris diſciplina non deterior euaſit. Teſte enim TRITHEMIO[h], *in literis humanitatis, praeſertim in muſica, doctiſſimus fuit, tantoque flagrauit eruditionis amore, vt nunquam a manibus liber recederet, et pro tribunali ſedens, inter iuditiorum et cauſſarum ſtrepitus in ſinu apertum haberet pſalterium.* Quo et teſtimonium *Hiſtoriae Francicae a Ludouico Pio ad Robertum regem* pertinet, in cuius fragmento a IO. LAVNOIO[i] producto Robertus *vir* dicitur *manſuetus, et non mediocriter literatus ac religioſus, qui habuit praeceptorem Gerbertum ſapientem, i. e. philoſophum.* Fuiſſe quoque Conſtantinum inter Gerberti diſcipulos ex antecedentibus notum; Fulbertum autem aliosque ex hac diſciplina prodiiſſe, infra

e) L. II. c. 13.
f) In Chronic. L. VI. in fine p. 399. extat etiam T. I. Script. Rer. Brunſuic. p. 323. ſeqq.
g) In itinere Germanico p. 35. ed. Fabric.
h) De S. E. c. 304. p. 79.
i) loc. cit. p. 79.

infra dicemus. Quemadmodum vero in instituendis summae capacitatis ingeniis doctrinae acumen demonstrauit Gerbertus, ita eruditionem quoque comprobauit scriptis doctissimis, ex quibus discimus, meliori quam reliquos huius seculi omnes, iure eum philosophi nomen tueri. Ea cum enarrauerint praeter reliquos historiae literariae S. E. auctores, OVDINVS [k], et FABRICIVS [l], Lectorem ad illos ablegamus. Maxime vero in *Epistolis*, quas numero CLXI hodie habemus [m], multa ad philosophiam spectantia pulchre explicuit. Hac vero philosophicae eruditionis praestantia meruit philosophus κατ' ἐξοχήν appellari. Ipse enim imperator Otto in literis ad eum hoc eum titulo compellauit: *Gerberto philosopho peritissimo atque tribus philosophiae partibus laureato.* Quo nomine eum, cum iam pontificio diademate fulgeret, gauisum fuisse, ex inscriptione *sermonis de informatione episcoporum*, quem cum libro *de Sphaera* edidit Io. MABILLONIVS [n], colligi potest, quae haec est: *Sermo Gerberti philosophi, papae vrbis Romae, qui cognominatus est Syluester, de informatione episcoporum.* In tanto autem et honorum fastigio et eruditionis famaeque splendore, quo obscurissimi seculi tenebras illustrabat, non defuisse illi aduersarios nemo non intelligit, praecipue cum in perstringendis indoctorum hominum ecclesiasticorum vitiis esset acerrimus, eaque efficeret artis mechanicae opera, quae attonita contemplabatur stupebatque aetas infelicissima. Iunctis itaque inuidia atque ignorantia manibus cum euertere ob summos, quibus Gerbertus fruebatur Moecenates, eius felicitatem non possent, famam arrodere conati sunt, et philosophum de ingrato seculo meritissimum magiae criminis accusarunt. Cuius fabulae scenam instruxit seculo XI, Benno Cardinalis, ornarunt Sigebertus Gemblacensis, Martinus Polonus, Bartholomaeus Platina, et qui nuper demum editus est LEO VRBEVITANVS [o]. Cuius verbis, ita Lector accipe calumniam: „Hic primum iuuenis „Floriacensis coenobii in Aurelianensi dioecesi monachus fuit, sed „dimisso monasterio homagium diabolo fecit, vt sibi omnia ad votum „succederent, quod diabolus promisit implere. Ipse obsequii diaboli in„sistens frequenter super desideriis suis cum eo loquebatur. Veniens „autem Hispalim Hispaniae, caussa discendi, in tantum profecit, quod „sua doctrina etiam maximis placuit, habuit enim discipulos Othonem „imperatorem et Robertum Franciae regem, et Leoteringum, qui post „fuit episcopus Senonensis. Sed idem Gilbertus quia plurimum honores „ambiebat, diabolus, ea quae petebat, ad votum impleuit. Fuit enim „post Remensis archiepiscopus, post Rauennensis vel Rauennas, tandem „papa:

k) De S. E. T. II. p. 512.

l) Bibl. Lat. med. T. III. p. 127.

m) Edidit Io. BAPT. MASSONVS Paris 1611. 4. et ANDR. DV CHESNE Script. Franc. T. II. p. 289. qui LV alias quoque ex codice Sirmondiano adiecit.

n) Annal. T. II. p. 212.

o) In Deliciis eruditorum a praestantissimo LAMIO, plaudentibus Musis editis T. II. p. 163. sq.

„papa: et tunc quaesiuit a diabolo, quantum viueret in papatu; responsum „habuit, quamdiu non celebraret in Ierusalem. Gauisus fuit valde, spe„rans se longe viuere, et longe esse a fine, sicut longe fuit a voluntate „peregrinationis in Ierusalem vltra mare. Et quum in Quadragesima in „ecclesia, quae dicitur in Ierusalem, celebraret, ex strepitu daemonum „praesensit, sibi mortem imminere, et subspirans ingemuit. Licet au„tem sceleratissimus esset, de misericordia Dei non desperans, coram „omnibus reuelando peccatum suum, membra omnia, quibus diabolo „obsequium praestiterat, iussit praecidi, et demum truncum mortuum „super bigam poni, vt vbicunque animalia perducerent, et subsisterent, „ibi sepelirent; sepultusque est in Lateranensi ecclesia, et in signum mi„sericordiae consequutae sepulchrum ipsius, tam ex tumultu ossium, „quam ex sudore praesagium est morituri papae, sicut in eodem sepul„chro est in literis exaratum. " Haec pudenda illa fabula est, qua tanti viri memoriam inuidia et ignorantia conspurcauerunt, quaeque merito digna visa est viris doctissimis, post Guilielmum Malmesburiensem, quae ex sacrae historiae eiiciatur annalibus p. Eo magis autem eliminanda est ex philosophica historia, quo magis philosophiae, cuius honorem vnus hoc seculo defendit seruauitque Gerbertus, summo est dedecori et ignominiae. Neque difficile est anilem fabulam argumentis inuictis explodere. Vt enim taceamus, quae de huiusmodi pactorum impossibilitate morali et physica a viris summis disputata sunt, ex quo superstitionis imperium desiit; ipsorum scriptorum coaeuorum silentium, laudesque, quibus Gerbertum ornant, recte opponuntur. Dudumque obseruatum viris doctis est, fabulae parentem fuisse Bennonem cardinalem, eo fine ab eo excogitatae, vt Gregorio VII, quem aduersarium expertus erat Henricus IV, aegre faceret. Huius enim partes secutus est, eiusque vitam scripsit Benno. Non caret tamen verisimilitudine, primum calumniae fontem ex ignorantiae et inuidiae conspiratione fuisse ortum. Cum enim ex obscura origine ad summorum principum gratiam, et ad maximas Ecclesiae dignitates, Gerbertus progressus esset, isque ignorantiam, moresque perditos cleri acri censura notasset, non potuit non ei infensum esse, quicquid literas et virtutem oderat. Vt igitur vlciscendi occasionem captaret liuor, ipsa Gerberti eruditio materiam subministrare debuit. Quae cum in astronomia, astrologia, reliquisque artibus mathematicis ea praestaret, quae nemo intelligebat, et is imprimis machinis mechanicis plerosque in stuporem conuerteret, et, quod non sine verisimilitudine coniicimus, ambitiosius artem singularem iactaret, facile fuit magiae eum insimulare, et suspectum eum commercii alicuius impuri cum maligno spiritu reddere. Quod auide arripiens Benno, fabulam comsit, et ita instruxit, vt aduersario molesta esset. Certe plerisque philosophis summis idem accidisse, vt conspirante liuore et ignorantia magiae suspecti haberentur, historia philosophica

p) BARONIVS Ann. T. X. ad an. 1003. l. c. T. II. p. 281. Cl. DITHMAR. de vita Gre. NAVDAEVS Apolog. magiae accus. c. 19. PAGI gor. VII. p. 68. seqq. alii.

losophica exemplis testatur plurimis, et erudite demonstrauit GABRIEL NAVDAEVS [q].

§. XLII. Laudantur plures hoc seculo viri docti a scriptoribus medii aeui, quod artium et philosophiae studia excoluerint. WOLFGANGVM episcopum Ratisbonensem a Stephano Italo triuium et quadriuium doctum esse, ita vt condiscipulis Martianum Capellam interpretaretur, testatur biographus eius [r]. Qui et hoc addit [s]: *Wolfgangum Treuirensi scholae praepositum et literarum et morum studia vrsisse, iuuenes etiam, quos ad erudiendum suscepisset, non solum liberalibus exercuisse doctrinis, verum etiam moralibus informasse disciplinis.* In sequentibus [t] autem narrat, qua ratione disputatione logica, de quadriformi modo accidentis differens haeretico cuidam os obturauerit. Pertinent huc quoque Wido episcopus Autissiodorensis, Ditmarus abbas Hirsaugiensis, et Heraclius episcopus Leodicensis; quem Coloniae eruditum summis parem philosophis fuisse, scholasque restituisse, in quibus ipse docens auditores vel e Calabria aduocauerit, tradit AEGIDIVS *de gestis episcoporum Leodicensium* [u]. Porro ODONEM quoque CLVNIACENSEM apud Martinum Turonis grammaticae artis et liberalium disciplinarum elementa hausisse, sed a Virgilio a legendo absterritum, tandem Parisios abiisse, ibique a Remigio dialecticam musicamque didicisse, supra iam ex parte, ex vita eius notauimus. Ei praeter *Compendium moralium Gregorii* tres quoque libros *Occupationum siue collationum* debemus, quibus vitia hominum sui temporis [x] emendat: quemadmodum ex eius quoque disciplina multos viros doctos prodiisse eius vitae scriptores [y] referunt. Laudantur etiam Antonius, *magnae deditus philosophiae et Maioli abbatis Cluniacensis praeceptor apud vrbem Lugdunensem philosophiae nutricem et matrem* ab ODILONE in *vita Maioli* [z]: itemque Theodoricus Metensis episcopus, Brunonis Colonicnsis discipulus et Sobrinus, eiusque successor Ecbertus; Sigismundus Halberstadiensis antistes, quem in humanis diuinisque disciplinis omnes suimet contemporales praecelluisse scribit DITHMARVS [a]; Adso, Deruensis abbas, Otthricus Scholae Magdeburgicae Magister et denique episcopus; Tiathelmus, Bremensis Scholasticus, et his similes, quos ex vitis SS. a BOLLANDO et sociis, et a MABILLONIO collectis, ex TRITHEMIO aliisque, quos in partes hactenus vocauimus, facile colligere licet. Hi quamuis numerus fuerint, parum tamen luminis ad dispellendas huius seculi tenebras contulerunt, et ex adductis colligi facile potest, quales philosophi fuerint. Eorum enim biographias legentibus palam est, superstitionem plerosque occupauisse, eosque artium liberalium circulum

Alii viri docti huius seculi philosophiae non ignari.

Odo Cluniacensis.

q) Apol. mag. accus. loc. cit.
r) Cap. 5. apud MABILLON. Sec. V. Bened. p. 826.
s) Cap. 7. t) Cap. 28.
u) Cap. 27. addit.
x) Maxime monachorum. Anonym. MELLIC, c. 75.
y) Nominat eos FABRIC. T. V. p. 458.
z) In Act. SS 2. Mai T. I. p. 684.
a) Chron. L. III.

culum non vltra vſum, quem in Eccleſia habebat, extendiſſe, data autem opera id egiſſe, vt ſuperſtitionem augerent, quo non potuit non omnis philoſophiae ſenſus iudiciumque rationis extingui. Cuius non manifeſtius ſignum eſt, quam vitae SS. in quibus deſcribendis occupati fuerunt, quotquot fere hoc ſeculi eruditione praeſtare caeteris cupiebant. Id quod mirum non eſt, cum ita rationibus, quas fouebat cleri perditiſſimi ignorantia, conſuleretur, nec, qui paulo honeſtiora ſpirabant, contra torrentem niti auderent. Dum itaque certatim ad externam quandam pietatis ſpeciem cuncta reuocantur, dum ceremoniae multiplicantur, dum in his occupantur epiſcopi, ſcholaſtici, monachi, philoſophia perditur. Quae cum abſurdo ſatis conſilio cantum computumque eccleſiaſticum intra parietes ſuos recipere fuiſſet coacta, ipſa, remanente quidem nomine, deperdita apud plerosque eſt. Cauendum itaque, ne ſi hoc ſeculo philoſophi nobis commendentur exigui, noſtro hos ſenſu tales fuiſſe cogitemus.

Status literarum et philoſophiae ſec. XI.

§. XLIII. Seculo XI laetiora philoſophia fata haud habuit, eius enim circumſtantiae tales fuerunt, vt iam a Ditmaro ob increſcentem quotidie infelicitatem ferreum dici meruerit, calamitatesque publicae et priuatae ita augerentur, vt de fine mundi plerique cogitarent [b]. Praecipue vero irruptiones gentium barbararum, quae ferro, igneque omnia vaſtauerunt, atque ſanguine, cineribusque miſcuerunt, multum attulerunt, vt eruditio tantis oneribus ſuccumbens caput extollere minime poſſet. Et, vt turbarum atque tumultuum mole cumularetur, quantum fieri poſſet, orbis, in ipſa imperatorum Romanorum iura inuolarunt, quorum erat eorum auctoritatem exemplo ſuo atque cohortationibus munire, ex quibus inſidiis ſummis imperantium iuribus factis, quantae calamitates exortae ſint in Germania et Gallia, teſtis eſt ſeculi huius hiſtoria. Immo ne malorum finis eſſet, expeditiones cruciatas excogitauit pontificum Romanorum calliditas, ſuſcepit leuis et ſine ratione collum ſubmittens iugo ſuperſtitio: quibus cum hominibus, pecunia, omnibusque rerum gerendarum neruis regna exhaurirentur, omnis ſimul ingeniorum vigor pene exſpirauit. Cum enim literae apud ſolos eccleſiaſticos homines detinerentur, illi autem ignorantia et ſuperſtitione, quam eruditione et rationis vſu, laicos cumulare mallent, ne ab iis illo modo turbarentur, eorum vero ad ſe redundarent diuitiae; principes autem, qui hactenus labantium diſciplinarum ruinam aliquantiſper auerterant, exitioſis vndique bellis vel premerentur, vel dolo malo implicarentur; nemo ſane fuit, qui occidenti eruditioni ſuppetias ferre poſſet. Immo cum ipſum literis vacandi et philoſophandi tempus et otium tum reliqua bella, tum expeditiones cruciatae ſubtraherent illis, qui eruditionis honorem pauliſper ſuſtentare poterant, mirum non eſt, magnam hoc quoque in ſeculo eruditionis vaſtitatem reperiri; et praecipue non fuiſſe, qui philoſophando magnopere rationem excolere vellet, ſi quosdam excipias qui in monaſte-

b) Conf. AVENTINVS L. V. p. 591. BARONIVS ad a. 1001. n. 1.

naſteriorum clauſtris otium ita fallebant, quod ad finem properante ſeculo demum factum eſt, quo ex coenobiis emergere coeperunt ingenia dialectica. Neque errabimus a vero, profeſſi, expeditionum illarum cruciatarum, ceterorumque bellicorum tumultuum ſi non vnicam, quandam tamen nec leuem cauſſam fuiſſe, literarum ignorantiam et barbariem et praecipue philoſophiae neglectum. Si enim ſummi principes, quique moderandis dirigendisque eorum conſiliis praeerant, cum reliquo nobilium agmine, ingenium artibus liberalibus excoluiſſent, ſi philoſophiae beneficio praeiudiciorum vim et praecipue inſanam ſedis Romanae venerationem indeque ortum coecum obſequium expugnauiſſent, ſi ratiocinandi arte adiuti peſſima in his ſuadendis conſilia detexiſſent, ſi ſobrio rationis et philoſophiae vſu ſuperſtitionis imperium infregiſſent, eique collum ſuccidiſſent, talia tamque damnoſa nunquam ſibi paſſi fuiſſent perſuaderi. Ita vero dum philoſophia exulabat, vbique triumphabat ſuperſtitio, infantia, credulitas, et nefandum in his rebus ſuſcipiendis, quod plerique praeſtabant, obſequium ſtulta ſibi perſuaſione fingebat, ita peccatorum atrociſſimorum poenas poſſe auerti. Quae opinio vbi inualuit, actum quoque fuit de philoſophia, cui ſuperſtitioſa credulitas fores vbique obſerauerat. Quamuis autem eſſent nonnulla ingenia acutiora, animique cordatiores, qui hanc impoſturam perſpexerant, in tam graui tamen malo tamque ancipiti muſſitari vix auſi ſibi potius philoſophari, quam communis calamitatis torrenti fruſtraneo euentu obniti maluerunt. Id quod iterum magno philoſophiae damno accidit. Dum enim illa aut plane omittitur, aut in angulos et receſſus monaſteriorum muſeorumque detruditur, in aliis occupantur, qui Muſarum caſtra ſecuti non inutilem illi praeſtare operam potuiſſent. Teſtes damus hiſtoricos huius temporis complures, Ademarum, Adelboldum, Aimoinum, Adamum Bremenſem, Glabrum Radulphum, Lambertum Schafnaburgenſem, Marianum Scotum, Amatum Hermannum Contractum, huiusque generis alios, qui licet aetatis ſuae ſordes in Chronicis ſuis prodant, oſtenderunt tamen, neque ingenium ipſis defuiſſe, neque iudicandi vires ad philoſophandum, ſi tutiora eius rei habuiſſent praeſidia. Qui vero ex laicis bellis armisque non occupabantur, de philoſophia artibusque liberalibus eo minus erant ſolliciti, quo minus perſuadere ſibi poterant, philoſophiae ſtudium ſibi vllo modo prodeſſe: eo quod ad eripiendos laicis oculos clerus illis perſuaſiſſet, philoſophiam ancillari modo theologiae, et ad eius vſus tantummodo pertinere. Nec aliud videbat genus hominum illiteratum, quam dialecticis armis, quae ſola inter philoſophicas ſcientias hoc ſeculo triumphabant, non ſegnius diſputari, quam ciuilibus contra Saracenos pugnabant Chriſtiani exercitus. Has vero controuerſias neque magnopere curabant neque intelligebant homines ciuili vita occupati, et clero lubenter, quicquid huius philoſophiae erat, relinquebant, quem laudare, quam imitari, malebant. Nec quadriuii

amoenitates multos pelliciebant, quae supra hominum laicorum conditionem esse videbantur; praecipue cum ad computum cantumque Ecclesiasticum pleraque a clero reuocarentur, quorum cura laicos homines non tangebat. Ita triuialium scholarum principiis, maxime grammaticis contenti, nihil philosophiae appetebant. Eadem vero triuii et quadriuii ratio cum apud clerum obtineret, facile inde intelligitur, philosophiae studium omnes ita neruos amisisse. Plerique enim, qui quadriuium, siue sublimiorem, quod putabant, philosophiam attingere audebant, in musica detineri se patiebantur. Cuius hoc seculo tanta fuit auctoritas et existimatio, vt nemo scholastici siue professoris philosophiae et theologiae munus suscipere posset, qui in ea non esset exercitatissimus, qui autem ea in arte pollerent, inter consummatae eruditionis philosophos numerarentur. Quo factum, vt et illi, qui paulo acutius videbant, hanc simul artem philosophiae nomine excolerent, vt Gerberti, Constantini aliorumque circa finem Sec. X, et initia Sec. XI viuentium philosophorum exemplo constat, et ipsi reges hanc artem ecclesiasticam magis, quam philosophicam excolerent. Id quod de Roberto Galliae rege, Gerberti discipulo, narrat TRITHEMIVS [c]: *Fuisse in musica doctissimum, tantaeque religionis, vt horas canonicas in Ecclesia decantaret cum clericis, et aliquando Romae summo pontifice missam celebrante, responsorium: Cornelius Centurio, S. Petro in altari offertorii tempore cum magna deuotione offerret. Quod cum accurrentes altaris ministri, arbitrati magni ponderis aurum obtulisse diuitem regem, schedulam esse reperissent, scriptam et notatam, cum admiratione ingenii et deuotionis ad pontificem detulerunt, qui in honorem S. regis, rogantibus clericis, mandauit, vt hoc responsorium in honorem S. Petri deinceps cantaretur.* Tales cum reges essent, mirum non est, minoris axiomatis homines totos se huic studio deuouisse. Quod si mathematica et philosophica ratione eam artem excoluissent, ferri id posset: at pauciissimi id scientiae attingebant, suntque oppido pauci, quos ideo TRITHEMIVS [d] laudat, Benno abbas Augiae diuitis, qui librum *de musica seu tonis* aliumque *de mensura monochordi* scripsit: itemque Osbertus, Guido, Hermannus Contractus, Helpericus, paucique alii. Inter quos GVIDO ARETINVS, Monachus Benedictinus, ac deinde abbas S. Crucis Auellanae prope Aretium, celeberrimum sibi nomen fecit, quod vetus systema musicum noua scala, vt, re, mi, fa, so, la expressit, sicque musicae vsum simplicioribus pro temporis illius captu reddidit facilem. Qua de re ita SIGEBERTVS GEMBLACENSIS [e]: *Guido Aretinus monachus post omnes pene musicos in Ecclesia claruit, in hoc prioribus praeferendus, quod ignotos cantus etiam pueri et puellae facilius discant vel doceantur per eius regulam, quam*

Musica hoc seculo excolita.

Guido Aretinus.

c) De S. E. c. 304. p. 80.
d) Cap. 311. p. 81. c. 313. p. 282. c. 321. p. 83. c. 325. p. 84. conf. Catalogus eorum, qui medio aeuo de musica scripserunt apud FABRIC. T. I. p. 644.
e) De S. E. c. 144. et in Chronico ad an. 1028.

quam per vocem magiſtri, aut per vſum alicuius inſtrumenti, dummodo ſex literis vel ſyllabis modulatim appoſitis voces, quas ſolas regulariter muſica recipit: hisque vocibus per flexuras digitorum laeuae manus diſtinctis per integrum diapaſon ſe oculis et auribus ingerunt intentae et remiſſae eleuationes vel depoſitiones earundem vocum. Depromſiſſe has ſyllabas Guidonem e noto *hymno* Pauli Diaconi *in S. Ioannem Baptiſtam:*

VT queant laxis *RE ſonare fibris*
MI ra geſtorum *FA muli tuorum*
SO lue pollutis *LA biis reatum*
Sancte Ioannes, [f]

peruulgatum eſt. Nouam hanc inuentionem is vulgauit in *Micrologo*, ſiue libris duobus *de Muſica* [g]. Neque tamen ſic quoque Guido, quamuis muſicae philoſophicae ignarus haud eſſet, quicquam noui attulit vel praeter veterum auctoritatem immutauit, vel muſicam quoque inſtructiorem reddidit [h]. Nam et ante Guidonem ſcalam viginti ſonorum obtinuiſſe, obſeruatum ISAAÇO VOSSIO [i], et vocales ſeptem ab Aegyptiis adhibitas, literasque alphabeti primas ſeptem, quas Gregorius M. in vſum vocauit, non minus commode eam operam praeſtare artis huius peritis viſum eſt. Qua de re tamen, cum ad ſpecialem muſicae artis hiſtoriam pertineat, nihil porro addimus. Haec enim ſufficiunt, vt Lectori pateat, a Pythagorea artium liberalium diuiſione, qua muſica quoque nobilis προπαιδευμάτων pars fuit, medii aeui homines totos receſſiſſe. Neque magnopere a vero aberrabimus, contendentes, compilationem iuris pontificii hoc ſeculo inſtitutam philoſophiae culturae vehementer obſtitiſſe. *Iuris Pontificii origo.* Eius primordia Burchardo vel Brocardo Haſſo ex Lobienſi monacho et diſcipulo Olberti Wormatienſi epiſcopo debentur. Qui a praeceptore Olberto, ſiue Alberto, (de quo videſis TRITHEMIVM [k]) inſtigatus adiutusque Decretorum collectionem ſuſcepiſſet, ex Scriptura ſacra, canonibus Apoſtolorum, conciliisque Eccleſiae Orientalis et Occidentalis, itemque ex epiſtolis ſpuriis decretalibus, libellisque quibusdam poenitentialibus Romano, Theodori et Bedae; et ex ſcriptis PP. *duodecim Tomos decretorum* congeſſit, imitatus ea in re Pſeudo-Iſidorum, Reginonem et collectores huius generis alios: in quo tamen labore infelici hoc ſeculo praeter rem ſuſcepto, neque iudicium, neque eruditionem, neque dexteritatem probauiſſe viſus eſt, qua de re videndi ſunt, qui iuris pontificii hiſtoriam excuſſerunt [l]. Praeter Burchardum autem Anſelmus quoque

f) Vid. WEIZIVS in Heortologio p. 263. ſq.

g) Vid. VOSSIVS de Scient. mathem. cap. XXII. §. 7. p. 95. CANGIVS in Gloſſ. voce micrologus.

h) Comparauit inter ſe vetus ſyſtema et Guidonis nouum M. MEIBOMIVS ad Euclid. introd. harmon. Script. Muſic. T. I. p. 51. et ad Ariſtidem p. 240.

i) De viribus rythmi p. 91.

k) De illuſtr. Bened. T. II. c. 73. conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p 827.

l) Eos enumeratos vide apud BVDDEVM Iſag. hiſt. theol. II. c. 5. p. 770. ſeqq. add. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. XI. quo omnes collectiones canonum veteris eccleſiae, et conciliorum, epiſtolasque et decreta pontificum recenſuit: ibi etiam p. 91. de Burchardi collectione agitur.

que Mantuanus, epiſcopus Lucenſis operi hoc ſeculo manum admouit [m], et peculiarem canonum collectionem inſtituit, quem in ſimili labore ſuſcipiendo ſecutus eſt circa huius ſeculi finem Iuo Carnotenſis, is enim duplex huius generis opus ſuſcepit; nempe *Decretorum*, et quod *Panormia* appellauit. In priore Burchardi collectionem emendare, augere, et imprimis ius ciuile cum canonico iungere aggreſſus eſt, in altero ſuccinctiorem eccleſiaſtici iuris compilationem dare conſtituit, quamuis ſint, qui Iuonis opus hoc non eſſe contendant [n]. His igitur ſtudiis quae ſequens ſeculum, Gratiani opera, abſoluit [o], dum occupantur eruditi viri, et diſciplinae hactenus raro exemplo cultae nouitas plures allicit, philoſophia negligitur, vel ita conſideratur, vt nouo quoque iuri ancillari queat. Quod quanto philoſophiae detrimento factum ſit, alibi exponi debet. Ex quibus omnis parca manu datis, quae vero ciuilis et literaria huius ſeculi hiſtoria ampliſſimis commentariis illuſtrat, colligi ſine labore poteſt, nec hoc quoque ſeculo, ſecunda fata philoſophiam excepiſſe.

Principum fauor philoſophiam non iuuans.

§. XLIV. Non defuerunt quidem huic ſeculo ingenia elegantiora et acuta, quibus ſi felicior aetas contigiſſet, multum ſine dubio eis philoſophia debuiſſet. Verum cum nox iſta, quae antecedente ſeculo orbem eruditum oppreſſit, nondum ceſſiſſet, et magna vbique ingeniorum paupertas exiſteret, emergere non poterant, vt cupiebant. Maxime autem principum fauor literis et philoſophiae defuit. Henricorum enim magna quidem hoc ſeculo virtus et gloria fuit, verum non ex literis vel eruditionis patrocinio. Et quamuis Henricus II. ſiue Claudus, qui et Sanctus dicitur, cum MEINWERCO [p] literis operam dediſſe legatur, ex ſocio tamen quam leuis ea inſtitutio fuerit, diſcitur. Robertus autem quamuis ex Gerberti diſciplina non ignarum philoſophiae animum retulerit, ſuperſtitioni tamen et ceremoniarum amori magis adhaeſit, quam philoſophiae. Et quamuis in Anglia Eduardus III, Ethelredi filius et ipſe literas coluerit et literis fauerit [q], parum tamen eas adiutas ab eo fuiſſe conſtat. Nec magnopere mirandum eſt, principes ſummos eruditionis et philoſophiae patrocinio defuiſſe. Adeo enim communibus calamitatibus impetebantur, tantisque pro defendendis iuribus ſuis turbis implicabantur, vt impoſſibile fuerit de literarum praeſidio cogitare, vt vel ſola Henrici IV hiſtoria teſtis eſt omni exceptione maior [r]. Qui itaque a natura ingenium acceperant, ſtudiis idoneum, ſibi tantum Muſisque ſuis viuentes in monaſteriis literis artibusque liberalibus, quantum temporum permittebat conditio vacabant. Quales complures hoc ſeculo nomi-

m) IDEM Bibl. Lat. med. T. I. p. 307.
n) Ib. T. IV. p. 634.
o) Vid. GER. A MASTRICHT Hiſt. iuris eccleſiaſt. ZIEGLER de Orig. l. c.
p) Vita Meinwerci T. I Script. Rer. Brunſuic. p. 519.
q) PITSEVS de Script. Brit. p. 187. 183.
r) Vid. GOLDASTI Apologia pro Henrico IV. ſcriptoresque huius aeratis ab eo collectos, quos recenſet FABRIC. l. c. T. III. p. 265. ſeqq.

nominat TRITHEMIVS [s], inter quos notandi Rupertus Caſſinenſis, Guimundus Archiepiſcopus Anuerſanus, Alphanus archiepiſcopus Salernitanus, qui apud eum audit *philoſophus et theologus celeberrimae opinionis*; Campanus Lombardus, qui ei dicitur *philoſophus et aſtronomus omnium opinione ſuo tempore celeberrimus, ingenio acutus, ſermone ſcholaſticus, calculator et computiſta inſignis*; Helpericus Sangallenſis monachus, *ſeculari doctrina valde ornatus, philoſophus, poëta et aſtronomus praeſtantiſſimus*: Berthorius Caſſinenſis Abbas, *celeberrimus philoſophus et medicus*; Algerus monachus Corbeienſis, qui ei vocatur *veterum lectione diues, et in ſecularibus literis magnifice doctus, ingenio acutus et ſatis diſertus eloquio*, Humbertus Tullenſis monachus, in ſecularibus literis nobiliter doctus; Bernoldus Conſtantienſis ſacerdos *in diſciplina ſecularium literarum ſufficienter doctus*, id quod etiam de Mariano Scoto, Wenerico epiſcopo Vercellenſi, Theodorico monacho Benedictino, Adamo abbate de Perſema, Anſelmo epiſcopo Lucenſi, Bernardo monacho Corbeienſi, Giſelberto praepoſito apud Anglos, Gunthero Eluonenſi monacho praedicat. De quibus omnibus reliqua quoque TRITHEMII ſcripta ſupra recenſita conſulenda addendique ſunt, qui hiſtoriam literariam ſcriptorum eccleſiaſticorum aeui medii condiderunt.

§. XLV. Praeter hos alii fuerunt, qui lucidioris eruditionis radiis reſplenduiſſe hoc ſeculo viſi ſunt. Inter quos fuit Oliuerius Malmesburienſis vel ideo notandus, quod in naturali philoſophia artibusque mathematicis ſupra ſeculi ſui conditionem egregie fuerit verſatus. Sic eodem tempore Angliam eruditione ſua locupletauit Osbernus, vel Osbertus, Benedictinus monachus, praecentor ac Subprior Cantuariénſis apud Lanfrancum gratioſus. Is ob muſicae artis notitiam valde a ſcriptoribus hiſtoriae literariae Anglicae [t] laudatur, primamque illa aetate palmam retuliſſe iudicatur; Iungendus his eſt Ingulfus ſcriba Guilielmi Conquaeſtoris, et tandem poſt luſtratam Palaeſtinam monachus Fontaniſſenſis, et properante ad finem ſeculo abbas Croylandenſis, cuius quoque abbatiae hiſtoriam ſcripſit [u]. Is enim cum in academia Oxonienſi philoſophiae ſe dediſſet, Ariſtotelem imprimis in philoſophicis et Tullium in rhetoricis duces elegit. Praecipue autem in hoc ſeculo ſtellae cuiusdam inſtar effulſit FVLBERTVS ortu minus, quam ingenio, quod nactus erat praeclariſſimum, nobilis. Huic felicitas contigit fruendi inſtitutione Gerberti, quem diſcipulos ad ſolidiorem philoſophiae cognitionem perducere ſolitum fuiſſe, ſupra diximus. Ex hac diſciplina Fulbertus iis ingenii ornamentis auctus eſt, vt TRITHEMIO [x] audiat, *in Scripturis*

Viri docti hoc ſeculo qui philoſophiae operam dederunt.

Fulbertus Carnotenſis.

[s]) De S. E. a cap. 317. pag. 82. ad cap. 354. pag. 90.

[t]) LELAND. c. 144. BALAEVS Cent. II. c. 54. PITSEVS p. 189. H. WHARTON. prolegom. ad T. II. Angl. S.

[u]) FABRIC. T. III. p. 89.

[x]) De S. E. c. 315. p. 82.

ris diuinis eruditiſſimus, et in ſecularium literarum diſciplinis omnium ſui temporis doctorum doctiſſimus, poëta clarus, et dialecticus, vt alia ſcriptorum medii aeui teſtimonia taceamus diligenter collecta a IOANNE LAVNOIO [y]. Tanta inde nominis Fulberti et eruditionis fuit exiſtimatio, vt principibus quoque viris fieret acceptiſſimus, et apud Robertum Galliae regem, et Canutum regem Angliae et Daniae ſummopere gratioſus eſſet. Vnde dignitatibus Eccleſiaſticis admotus Abbas Ferrienſis, tum Pictauienſis eccleſiae S. Hilarii theſaurarius; et quod nonnulli volunt, Roberti regis Cancellarius, tandemque epiſcopus Carnotenſis factus eſt. Is cum optimos diſcipulos habuiſſet, quos magna cura Scripturae et profanarum literarum atque philoſophiae, praeceptis imbuerat, ſummam inde laudem retulit, et tantopere ſuis charus fuit, vt ADELMANNVS [z] Scholaſticus Leodienſis in *Epiſtola ad Berengarium* eum *venerabilem Socratem* appellaret, et IOTSALDO *vitae Odilonis* [a] Cluniacenſis auctori audiat *ſanctitate laudabilis, in ſapientia mirabilis, in cuius morte ſtudium philoſophiae in Francia perierit et gloria ſacerdotum pene ceciderit.* Non minorem vero ſibi gloriam comparauit diſcipulis, quos in ſacrarum et liberalium artium ſtudio educauit, clariſſimis, vt ex locis a LAVNOIO [b] allatis liquet. Inter quos Adelmannus et Angelrannus praecipue commendari ſolent. Et priorem quidem ex clerico Leodienſi Epiſcopum Brixienſem TRITHEMIVS [c] vocat *virum in diuinis ſcripturis ſtudioſum et eruditum, philoſophum et dialecticum famoſum ſuo tempore, metro excellentem et proſa.* De Angelranno autem haec habet Centulenſe Chronicon [d]: *Denique multorum experientia probatum et liberalibus ſtudiis ornatiſſimum ciuitatis Carnotenae venerabilem epiſcopum ac multo honore vocitandum Fulbertum praeceptorem adeptus eſt atque didaſcalum: Hic ei monitor, hic tam morum quam literarum fuit inſtitutor. Gaudebat venerabilis praeſul de tanti diſcipuli ſolatio, releuabatur tam idonei auditoris induſtria atque ingenio. Tandem igitur grammatica, muſica atque dialectica optime inſtructum Centulum remittit tyronem amiciſſimum, iam tunc ſacerdotio ornatum, quem veluti grandem recepit congregatio Centuleienſis.* Quae verba de Angelranno intelligenda eſſe, ex eius vita apud MABILLONIVM [e] cognoſcitur, vbi quoque narratur, *tantum ſcientiae fulgorem abſcondi non potuiſſe, ideoque multos nobiles eius ſe ſubdidiſſe magiſtratui, et ex his duos honorificos viros Guidonem praeſulem Ambianenſem et Drogonem epiſcopum Taruennenſem: in his enim diſciplinae eius bonitatem ſe ſparſiſſe, vt vbique ab omnibus Angelrannus ſapiens ſpecialiter non immerito vocaretur.* Affert etiam MABILLONIVS

Diſcipuli Fulberti.

y) De Schol. cel. C. XL. p. 137.
z) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p. 32. et quos laudat.
a) Apud MABILLON. Sec. VI. Bened. P. I.
b) loc. cit.
c) C. 320. S. E. p. 82.
d) Edidit illud L. DACHERIVS Spicil. T. II. pag. 291. ſeqq. auctoremque habet Hariulphum monachum Centulenſem S. Richarii.
e) loc. cit.

LONIVS verba Geraldi poſtea Syluae maioris abbatis ex libro *Miraculorum S. Adelardi*, quibus Ingelrannum ait: *Eo tempore ceteris altius fuiſſe philoſophatum.* Addimus his Olbertum Abbatem Gemblacenſem, qui ipſe quoque ex Fulberti diſciplina prodiit. *Is vbi ex ore Herigeri Lobienſis abbatis aliquid de ſeptem ſapore artium* (triuium ſine dubio intelligit) *bibit, et Pariſiis aliquamdiu operam dedit ſtudio et apud vrbem Tricaſſinam triennio et ſtuduit et docuit, denique ad Fulberti Carnotenſis epiſcopi audientiam conuolauit, quem peritia liberalium artium tota Francia praedicabat:* Sed et reliqua legenda ſunt, quae *vitae eius* auctor SIGEBERTVS GEMBLACENSIS [f] habet, in quibus narrat, *Olbertum ob geminae eruditionis, ſecularis atque ſacrae famam vbique perſonantem non clericos tantum habuiſſe diſcipulos plurimos, ſed ex curialibus quoque quosdam ad ſuſcipiendam ab eo literarum diſciplinam permouiſſe: Praecipue autem in arte muſica valuiſſe.* Alios eius diſcipulos enumerat MABILLONIVS [g], inter quos fuiſſe Burchardum compilatorem canonum ab Olberto adiutum, ſupra iam enarrauimus. TRITHEMIO [h], cui minus accurate Adelbertus vocatur, audit vir ſapientiſſimus.

§. XLVI. Celeberrimus autem diſcipulorum Fulberti fuit BERENGARIVS, ex controuerſia de modo praeſentiae corporis Chriſti in S. coena, quae magnos hoc ſeculo motus in Eccleſia dedit, notiſſimus, cuius tamen hiſtoriam, lites, fata enarrare huius loci non eſt, et ad annales eccleſiaſticos pertinet [i]. Nos eo illum nomine heic conſideramus, quod inter philoſophos ſeculi XI ſupremum pene locum meruerit, certe reliquis fere omnibus, qui contra eum in aciem proceſſerunt, in conflictu philoſophico praeſtiterit. Id enim indubitata eius aeui teſtimonia loquuntur, ex quibus pauca hic apponimus. Nempe Chronicon Turonenſe mſc. ad quod prouocat LAVNOIVS [k], ita de eo loquitur: *Anno MLX clarebat magiſter Berengarius grammaticus, archidiaconus Andegauenſis et theſaurarius, nec non et magiſter ſcholarum, et camerarius eccleſiae B. Martini Turonenſis in grammatica et philoſophia clariſſimus, et in necromantia peritiſſimus.* Quod vltimum elogium aut de inuidia cleri magnum virum graui perſecutione et calumniis prementis teſtatur, aut pro necromantia chiromantia vel ſimile quid legendum eſt, in quo coniecturae genere ſe hanc aetatem exercuiſſe veriſimile eſt. Idem LAVNOIVS [l] ad Odorannum monaſterii S. Petri Viui Senonenſis monachum prouocat, qui eum *Turonenſem magiſtrum et admirabilem philoſophum* vocat. Praecipue autem HILDEBERTVS Cenomanorum, mox Turonum pontifex audiendus eſt, qui in epitaphio, quod Berengario ſcripſit [m], inter alia ita de eo cecinit: *Berengarius.*

f) c. 2. g) In obſerv. ad h. l. n. 6.
h) Annal. Hirſaug. T. I. p. 121. 144.
i) Vid. quos laudant FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. I. p. 571. ſeq. et BVDDEVS Iſagog. in Hiſt. Theol. L. II. c. 7. p. 1120. ſeqq.
k) De ſcholis celeb. C. V. p. 33. l) p. 34.
m) Occurrit apud WILH. MALMESBVR. Hiſt. Angl. L. III. p. 113. ex quo multi repetiuere. Diſplicet ALBERICO in chronico ad an. 1115. p. 426.

Quicquid philoſophi, quicquid cecinere poetae
Ingenio ceſſit eloquioque ſuo.
Sanctior et maior ſapientia maius adorta
Impleuit ſacrum pectus et ora Deo.
Pectus eam voluit, vox protulit, actio promſit,
Singula factori ſic ſtuduere ſuo.
Vir ſacer et ſapiens, cui nomen creſcit in horas,
Quo minor eſt quiſquis, maximus eſt hominum.

Et paulo poſt vita quoque philoſophum ita deſcribit:

Cuius cura ſequi naturam, legibus vti,
Et mentem vitiis, ira negare dolis.
Virtutes opibus, verum praeponere falſo,
Nil vacuum ſenſu dicere nil facere,
Laedere nec quenquam, cunctis prodeſſe, fauorem
Et populare lucrum pellere mente, manu &c.

Non id negare audent, qui tam infenſis contra eum ſignis concurrerunt, et ferre non potuerunt, quod vir philoſophus, qui ſolitus erat, vt ſcripſit Hildebertus, nil vacuum ſenſu dicere, transſubſtantiationis dogma, quod inter medias tenebras ex neglectu philoſophiae obortas genitum eſt, reiecerit. Ita enim SIGEBERTVS GEMBLACENSIS [a]: *Berengarius Turonenſis liberalium artium et amplius dialecticae peritia inſignis, ſcripſit faſtuoſo ſtilo contra Almannum grammaticum et epiſcopum, non agnoſcens amici corrigentis beneuolentiam, ſed defendens ſuam de myſteriis Chriſti ſententiam. Et quia multi ad eum vel contra eum ſuper hac re ſcripſerunt, ſcripſit et ipſe ad vel contra eos, et dum dialecticis ſophismatibus contra ſimplicitatem fidei apoſtolicae abutitur, nec ſe excuſare, nec alios aedificare videtur: quia magis interpolat clara, quam dilucidat obſcura.* Et GVITMVNDVS Auerſanus antiſtes *libro primo de ſacramento altaris* [b]: *Sed et tunc liberales artes intra Gallias pene obſoleuerant, nouis ſaltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc plurimum gaudet Berengarius, ſingularis ſcientiae laudem, et cuiusdam excellentiae gloriam venari qualitercunque poterat, affectabat. - - Sed poſtquam a domino Lanfranco in dialectica de re ſatis parua turpiter eſt confuſus, eumque per ipſum dominum Lanfrancum, virum aeque doctiſſimum liberales artes Deus recaleſcere atque optime reuiuiſcere feciſſet, deſertum ſe iſte a diſcipulis dolens, ad eructanda impudenter diuinarum ſcripturarum ſacramenta, vbi ille adhuc adoleſcens, et aliis eatenus detentus ſtudiis adeo intendebat, ſeſe conuertit.* Non diſputabimus de ipſa Berengarii cauſſa praetenſique erroris fontibus: Hoc enim ad alium locum pertinet, ſed id modo obſeruamus, fateri hos ipſos

a) De S. E. c. 154. p. 111.
b) Editiones libri huius contra Berengarium editi vide apud FABRICIVM T. III. p. 514.

ipſos viros, valde licet Berengario iniquos, maximam eius fuiſſe in dialectica, quae tum inter ſcientias philoſophicas ſola regnabat, peritiam; nec obſcurum eſt ex his ipſis teſtimoniis, valde vrſiſſe Andegauenſem archidiaconum aduerſarios ſuos. Qui quamuis nouitatis et ſubtilitatis in verbis eum accuſauerint, ſupra tamen ex eius epitaphio contrarium apparuit, ſolitum fuiſſe Berengarium nil vacuum ſenſu dicere: Illud hiſtoria eccleſiaſtica teſtatur, Berengarium in vndecim, quae in hac cauſſa coactae ſunt, ſynodis armis dialecticis, quibus eo tempore ſolis bella Dei gerebantur, egregium militem ſe praeſtitiſſe. Fateturque LEO OSTIENSIS [p] in *Chronico Caſſinenſi: In ſynodo Romana neminem Berengario valuiſſe obſiſtere, ideoque Albericum euocatum fuiſſe ad ſynodum, eumque poſt multos verborum conflictus cum neuter cederet, vnius hebdomadae acceptis induciis, librum aduerſus diaconum edidiſſe, et omnes eius aſſertiones deſtruxiſſe.* Quod et SIGEBERTVS fatetur; *Albericum, virum ea tempeſtate doctrinae ſtudio praeſtantem reſiſtere voce homini in dicendo copioſiſſimo non potuiſſe, ſpatiumque ſeptem dierum ad reſponſum ſcripto edendum popoſciſſe.* Quod negat quidem BARONIVS [q], ſed, niſi fallimur, contra manifeſta veterum teſtimonia. Vtrum autem Albericus, quem eccleſiaſtica haec velitatio ad cardinalitiam dignitatem promouit, victoriam diſputationis acumine, an anathematis fulmine reportauerit, noſtrum non eſt hoc loco disquirere. Illud ſufficit notaſſe, cum Albericus in hac diſputatione coram inſtituta Berengarium vincere haud potuerit, palam inde eſſe, Berengarium in diſputandi differendique arte non habuiſſe ſimilem. Ipſe enim Albericus, teſte PETRO DIACONO [r], *vir fuit illis temporibus ſingularis, et philoſophus inſignis*, cuius ille *libros de muſica, de aſtronomia, de dialectica* recenſet. Vt taceamus, quod dudum viris doctis obſeruatum eſt, ſuſpectam eſſe Leonis Oſtienſis, Petri Diaconi et Sigeberti Gemblacenſis narrationem, victoriam Alberico tribuentium ea modo de cauſſa, vt ſui ordinis homines extollant. Qua de re tamen alibi diſpiciendum. Nobis hoc quidem loco perinde eſt, viceritne an victus ſit Berengarius, errorem an ſerio et ex animo, vel ſimulate eiurauerit, vel recoxerit, et quae alia magna contentione de Berengario diſputari ſolent; illud extra dubium collocatum eſſe videtur, Berengarium ratiocinandi arte adiutum magno animo in praeiudicia ea inſurrexiſſe, quae temporum ignorantia, doctorum ſuperbia, et philoſophiae neglectus inuexerant. Quod vnum ſufficit ad eum reliquo vulgariter philoſophantium gregi eximendum. Talis cum eſſet, diſcipulos quoque nactus eſt egregios. Inter hos eminet BRVNO ex Colonia Agrippina Germanus, canonicus Remenſis et Sholaſticus, quo in loco Ottonem Remenſem, qui poſtea ad ſedem Romanam promotus A. C. MLXXXVIII, Vrbanus II dictus eſt, diſcipulum habuit. Qui praeceptorem hunc *Bruno Colonienſis.*

p) L. III. c. 33. q) Ad an. 1059. r) De viris illuſtr. Caſſinenſ. c. 21. p. 179.

ſuum Romam vocatum, vt ipſi a conſiliis eſſet, archiepiſcopum Rhegienſem conſtituit: quem tamen ille honorem refugiens in eremum Calabriae feceſſit, et cum monachorum ſodalitio ibi ad vitae vsque finem vixit, celebris, quem condidit, ordine Carthuſianorum. De qua eius cauſſa feceſſus in eremum fabulis maculata, cum in hiſtoria ordinum monaſticorum, et praecipue Carthuſiani [s] agi ſoleat, remque omnem erudite diſpunxerit peculiari tractatione IOANNES LAVNOIVS, hic nihil addicimus. Hunc Berengarii diſcipulum fuiſſe negant atque pernegant, quotquot eius doctrinam de S. coena repudiant. Aſt his recte opponitur Malleacenſis chronici teſtimonium [t], quo ſucceſſio ſcholae Gerberti ita recenſetur: *Gerbertus docuit Fulbertum Carnotenſem epiſcopum, de quo multa ſcripta vel in pagina vel in cantu ſanctae eccleſiae remanſerunt. Hic iterum Fulbertus docuit Berengarium canonicum S. Martini. Qui iterum Brunonem Remenſem et alios multos haeredes philoſophiae reliquit.* Multum ſe torquet MABILLONIVS [u], vt luculentum hoc teſtimonium reiiciat, et ſancti atque ſeueri inſtituti auctorem ex hominis haeretici officina non prorepſiſſe euincat. Reiecta igitur auctoritate veteris illius chronographi, verba eius ita interpretatur, vt ſignificare videantur, Brunonem non Berengarii ſed Fulberti diſcipulum fuiſſe. Contendit quoque, Brunonem iam clericum et Colonienſem canonicum, ac proinde literis iam excultum Colonia Remos veniſſe, et veriſimile eſſe, ait, Brunonem a Notkero Leodienſi epiſcopo eiusque diſcipulis eruditum fuiſſe, quam in rem ad verba MANASSIS Remorum pontificis prouocat, in *Apologia ſua* ſcribentis: *Bruno nec noſter clericus, nec noſter natus aut renatus eſt, ſed S. Cuniberti in regno Teutonicorum poſiti canonicus.* Aſt infeliciter haec parumque digne eruditione et acumine Mabilloniano diſputari quilibet videt. Verba enim chronici adducta in ſe clara ſunt, et luculenter Brunonem Berengarii diſcipulum faciunt. Eius autem auctoritatem eleuare velle tam ſiculneis ratiunculis, idem eſt, ac omnem hiſtoriae fidem euertere. Nec facit huc quicquam, Brunonem literis iam excultum Remos veniſſe: hoc enim facile concedi poteſt, cum Berengarius non Remis, ſed Turone docuerit. Manaſſis verba autem Brunonem Colonienſem quidem faciunt, Berengarii autem diſcipulum fuiſſe non negant. Quicquid autem eius rei ſiet, illud certum, Brunonem hunc ante feceſſum ſuum in eremum in philoſophia excelluiſſe. Addit enim laudatus chronographus: *Bruno quidem perfectus philoſophus, monachus et eremita apud Calabriam multorum monachorum* (Carthuſianos intelligit) *pater obiit in Chriſto.* Vbi tamen Lectorem eorum iubemus eſſe memorem, quae ſupra de notione philoſophiae et nomine philoſophi obſeruauimus. Vt enim ipſius Berengarii philoſophia potiſſimum dialecticis argutiis et diſputationum acumine abſoluebatur, ita dubium

s) Vid. laudati FABRICII loc. cit. T. I. p. 784.

t) Apud LAVNOIVM l. c. c. 40. p. 125.

u) Sec. VI. Bened. P. I. Praef.

bium non eſt, quin Bruno eandem philoſophandi viam iniuerit, et cum Remis ſcholam regeret, (id quod ex GVIBERTI NOVIGENTINI *vita a ſeipſo ſcripta* [x] demonſtrauit IO. LAVNOIVS [y]) ſimili ratione diſcipulos docuerit. Ceterum negandum haud eſt, inter Berengarii aduerſarios fuiſſe quoque nonnullos, acuminis dialectici laude celebres, et in hac philoſophiae parte, quae hoc ſeculo pene ſola regnauit, exercitatiſſimos, qualem Albericum Caſſinenſem fuiſſe ſupra obſeruauimus. Nemo tamen inter eos ob dialecticae peritiam magis celebratus eſt, quam LANFRANCVS Beccenſis ſcholae alumnus, in qua ita *Lanfrancus.* in literarum et philoſophiae ſtudio adoleſcens profecit, vt condiſcipulis longe anteiret; et tum huius monaſterii Scholaſticus tandemque abbas factus alios hoc quoque philoſophiae genus docere poſſet. De quo legendus eſt vitae eius ſcriptor MILO CRISPINVS Weſtmonaſterienſis abbas [z], qui videndus. Cuius doctrina cum Beccenſis ſchola valde illuſtraretur, ad eum praeceptorem eruditionis eius fama permoti multi confluebant, quorum ſermonibus ita vbique locorum commendatus eſt, vt tandem Cantuarienſem pontificatum adipiſceretur. De qua eius vitae hiſtoria praeter eos, qui hiſtoriam literariam eccleſiaſticorum ſcriptorum expoſuerunt, hiſtorici Britanni [a] quoque conſulendi ſunt. Hunc Lanfrancum Berengario ſe potiſſimum obieciſſe, et dialectica eius acumina armis quoque dialecticis retudiſſe, ex ſupra dictis repetendum eſt. Quod qua ratione fecerit, ex eius operibus a LVCA DACHERIO editis [b], diſci poteſt. Nobis in hiſtoria philoſophica ſeculi XI ideo laudandus eſt, quia teſte GVILIELMO MALMESBVRIENSI [c], *literatura perinſignis liberales artes, quae iamdudum ſorduerant, a Latio in Gallias vocans acumine ſuo expoliuit, teneriorem aetatem in ſecularibus deterens, in Scripturis diuinis animo et aeuo maturuit; — — — factus Becci monachus homo, qui neſciret agreſti opere victum quaerere, publicas ſcholas ac dialecticas profeſſus eſt, vt egeſtatem monaſterii ſcholarum liberalitate temperaret. Exiuit fama eius in remotiſſimas Latinitatis plagas, eratque Beccum magnum et famoſum literaturae gymnaſium.* Eius itaque ſtudio et philoſophiae profeſſione euenit, vt dialectica Becci vbique perſonaret, et philoſophiae Beccenſis fama longe lateque diſſeminaretur, quo factum, vt et eius admiratio, et magna diſcipulorum frequentia exſurgeret. Teſtem damus GVILIELMVM GEMMETICENSEM [d], de inſtauratis a Lanfranco ſtudiis ita loquentem: *Ortus Italia vir quidam erat, quem Latinitas in antiquum ab eo reſtituta*

x) Eam inter GVIBERTI opera edidit LVC. DACHERIVS Paris 1651. p. 456. ſeqq.
y) loc. cit.
z) Act. SS. T. VI. 28 Maii. p. 832. ſeq. MABILLON. Sec. VI. Bened. P. II. p. 637. eam quoque Lanfranci operibus praemiſit DACHERIVS. Alios huc facientes nominat FABRIC. T. IV. p 708.
a) H. WHARTON. Angl. S. T. I. p. 108.
b) Paris 1646. fol.
c) De geſt. Angliae Pontif. L. I. cuius verba repetit LAVNOIVS c. 42. p. 137.
d) Hiſt. Normann. L. VI. c. 3. extat inter Normannica edita ab ANDR. DV CHESNE p. 215. ſeqq.

tuta ſcientiae ſtatum tota ſupremum debito cum honore et amore agnoſcit magiſtrum, nomine Lanfrancus. Ipſa quoque in liberalibus ſtudiis magiſtra Graecia diſcipulos illius libenter audiebat et admirabatur - - - Rumor vt hoc factum (monachatus, quem Lanfrancus Becci ſuſcepit) *prodiit longe lateque protulit, et fama viri praeclariſſima Beccum et abbatem Herluinum breui per orbem terrarum extulit. Accurrunt clerici, Ducum filii, nominatiſſimi ſcholarum Latinitatis magiſtri, laici potentes et alta nobilitate viri.* Hi diſcipuli dialectica potiſſimum ſubtilitate a Lanfranco enutriti, tantopere in his ſtudiis exercitati ſunt, vt teſte GVILIELMO MALMESBVRIENSI [e], *vbique ſcholares inflatis buccis dialecticam ructarent, aliosque magnifice de ſe ſentientes initis diſputationibus in ruborem darent.* Quod quo pacto Herfaſto Normanno Guilielmi comitis, poſtea regis capellano factum ſit, idem exponit. Alia ſcriptorum medii aeui loca huc pertinentia, ne nimii ſimus, praeterimus. Leget ea, qui volet, apud LAVNOIVM [f], qui Beccenſis ſcholae hiſtoriam ex Lanfranci gloria meritisque in philoſophia illuſtrauit.

Anſelmus Cantuarienſis.

§. XLVII. Ex Lanfranci diſciplina prodiit ANSELMVS Cantuarienſis epiſcopus, quem dialectica ſubtilitas, et ingenii acrimonia nulli ſui temporis ſecundum valde haec, qua vixit, aetas extulit. Is Auguſtae in Alpibus parentibus nobilibus natus, cum doctrinae elementa in Gallia hauſiſſet, fama eruditionis, qua Beccenſem ſcholam tum Lanfrancus nobilitabat, excitatus, illi in diſciplinam, ſuſcepto ordine S. Benedicti, ſe tradidit, et poſt praeceptorem ob literarum, quas egregie excolebat, opinionem, abbas monaſterii Beccenſis factus eſt. Ex quo munere ad ſedem Cantuarienſem vocatus in Angliam abiit, variis ibi fortunae procellis iactatus, de quibus poſt EADMERVM vitae eius ſcriptorem [ff] annales eccleſiae Britannicae, et ſcriptorum eccleſiaſticorum enarratores videndi ſunt. Hunc inſignem inter philoſophos ſeculi vndecimi locum occupauiſſe, et ſcriptorum medii aeui teſtimonia euincunt, et ipſa viri ſubtiliſſimi ſcripta demonſtrant. Vt enim taceamus TRITHEMII [g] verba, quibus eum mire extollit, GVILIELMVS MALMESBVRIENSIS in libris *de geſtis Anglorum pontificum* [h], ita Cantuarienſem praeſulem deſcribit: „De Anſelmo eſt ſermo, qui in Auguſta „ciuitate oriundus quae ſe, primum transcendentibus Alpes exhibet, „mediocritatem natalium in clariſſimam famam face virtutum ſuarum „extulit, puer literis inſtitit, pueritiam egreſſus, nunquam vel laſciuiori aſpectu caſtimoniam turbauit. Patriam terram exeundi patris ira adoleſcenti occaſionem ingeſſit: quam cum ille nullo poſſet lenire ingenio, ne domeſtica ſimultas in violationem naturae tranſiret, „abſceſſu fefellit ſuo. Euaſis Alpibus, cum volutaret anxius animi quo „tende-

e) loc. cit. f) c. 42. p. 131. GABR. GERBERONIO Paris 1675. fol. 1721. fol.
ff) Subiuncta eſt operibus Anſelmi editis a g) Cat. S. E. c. 351. p. 88. h) L. I.

„tenderet, diuina dignatio fluctuantem ſerenauit; Normanniam ad Lan„francum eundum, cum quo, ſi moraretur, patriae neceſſitudine a lite„rarum fomite incolatum laeuigaret. Cum ergo Beccum veniſſet, non „aſpernanter a Lanfranco ſuſceptus magnum ei leuamentum ad ſcholas „regendas fuit.“ Eadem fere tradunt GVILELMVS GEMMETICENSIS [i], et THOMAS WALSINGAMVS [k], quorum loca quoque adduxit Io. LAVNOIVS [l]. Recentiorum eandem fere de Anſelmi eruditione et acumine philoſophico ſententiam fuiſſe ex collectis de eo cenſuris ſcriptorum, quas THOM. POPE-BLOVNT [m] exhibet, diſci poteſt, quas non exſcribimus. Dialecticae autem ſubtilitatibus inclaruiſſe, SIGEBERTVS [n], Anonymus Mellicenſis [o], GVIL. GEMMETICENSIS [p] aliique teſtantur, qui ei quoque *Introductionem in dialecticam* tribuunt [q]. Maxime vero acumen philoſophicum demonſtrauit in theologia, quam ita modulo dialectico adaptauit, vt tota logicis argutiunculis abſolueretur. Id quod ex ipſis viri ſupra modum ſubtilitatem rationum affectantis ſcriptis, a GABRIELE GERBERONIO editis luculenter oſtendi poteſt. Certe theologiam ſcholaſticam iam tum ab hoc viro Eccleſiae obtruſam fuiſſe, ex his ſcriptis clariſſime patet, et ex Anonymi MELLICENSIS recenſione intelligitur, quae cum in omnium manibus ſit, eam breuitatis cauſſa hic non adſcribimus, ſed tantum ad eius *Monologium*, ſiue ſoliloquium, et *Proslogium* [r] h. e. allocutionem ad Deum prouocamus, quibus per ideam ipſam ſummi entis homo ad conditorem ſuum agnoſcendum adducitur; vnde dudum obſeruatum viris doctis [s], argumentum ab idea entis ſummi pro exiſtentia eius adductum non Carteſium primum auctorem habere, ſed ab Anſelmo iam fuiſſe allatum. Pari ratione in libro *Apologetico contra Gaulinonem* profundas philoſophiae meditationes reperiri obſeruatum magno LEIBNIZIO [ſſ]. Recteque monuit Anonymus Mellicenſis, haec eum ſcripta ideo feciſſe, *vt quod fide tenemus de diuina natura, et eius perſonis praeter incarnationem neceſſariis rationibus, ſine auctoritate Scripturae probari poſſit.* Eadem ratio eſt dialogi, *cur Deus homo?* quo aduerſus infideles ſimplicitatem Chriſtianam tanquam fatuam deridentes philoſophice ſuo modo diſputat. Reliqua eius ſcripta, *de voluntate Dei*, *de libero arbitrio*, *de veritate*, *de concordia praeſcientiae et praedeſtinatione*, et alia, in quibus omnibus regnat dialectica et metaphyſica ſubtilitas (hae enim duae diſciplinae vno tunc dialecticae nomine excolebantur) tacemus. Id vero ex dictis intelligitur, inter ſummos et acutiſſimos

i) Hiſt. Normann. L. VI. c. 3.
k) In hyodigmate Neuſtriae ad an. 1097.
l) l. c. C. XLII. p. 136.
m) Cenſ. Celebr. Auctor. p. 369.
n) De S. E. c. 168. p. 114.
o) c. 96. p. 155.
p) l. c. c. 19. p. 264. in Normannicis ANDR. DV CHESNE.
q) Dialogus eſt de grammatico p. 143. opp. vid. Anonym. MELLICENSIS l. c.
r) p. 1 - - 29. ſeqq.
s) Leibniziana p. 63.
ſſ) l. c. p. 412.

mos sui temporis philosophos Anselmum esse referendum. Non confundendus autem cum Anselmo Cantuariensi est, qui eodem fere tempore vixit ANSELMVS LAVDVNENSIS Ecclesiae decanus et scholasticus, quem praeceptorem habuisse Abaelardum, infra probabimus. Hunc circa finem seculi XI inclarescentem Auctor *Historiae restauratae Laudunensis Ecclesiae* [t] apud LAVNOIVM [x] vocat *virum sapientissimum, per totum pene orbem Latinum scientiae et eloquentiae suae fama notissimum*, non dissentientibus HENRICO GANDAVENSI [y] et TRITHEMIO [w]. Aliter tamen de eo discipulus ABAELARDVS [x], cuius haec verba sunt: *Accessi ad hunc senem, cui magis longaeuus vsus quam ingenium vel memoria nomen comparauerat. Ad quem si quis de aliqua quaestione pulsandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auscultantium, sed nullus in conspectu quaestionantium. Verborum vsum habebat mirabilem, sed sensu contemtibilem, et ratione vacuum. Cum ignem accenderet, domum suam fumo implebat, non luce illustrabat. Arbor eius tota in foliis aspicientibus a longe conspicua videbatur, sed propinquantibus et diligentius intuentibus infructuosa reperiebatur.* Ex his vero duobus Anselmis philosophiae theologiae admixtae conditio intelligi, quaque ratione hoc tempore, theologiam scholasticam genuerit, disci potest. Alios Lanfranci discipulos, inter quos Iuo Carnotensis quoque fuit, breuitatis caussa praeterimus.

Anselmus Laudunensis.

Alii aduersarii Berengarii philosophiae laude inclyti.

XLVIII. Praeter Lanfrancum alii quoque in Ecclesia viri docti contra Berengarium disputauerunt. Cuius controuersia fere tota cum rationibus dialecticis et metaphysicis agitata fuerit, recte inde concluditur, hos eius aduersarios a philosophiae sui temporis praesidiis non fuisse destitutos. Inter hos fuit LEO IX. P. M. natione Germanus, antea Conradus dictus, episcopus Tullensis [y]. Hunc et triuii et quadriuii scientiis excultum fuisse tradit eius biographus [z], quem tamen LAVNOIVS [a], de quatuor modis dialecticam applicandi perperam interpretatus est, vt supra iam obseruatum. Scripsit quoque contra Berengarium MAVRITIVS Rothomagensium episcopus, de quo in eius epitaphio [b] haec dicuntur:

Leo IX.

Mauritius.

Quem Remis genuit, studiorum Legio nutrix
Potauit trifido fonte philosophico.

Quo in loco trifidus fons philosophicus aut triuii disciplinas indicat, aut ternionem scientiarum eo tempore ab hominibus ecclesiasticis cultarum, diale-

t) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. IV. p. 725.
u) l. c. c. LIX. art. 2. p. 182.
v) De S. E. c. 30. p. 122.
w) De S. E. c. 362. p. 92.
x) Hist. Calam. suar. c. III. p. 7.
y) Vid. FR. PAGI Breu. pontif. Rom. T. II. sec. XI. p. 327.
z) Apud HENCHEN. Act. SS. 19. April. T. II. p. 648. et MABILLON Sec. Bened. VI. P. I.
a) l. c. c. XXXVII. p. 122.
b) Extat in ORDERICI VITALIS Histor. eccles. L. IV. quae reperitur inter Scriptores Normannicos DV CHESNE p. 318. seqq.

dialecticam, musicam et astronomiam, ad quam referebant computum ecclesiasticum. Eodem enim, nisi fallimur, sensu Gerbertus quoque Ottoni III audit *philosophus peritissimus, atque tribus philosophiae partibus laureatus.* Et hi quidem, quos recensuimus viri docti, in theologico argumento et controuersiis suis temporis acumen demonstrauerunt philosophicum. Praeter hos alii quoque nominandi sunt, quorum diligentia effectum est, vt philosophia, quae tamdiu depressa iacuerat, iterum paulisper emergeret. Eorum, ne nimii simus, breuem tantum dabimus recensionem. Inter eos vero Franconem scholasticum Leodiensem, et secundum quosdam abbatem Afflighemensem (quos tamen alii [c] inter se distinguunt) primo fere loco ponimus. Ita enim de eo SIGEBERTVS [d]: FRANCO *scholasticus Leodiensis religione et vtraque literarum scientia nominatus, quantum valuerit scribendo, notificauit posteris. Amatores scientiae secularis taxent eius scientiam ex libro, quem inscripsit ad Hermannum Coloniae archiepiscopum, de quadratura circuli, de qua Aristoteles ait: quadratura circuli si est scibile, scientia quidem nondum est. Ob illud vero scibile conferant vel etiam praeferant eum seculares philosophi, nos laudamus eum, quia diuinae scripturae inuigilauit et plura scripsit.* Concinit his TRITHEMIVS [e], cui audit: *vir in secularium disciplina literarum eruditissimus, philosophus, astronomus et computista insignis;* Franconi adiicimus WILLERAMVM, quem Willeraminum vocat Anonymus MELLICENSIS [f]. Is sub Henrico IV, circa annum CIↃ LXX, floruit, et Martisburgensis abbas fuit, teste TRITHEMIO [ff], et *Paraphrasi Theotisca cantici canticorum* innotuit, de qua alibi dicendum [g]. Addit Sponhemensis abbas: *Eum cum in vniuersitate Parisiensi aliquandiu literis impendisset studium ad patriam reuersum Bambergensis ecclesiae scholasticum factum esse.* Quod caue ita intelligas, ac si discendarum literarum caussa scholam Parisiensem frequentauerit. Non enim discendi sed docendi caussa Willeramum Lutetiae haesisse ex *Annalibus Hirsaugiensibus* discitur, in quibus ita scribit de Willeramo TRITHEMIVS [h]: *Claruit his temporibus Walramus, ex scholastico Bambergensis Ecclesiae monachus Fuldensis, ac deinde abbas Merseburgensis coenobii in Saxonia, vir tam in diuinis Scripturis, quam in secularibus literis non mediocriter eruditus, qui primum apud Parisienses in Gallia philosophiam gloriose docuit: postea apud Bambergenses in Orientali Francia grammaticam et rhetoricam publice legit.* Quae ideo hoc loco afferenda fuerunt, quia LAVNOIVS [i] contendit, demonstrari non posse, Parisiis hoc tempore in studio generali philo-

Alii philosophi seculi XI.

Franco.

Willeramus.

c) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. II. p. 602. VAL. ANDREAS Bibl. Belgic. p. 248. et ante hos TRITHEMIVS cat. S. E. c. 346. 367. p. 88.
d) De S. E. c. 164. p. 113.
e) loc. cit.
f) c. 78. p. 153.
ff) De S. E. c. 345. p. 87. seq.
g) Vid. LAMBEC. Bibl. Vindob. T. II. p. 765. MORHOF. Histor. L. Germ. c. VII. p. 291. OVDINVS de S. E. T. II. p. 729.
h) T. I. p. 209.
i) loc. cit. c. LIX. art. 1. p. 180.

philoſophiam perſonuiſſe. Vnde coniicit, Trithemium aut Wideradum cum Wilramo confudiſſe, aut plane audiendum non eſſe, cum eius rei apud vetuſtiores Trithemio ſcriptores nihil proditum ſit literis. Quod vtrum ad eneruandam Trithemii narrationem ſufficiat, infra expendemus. IDEM [k] vero LAMBERTVM quoque DE LEGIA, monachum et ſcholaſticum coenobii S. Matthiae apud Treuiros recenſet, *quem*, ait, *in omni ſcientiarum genere fuiſſe doctiſſimum, et in muſica eruditione praecipue ſingularem, et multos auditores ad optima ſtudia inſtituiſſe*. Eadem doctrinae fama inclaruit GERARDVS LAVDVNENSIS, Scholaſticus Andegauanenſis. De quo Baldricus, Burgulienſis abbas [l] ita canit:

Lambertus de Legia.

Gerardus Laudunenſis.

Tantum Gerardus laudes dum laudibus auget,
Quod dignum magnis laudibus Andus habet.
Quantum doctrinis Ciceroque Maroque Latinis
Nam nobis alter fulſit Ariſtoteles.
Lux et laus cleri, ſol qui ſuffecerit orbi
Orbi quadriuium protulit et triuium.
At formatus fuit Abbas Burgulianus,
Qui ſibi Gerardum vindicat in proprium.

Wilhelmus Hirſaugienſis.

Addimus Gallo homini Germanum, WILHELMVM abbatem Hirſaugienſem; quem TRITHEMIVS [m] ait: *Fuiſſe virum in diuinis Scripturis eruditiſſimum, et in ſecularibus literis nulli ſuo tempore apud Germanos inferiorem, philoſophum, aſtronomum et muſicum inſignem, vita et conuerſatione ſanctiſſimum &c.* Eadem repetit in *Chronico Hirſaugienſi* [n], vbi eum *philoſophum* vocat *acutiſſimum et in diſputationibus adeo ſubtilem, vt a nemine penitus vinceretur. Item in muſica in mathematica et aſtronomia, in arithmetica et in arte calculatoria tam eruditum, vt cum in omnibus haberetur doctiſſimus, his quaſi ſingulariter ſcientiis operam nauauiſſe videretur.*

Petrus Damiani.

Iungimus his merito PETRVM DAMIANI fratrem, diſtinguendum a Petro de Honeſtis [o], Rauennatem, epiſcopum Oſtienſem et cardinalem. Hunc non tantum nobiliſſimum fecit inſignis, quo in vitia ſui ſeculi detonuit, zelus, ſed et philoſophiae amor. Quem, cum vehementer morali philoſophiae addixiſſet, variis libellis illuſtrauit, quorum recenſionem poſt alios dabit IO. ALB. FABRICIVS [o]: et quod magis laudandum, vitae honeſtate comprobauit.

Hermannus Contractus.

§. XLIX. Produxit hoc quoque ſeculo Germania HERMANNVM CONTRACTVM, a corporis debilitate ita cognominatum,

[k] T. II. p. 184. conf. VOSSIVS de Hiſt. Lat. Lib. II. p. 379. vbi pro 1080. ponendum 1048.

[l] In Carminibus hiſtoricis, quae vulgauit ANDR. DV CHESNE Tom. IV. Scriptor. hiſt. Francor. p. 251. ſeqq.

[m] De S. E. c. 352. p. 89. et de S. Germ. c. 57.

[n] p. 62. ed. primae et de ill. Bened. L. II. c. 102. & Annal. Hirſaug. T. I. p. 222.

[o] Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. II. p. 20.

[o] loc. cit.

tum, illuſtrique proſapia comitum Veringenſium et Sulgouienſium in Sueuia ſatum [p], virum doctiſſimum, cui plurimum hoc et ſequenti ſeculo debuerunt literae, maxime hiſtoria et philoſophia. Is qua ratione ad philoſophiam et mathematicas artes cognoſcendas peruenerit, non indignum eſt relatu, vt Lector de huius ſeculi iudicio ſenſuque de rebus ad philoſophiam pertinentibus exemplum habeat memorabile. Rem TRITHEMII [q] magis verbis, quam noſtris, narrabimus. Is ita: „Hermannus puer infirmus, debilis et contractus, quia ad mundum videbatur inutilis, parentum conſilio in monaſterium S. Galli domino ſeruaturus perpetuo traditur, et Helperico ſcholarum magiſtro imbuendus ſingulari fiducia commendatur. Qui cum annorum eſſet XIV, claudus et contractus, et parum propter ingenii tarditatem in literarum cognitione proficeret, coepit ipſe miſeriam ſuam vehementer deplangere, et nouercantem ſibi fortunam accuſare. Cernens autem Helpericus praeceptor iuuenem duplici calamitate nimis afflictum, et animo ſemper triſtem, altera, quod corpore fuit contractus, altera vero quod ingenio diſcendi obtuſus, eius deſolationi compaſſus monuit, quatenus ſe tota mentis deuotione ad orationis ſtudium conuerteret, ac pientiſſimam Dei genetricem intactam ſemper virginem Mariam in adiutricem ſedulo inuocaret. Hermannus miſerabilis ſua conditione puer, monitis libenter acquieuit magiſtri, formansque ſibi conſuetudinem orandi congruam ſanctam Dei parentem deuotis aſſidue precibus inuocauit. Et ecce biennio necdum plene reuoluto quadam nocte beatam Dei genetricem in ſomnis ſibi apparentem vidit, quae diceret: *Orationes tuas, o bone puer, audiui, et in auxilium tuum rogata adueni. Nunc ergo duorum tibi datur optio: quorum alterum, quod volueris, elige, quod me praeſtante conſequeris. Aut ſanitatem tibi corporis tui, ſi volueris, dabo, aut omnium, quam poſtulas, ſcientiam et eruditionem ſcripturarum.* Qui amore ſcripturarum, neglecta corporis ſui imbecillitate, ſcientiam ſibi dari poſtulauit, omnium ſcripturarum. Ex illo tempore ingenium docile ac promtiſſimum habere coepit, et breui doctiſſimus in omni ſcientia, tam diuina, quam humana prae caeteris condiſcipulis euaſit. Et qui prius propter ingenii tarditatem aut nihil aut parum diſcere potuit, poſthanc viſionem omnes ſubtilitate et promtitudine animi ſuperauit. Nam inter omnes Germaniae doctores ſui temporis philoſophus, rhetor, aſtronomus, poëta, muſicus et theologus celeberrimus habitus eſt, et multa praeclare ſynthemata ſcripſit, de quibus extant ea, quorum tituli ſequuntur [r]: *De muſica* librum vnum; *de monochordo* librum vnum; *de ſex mundi aetatibus* librum vnum; *de aſtronomia* libros tres; *de compoſitione aſtrolabii* libros tres; *de vſu et vtilitatibus aſtrolabii* libros duos;

p) Adeoque non Hibernio-Scotum, vt vult HOTTINGER. Hiſt. Eccl. Sec. XI. p. 335.

q) Annal. Hirſaug. T. I. p. 148. ſeq.

r) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. III. p. 705. ſeq. TRITHEM. S. E. c. 321. ill. Bened. L. II. c. 84. Scr. Germ. c. 41. GVNDLING. Gundlingian. T. I. p. 51.

„duos; *de compoſitione et vſu quadrantis* librum vnum; *de quodam horo-*
„*logio, quod chelindrum vocant*, librum vnum; *de alio horologio quodam*
„librum vnum; *de geometrica arte* libros plures; *de mundo et elementis* li-
„rum vnum; *de ſolis et lunae defectu* librum vnum; *de computo* librum
„vnum; *de quadratura circuli* librum vnum; *de conſtitu rythmimachiae*
„librum vnum; *de phyſionomia* librum vnum; - - Transtulit etiam
„nonnulla Graecorum et Arabum volumina in Latinum ſermonem, ſicut
„ipſe fatetur, in quodam Ariſtotelis prologo: quoniam vtriusque linguae
„plenam notitiam habuit. In Ariſtotelem et Tullium commentationes
„etiam plurimas ſcripſit." Hactenus de ſtudiis Hermanni philoſophicis Trithemius; cuius locus ideo valde memorabilis eſt, quia ex eo patet, etiam Chriſtianis non defuiſſe philoſophos, et quidem Peripateticos, per habitum infuſum θεοδιδάκτους [s], qualem Yockdanidem ſuum Tophail oſtentauit, et de Apollonio Tyaneo iactauit Philoſtratus. Nos lectoris iudicio totam narrationem relinquimus, qui ſi ſapit, facile intelliget, quid ea de re ſtatuendum ſit: illud vero ex hoc loco conſtare putamus, inter temporis ſui viros doctos in philoſophia et mathematicis ſcientiis in Germania Hermannum facile principatum obtinuiſſe, ſiue per infuſum habitum, ſiue per acquiſitum hanc doctrinae praeſtantiam nactus fuerit. Lucem vero haud contemnendam hic quoque locus Trithemii foeneratur hiſtoriae philoſophicae aeui medii. Si enim verum eſt, ab Hermanno nonnulla Ariſtotelis in Latinum ſermonem conuerſa fuiſſe, falſum erit, quod plerique diſputant, ſeculo XII demum Ariſtotelis ſcripta Latine verti coepiſſe. Sique ex Arabicis libris Latinos Hermannus fecit, veritati aduerſum eſt, quod multi affirmant, Robertum Retinenſem Anglum primum fuiſſe, qui A. C. cIↃcxx circiter Arabicam linguam ex Oriente Occidenti intulerit. Hos enim antecedit Hermannus aetate. A cuius diligentia in priuatis monaſteriorum bibliothecis extitiſſe nonnullas verſiones librorum Ariſtotelis recte ex hoc loco colligitur, et, quo tempore Ariſtoteles Germanis innoteſcere coeperit, definiri poteſt. Praeripuit itaque Hermannus Friderico II. gloriam librorum Arabicorum nonnullorum itemque ſcriptorum Ariſtotelis Graecorum in Latinum ſermonem translatorum, quae ad eum ſolum plerumque referri ſolet, vt infra dicemus. Tandem enumeratis adiiciendus quoque ex hoc ſeculo eſt HILDEBERTVS Cenomanenſis pontifex, et tandem archiepiſcopus Turonenſis, qui ex Berengarii diſciplina prodiit, et magiſtrum eleganti carmine honorauit, cuius fragmentum ſupra adduximus. De quo an impudica vita infamis fuerit, quod nonnulli, loco IVONIS CARNOTENSIS [t] inducti contendunt, in eccleſiaſtica hiſtoria diſpiciendum eſt [u]. Illud certum, Berengarii nomen et, quam magiſtro exhibuit, veneratio-

Hildebertus Cenomanenſis.

nem

[s] Similia his ſeculis exempla paſſim reperias, in vitis SS. Vide e. g. Ruperti Tuitienſis apud TRITHEMIVM Annal. Hirſaug. T. I. p. 379.

[t] Ep. 279. contrarium teſtatur ORDERICI VITALIS Hiſt. Eccl. L. X. p. 770. conf. vita eius Operibus ab ANT. BEAVGENDRE Pariſ. 1708. fol. editis praemiſſa.

[u] Conf. BASNAGE Hiſt. Eccl. T. II. p. 1603. BAYLE Dict. T. II. art. Hildebert. not. A. B. p. 764. ſeqq.

nem magnam Hildeberto inuidiam conflauiſſe. Quaecunque autem eius rei ratio ſit, illud verum eſt, a Berengario Hildebertum dialecticarum ſubtilitatum myſteria didiciſſe, et ad ſacrarum literarum cultum adhibuiſſe; recteque inter ſcholaſticae theologiae genitores, vel maiores potius ſcholaſticorum referendum eſſe. Id enim ex tractatu eius theologico clariſſimum eſt, quem ex antiquiſſimis corporum theologicorum exemplis vnum eſſe, cui Robertus Pully et Lombardus multa debuerint, quoque perſpicuitate et breuitate ſequentium temporum ſcriptores in hoc genere literarum ſuperauerit, recte obſeruatum eſt *Triuoltienſium memoriarum literariarum* conditoribus *). Laudant Hildeberti eruditionem ſecularem et eccleſiaſticam HENRICVS GANDAVENSIS y) et TRITHEMIVS z).

§. L. Ex hac vero, quam ſuccincte enarrauimus, philoſophiae quae ſeculo vndecimo viguit, hiſtoria qualis eius facies fuerit, colligi ſine difficili labore poteſt. Et inficiandum quidem non eſt, tenebras iſtas denſiſſimas, quae ſeculum nonum decimumque operuere, nonnihil poſt ſeculum hoc medium diſpulſas fuiſſe, nec defuiſſe huic ſeculo inclinanti viros ingenii acumine inſignes; qui ſi in alia tempora incidiſſent, praeclari quid in philoſophia praeſtitiſſent. Id quod Gerberti potiſſimum diſciplinae acceptum ferendum eſt, qui cum dialectica mathematicarum ſcientiarum exercitia coniunxit, et ita ingeniorum aciem promouit. Hinc factum, vt, cum dialecticam ſolam ex philoſophicis diſciplinis illius aetatis philoſophi retinuiſſent, ſubtilis ingenii auxilio eius ratiociniis vſi ad argumentum haud raro metaphyſicum deſcenderent. Quo euenit, vt dialecticae nomine hoc ſeculo methaphyſica quoque comprehenderetur, inque huiusmodi φιλοσοφουμένοις acutiores ſe nonnunquam exercerent. Cuius rei exemplum ex iis peti poteſt, quae ſupra de Anſelmo Cantuarienſi attulimus, quem in metaphyſico argumento non infeliciter fuiſſe verſatum, ex ſcriptis eius diſcitur. Tacemus, fuiſſe nonnullos, qui ſublimiora μαθήματα attingere auſi, vulgi triuium miſerabili ratione ſectantis conditioni ſe eriperent. Verum parum haec omnia contulerunt ad felicitatem priſtinam philoſophiae reſtituendam, tantumque abeſt, vt ita ignorantiae et praeiudiciis ex barbarie natis, quae omne philoſophiae incrementum iugulant, collum ſucciſum ſit, vt potius noua inde ad philoſophiam veram adſpirantibus obiecta ſint repagula. Vt enim taceamus, pauciſſimos fuiſſe, qui animum regnanti inſcitiae et ignauiae eripuerint, eosque ſeculo demum declinante caput erigere potuiſſe, reliquos ſitu ſqualoreque ingenia obduci fuiſſe paſſos: illi ipſi, qui naturae bonitate, et indolis praeſtantia ex hoc coeno emergere auſi ſunt, in aliud inciderunt malum iſto haud leuius. Nempe dialectica metaphyſicis ſpeculationibus et abſtractionibus aucta et amplificata hoc potiſſimum ſeculo regnauit, vt ex tot teſtimoniis a nobis allatis ſole meridiano eſt clarius. Huius vero philoſophiae

Facies philoſophiae hoc ſeculo.

*) 1708. Iuil. Art. 93. p. 1018. y) De S. E. c. 8. p. 919. z) Cat. S. E. c. 350. p. 88.

phiae qui ſe iſto ſeculo praebebant ſtudioſi, quod nonnulli magna induſtria fecerunt, ad id potiſſimum reſpiciebant animo, vt dialecticis argutiunculis et metaphyſicis, quas iungebant, abſtractionibus notionibusque generalibus, et propemodum ſenſu vacuis et vagis, theologiae capita exponerent, et ſurgentibus nouis opinionibus ita obſtetricarentur, contradicentes autem iſtis argumentationibus oppugnarent et ad incitas redigerent. Quo pacto et rationis lumen cum reuelationis lumine confuderunt, et inanium controuerſiarum aceruos cumularunt, et incertitudinem quandam ſcepticam introduxerunt, et opiniones nonnullas monſtroſas Eccleſiae obtruſerunt, et infelicem ſcholaſticae theologiae foetum, diu iam in vtero conceptum ita fouerunt, formaruntque, vt tandem iuſto vultu comtus circa ſeculi huius finem prodire in lucem potuerit. Quod ne ſine teſte dixiſſe videamur, ad vnam Berengarii controuerſiam prouocamus, eamque, at ſine praeiudicio partisque et hypotheſeos receptae ſtudio, excutere Lectorem iubemus. Quamuis enim in illo culpatum ſit, *quod dialecticis ſophismatibus contra ſimplicitatem fidei apoſtolicae abuſus, magis clara interpolauerit, quam dilucidauerit obſcura*, fatendum tamen eſt, aduerſarios eius non modo melioris commatis non fuiſſe, ſed, cum dialecticis eum nugis, vt de Lanfranco iactant eius partis patroni, vicerint, multo deterius fuiſſe philoſophatos, et ita omnem ſanae philoſophiae rationem peſſimo ſequentium ſeculorum, auctoritatem inde captantium, exemplo profligauiſſe. Cuius illuſtre ſpecimen eſt, quod his Pſeudophiloſophiae praeſidiis vſi, et ineptis, vagisque notionibus ratiocinationes ſuas ſuffulcientes transſubſtantiationis dogma ἄτερ γεωφῆς καὶ φιλοσοφίας Eccleſiae hoc ſeculo obtruſerint, et pro eo dogmate argumentationibus philoſophicis pugnauerint, quod cum generaliſſimis et ſimpliciſſimis philoſophiae veritatibus conciliare hactenus fruſtra philoſophi aggreſſi ſunt. Addimus his, ne dialecticae quidem ſtudium tum ita viguiſſe, vt Ariſtoteles eam tradidit. Cuius praecepta quamquam in multis deficiunt atque peccant, et inutiles ſaepenumero de verbis contentiones ſuggerunt, ferri tamen magis poſſunt, quam ſtraminea illa dialectica, quam ex Stoicorum ſchola cauillationibus ſuis dudum infami ſeruauit medii aeui infelicitas, ſeducta auctoritate Auguſtini, cui iſta dialectica tribuebatur. Quamuis enim hic inde eſſet, qui Graecae linguae pauliſper gnarus Ariſtotelem ipſum legeret, vel verſionibus quoque illuſtraret, vt de Nanno et Hermanno Contracto notatum, obſcurae tamen manſere hae verſiones et in monaſteriis delituere, certe paucis quibusdam innoteſcentes in ſcholis publicis dialecticam Auguſtinianam pellere loco non poterant, donec ſeculo XII libri Ariſtotelis Conſtantinopoli ad Pariſienſes delati paulo magis innoteſcerent. Id quod ineunte iſto ſeculo factum eſſe teſtatur RIGORDVS his verbis [a]: *In diebus illis anno* CIↃCCIX, *legebantur Pariſiis libelli quidam de Ariſtotele, vt dicebantur,*

a) In vita Philippi Auguſti apud LAVNOIVM de varia fortuna Ariſt. in Acad. Pariſ. c. 1. pag. 127

tur, compoſiti, qui docebant metaphyſicam, delati de nouo à Conſtantinopoli, et a Graeco in Latinum translati. Verum ne ſic quoque inualeſcere potuit Ariſtoteles, eo quod receptae ſeculis antecedentibus philoſophiae non concineret, et haereſes fouere crederetur. Qua propter vetiti et comburi iuſſi ſunt, hi libri, vt infra ſuo loco narrabimus. Ex his itaque manifeſtum eſt, quam parum philoſophiae culturam adiuuerit dialecticae ſtudium, quod hoc ſeculo viguiſſe, et publice in omnibus ſcholis traditum fuiſſe, ex narratis conſtat. Quamquam enim vbique hoc ſeculo, ne Schola quidem apud Pariſios excepta [b], hoc ſtudium ferbuit, nihil tamen genuit, niſi aut inutiles lites, et inanes diſputationes, vocesque nihili pro ſapientiae theſauris ſuggeſtas, aut portentoſa dogmata, eorumque vel leuem accuſationem vel pertinacem defenſionem. Cuius exemplum valde memorabile hoc ſeculum nobis ſuppeditat in ROSCELINO Compendienſi ſacerdote [c]. *Roſcelinus.* Hunc ex praeſtantiſſimis et ſubtiliſſimis dialecticis fuiſſe, ipſi, qui graui pugna in eum inſurrexere aduerſarii non negant. Hic vero dum notiones dialecticas SS. Trinitatis myſterio applicat, ſi non grauem errorem (quod deficientibus eius ſcriptis definire non licet) inuexit, nouis ſane vocabulis et philoſophandi ratione a typo ſanorum verborum abiit, et innumeras ſibi moleſtias atque lites cumulauit. Viſus enim eſt tria introducere numina, docens, tres in diuina natura perſonas eodem modo inter ſe differre, quo tres res differunt: adeoque tres perſonas eſſe tres realitates differentes. Haec eum docuiſſe perhibet, qui contra eum *de fide Trinitatis* ſcripſit ANSELMVS CANTVARIENSIS [d]. Apertum vero eſt, totam controuerſiam ad vocabuli, res, definitionem, reuocari poſſe: videturque ea voce talem deſignaſſe naturam, quae cum genus habeat cum aliis commune, per ſe tamen ſeparatim ſubſiſtit, animarum enim angelorumque exemplo illuſtrauit. Ita vero alienas notiones et vacuas ſineque ſenſu abſtractiones dum adhibet, tremendi myſterii ſimplicitatem temerat. Qui tamen, qua felicitate ad palinodiam in ſynodo Sueſſionenſi cIↃXCII habi-

b) Contrarium euincere ſategit LAVNOIVS de ſcholis Celebr. C. LIX. Art. I. p. 178. qui quoque, quid ad obiectum a Trithemio exemplum Willerami reſpondeat, ſupra iam tetigimus. Parum autem eius rationes ad eleuandam Trithemii fidem faciunt. Nam licet apud alios nihil de hac publica Willerami profeſſione philoſophica inueniatur, nondum tamen inde ſequitur, eam non extitiſſe. Solent autem ſcriptores medii aeui non omnia munera, ſed plerumque vltimum tantum indicare. Abbatem vero Fuldenſem fuiſſe Trithemius non ait, ſed ex monacho Fuldenſi tandem abbatem coenobii Merſeburgenſis, ex quo cauſſa patet, cur eius mentio in annalibus Fuldenſibus non fiat. Et quamuis ex narratione Trithemii anno 1064. Abbatis dignitate in Germania floruerit, non vero Lutetiae, recte tamen euincitur inde, ſeculo vndecimo medio, dialecticam eum publica ibi profeſſione docuiſſe, nec deſiiſſe artium liberalium ſcholam, cum anno 1020. Si itaque medio ſeculo vndecimo dialectica apud Pariſios perſonuit, cur non annis quoque aliquot prius. Quod enim Launoius vrget, Beccenſem et Laudunenſem ſcholam tum viguiſſe, nihil aliud probat, quam earum ſcholarum maiorem fuiſſe frequentiam, quam Pariſienſis, non vero hanc plane conticuiſſe. Hoc enim ſufficit, vt de ea ſilere ſcriptores eius temporis potuerint, cum celeberrimorum virorum fama ex iſtorum potius monaſteriorum ſcholis, quam ex Pariſienſi prodierit.

c) HENR. GANDAVENSIS de S. E. c. 5. p. 118. vnde fallitur GERVASIVS abbas, vitae Abaelardi Auctor, qui Bellouacenſem facit, itemque qui Britannum dicunt, et Britanniam minorem cum maiore confundunt.

d) Opp. p. 41.

habita adductus ſit ab Anſelmo et Iuone Carnotenſi, hoc loco enarrari non poteſt. Hunc autem Roſcelinum Nominalium primum fuiſſe conditorem, eamque ſectam per diſcipulum Abaelardum propagauiſſe, infra ſuo loco docebimus. Heic annotaſſe ſufficit, hominem tricis dialecticis aſſuetum, et ſubtilitatibus vanis inſudantem, dum cogitationes philoſophicas theologiae affricat, ad hunc ſcopulum offendiſſe. Non diſputabimus, vtrum Nominalium opinio, erroris illius anſam Roſcelino praebuerit; quam ſententiam fouiſſe videtur ANSELMVS [e], contra Nominales in Roſcelini refutatione diſputans. De illo autem dubitandum non eſt, totam iſtam controuerſiam fuiſſe dialecticam, adeoque inanem, meliusque fuiſſe, ſi ab ea vtraque pars abſtinuiſſet. Ceterum qui ex Ariſtotelica philoſophia Roſcelinum errorem ſuum hauſiſſe contendunt [f], probe cauteque intelligendi ſunt; cum ex ſupra dictis conſtet, Ariſtotelis logicam eo tempore nondum in vulgus innotuiſſe, ſed lectas tantum eſſe praeter Auguſtini dialecticam Boëthii conuerſiones nonnullas. Inter has cum et Porphyriana introductio fuerit, qua Praedicabilium natura explicatur, dubitandum non eſt quin ex hoc potiſſimum fonte Roſcelinus ſemina et errorum ſuorum et opinionis Nominalium hauſerit. Dum enim Porphyrius prudenter quaeſtionem: an vniuerſalia reuera exiſtant, omittendam eſſe cenſet, de qua inter Platonicos et Stoicos mire decertari nouerat, occaſionem ſuppeditauit otioſo Roſcelini ingenio, eam nouo acumine ingenii aggrediendi definiendique. Quod quam longe fabulae ortum dederit, ſuo tempore accurate enarrabimus.

e) l. c. p. 42. 43. 44. f) Obſ. Hal. T. I. Obſ. 15. §. 11. p. 187.

CAPVT

CAPVT TERTIVM
DE
PHILOSOPHIA SCHOLASTICA,
SECTIO PRIMA
DE
STATV PHILOSOPHIAE IN GENERE, A SECVLO XII. VSQVE AD RENATAS LITERAS.

§. I.

Quam misera philosophiae facies a seculo Christiano septimo vsque ad duodecimum fuerit, satis prolixa tractatione hactenus exposuimus, ostendimusque, suppressa et neglecta eruditione inter homines Ecclesiae muneribus non fungentes, solos viros ecclesiasticos angustis triuii et quadriuii limitibus emarcidos philosophiae vultus concluisse, declinante vero seculo vndecimo dialecticae studium metaphysicis subtilitatibus auctum inualuisse, inque hac palaestra Berengarium cum affeclis et aduersariis, praecipue vero Lanfrancum et Anselmum Cantuarienscm, eius discipulum valde fuisse exercitatos, Roscelinum autem nouam Nominalium sectam, occasione Porphyrianae doctrinae de Praedicabilibus condidisse. Ex his autem non hoc modo conficitur, dialecticae studium circa finem seculi vndecimi iam emergere coepisse, et insignibus, quae hoc seculo duodecimo cepit, incrementis praeluisse: sed et seculo iam vndecimo factum esse, vt dialecticis subtilitatibus innumerae lites et controuersiae exorirentur, quae tandem occasionem dederunt, peculiare philosophandi genus constituendi, quod philosophia vocatur scholastica, eo quod ex scholis monasteriorum, in quibus dialecticae argutiae docebantur, prorepserit. Circa finem enim seculi XI iam in scholis peculiarem dialecticae professionem obtinuisse in antecedentibus Willerami, Lanfrancique, aliorumque exemplis ostendimus. Idem vero seculi XII initio factum, quo omnis fere philosophia dialectica, metaphysicis subtilitatibus aucta in scholis publicis tradebatur, et prae reliquis artibus liberalibus iuuentuti studiosae inculcabatur. Testem damus σύγχρονον PETRVM ABAELARDVM [a], cuius adolescentia in seculi XII initia incidit, ita de studiorum suorum primordiis

Sec. XII. dialecticae studio insigne.

a) Hist. Calam. suar. c. 3.

diis apud Parisios differentem: *Quoniam dialecticarum rationum armaturam omnibus philosophiae documentis praetuli, his armis alia commutaui, tropaeis bellorum conflictus praetuli disputationum. Proinde diuersas disputando perambulans prouincias, vbicunque huius artis vigere studium audiebam, Peripateticorum aemulator factus sum. Perueni tandem Parisios, vbi iam maxime disciplina haec florere consueuerat, ad Guillelmum scilicet Campellensem, praeceptorem meum, in hoc tunc magisterio re et fama praecipuum.* Ex quo loco, nisi nos omnia fallunt, clarum est, non cum Guillelmo dialecticae studium Parisiis renatum fuisse, quod vult Launoius, sed iam ante eum obtinuisse, huncque tantum eximia subtilitate excellentem summam dialecticae gloriam scholae Parisiensi conciliasse. His vero dialectici studii incrementis quamuis metaphysicae disputationes accessissent, qualis illa est, quae ineunte hoc seculo inter Nominales et Reales viguit, tantum tamen abest, vt meliorem sortem nacta sit philosophia, vt potius ineptis istis contentionibus et inutilibus strophis indies magis corrumperetur, et de lana caprina haut raro disputaretur. Cuius memorabile exemplum iterum ex vita Abaelardi petimus, qui philosophiae studium sub Guillelmo a se diligenter cultum ita describit: *Tum ego ad Guillelmum reuersus, vt ab ipso rhetoricam audirem, inter cetera disputationum nostrarum certamina antiquam eius de vniuersalibus sententiam patentissimis argumentorum disputationibus ipsum commutare, immo destruere compuli. Erat autem in ea sententia, de communitate vniuersalium, vt eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse adstrueret indiuiduis, quarum quidem nulla esset in essentia diuersitas, sed sola multitudine accidentium varietas. Sic autem correxit istam suam sententiam, vt deinceps rem eandem non essentialiter, sed indiuidualiter diceret. Et cum hanc ille correxisset, immo coactus demisisset sententiam, in tantam lectio eius deuoluta est negligentiam, vt iam ad dialecticae lectionem vix admitteretur, quasi in hac scilicet de vniuersalibus sententia tota huius artis consisteret summa. Hinc tantum roboris ac auctoritatis nostra suscepit disciplina, vt ii, qui antea vehementius magistro illi nostro adhaerebant, et maxime nostram infestabant doctrinam ad nostras conuolarent scholas &c.* Dicemus de summo, si diis placet, controuersiae huius momento infra ex instituto, et quam amarus ex hac re fons calamitatum Abaelardo prosilierit, in eius quoque vita exponemus. Hoc vero loco miserabilem subtilitatis philosophicae faciem ex ista narratione velimus intelligi, qua de rebus inanibus et verborum quibusdam significationibus ex praecisionibus mentis nonnullis obortis tam acriter dimicatum est. Tales autem ab hoc tempore complures fuisse, quorum dialectica non nisi, vaniloqua nugatrix fuit, ex SARISBERIENSIS [b] testimonio, admodum luculento, quod supra iam produximus, disci potest. Neque tamen magnopere mirandum est, vanissima

b) Metalog. L. II. c. 7. p. 798.

niſſima haec philoſophiae ludibria tantopere exoſculatos fuiſſe eius aetatis philoſophos, cum non certior eſſet vel eminendi inter eruditos ratio, vel promotionis lautioris conditio, quam ſtudium dialecticum, id quod Guillelmi ſupra nominati exemplo patet, quem iſta dialecticae peritia ad ſedem Catalaunenſem promouit. Quod equidem iniquum videri queat, rerum tamen circumſtantiis ea aetate mire conueniebat. Tota enim theologiae vis et robur in dialectica quaerebatur, eaque pro claue habebatur, ſine qua ſacrae diſciplinae adyta referari haud poſſent, qua vero qui potitus fuerit, rectam viam ingredi poſſit ad ſummam eruditionem. Id quod Abaelardus egregie docet, faſſus, *ſe poſt ſuſceptam profeſſionem vitae monaſticae ſacrae plurimum lectioni ſtudium intendentem, ſecularium artium diſciplinam, quibus amplius aſſuetus fuiſſet, et quas ab ipſo plurimi requiſiuerit, non penitus abieciſſe, ſed de his quaſi hamum quendam fabricauiſſe, quo illos philoſophico ſapore ineſcatos ad verae philoſophiae lectionem attraheret.* Vnde mirifice laudat Abaelardum OTTO FRISINGENSIS [e], *quod monachus in monaſterio S. Dionyſii effectus ibique die noctuque lectioni ac meditationi incubans de acuto acutior, de literato efficeretur literatior.* Quo vero id euentu factum ſit, in eius vita videbimus, quae occaſionem dabit, noxiam hanc philoſophandi rationem ſuis depingendi coloribus. Ita vero ſummopere enitebant praeclara, quae dialecticis nugis diſtorta et inflata tumebant, ingenia, tantaque erat eorum admiratio, vt vndique ad praeclaros dialecticae profeſſores iuuentus conuolaret, eosque in coelum extolleret. Qua felicitate, magnae poſtea inuidiae parente vſus eſt idem Abaelardus, dignus, qui iterum appareat, vt intelligamus, quanta dialecticae hoc aeuo gloria fuerit. Ita enim Fulco in epiſtola ad eundem, poſt caſtrationem conſolationem hanc afferens: *Affluentiſſime tibi paulo ante huius mundi gloria blandiebatur, et te incertis fortunae caſibus eſſe obnoxium non ſinebat aduertere. Roma tibi ſuos docendos transmittebat alumnos: et quae olim omnium artium ſcientiam auditoribus ſolebat infundere, ſapientiorem te ſe ſapiente transmiſſis ſcholaribus monſtrabat. Nulla terrarum ſpatia, nulla montium cacumina, nulla concaua vallium, nulla via, difficili licet obſita periculo et latrone, quo minus ad te properaret, retinebat. Anglorum turbam iuuenum mare interiacens, et vndarum procella terribilis non terrebat: ſed omni periculo contemto, audito tuo nomine ad te confluebat &c.* Talia de aliis quoque regionibus Fulco praedicat, quas affatim adoleſcentes ad Abaelardum miſiſſe ait, vt in dialecticae myſteriis, quae omnem fere philoſophiam tunc abſoluebant erudirentur, de qua gloria atque fama ipſe in *Hiſtoria calamitatum ſuarum* eſt videndus. Similibus fatis hoc ſeculo alii quoque dialecticae laude inſignes vſi ſunt, quorum nomina poſtea recenſebimus.

e) De geſt. Friderici primi L. I. c. 47.

Quemadmodum autem ſuperiori ſeculo ſola Auguſtini dialectica, et ſcripta Ariſtotelis a Boëthio et Victorino Latine verſa legebantur, ita hoc quoque ſeculo non alii fontes dialecticae eruditionis patebant. Quamuis enim hic inde eſſet non nemo, qui Graecum Ariſtotelis textum legeret, ſupra tamen iam obſeruauimus, intra priuatae diligentiae terminos, quicquid Ariſtotelicum eſſet, ſolis Boëthii verſionibus exceptis, comprehenſum fuiſſe, notumque ex loco Rigordi ſupra quoque iam adducto, libellos Ariſtotelis metaphyſicos ineunte demum ſeculo XIII, ex Oriente allatos in Gallia noua verſione innotuiſſe, et circa haec tempora Fridericum II. idem vt fieret in Gallia et Germania praecepiſſe, vt in ſequentibus demonſtrabitur. Qui itaque ſeculo vndecimo decurrente in academia Cantabrigienſi Ariſtotelis et Porphyrii libros praelegerunt [d], vt ſupra monitum, de ſolis libris dialecticis Ariſtotelis et Porphyrii a Boëthio verſis intelligendi eſſe videntur: inter Italos vero, Gallos et Germanos ita obtinuit, vt Boëthii et Auguſtini ſcripta dialecticae hermathenae inſtar ſtudioſis eſſent, id quod ex IOANNIS SARISBERIENSIS ſcriptis, praecipue vbi de ortu logicae diſſerit, luculenter patet. Omnium tamen maxime Auguſtini inualuit auctoritas, adeo vt idem ſcriptor [e] *temerarium eſſe* pronuntiet *ei obuiare*, id eſt contradicere: vnde ipſe quoque in laudes dialecticae effuſus Ariſtotelem quidem extollit, at dialecticam deſcripturus ad Auguſtinum prouocat, et hunc ſibi auctorem claſſicum deligit, cuius auctoritate de dialectica pronuntiet. Negandum tamen non eſſe videtur, paulo frequentius circa medium ſeculum XII Ariſtotelis ſcripta dialectica nonnulla paſſim innotuiſſe; at haec priuatis tantum ſtudiis patebant, et non ex Graeco, ſed ex Arabico conuerſa fuiſſe videntur. Quanquam, ſi dicendum, quod res eſt, verſiones illae Arabicae, quae ſeculo XII confectae ſunt, quales praeſtitiſſe Adelardum infra narrabimus, non tam dialecticam, quam phyſicam et mathematicam reſpiciebant? Illud extra dubium poſitum eſt, in publicis docentium cathedris hoc ſeculo Arabum philoſophorum nomina adhuc ignota fuiſſe, vt vel ex ſolo Sarisberienſis ſilentio diſci poteſt, qui cum ſcriptores claſſicos hoc aeuo citari ſolitos in *Policratico* et *Metalogico* frequenter alleget, nullibi tamen ad Arabes prouocat. Et ex his quidem fontibus philoſophia hoc ſeculo hauſta eſt, quo quamuis Ariſtotelem philoſophantes reliquis philoſophis, quorum nomina vix fando audiuerant, praeferrent, ad eius tamen praecepta raro ob dictas cauſſas recurrebant, et quae mediantibus verſionibus Latinis in tanta Grae-

d) Anonymus in app. ad INGVLFVM Croilandiae abbatem apud LAVNOIVM de Scholis celebr. c. 44. p. 243. „Ad horam primam (in „academia Cantabrigiae) frater Terricus, acutiſ„ſimus ſophiſta logicam Ariſtotelis iuxta Por„phyrii et Auerrois Iſagogas et commenta ado„leſcentioribus tradebat.„ Ex quo loco colligi poteſt, tempore Gisleberti, de quo hic agitur, quique teſte TRITHEMIO Cat. S. E. c. 353. p. 90. it. 1090. vixit, Cantabrigiae iam Ariſtotelis ſcripta logica publica explicatione illuſtrata fuiſſe. Verum ipſe ſibi auctor fidem derogat, narrans, factum id eſſe ſecundum commenta Porphyrii et Auerrois: quod falſum eſſe ex eo patet, quod Auerroës tum nondum natus fuerit, qui ſeculo XII demum vixit. Dubitandum tamen non eſt, quin Porphyrii et Boëthii commentationes publicis lectionibus in Ariſtotelis dialecticam inſeruiuerint.

e) Metalog. L. IV. c. 25. p. 906.

tã Graeci ſermonis ignorantia ab eo deſumebant, ita patrum allegationibus miſcebant et turbabant, vt, quid philoſophicum ſit, quid eccleſiaſticum vix dignoſcas. Teſtem volumus iterum Io. SARISBERIENSEM[f], cuius eruditio hoc ſeculo prae reliquis eminuit, qui praeter gentiles ſcriptores ad Albericum Rhemenſem, Alcuinum, Ambroſium, Anſelmum, Auguſtinum, Bedam, Bernardum Carnotenſem, Boëthium, Caſſiodorum, Gilbertum Pictauienſem, Guillelmum de Campellis, Hugonem de S. Victore, Iſidorum, Victorinum aliosque huius generis prouocat. Et tamen ita ſibi ſobrietatem ea in re ſeruaſſe viſus eſt, vt graui indignatione in compilatores ſeculi ſui inuehat: *Compilant omnium opiniones, et ea, quae etiam a viliſſimis dicta vel ſcripta ſunt, ab inopia iudicii ſcribunt et referunt. Tanta eſt opinionum oppoſitionumque congeries, vt vix ſuo nota eſſe poſſit auctori.* Fuerunt quoque hoc ſeculo multi, quibus Ariſtotelis nomen, quod ſcriptorum ſeculi IV, V et VI auctoritas commendauerat, valde erat exoſum, quique philoſophum nec lectum, nec intellectum vehementer carpebant. Id quod iterum ex SARISBERIENSI diſcimus, qui ſingulari capite in *Metalogico*[g], *de his, qui Ariſtotelis opera carpunt*, agit. Qui locus cum ſatis luculenter non doceat, quae Ariſtotelis ſenſim inualeſcentis auctoritas decurrente ſeculo XII fuerit, inſpici meretur. Scribit enim inter alia: *Satis ergo mirari non poſſum, quid mentis habeant*, (ſi quid tamen habent,) *qui haec Ariſtotelis opera carpunt, quae vtique non exponere propoſitum fuerat, ſed laudare - - Quidam auditores magiſtri Roberti de Meliduno* librum hunc fere inutilem *eſſe calumniantur. Alii detrahunt categoriis, vnde in commendatione earum diutius moratus ſum.* In ſequentibus quoque contra eos inſurgit, qui veterum fauore potiores Ariſtotelis libros excludunt; Boëthio fere ſolo contenti, *quorum palam eſſe*, ait, *omnibus vsque ad miſerationem imperfectionem, qui in ſolo Boëthio tempus et rem conſumſerunt, vt fere nihil ſciant.* Et tamen proteſtatur: *Ariſtotelem non vbique plane aut ſenſiſſe, aut dixiſſe, vt ſacroſanctum ſit, quicquid ſcripſerit: nam in pluribus* ait, *obtinente ratione et auctoritate fidei conuinci erraſſe, ſiquidem non modo ſtudioſum quemlibet, ſed et Deum ipſum praua poſſe committere, dicat; item, prouidentiam Dei vsque ad regionem Lunae progredi diffiteatur, et, vt diuinationem tollat praenoſcentiamque futurorum, aſſerat inferiora non regi per diuinae decreta prouidentiae, nec angelorum prodeſſe opem, aut daemonum in his, aut in futuris aliquam eſſe perſpicientiam. Eſſe et multos errores eius, qui in ſcripturis tam ethnicis quam fidelibus poſſint inueniri; verum in logica parem habuiſſe non legi. Inde fit eum accipiendum eſſe, vt ad promouendos iuuenes ad grauioris philoſophiae inſtituta doctor ſit non morum, ſed diſceptationum.* Ex quo loco memorabili diſcimus, innotuiſſe Sarisberienſis aetate ſcripta Ariſtotelis logica, et ſe acutioribus non ſine magna indignatione ceterae philoſophantium turbae

f) L. II. c. 7. p. 798.

g) L. IV. c. 24. p. 907. c. 25. p. 907.

turbae commendauiſſe, eo quod genio ſeculi diſceptationibus fauenti inſeruire viderentur, et ornatior eſſet dialecticae Ariſtotelicae ratio, quam illius, quae Auguſtino tribuebatur: abhorruiſſe autem eam aetatem a ſequentium ſeculorum Ἀριστοτελομανίας vitio, et diſplicuiſſe ei errores eius metaphyſicos et ethicos, licet haud obſcure pateat, eos non ex ipſorum ſcriptorum Ariſtotelis, quae tum nondum in vulgus edita erant, metaphyſicorum lectione innotuiſſe, ſed ex cenſuris ſcriptorum gentilium et Chriſtianorum tantum fuiſſe notos. Alia ſeculi huius monumenta idem teſtantur, et quam hoſtiliter complures contra Ariſtotelis dialecticam ſigna mouerint docent. Qua de re legenda ſunt, quae de litibus ob Ariſtotelis philoſophiam in academia Pariſienſi obortis attulit Io. Lavnoivs [h]. Exempla eius rei in ſequentibus occurrent in vitis Abaelardi, Gilberti Porretani, Petri Lombardi, Petri Pictauini aliorumque, qui haereſeos accuſabantur ob nimium Ariſtotelis amorem, quo ſeducti eius errores in theologiam inuexiſſe videbantur. Maxime vero contemtus Ariſtotelis patuit in Abaelardi controuerſia, in qua Bernardus, vehementi zelo in philoſophiam Ariſtotelis inſurrexit, et paſſim odium hoc ſuum ferente occaſione prodidit, et id ſibi gloriae duxit, quod Ariſtotelis verſutias non intelligeret. Et vt ſcias, dialecticam eius virum grauiſſimum, ſed affectui nimis indulgentem, petere ecce quam mire philoſophum ſugillet [i]: *Solus iſte de ſola virgine naſcitur, et virginis vterum nouo et ſingulari partu diuinitas humana ſigillat. Vbi nunc Ariſtotelicae ſubtilitatis facunda quidem, ſed infoecunda loquacitas? Si peperit, cum viro concubuit, velit, nolit, vertitur in habitum priuatio, nec adſtringitur dialecticis terminis omnium terminator, ad cuius imperium perit natura, diſſueſcit conſuetudo.* Alia huius generis paſſim occurentia, breuitatis cauſſa praetermittimus.

Dialecticae, Peripateticae ſtudium ſeculo XII vehementer ferueus.

§. II. Fecit tamen ſeculi huius, quo ſummo ſtudio in dialecticas velitationes ferebatur, amor, magnaque quam de ſubtilitatibus, quae illis iungi ſolebant, metaphyſicis conceperant opinio, gloriae, quam ea re conſequebantur ſtimulo nutrita, vt vbique dialectica ſtrepere vocemque attollere garrulam inciperet, paſſimque nouae ſcholae ſurgerent, quarum ſumma cura fuit, dialecticae praecepta tradere, et iis ducibus magnis clamoribus diſputationes inſtituere. Suſcepiſſe ſe hoc fatetur Abaelardus [k] tanto feruore, *vt cum ad Caſtrum Corbolii, Pariſiacae vrbi vicinum ſcholas ſuas transtuliſſet, vt inde crebriores diſputationis aſſultus, haec daret contra aduerſarium opportunitas, ex immoderata ſtudii afflictione correptus infirmitate cogeretur repatriare, quaeſitus tamen ardentius ab illis, quos dialectica ſollicitabat doctrina.* Idem de praeceptore ſuo Guilelmo refert, eum induto habitu monaſtico in ipſo quoque monaſterio, ad quod ſe religionis cauſſa contuliſſet, ſtatim more

h) De varia fort. Ariſtot. in Academ. Pariſ. c. 1. ſeqq.
i) Serm. II. de Natiu. dom.
k) Loc. cit.

more ſolito publicas exercuiſſe ſcholas et diſputationes dialecticas frequenter inſtituiſſe. Cauſſam eius rei perquirenti duo momenta occurrunt, quae magnum habuiſſe in eam influxum fatendum eſt. Vnum Saracenica philoſophia ſuppeditauit, quae tum temporis in Hiſpania quoque florebat. Hanc inter barbaras gentes excoli laudarique, hanc a Iudaeis quoque inter hos populos habitantibus non ſine gloria diſci, ingenia paulo liberiora, cultumque animi non prorſus negligentia videbant, inter ſuos autem contemni indignabantur; certe quam exiguo fructu ex ſterilibus riuulis philoſophia hauriretur, nullo fere negotio intelligebant. Vt itaque et ſibi meliora paſcua quaererent, et aliorum quoque conatus iuuarent, ad Saracenos profecti ſunt, et linguam Arabicam didicerunt, lectisque libris philoſophicis, quos inter Arabes tum magno numero viguiſſe, et Ariſtotelis philoſophiam explicuiſſe, in hiſtoria philoſophiae Saracenicae tradidimus, Peripateticam quoque philoſophiam aſſecuti ſunt; eam vero ſuſceptis verſionibus hominibus occidentalibus commendare ſunt aggreſſi. Cuius quidem negotii ſuſcipiendi ſeculo XI ad finem properante occaſionem ſuppeditauit CONSTANTINVS AFER, monachus Caſſinenſis, cui, niſi fallimur, primo verſiones librorum philoſophicorum Abrabicorum debemus. Is, narrante PETRO DIACONO in *Auctario* ad LEONIS *Chronicon Caſſinenſe* [l], *egreſſus e Cathagine, de qua oriundus erat, Babyloniam petiit, in qua grammaticam, dialecticam, geometriam, arithmeticam, mathematicam, aſtronomiam, nec non et phyſicam Chaldaeorum, Arabum, Perſarum, Saracenorum, Aegyptiorum ac Indorum pleniſſime eruditus eſt. Completis autem in ediſcendis iſtiusmodi ſtudiis triginta et nouem annorum curriculis, ad Africam reuerſus eſt. Quem cum vidiſſent Afri, ita ad plenum omnium gentium ſtudiis eruditum, cogitauerunt occidere eum. Quod Conſtantinus agnoſcens, clam nauem ingreſſus, Salernum aduenit* [m], *ibique ſub ſpecie inopis aliquamdiu latuit. Deinde a fratre regis Babyloniorum, qui tunc eo aduenerat, agnitus, ac in magna honorificentia apud Robertum ducem habitus eſt.* Haec Petrus, qui in libro quoque *de viris illuſtribus Caſſinenſibus, cum philoſophicis ſtudiis pleniſſime eruditum Orientis et Occidentis magiſtrum nouumque effulgentem Hippocratem* vocat, vt laudes TRITHEMII [n] et ARNOLDI WIONIS [o] taceamus, quibus plerique ex recentioribus ſuccinunt, qui res eius tetigerunt. Caſſinenſe vero monaſterium ingreſſus, et a Deſiderio abbate [p] lubentiſſime exceptus, ad transferendos optimos ex linguis Orientalibus libros ſe magna cura accinxit. Hebraeam enim, Syriacam, Chaldaicam, Graecam, Latinam, Italicam, Perſicam,

Occaſio conuertendarum verſionum ſcriptorum Arabicorum.

Conſtantinus Afer.

l) L. III. c. 35. T. IV. Script. Ital. a praeſtantiſſimo Muratorio editorum pag. 455. eadem repetit PETRVS de illuſtr. viris Caſſin. c. 23. p. 180. Bibl. eccleſ. I. A. Fabricii.

m) Hinc ſcholae Salernitanae auctor praecipuus haberi ſolet, vid. CONRING. Antiqq. Acad. Diſſ. III. p. 98. et Introd. in artem med. L. III. c. 26. SCHELHAMERVS ad h. l.

n) De S. E. c. 286. p. 180. de illuſtr. Bened. L. II. c. 70.

o) De ligno vitae V. 98.

p) Is Victor III. P. R. poſtea fuit.

cam, Arabicam, Aegyptiacam, Aethiopicam et Indicam linguam diſcere curauiſſe, facile credi poteſt Io. BAPTISTAE MARO [q]. Quamuis autem plerique, quos vertit, libri, medici fuerint, vnde a ſcriptoribus hiſtoriae literariae Medicinae negligi non ſolet [r], ſunt tamen quaedam, quae ad philoſophiam quoque ſpectant. *Diſputationem* enim *Platonis et Hippocratis in ſententiis* eum ſcripſiſſe teſtatur PETRVS DIACONVS [s], et libros de dogmatibus Hippocratis et Platonis ſe vidiſſe teſtatur Symphorianus Champerius. Extat etiam inter eius opera [t], *de animae et ſpiritus diſcrimine*, itemque *de incantationibus epiſtola*, et alia, ex quibus patet, Conſtantinum philoſophiam quoque non neglexiſſe. Hic vero cum ad ſolam phyſicam et rem medicam reſpexiſſet, paucis eo ſeculo, quod dialecticum fuiſſe ſupra probauimus, placere potuit. Accenſum tamen virorum quorundam doctorum ſtudium, vt quod inter ſuos non inueniebant, apud Arabes quaererent. Inter quos, praecipue circa finem ſeculi XI, mathematicarum diſciplinarum amore exſtimulatus, DANIEL a villa natali MORLEI in Norfolcia Angliae, Morleius, vel Monlegus dictus, poſt frequentatas Oxonienſem et Pariſienſem academias in Hiſpaniam ad Saracenos abiit, Toletique mathematicas diſciplinas et Arabicam linguam didicit, teſte LELANDO [u] et BALEO [v]: quod vero PITSEVS [x] aſſerit, *eum in Arabiam iter ſuſcipere diſpoſuiſſe* probari non poteſt. Fructus huius morae inter Arabes laudati ſcriptores indicant, libros *de inferiori et de ſuperiori parte mundi*, ad Ioannem Oxonienſem epiſcopum Nordouicanum, qui et ipſe matheſeos ſtudioſus erat; librumque *de principiis mathematicis*. Simile inſtitutum ſeculo XII tenuit ROBERTVS RETINENSIS, qui et Ketenenſis dicitur, Anglus, Archidiaconus in Hiſpania Papilonenſis. Is enim poſt Galliam, Italiam, Dalmatiam et Graeciam luſtratas, in Syriam tandem tranſiit, et inter Saracenos commoratus linguam Arabicam didicit. Tandem in Hiſpaniam redux Pampelonae archidiaconus factus anno CIↃCXLIII obiit. Nominis vero famam meruit ſuſcepta Petri Cluniacenſis inſtigatione et precibus, Alcorani verſione Latina, quam tamen ineptiſſimam et ſtrigoſam eſſe iudicat PETRVS DANIEL HVETIVS [y]. In eo vero labore ſocium habuiſſe Hermannum Dalmatam referunt PETRVS CLVNIACENSIS [z] et BALEVS [a], quos vide. Hi vero omnes cum ad reliquas philoſophiae partes parum conferrent, ſolis medicis ſcriptoribus vel theologis, vti dictum, inſudando, ADELARDVS ſiue Athelhardus Anglus, Ord. S. Benedicti monachus Badunienſis ſiue Bathonienſis ſimili conatu philoſophiam iuuare aggreſſus eſt. De eo GVILELMVS MAL-

Daniel Morley.

Robertus Retinenſis.

Adelardus.

q) Ad l. c. Petri Diaconi.
r) Pleraque ad eius hiſtoriam literariam pertinentia pulchre complexus eſt FREINDIVS Hiſt. medic. P. III. p. 2. ſeqq. conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 123. et Scriptores hiſtoriae medicae alii.
s) loc. cit. de Scr. Caſſin.
t) Prodiere Baſil. 1539. fol.
u) Cap. 220.
v) Cent. II. ſcr. 29.
x) pag. 254.
y) De claris interpret. p. m. 230.
z) Biblioth. Cluniac. p. 1019.
a) Cent. II. ſcr. 80.

MALMESBVRIENSIS [b] videndus, et post eum LELANDVS [c], BALEVS [d] et PITSEVS, aliique historiae literariae scriptores [e]. Vixit sub Henrico I, et mathematicarum atque physicarum scientiarum cupiditate inflammatus cum domi non haberet, vnde sitim restingueret, ad Saracenos abiit, linguamque Arabicam doctus tanta diligentia in naturae arcanis rimandis vsus est, vt physicam Arabum doctrinam artesque mathematicas egregie perdisceret, et philosophorum Graecorum ex Arabico versiones haud inuita Minerua susciperet. Scripsit is *quaestionum naturalium* librum, in quo dialogo cum nepote suo instituto de rebus physicis disputat, quem *dialogum de rerum siue naturalium compositorum caussis* ad Richardum Baiocensem episcopum edidit EDMVNDVS MARTENE [f]. Ex eius prologo patet [g], Adelardum in Gallia iuxta Laudisdunum philosophiam docuisse, quam cum disciplinis mathematicis iunxit, vnde complura eius scripta physica et mathematica passim in bibliothecis reperiuntur, quae diligenter recensuit CASIMIRVS OVDINVS [h]. Inter ea *versio* quoque *Euclidis* est, confecta ex Arabico. Fallitur autem OVDINVS, dum nullibi huius scriptoris mentionem fieri putat, quam apud THOMAM IAMESIVM [i], nam Guilelmum Malmesburiensem iam eius meminisse supra iam obseruatum, cuius locum produxere Io. SELDENVS et HERMANNVS CONRINGIVS [k]. Fefellit itaque coniectura eruditissimum HEVMANNVM [l], suspicantem Adelardum forte ab Abaelardo non esse diuersum; cum vterque anno cIↃ cxx docuisse in Gallia dicatur, in qua ignotum sit Adelardi, notum autem Abaelardi nomen, qui et mathematicus habitus sit, et magistri axioma nomenque tulerit, et ex Britannia minore fuerit oriundus. Adelardum enim ex Anglia oriundum ab Abaelardo et gente, et loco, et studiis diuersum esse, ex dictis clarissimum est. Inter Germanos simile quid tentasse Othonem Frisingensem contendit ADAMVS TRIBBECHOVIVS [m], obseruans, *Caroli M. aetate iam versos ex Arabicis Aristotelicorum libros aliquot, vt ex* TRITHEMIO *ad annum* IↃCCCXL *constet; postmodum vero Othonem Frisingensem reliquos ex Hispaniis et potissimos interpretum Arabicorum sumtibus haud paruis ex Hispaniis curauisse apportandos, cumque generis et opum gratia floreret, eosdem verti et in scholis praelegi iussisse.* Sed mire tempora confundit Tribbechouius, seductus a TRITHEMIO [n], qui Fridericum I. cum Friderico II. miscet, et Ottonem nepotem, ait, fuisse Friderici II, quod falsum esse, in sequentibus dicemus. Hunc enim imperatorem Arabicas

 versio-

b) De gestis reg. Angliae L. II. c. 10.
c) Cap. 171. d) II. 69.
e) Conf. SELDEN. Orig. Alex. p. 156. CONRING. l. c. suppl. LII. p. 349.
f) Anecdotor. T. I. p. 292.
g) Dialogum de rerum compositarum caussis a libro Problematum siue naturalium quaestionum LXXVI distinguit FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. I. p. 29. Verum vnum idemque scriptum esse, sed variis titulis insignitum conicere licet, ex variis eius inscriptionibus ab Oudino ex catalogis mss. Angliae recensitis, et ex ipsa docendi ratione. Msc. tamen cum non viderimus, nihil definiemus.
h) De S. E. T. II. p. 1016.
i) In ecloga MSS. Ox. et Cantabrig.
k) II. citt.
l) Act. philol. Vol. III. p. 581.
m) De DD. Scholast. c. III. p. 128. c. VI. p. 322.
n) De S. E. c. 477. p. 118. 119. Annal. Hirsaug. T. I. p. 596.

verſiones apportari earumque verſiones confici et praelegi in Athenaeis publicis iuſſiſſe, cum ex Auentino Tribbechouius obſeruauiſſet, Radeuici vero teſtimonio demonſtrauiſſet, philoſophiam Ariſtotelis Ottonem primum fere Germaniae intuliſſe, perperam inde concludit, Friſingenſem epiſcopum verſiones has Arabicas Friderico ſuppeditauiſſe. Qua ratione dimidii fere ſeculi parachroniſmum committit; Fridericus II enim ineunte demum ſeculo XIII has verſiones fieri curauit. Ottone anno cIↃ CLVIII demortuo. Non audiendus itaque eſt Tribbechouius, et ex philoſophica hiſtoria eliminanda haec fabula. Neque tamen ita negamus, medio ſeculo XII verſiones quasdam librorum philoſophicorum ex Arabicis confectas lectas fuiſſe, et quod Io. SELDENVS [o] tradit, primum id factum ſub Lothario Saxone et Friderico Aenobarbo. Qualem verſionem forte vidiſſe Ottonem Friſingenſem, non ab omni veriſimilitudine alienum, quemadmodum probabile quoque eſt, earum paucitatem raritatemque occaſionem dediſſe Friderico II, de nouis pluribusque exemplaribus diſpiciendi. Has autem verſiones etiam in Gallia tandem innotuiſſe, vix negandum videtur PETRO GASSENDO [p], qui circa adoleſcentiam Pariſienſis ſcholae eas iam vulgatas eſſe contendit, qui tamen ipſe quoque in conſtituendis temporibus non ſatis accuratus eſt. Et hac quidem ratione dialectica et metaphyſica quoque Ariſtotelis ſcripta inter Gallos, Germanos, Italosque ſenſim inualuiſſe, certum videtur. Alterum, quod Peripateticam philoſophiam orbi philoſophico notiorem fecit, momentum, ipſa Graeca exemplaria ſcriptorum Ariſtotelis ſuppeditant, quae hoc ſeculo Conſtantinopoli in Occidentem delata eſſe conſtat. Licet enim nonnullis in locis ea a monachis quibusdam Graece doctis legerentur [q], plerique tamen, ob Graecae linguae ignorantiam ea negligebant, contenti verſionibus Victorini et Boëthii. Aſt *in diebus illis*, anno nempe cIↃ CCIX, *legebantur Pariſiis libelli quidam de Ariſtotele, vt dicebantur, compoſiti, qui docebant metaphyſicam, delati de nouo a Conſtantinopoli et a Graeco in Latinum translati*, quae verba ſunt RIGORDI [r] ſcriptoris coaeui, adducta a Io. LAVNOIO [s]. Qui HVGONIS quoque continuatoris ROBERTI S. Mariani Antiſſiodorenſis monachi verba affert, ex quibus conſtat, etiam libros Ariſtotelis de naturali philoſophia tum Pariſiis lectitari coepiſſe. Ex quibus locis recte, niſi fallimur, collegit NATALIS ALEXANDER [t], et phyſicos et metaphyſicos Ariſtotelis libros Pariſiis tum lectos fuiſſe, praecipue cum non inſolitum fuerit, ſub metaphyſicorum librorum nomine naturales quoque intelligere. Illud certum, et Rogerii Baconi teſtimonio quoque a Io. SELDENO [u] euictum, naturales et metaphyſicos libros anno cIↃCCIX theologos

o) Orig. Alexandr. loc. cit.
p) Exercit. parodox. adu. Ariſtoteleos, Ex. III. p. 74.
q) Exemplo eſſe poteſt Hermannus Contractus S. Galli philoſophus.
r) In vita Philippi Auguſti.
s) De fort. Ariſtot. c. I. p. 127.
t) Hiſt. Eccleſ. T. VII. c. 3. art. 2. p. 76.
u) De I. N. et G. L. I. c. 2. p. 35.

logos Parisienses suis legendos interdixisse, adeoque vtrosque tum lectos fuisse. Ita personante in cathedris Parisiensibus philosophia Aristotelis, ab iis, qui in hac celeberrima Musarum sede philosophiam didicerant, aliorsum quoque traducta et propagata est. Factum id praecipue in Germania cura OTTONIS FRISINGENSIS, viri doctissimi, magnique suo tempore literarum praesidii. Is Leopoldi S. Archiducis Austriae et Agnetis, filiae Henrici IV. filius, Conradi III imperatoris frater vterinus a patre collegio quidem, Neoburgi recens a se exstructo praefectus erat [x]. Cum autem summo discendarum vberius literarum desiderio flagraret, deposita praepositura ad Parisiensem scholam conuolauit, et philosophiam ibi Peripateticam didicit, factus postea monachus Cistercienſis in coenobio Morimundensi, eiusque abbas tandemque episcopus Frisingensis, cancellarius insuper imperatoris a Conrado fratre renunciatus, de cuius rebus passim historici praecipiunt [y]. Is eo tempore Parisiis literis operam dabat, quo P. Abaelardi et Gilb. Porretani controuersiae vigebant, quas ex dialectica originem cepisse infra demonstrabimus, ipseque pulchre obseruauit episcopus eruditissimus [z]. Tum itaque Aristotelicam philosophiam discens tanta eruditione scholasticum cursum absoluit, vt, obseruante WIGVLAEO HVNDIO [a] magistri, id est, doctoris theologiae gradum in ista academia obtineret. In Germaniam vero redux, Frisingaeque episcopus constitutus, philosophiam Peripateticam inter suos introduxit, et praecipue dialecticam Aristotelis Germanis commendauit. Testes damus non modo Aeneam Syluium et HELMOLDVM [b], scribentes: *Ottonem primo omnium docuisse Bauaros rationem disputandi Aristotelicam;* sed et RADEVICVM, eius amanuensem, cuius in *continuatione historiae Friderici* ab Ottone scriptae haec verba sunt [c]: *Literali scientia non mediocriter aut vulgariter instructus inter episcopos Alemanniae vel primus vel inter primos habebatur, in tantum, vt praeter sacrae paginae cognitionem, cuius secretis et sententiarum abditis praepolleba*t, *philosophicorum et Aristotelicorum librorum subtilitatem in topicis, analyticis atque elenchis, fere primus nostris finibus apportauerit.* Magna inde fama Ottonis, cum rara auis eo tempore in Germania esset huiusmodi philosophus. Vnde tumulo eius inter alia inscribi curauit RADEVICVS:

Ottonis Frisingensis ea in re studium.

Cuius frequens otium in philosophia,
Maius exercitium in theologia,
Foedus sibi mutuum in philologia,
Nunc sit ei speculum summa theoria
Ipse dedit strepere logicum tumultum,

x) Vid. CAR. DE VISCH Biblioth. Cisterc. p. 255.
y) Vid. TRITHEMIVS de S. E. c. 477. p. 118. FABRICII Bibl. Lat. med. T. V. p. 551. seqq. & quos magno numero laudat.
z) De gestis Friderici L. V. c. 46. seq.
a) Metropol. Salisb. p. 155.
b) De Slauis L. II. c. 9. T. II. Scriptor. rerum Brunsuic. Leibnizii.
c) L. IV. c. 2.

Hoc in eius cinere totum eſt ſepultum,
Talem nemo plangere poteſt ſatis multum.
Quis nunc tantam gratiam formis affirmabit?
Aut quis elegantiam dictis aſſignabit?
Quis ad conſequentiam tropos reuocabit?
Heu qualem ſententiam ſchola vento dabit?
Quid rerum compactio ſagax dum rimatur,
Matheſis abſtractio quid, dum contemplatur,
Quod nihil priuatio per hunc dum probatur;
Quid ambarum actio, morte ſciri datur.

Ex quo elogio liquere putamus, Ottonis cura dialecticae Peripateticae ſtudium inter Germanos tantopere hoc ſeculo inualuiſſe, vt inter ſumma eruditionis decora magnamque felicitatem numeraretur.

Philoſophia inde impedita, non vero promota.

§. III. Parum hac ratione philoſophiae incrementa promota fuiſſe, omnino fatendum eſt. Ipſa enim Ariſtotelis philoſophia talis non erat, qualis requirebatur, ad vera philoſophiae addiſcenda myſteria. Quae ſi ſatis proba et recta fuiſſet, impoſſibile tamen fuit huic ſeculo, eius arcana ſatis aſſequi, cum et Graecam linguam plerique ignorarent, et ab earum literarum cultu eſſent alieni, ſine quibus Ariſtotelis philoſophia intelligi nequit. Quare ſolis verſionibus fidentes veram mentem philoſophi aſſequi multoties nequibant. Vt taceamus magnam hoc ſeculo regnauiſſe veteris philoſophiae ignorantiam, ſine cuius tamen cognitione impoſſibile eſt philoſophi ſcripta ſatis obſcura intelligere. Mirum itaque non eſt, theologos Pariſienſes, quos non intelligebant, libros, haereſeos ſuſpectos habuiſſe, eosque prohibuiſſe. Igitur ſola dialectica extollebatur, et excolebatur, quae quanto ſtudio culta ſit, ſupra iam tetigimus, quo vero fructu, mox dicemus. Maius tamen malum inuexerunt verſiones Arabicae, Latinis auribus accommodatae. Eas enim infauſto ſidere et indignante Minerua factas eſſe, in hiſtoria philoſophiae Saracenicae iam oſtendimus, et luculento exemplo in Auerrois vita illuſtrauimus. Has malas vero, Latinas faciebant peiores huius ſeculi homines, vt ex illo ſpecimine, quod non ſine indignatione exhibuit LVDOVICVS VIVES [d], diſci poteſt. Aſt hi fontes plerisque philoſophantibus erant, ex quibus haurienda erat philoſophiae Peripateticae cognitio. Sed ferri tamen id vtcunque potuiſſet, ſi in his peſtis illa ſubſtitiſſet, ſed deteriora inde mala exorta ſunt. Omnis enim illa labes, quam in philoſophia Saracenorum notauimus, ex ſcholis Arabum ad Latinos transmigrauit, et tum mos ille argumentum theologicum rationibus explicandi dialecticis et ſceptica ratione magna ſubtilitate de diuinis rebus armis philoſophicis pugnandi, tum ipſa principia dialectica et metaphyſica ad reuelationis myſteria applicata inualuerunt, et ita philoſophia et theologia ſcho-

d) De cauſſis corr. Art. L. V. p. m. 411.

ſcholaſtica Muhammedanorum ſuo modo ad Chriſtianos transfugit. Qui cum ab aliquot ſeculis non parua rei huius a maioribus accepiſſent exempla et ſpecimina, malo hoc indies vires capeſſente, vt in antecedente capite demonſtratum, magnis ea de re praeiudiciis occupati ſummo feruore et contentione ad hanc inſaniam properarunt, quodque hactenus in ſolis monaſteriorum ſcholis factum erat, iam in publicis Academiis ſtudiisque, quae vocabantur, generalibus praelecta, tradita et inculcata in morem tranſibant, ipſa conſuetudine probatum et auctoritate munitum. Ex quibus, vt hoc obiter moneamus, intelligi poteſt, qui de quaeſtione ſtatuendum ſit: vtrum ſcholaſtica philoſophia et theologia a Saracenorum theologia et philoſophia deriuanda haecque pro illius parente agnoſcenda ſit? Quod poſt THOMAM CAMPANELLAM [e] aſſeruere, TRIBBECHOVIVS [f], HOTTINGERVS [g] et alii. Nempe iam ante vulgatam inter Latinos philoſophiam Saracenicam librosque Arabum philoſophicos, monſtrum illud formari coepiſſe, indubitatis exemplis ſeculi decimi et vndecimi ſupra probatum dedimus, et vel ex ſolo Lanfranco vel Anſelmo Cantuarienſi diſci poteſt. Aſt fatendum ſimul eſt, ex quo philoſophia Saracenica ſeculo XII Occidentis Chriſtianis innotuit, plenis eos amplexibus inconditum philoſophiae genus recepiſſe, et inſanientium more in dialecticam debacchatos malum malo augendo ad theologiam eam transtuliſſe. Quo factum eſt, vt philoſophia ſcholaſtica maturo partu tandem egreſſa in lucem hoc ſeculo prodiret, et innumera litium infauſtarum agmina, et diſputationes inconditae exſurgerent.

§. IV. Exempla infauſti euentus memorabilia eſſe poſſunt noui illi errores et vehementes, quae ex iis exortae ſunt contentiones atque lites, quas nonnulli philoſophi ſeculo XII et XIII ineunte diſſeminauerunt, et quibus praeluſit Ioannes Roſcelinus, vt in praecedente capite dictum. Rem in ciuitatis Chriſtianae hiſtoria accurate enarrandam, paucis hoc loco ſtrictimque recenſebimus, vt quos fructus Pſeudophiloſophia haec tulerit, luculentis exemplis pateſcat. Et Abaelardi quidem controuerſiam hoc loco non tangemus, cum celeberrimi philoſophi hiſtoria infra nobis accurate exponenda ſit. Nec producendum eſſe putamus Arnaldum Brixienſem, Petri Abaelardi diſcipulum, quem dialecticae ſtudium ad haereticam prauitatem ſeduxiſſe, et pertinaci ſtudio magiſtri erroribus addixiſſe clamat BERNARDVS [h]. OTTONEM FRISINGENSEM [i] enim, qui virum ipſum nouerat, conſulentibus patet, non tam errores theologicos, quam acrem, quam in clerum exercuit, cenſuram grauemque de poteſtate Eccleſiaſtica imminuenda ſententiam Bernardum, virum quidem pium, ſed vehementem ordinis ſui paraſtatam in eum armauiſſe. Potiori iure huc referri poteſt Gilbertus Porretanus, de quo vero cum infra diſſerendum ſit, heic nihil afferimus. Maxime vero notari meretur

Errores ex hac Pſeudophiloſophia exorti enataque inde controuerſiae.

e) De gentiliſmo non retinendo p. 19.
f) De DD. Scholaſt. C. III. p. 128.
g) Hiſt. Eccl. Sec. XII. p. 90. ſeqq.
h) Epiſt. 195.
i) De Geſt. Frid. I. L. II. c. 20.

tur hoc ſeculo XII, et ſequente Almarici et Dauidis de Dinanto hiſtoria et controuerſia, quae tota ex philoſophia orta fuit, exemplumque eſſe poteſt luxuriantis et ineptientis ſeculi, et deliramentorum ex ſcholaſtico philoſophandi genere exortorum. Et ALMARICVS quidem Carnotenſis, qui Pariſiis theologiam docuit, ex Abaelardi diſciplina et philoſophia plurimos concepiſſe errores viſus eſt concilio Pariſienſi ſecundo anno CIↃCCIX congregato, in quo ipſe eiusque ſectatores ob quosdam articulos erroneos in eccleſiam inuectos damnati ſunt. Nos illos, qui ad theologorum ſubſellia pertinent, eis excutiendos relinquimus, qui in exponenda controuerſiarum ſacrarum hiſtoria deſudare ſolent [k], errores eius philoſophicos tantum expoſituri. Quorum ſummam ita expoſuit GERSON [l], cuius locum produxit IACOBVS THOMASIVS [m]: *Omnia ſunt Deus; Deus eſt omnia: Creator et creatura idem; ideae creant et creantur; Deus ideo dicitur finis omnium, quod omnia reuerſura ſunt in ipſum, vt in Deo immutabiliter conquieſcant, et vnum indiuiduum atque incommutabile permanebunt. Et ſicut alterius naturae non eſt Abraham, alterius Iſaac, ſed vnius atque eiusdem: ſic dixit omnia eſſe vnum, et omnia eſſe Deum. Dixit enim Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum.* Graue hoc ἔγλημα eſſe, quilibet intelligit, et errorem peſtilentiſſimum, multoties quidem in orbe philoſophico recoctum fouere, videt. Quem vero priusquam exponamus, quaerendum prius eſt, vtrum vere hunc errorem Almaricus errauerit? Valde enim ſuſpecti iudices ſunt theologi Pariſienſes: Cum enim aegerrime ferrent, dialecticam Auguſtini, cuius tanta hactenus in cathedris philoſophantium fuerat auctoritas, negligi, et Ariſtoteli, homini gentili poſtponi, nec pati poſſent, nouos hos homines ſupra ſuum captum, vſos ſcriptis Ariſtotelis phyſicis et metaphyſicis, aſſurgere et philoſophari, indigne autem non ferre non poſſent, auditores relictis doctoribus priſtinis ad nouos magiſtros properare eorumque replere auditoria (quae res vna nunquam non litibus pugnisque innumeris excitandis ſuffecit) odio et inuidia in eos accendi debebant, idque ita factum eſſe, luculentiſſime teſtabitur Abaelardi hiſtoria infra enarranda. Cuius cum imitatorem eſſe Almaricum concilii huius PP. clamauerint, ideoque Ariſtotelis quoque libros damnauerint, quod ex his radicibus nouus hic ſurrexiſſe ſurculus viſus eſſet, non iniuſta ſuſpicio oboritur, inuidiam plus in damnando Almarico valuiſſe, quam philoſophiam, praecipue cum non viuus, audita eius explicatione et apologia, damnatus fuerit, ſed poſt fata demum reiectus, tanta inhumanitatis ferocia, vt corpus ſepulchro eiiceretur, locoque infami conderetur, vt ex ROBERTO hiſtorico expoſuit Io. LAVNOIVS [n]. Quibus probe expenſis fatemur, totum huius concilii iudicium

Almarici controuerſia.

k) Vid. EDM. MARTENE Anecdot. T. IV. p. 163. BVLAEVS Hiſt. Acad. Pariſ. T. III. p. 24. 28. NAT. ALEXANDER Hiſt. Eccl. T. VII. p. 75. et ſcriptores H. E. plerique.

l) De conc. metaph. cum log. P. IV.

m) De exuſt. mundi Stoica Diſſ. XIV. p. 200. Conf. EIVSD. Orig. Hiſt. Phil. et Eccleſ. n. 39. p. 112.

n) De fort. Ariſtot. in Acad. Pariſ. c I. p. 129.

cium nobis valde esse suspectum, viderique nobis verisimillimum, Almaricum Realium hypothesibus innutritum talia docuisse, quae cum argumentum theologicum ab inuidia ductum accessisset, deductis consequentiis odiosis tandem eam formam acceperint, quam Gersonis verba depinguntur: licet fieri quoque potuerit, vt discipuli eius, qui tanquam mali commatis homines apud LAVNOIVM o) depinguntur, incauta quaedam praeceptoris dogmata pessime applicuerint, et ad nouos errores traduxerint. Verum de his et similibus certi quid statui haud potest, eo quod ipsius Almarici et sequacium scripta nobis desint, et incerta sit aduersariorum eum damnantium fides. Quod si tamen supponimus, vera esse, quae ipsi tribuuntur, cum nec impossibile, nec prorsus improbabile sit, Almaricum prurientis ingenii curiositate instigatum eiusmodi sibi de rerum omnium origine systema metaphysicum formauisse, quale illi Gersonis verba tribuunt, altera iam nobis quaestio exsurgit; ex quo fonte hos errores Almaricus hauserit, vtrum ex philosophia Platonica an ex Aristotelica hos riuulos impuros in suae philosophiae latifundia deduxerit? Prius visum IACOBO THOMASIO p), viro veteris philosophiae peritissimo. Is enim obseruat ex Hostiensi, *Almaricum errores suos libro cuiusdam Ioannis Scoti debere, illius puta, qui alias Erigena vsurpatur, nonoque Christiano seculo viuens Pseudo-Dionysium Areopagitam, cuius ipse magnus admirator fuit, primum latinitate donauit. Pseudo-Dionysium autem Platonicum fuisse, ne illos quidem negare, qui pro Germano habeant Areopagita. Esse vero mysticam theologiam, cuius antiquissimus scriptor iste Dionysius habetur, Platonicae philosophiae traducem.* Haec alibi q) latius prosequitur, exponitque, quemadmodum paulo post, quam apud Latinos haec theologia formulam artis accepit, Almaricus ipsi atrox venenum suffuderit, Enthusiasmi supra Platonem praeco portentosus. Aliter tamen B. Io. FR. BVDDEVS r), qui posteriorem sententiam amplexus, ex philosophia Aristotelica hos errores Almarici deriuandos esse contendit. Prouocat is, partim ad testimonium Rigordi s), qui clarissime prodit; *Libellos Aristotelis metaphysicos in synodo Parisiensi ideo damnatos et igni tradendos iudicatos esse, quod non solum haeresi Almarici sententiis subtilibus occasionem praebuerint, sed et aliis nondum inuentis praebere possent:* partim ad naturam systematis Platonici, quod materiam a Deo, ipso obseruante Thomasio, longius remouet, quam systemata reliquorum gentilium philosophorum omnia; partim ad errorem discipuli Almarici, Dauidis de Dinanto, qui Deum dixit esse materiam primam, errore Peripatetico, non Platonico. Nostra opinione, salua virorum celeberrimorum auctoritate, quorum cineres

o) De fort. Arist. loc. cit.
p) Il. cc.
q) Orig. Hist. Phil. l. c.
r) De haeres. ex Phil. Arist. ortis, Obs. Hal. Lat. P. I. Obs. 15. p. 200. Anal. p. 333. Thes. de Atheismo c. I. §. 23.
s) In P. PITHOEI vndecim script. p. 208.

res ob praeſtantiſſimam eruditionem merito veneramur, vterque ex vero vidit aliquid, neuter verum omne detexit. Quod vt luculenter demonſtremus, Lectori ea in memoriam reuocamus, quae ſupra de Ioannis Scoti Erigenae philoſophia prolixe diſſeruimus, oſtendimusque philoſophum Britannum electo ſibi enthuſiaſtico philoſopho Pſeudo-Dionyſio praeceptore, totum ſyſtema emanatiuum recepiſſe, adeoque eius principiis conuenienter docuiſſe, omnia eſſe ex Deo, cuncta ex eo emanaſſe, effeque in illum reditura, resque ideo omnes vnum quid eſſe, non ſenſu quidem Eleatico, Stoico, vel Spinoziſtico, ſed Alexandrino: Hoc autem ſyſtema rationibus phyſiologiae Peripateticae accommodauiſſe, quod et ipſum hunc Enthuſiaſmum patitur, eo quod ſupremus motor in reliquas intelligentias modo ordineque ſubalterno, et mediante intelligentia vltima, quae intellectum vniuerſalem hominum conſtituit, in ipſum humanum genus influxum habet, et intellectus humanus actiuus pars ſit illius intellectus vniuerſalis ex Deo progreſſi. Haec ſi ſupponimus, vt negari ſalua hiſtoriae philoſophicae fide non poſſunt, non reiiciendum nobis eſſe videtur Hoſtienſis et Odonis Tuſculani teſtimonium, afferentium, Almaricum ex libris Ioannis Scoti hos errores hauſiſſe. Valde in eo confirmamur, non modo horum teſtium auctoritate, ſed quoque bulla Honorii III. P. M. ad quam ſupra iam prouocauimus. In ea enim papa ſatis luculenter docet, *Pariſienſem epiſcopum, ſibi ſignificauiſſe: inuentum eſſe quendam librum, qui perifiſis* (de naturae diuiſione) *tituletur, tot ſcatentem vermibus haereticae prauitatis, vt in prouinciali Senonenſis archiepiſcopus concilio iuſto Dei iudicio eum reprobauerit; hunc autem librum clauſtrales nonnullos et ſcholaſticos viros ſtudioſe legere* etc. Haec cum anno CIↃCCXXV ſcripta ſint, facile intelligi inde poteſt, epiſcopis et theologis Galliae ante hunc annum librum iſtum ſuſpectum fuiſſe, et in iſto concilio prouinciali, cui archiepiſcopus Senonenſis praefuit, tanquam fontem haereſeos Almarici reiectum fuiſſe. Argumentum hoc hiſtoricum aliud confirmat, ex ipſa libri Scoti inſpectione deſumtum, cuius verba cum ſuperiori capite iam adduxerimus, nolumus actum agere, eaque heic iterum apponere, ſed Lectorem rogamus, vt ea mente reuoluat relegatque, clariſſime enim parallelismum inter Scoti et Almarici placita deprehendet. Nec nos magnopere moratur, quod Buddeus vehementer vrget, philoſophiam Platonis nimium materiam a Deo remouere, vt dici poſſit, omnia eſſe vel Deum vel ex Deo: Non enim hoc inficiamur, immo fatemur, dum materiam Deo opponit coaequalem, non potuiſſe Platonem eam deriuare ex Deo: haec vero ad hunc locum proprie non pertinent, vbi non de primae Academiae placitis, ſed de ſyſtemate Platonico-Alexandrino ſermo eſt, quod dualiſticum Platonis ſyſtema in emanatiuum mutauit, vt inuictis rationibus *Tomo ſecundo* demonſtratum eſt. Ex hoc Alexandrino fonte autem et Dionyſius ille perſonatus et Ioannes Scotus ſua hauſerunt, quibus

bus vetus Platoniſmus obiici haud poteſt. Cum autem et lectus et magni habitus ſit iſte laruatus ſcriptor inter Gallos, cur non dici queat Almaricum eiusque ſequaces, ſi modo talia docuerunt, quae illis tribuuntur, ea ex his lacunis hauſiſſe? Neque tamen Peripateticam philoſophiam nihil ad hos errores incruſtandos contuliſſe, ſtatuendum eſt, quae praeciſionibus mentalibus, et abſtractionibus metaphyſicis eo tempore circa has nugas valde occupata erat. Exorta enim, obſtetricante Rucelino, Nominalium ſecta, qui in contrariam partem tranſiuerant Reales eo potiſſimum contradictionis aeſtu abrepti delati ſunt, vt ex parte rei omnia eſſe vnum dicerent, quamuis ex parte indiuiduorum variis accidentibus modificarentur. Hanc Guilelmi Campenſis ſententiam fuiſſe, ABAELARDVS [t] clariſſime prodit ſcribens: *Erat in ea ſententia de communitate vniuerſalium, vt eandem eſſentialiter rem totam ſimul ſingulis ſuis ineſſe adſtrueret indiuiduis; quorum quidem nulla eſſet in eſſentia diuerſitas, ſed ſola multitudini accidentium varietas.* Quae opinio an ipſi Ariſtoteli placuerit, vel an ex Eclectica ſchola ad Scholaſticos peruenerit, hoc loco expendere nihil refert, et difficulter ex ipſis Ariſtotelis ſcriptis definiri poteſt? illud vero certum, medio aeuo hoc dogma pro genuino Peripatetico fuiſſe habitum, et, veriſimiliter ex intellectu actiuo vniuerſali ab Ariſtotelicis admiſſo ortum ſuum accepiſſe. Poſito enim hoc intellectu vniuerſali; qui rerum omnium in ſe ideas complectitur, has quoque omnes vnum quoddam vniuerſale eſſe, et indiuiduis tantum applicari, vt intellectus eſſentialiter vnus cum ſingulis hominibus communicetur facile colligebant acutiſſimi philoſophi. Haec cum Almaricus in ſcholis dialecticorum didiciſſet, iſtis principiis imbutus, lectis Scoti et Dionyſii libris non potuit non ſtatuere, omnia eſſe vnam eſſentiam, ideas creare et creari, cuncta redire in Deum, etc. cum haec, ſi non ratione ipſius ſyſtematis, ratione dogmatis tamen et τῆς φράσεως mire cum principiis Realium concinerent, et metaphyſica Ariſtotelis frigidam his dogmatibus ſuffunderet. Ex quibus ſatis luculenter conſtare putamus, et Platonismum Alexandrinum et Peripateticiſmum inter ſe iunctos hos errores gignere potuiſſe. Qui vterque licet mire differre videatur ab altero, notum tamen ex vtriusque hiſtoria eſt, ſyncretiſmum Alexandrinum in concordiam vtrumque redigiſſe, luculento quoque exemplo Thophaili didicimus, Arabes ſimilem in modum Enthuſiasmum Aegyptiacum et Platonicum cum phyſiologia Ariſtotelis coniunxiſſe.. Ex his vero tertia, quae de Almarici erroribus agitari ſolet quaeſtio ſolui poteſt, vtrum Spinozae iſto dogmate praeluſerit? quod praeter adductos cel. REIMMANNVS [u] quoque tuetur. In ea quaeſtione enim definienda ad illa recurrendum eſt, quae in ſuperioribus prolixe ſatis de Enthuſiaſmo et Atheiſmo ſectae Eclecticae itemque philoſophiae Orientalis et Cabbaliſticae diximus. Syſtema enim emanatiuum a Spi-

t) Hiſt. Calam. ſuar. c. 3.

u) Hiſt. Atheiſmi S. III. c. 3. §. 8. p. 341.

noziſtico longe differt, aliudque hoc eorum vnum et diuerſum eſt ab vno Eleatico, Stoico, Spinoziſtico, quae tamen ipſa quoque inter ſe differunt. Si enim Gerſonis verba ſine vlla haeſitatione pro veris admittamus, patet tamen, effluxum et refluxum in Deum Almaricum ſtatuiſſe, quod ſeparationem, emanationem et egreſſum ex Deo inuoluit, et a Spinoziſtica modificatione vnius ſubſtantiae longe differt, et Enthuſiaſmum magis gignit, atque deiſmum et quandam rerum omnium ἀποθέωσιν quam Atheiſmum, quem multi, ſatis παχυλῶς loquentes, cum iſto deiſmo confundunt. Ceterum vix dubium eſſe videtur, quin Almaricus tam crudas ſententias non affirmauerit, quaeque Gerſon habet, ea ex ore potius aduerſariorum, conſequentiarum machinis eius placita aggredientium et confodientium hauſerit, quam ex ipſis eius ſcriptis collegerit. Suſpicamurque Almaricum Realium partes ſequendo, cum dicerent omnium rerum eſſe nullam in eſſentia diuerſitatem, hanc eſſentiae vnitatem ad Deum, fontem rerum omnium retuliſſe, ſicque dixiſſe, quod Auerroiſtae quoque dicere ſolebant, Abrahamum et Iſaacum eſſentia non differre. His vero poſitis, magnopere credibile eſt, inuidiam plus valuiſſe in damnando Almarici errore, quam philoſophiam. Realium enim doctrina, quamuis idem, quod Almaricus, ſtatueret, ſemper pro orthodoxa habita, et Nominalium placitis tanquam melior et purior praelata fuit, Almaricus damnatus eſt. Quem clerum ſibi forte inuectiuis reddidiſſe infenſum, ex crudelitate in eius corpus exercita colligimus. Qui cum videret, quod RIGORDVS [v] teſtatur, *Almaricum ſingulares affectare hypotheſes*, captata ex re occaſione inuidiam in argumentum theologicum traduxit, ex quo Almaricus haereticus fuiſſe conuictus eſt.

Dauidis de Dinanto errores.

§. V. Almarici diſcipulus fuit, et haereſeos ſemina ab eo accepiſſe accuſatus eſt DAVID DE DINANTO, cuius errores librosque vna cum praeceptore in concilio Pariſienſi damnatos et exuſtos fuiſſe teſtatur CAESARIVS HEISTERBACENSIS [x], de cuius erroribus ipſi tributis praeter veteres fuſe a FABRICIO [y] nominatos recentiores hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcriptores et noſtra aetate THOMASIVS [z], BVDDEVS [a], REIMMANNVS [b], videndi, qui plures nominant. Nos ad eum errorem potiſſimum reſpicimus, qui ad philoſophicam hiſtoriam pertinet. Hunc in eo hiſtorici ponunt, quod dixerit: Deum eſſe materiam primam, ſiue omnia eſſe vnum in materia. Habuiſſe eum hunc errorem ab Alexandro quodam Epicureo, nonnulli tradunt laudati THOMASIO [c], inter quos ALBERTVS MAGNVS [d] hunc Alexandri erro-

v) Apud PITHOEVM loc. cit.
x) Dial. V. 22.
y) Bibl. Lat. med. T. II. p. 44.
z) De exuſt. mundi Stoica Diſſ. XIV. §. 97. ſq. p. 199. ſeqq.
a) II. ſupra cit.
b) l. c. §. 9. p. 342.
c) loc. cit.
d) I. Phyſ. tr. 3. c. 12. p. 15.

errorem ita enarrat: *Fuit Alexander Epicureus quidam philoſophus, qui Deum eſſe dixit materiam, vel non eſſe extra ipſam, et omnia eſſentialiter eſſe Deum, et formas eſſe accidentia imaginata, et non habere veram entitatem, et ideo dixit, omnia idem eſſe: Et hunc Deum vocauit aliquando Iouem, aliquando autem Palladem, et aliquando Apollinem, et formas eſſe peplum Palladis et veſtem Iouis, et neminem ſapientum dixit ad plenum poſſe reuelare occulta ſub peplo Palladis, et ſub veſte Iouis.* Ex his duplex de Dinantii opinione quaeſtio exoritur, vna de mente Dinantii, altera de origine huius erroris. Et quod ad priorem quaeſtionem attinet, ex dogmate Almarici de diſcipuli quoque opinione iudicium fieri poteſt. Quemadmodum enim ille rerum omnium fontem Deum conſtituendo, ex aeterna hac eſſentiarum origine rerum omnium naturam deriuauit, et ad realitatem eſſentiae vnam, quam Reales tuebantur, applicuit: ita materiam quoque omnem in Deo eſſe, exque Deo ortam et ab eo formam accipere, inque eum redituram quoque eſſe Dinantius eodem ſenſu tradidit. Quamuis enim Almaricus finem eſſe rerum omnium diceret, diſcipuli formam, et Dinantius materiam, dicerent, recte tamen obſeruatum IACOBO THOMASIO a), nec finem, nec formam Almarici abludere a materia Dinantii, ſed idem innuere. Finem enim Deum rebus omnibus dabat Almaricus, quod omnia ex Deo orirentur, et formam quoque ab eo acciperent, adeoque tandem in eum tanquam fontem ſuum reditura eſſent, id quod craſſiori vocabulo materiam Dinantius vocauit. Quae cum ex ſyſtemate emanatiuo facile intelligi queant, quod inter creationem ex nihilo et ſyſtema dualiſticum medium ita tenuit, vt Deum rerum omnium materiam faceret, prolixa heic explicatione opus haud habent. Vnde vero hunc errorem Dinantius hauſerit, ſuperuacaneam quaeſtionem eſſe putamus, ſi verum eſt, fuiſſe eum Almarici diſcipulum; ex eo enim facile intelligitur, Alexandrino-Platonicam philoſophiam hos theſauros Dinantio ſuppeditauiſſe. Ipſe enim Almaricus finem rerum Deum ponendo, id eſt extremum, in quod omnia redeant, communem rerum omnium ὕλην, licet elegantius tectiusque, in Deo poſuit. Nec obſtat, in concilio Pariſienſi Dinantii quoque errorem, tanquam ex Ariſtotelica philoſophia enatum damnatum fuiſſe. Id enim omnino concedimus, cum ipſam materiae primae vocem Dinantius ab Ariſtotele acceperit, et ex eius metaphyſica transſumſerit. Is enim cum praeciſione mentali vſus, ab omni corporis affectione, quantitate et qualitate materiam primam remouiſſet, ſicque ſummam ei ſimplicitatem tribuiſſet, eam autem ſubiectum eſſe rerum omnium, et ante omnia exiſtere, et ex eo cuncta fieri, et omnes recipere formas dixiſſet, ſolam notionem ſubiecti ex quo, abſtractione quadam conſiderans, ſicque principium aliquod imaginarium introducens, quod nullibi, niſi in ſuomet ingenio exiſteret; philoſophi

a) De exuſt. mundi Stoica Diſſ. XIV. §. 97. ſqq.

medii aeui philoſophum ſubtilem non ſatis aſſecuti, quid materia prima eſſet, non intelligebant. Dinantius autem cum ex ſyſtemate Alexandrino a praeceptore didiciſſet, ipſam quoque rerum omnium ὕλην, formasque eius ex Deo prodiiſſe, ratus ſimplicitatem ab omni corporis affectione ſecretam nonniſi Deo tribui poſſe, cunctatus haud eſt, Deum materiam primam dicere. Ex quo patet, craſſas quae ex idea materiae exſurgunt, notiones Dinantium Deo non tribuiſſe, ſed metaphyſica quadam ratione, non modo vt cauſſam efficientem, ſed et vt ſubiectum, ex quo res omnes oriantur, conſideraſſe. Ex quo intelligi iam poteſt, Atheiſmum Dinantio alio ſenſu modoque obiici non poſſe, quam ſolet Alexandrinae philoſophiae fieri, de quo ſuo loco dictum. Aliter quidem ſtatuendum eſſet, ſi Dinantius eam opinionem fouiſſet, quam Alexandrum Epicureum tenuiſſe ait Albertus M. Sed nulla prorſus ea in re eſt Alberti auctoritas, qui quamuis pro ſui temporis conditione, ingenio ſatis magno eminuerit, ignarus tamen in hiſtoria philoſophica hoſpes fuit, et imprimis in hiſtoria philoſophiae Epicureae miſere coecutiit. Qui enim in tr. *de immortalitate animae*, Heſiodum, Atalium vel Achalium, Cecinnam, vel Tetinnum, et Iſaacum Iſraëlitam nobis fingit Epicureos vetuſtiſſimos, vt obſeruatum PETRO GASSENDO *f*, vel Platonem, Speuſippum, Socratem, Pythagoram Stoae adſcribit, facile quoque Alexandrum Epicureum philoſophum fingere potuit. Nec Alexandrum illum Epicureum, quem loquentem in conuiuio philoſophico introducit PLVTARCHVS *g*, huc trahendum eſſe putamus. Eſſe enim haec nomina Plutarchi pleraque ficta, nec veros philoſophos referre, ſuo loco monuimus, ſane in Epicureae philoſophiae hiſtoria Alexander nullus memoratur. Quam vero Albertus dedit huius Alexandri opinionis delineationem, non Epicuri hortum, ſed Zenonis porticum ſapere, Graecae philoſophiae intelligentes non ignorant. Haec enim et Deum eſſentialiter omnia eſſe, ſiue totum illud, quod videmus, quodque omnia comprehendit, ſtatuit, et hunc Deum mox Iouem, mox Apollinem, mox Palladem appellauit per partes mundi euntem, et formas ex eo oriri aſſeruit, vel in eo potius comprehendi praecepit. Quod vtrum, perfectum ſapiat Atheiſmum, quod vult THOMASIVS *h*, hoc loco diſquiri non poteſt, et *Tomo primo* luculenter eſt expoſitum, ſed Epicureo ſyſtemati tribui plane non debet. Id enim Deum ex mundo relegatum in intermundiis collocauit, nec materia, ſiue atomi Deus dictae ſunt, quamuis ad atomos rerumque materiem, (voce tamen hac longe aliter accepta, ac in Lyceo et Porticu fiebat) omnem rerum figuram, formam, eſſentiam et conformationem retulerit, ſtatueritque formas non eſſentialem quandam differentiam inuehere, ſed ex ſola particularum diſpoſitione varia oriri, nec habere veram entitatem. Quae magnam quidem cum his affinitatem habere videntur, quae Alexandro Albertus M. tribuit, reuera tamen longe ab eo ſyſtemate differunt,

f) Vit. Epicuri L. II. c. 6. p. 77. *g*) Sympoſ. L. II. q. 3. *h*) loc. cit.

runt, quod omnia essentialiter esse Deum, siue materiam esse Deum statuit, a qua voce ipsi Stoici abhorruerunt, qui materiam Deo opposuerunt. Facile itaque nobis persuademus, Albertum systemata confudisse.

§. VI. Obuiam eundum esse huic malo mature viderunt Ecclesiarum antistites, et de remedio cogitandum sufflaminandumque vaesanum philosophiae impurae studium censuerunt. Factum id ineunte seculo XIII, quo congregati Parisiis Galliae praesules de damnandis nouae philosophiae erroribus consultarunt, et Almarici atque Dinantii opiniones proscripserunt, librosque Aristotelis physicos et metaphysicos legi prohibuerunt, vt supra probatum. Confirmata in Almaricum sententia in concilio Lateranensi ab Innocentio III coacto [i]. In synodo Parisiensi tertia autem, a Roberto Corceone, pontificis maximi legato, cui in mandatis datum erat, vt Parisiensem academiam meliorem in ordinem reduceret, naturalis et transcendentalis Aristotelis philosophia et scripta nouo mandato vetita, cuius argumentum exhibet LAVNOIVS [k], qui videndus. Parum tamen ita promotum, nec mali huius radices extirpatae sunt. Cuius caussa quaerenda est partim in praua cleri eas constitutiones vrgentis et suggerentis animi dispositione, et inuidia erga professores philosophiae nouae, partim in humani ingenii luxuria. Cum enim, qui nouum philosophandi genus receperant, viderent, odio et affectu indigno cuncta agi, non de veritate, sed de gloria et commodo doctorum disputari, rati, magno supercilio hos canones synodorum contemnebant, et ingenio luxurianti eo magis habenas laxabant, quo magis in contraria ruere solet hominum curiositas interdictis eiusmodi sufflaminata. Ita vero subtilitatis amor indies crescens non potuit non Aristotelicam philosophiam quotidie magis commendare, donec tandem circa finem seculi, Thoma Aquinate sua auctoritate potissimum obstetricante, victoria potita triumphos ageret, vt in sequentibus dicemus. Neque tamen intermiserunt viri docti grauesque philosophiae obicem ponere, quam rebus Ecclesiae vehementer obstare credebant, nondum perspicientes, quem vsum praestare queat auctoritati ecclesiasticae, vt postea apparuit. Hinc non tantum synodorum statutis grauissime in Aristotelicam philosophiam inuecti sunt, sed et magnis vocibus eam vbi modo poterant, condemnauerunt. In qua arena magnopere desudauit Bernardus, acris philosophiae insectator, qui eo nomine valde Abaelardum persecutus est, vt infra dicemus. Idem alii quoque susceperunt, inter quos memorabilis est GVALTERVS [l] prior S Victoris, qui librum eo tempore scripsit *contra manifestas et damnatas etiam in conciliis haereses, quas sophistae Abaelardus, Lombardus, Petrus Pictauinus et Gilbertus Porretanus libris sententiarum suarum acuunt, limant, roborant.* Lectu digna sunt, quae ex isto libro excerpsit LAVNOIVS [m], ex iis enim luculenter patet, quam infensi plerique

Remedia adhibita, prohibita Aristotelis philosophia.

Sed parum ita promotum.

Priuatum virorum doctorum ea in re studium frustraneum.

i) Vid. CARANZA summa concil. p. 602.
k) l. c. p. 195.
l) Videndus de hoc Gualtero BVLAEVS hist. acad. Paris. T. II. p. 404. 629. OVDINVS T. II. p. 1569.
m) loc. cit. p. 187.

que profeſſores philoſophiae Ariſtoteli fuerint, decurrente, quo hic Gualterus vixit, ſeculo XII. Inter alia haec conqueritur: *Dialectici, quorum Ariſtoteles princeps eſt, ſolent argumentationum retia tendere, et vagam rhetoricae libertatem et ſyllogiſmorum ſpineta concludere. Hi ergo in eo totos dies et noctes terunt, vt interrogent et reſpondeant, vel dent propoſitiones, vel accipiant, aſſumant, affirment, atque concludant.* Et huc eos quoque referendos eſſe putamus, quos Ariſtotelis opera carpere indignatur Io. SARISBERIENSIS [n]. Alia, ne nimii ſimus, praetermittimus. Parum haec rem promouiſſe ex dictis manifeſtum eſt; non enim ea medicina parabatur, quam malum requirebat, et ipſa morbi indoles flagitabat, eo quod infelix illud lolium, quod agrum DEI corruperat, infauſtam puta commixtionem principiorum rationis et reuelationis, non intelligebant [o], et ipſam philoſophiam condemnando aduerſarios

n) Metalog. L. IV. c. 24. p. 905.

o) Cauſſas huius mali perquirentibus partim intellectus, partim voluntas doctorum Scholaſticorum ſec. XII, immo ſeculorum quoque X et XI, quibus huic malo eos iam praeluſiſſe ſupra euicimus, accuſandus eſſe videbitur. Magna enim tunc temporis regnabat ignorantia verae philoſophiae, quae non potuit non rationis vſum fere omnem corrumpere, cum quid eſſet philoſophia, quaeque illi principia debeantur, qui limites ſint ponendi, a plerisque ignoraretur. Ita ſublato diſcernendi iudicandique ſigno atque inſtrumento, mirum non erat, ingens oriri errorum atque praeiudiciorum chaos, cum non eſſet, quod hanc confuſionem claris et diſtinctis ratiociniis tolleret. Valde malum hoc auxit praeiudicium auctoritatis, qua Auguſtinum atque Damaſcenum, (quorum ille in Occidente, hic in Oriente prima huius mali fundamenta poſuit) proſequebantur. Eo enim praeiudicio impediti ſine examine hanc de rebus diuinis diſſerendi, et rationis atque reuelationis principia miſcendi conſuetudinem admittebant, et imitabantur. Quod eo magis ſuſcipiebant, quo magis ſine cortice nauare, et ſuo potius quam alieno lumine vti ingenii ſui paupertate impediebantur. Satis haec grauia fuiſſe mala nemo non intelligit: acceſſit autem praua voluntatis conditio, gloriae magis, inuidiae, odio, emolumentoque, quam veritati litare cupientis. Magna enim hoc tempore laus erat, de ſummis fidei myſteriis inſolito diſputare dialecticae artis acumine. Hoc qui valebant et diſcipulorum numero ſuperbiebant, et per ora virûm volitabant, et magnis laudibus extollebantur. Cumque ſummi eccleſiae πρόμαχοι viderentur, ſubtilitas illa arancorum telis ſimilis in ipſas epiſcopatuum et abbatiarum dignitates introducta, et his axiomatibus et honoribus atque emolumentis dicata et muneribus his affecta eſt. Cuius egregium exemplum infra ſuppeditabit Abaelardi hiſtoria, plura dabunt biographiae Scholaſticorum in ſequentibus enarrandae. An, quaeſo, rebus ita ſtantibus poſſibile erat, infauſtum pſeudophiloſophiae ſidus, quod tot commodis affulgebat, negligi contemnique, et non potius velut inſtrumentum, gloriae, promotionis, opum honorumque excoli ſtrenue recipique? Cum autem tandem viderent, qui aulae Romanae ſe totos dederant, quanta inde praeſidia illi, enaſcerentur, et quae fundamenta atque firmamenta capere poſſet ſuperſtitio, patentibus eam amplexibus receperunt, et pro nauata hac opera ditiſſimis munerum et dignitatum reditibus auĉti, in hoc ſtadio impigerrime perrexerunt. Et ita iuncta ambitioni, voluptati, auaritiae praeiudicia auctoritatis, obſequii, ignauiae, ſuperſtitionis et ſimilia, velut imber foecundus laetiſſime ſurgenti lolio vires addiderunt expectatione maiores. Maxime vero imprudens pro religione, vel ſuperſtitione potius late tunc graſſante zelus plurimum ad hoc monſtrum alendum augendumque valuit. Valde enim philoſophia haec eriſtica ad exagitandos aduerſarios quique a recepta doctrina abire videbantur, faciebat, largamque promittebat victoriam, cuius iam exemplum in controuerſia Berengarii dederat Lanfrancus. His vero armis cum ea dogmata egregie defendi poſſe appareret, quae commodum hominum Eccleſiaſticorum introduxerat, quale transſubſtantiationis dogma eſt, dici non poteſt, quanto ſtudio in hanc philoſophiam contentioſam doctores eccleſiaſtici incubuerint, quo quisque enim in hoc campo erat exercitatior, eo maior et ſibi et aliis videbatur theologus. Et ne lerna malorum deeſſet, adiuuit pſeudophiloſophia ea principia, quae carni grata erant, eaque mire promouit defenditque, quod integras ei hominum cohorres conciliauit. Exemplum dabit Semi-Pelagianiſmi circa hoc aeuum in Eccleſia triumphantis hiſtoria, qui inuenuſtus foetus a philoſophia ſcholaſtica, ſi non excluſus certe inſigniter promotus eſt. Haec et alia, de quibus in ſequentibus dicendi erit occaſio, nec inrelligebant, nec emendare nouerant, qui ſummis Eccleſiae rebus praeerant, immo manus ipſi dabant, peſtemque in Eccleſiam admittebant, paucique illi exceſſus, qui in ſynodis iugulabantur, oculos nemini aperiebant, omnibus contentis riuulos obſtruxiſſe

ſarios magis ira et indignatione accendebant, quam ad ſanam mentem reuocabant, credentes, eos oculos ſibi eripere, iugoque ignorantiae collum ſubiicere velle; quod imprimis praepoſteram Bernardi vehementiam effeciſſe, horum temporum hiſtoria teſtatur.

§. VII. Ex his itaque, quas adduximus cauſſis facile fuit Ariſtoteli non obſtantibus his impedimentis caput extollere, et, quae modo nata fuit, philoſophiae ſcholaſticae ampliſſimas vires acquirere. Factum inde eſt, vt, cum Ariſtotelis dialectica genio huius ſeculi valde arrideret, prohibitis libris phyſicis et methaphyſicis, dialectici tamen permitterentur. Robertι Corceonis enim, in reformatione ſcholae Pariſienſis occupati, ordinatione cautum [p], vt *ordinaria lectione libri dialectici Ariſtotelis legantur, libri autem Ariſtotelis metaphyſici et de naturali philoſophia, ſummaeque ex iis confectae, doctrinaque Dinantii et Almarici haereticorum et Mauricii Hiſpani a nemine diſcatur legaturque*, quae ſub excommunicationis poena ſancte obſeruanda iniunxit cardinalis. Sed et hoc ſimul cautum, *ne quis ad audiendam Ariſtotelis dialecticam admitteretur, qui non ſex annos artium praecepta prius hauſiſſet.* Qua ratione veteribus profeſſoribus de frequentia auditorum proſpiciebatur, cauebaturque, ne quod toties factum erat, prae Ariſtotelicae dialecticae cupiditate vacua ſtarent eorum acroateria, eosque ſtudioſa iuuentus deſereret. Neque ſic tamen motus, quos noua philoſophia ciebat, ſopiri in academia Pariſienſi potuerunt, philoſophiam Ariſtotelicam paulo poſt ad ſacrorum dogmatum explicationem transferente Simone Tornacenſi, qui aliis Thuruaius dicitur, et ſuo tempore dialecticae ſubtilitatis laude inferior fuit fere nemini [q]. Teſtem damus HENRICVM GANDAVENSEM [r], ita de eo ſcribentem: *Simon Tornaci oriundus ex dialectico ſubtiliſſimo immo omnium liberalium artium fere ſui temporis peritiſſimo, theologicae etiam ſcholae Pariſiis cathedram meruit aſcendere magiſtralem, in qua plurimos habuit auditores.* Et his, adductis libris eius, addit: *Sed dum nimis et in hoc et in aliis ſcriptis ſuis Ariſtotelem ſequitur, a nonnullis modernis haereſeos arguitur.* Paria habet TRITHEMIVS [s], qui videndus. Grauiſſimam fuiſſe, quam hoc ſtudio Ariſtotelico ſibi conflauit inuidiam, ex eo intelligi poteſt, quod inter perditiſſimos ſummi numinis hoſtes, publica quoque Nemeſis diuinae vltione punitos referri ſoleat,

Incrementa philoſophiae Ariſtotelicae inter Scholaſticos in Gallia.

ſtruxiſſe fontibus neglectis. Tandem quod curioſitas et humani ingenii ſubtilitas excogitauerat, fulcrum hierarchiae eccleſiaſticae factum eſt, quo non potuit non vehementer amari commendarique. Certatim itaque viri ſummi, quique melius reliquis ſapere videbantur ſcholaſticam philoſophiam et theologiam docuerunt, et Paulo non modo Ariſtotelem iunxerunt, ſed hunc quoque illius conſtituerunt interpretem, immo iudicem. Quod malum vires eundo acquirens, mirum in modum adoleuit, et ex adoleſcentia ad virilitatem progreſſum innumeras eccleſiae calamitates excitauit. Qua de re tamen cum annales eccleſiaſtici plurima ſpecimina exhibeant, in praeſentia plura non addimus, infra, vbi de ipſa ſcholaſtica philoſophia differendum eſt, plura dicturi.

p) Vid. LAVNOIVS l. c. c. IV. p. 195. ſeq.
q) Conf. BALEVS Cent. III. c. 47. BVLAEVS Hiſt. vniu. Pariſ. Sec. II. p. 8.
r) De S. E. c. 24. p. 121.
s) De S. E. c. 467. p. 127.

ſoleat, qua de re vel fabula potius cum infra commodior dicendi locus fuerit, heic, ne nimis longe a via diuertamur, nihil addimus. Cum itaque Ariſtotelem eiici non poſſe cernerent, et plerique in hac academia neceſſitate coacti hanc philoſophiam diſcere coepiſſent, ipſi quoque libri Ariſtotelis phyſici tandem permiſſi ſunt, cautione modo adiecta, vt prius examinarentur, et purgarentur [t]. Factum hoc eſſe anno cIↃccxxxi ex bulla Gregorii IX conſtat, qua iubetur, *vt magiſtri artium vnam lectionem de Priſciano, et vnam poſt aliam ordinarie ſemper legant, et libris illis naturalibus, qui in concilio prouinciali ex certa ſcientia prohibiti fuere Pariſiis, non vtantur, quousque examinati fuerint, et ab omni errorum ſuſpicione purgati. Magiſtri vero et ſcholares theologiae in facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere: nec philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebraeam cum aſotica confundentes, ſed de illis tantum in ſcholis quaeſtionibus diſputent, quae per libros theologicos et ſanctorum patrum tractatus valeant terminari* [u]. Haec Gregorius, vt ex tablini Pariſienſis codicibus refert Io. Lavnoivs [x]. Conceſſis, hunc in modum libris Ariſtotelis metaphyſicis, facile colligere licet, dialecticorum diu iam permiſſorum ſummam fuiſſe auctoritatem, de quo nemo dubitabit, qui Io. Sarisberiensis *Metalogicum* legerit, in quo dialecticam Peripateticam contra quendam Cornificium magnis conatibus defendit. Et hac quidem ratione poſt longum certamen vicit in Gallia Ariſtoteles.

Itemque in Anglia, Germania et Italia.

§. VIII. In aliis Europae regionibus tantas iras philoſophantium gregi non excitauit Ariſtoteles, ſed apertis amplexibus exceptus eſt, ſine dubio, quod prius iam non prorſus fuiſſet ignotus, nec tot lites et contentiones ex eius lectione eſſent exortae. Exemplum eſſe poteſt Anglia, in qua ſeculo XII magna auiditate Ariſtoteles lectus eſt, vt vel ex ſolo Ioannis Parui exemplo diſci poteſt, exque loco Baconi ſupra allegato conſtat. In Germania autem et Italia Ariſtotelem philoſophantium vſu vulgauit cura Friderici II imperatoris; is enim cum et ipſe eſſet literatiſſimus, et ſummus eruditorum patronus, plurima muſarum domicilia vel recens condidit, vel renouauit, inque priorem ſplendorem reſtituit; et vt melioris literaturae volumina a ſtudioſis euolui poſſent, ex Graeco et Arabico idiomate praeter non pauca Galeni et aliorum medicorum, aſtronomorumque Ariſtotelis quoque opera verti curauit. Rem in philoſophiae hiſtoria notatu digniſſimam Petri de Vineis [y] verbis, nomine imperatoris de ea cura differentis, quam noſtris, malumus exponere, qui

Arabica philoſophia introducta.

t) Lavnoivs l. c. c. VI. p. 198. ſeqq.

u) Haec ſine dubio ratio eſt, cur in libris ſententiarum, praecipue Lombardi, maior deprehendatur cura aſſerendorum dictorum patrum ipſiusque Scripturae, quam factum, poſtquam Thomas et ſequioris aetatis Scholaſtici philoſophicis diſputationibus omnia miſcuerunt.

x) loc. cit.

y) L. III. Epiſt. 69.

„qui ita: „Poſt noſtri vero regni curas aſſumtas, quanquam operoſa frequenter negotiorum turba nos diſtrahat, et ciuilis ſibi ratio vendicet „ſollicitudinis noſtrae partes; quicquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, tranſire non patimur otioſum: ſed „totum in lectionis exercitatione, gratuita libenter impendimus, vt animae clarius vigeat inſtrumentum in acquiſitione ſcientiae ſine qua mortalium vita non regitur liberaliter. Dum librorum erga volumina, quorum multifarie multisque modis diſtincta chirographa noſtrarum armaria diuitiarum locupletant, ſedula meditatione reuoluimus, et accurata „contemplatione penſamus, compilationes variae ab Ariſtotele aliisque „philoſophis ſub Graecis Arabicisque vocabulis antiquitus editae in ſermocinalibus et mathematicis diſciplinis noſtris aliquando ſenſibus occurrerunt, quas adhuc originalium dictionum ordinatione conſertas, et „vetuſtarum veſtium, quas eis aetas prima conceſſerat, operimento contectas, vel hominis defectus aut operis ad Latinae linguae notitiam non „perduxit. Volentes igitur, vt veneranda tantorum operum ſimul au„thoritas apud nos non absque commodis communibus vocis organo tra„duce innoteſcat, ea per viros lectos, et in vtriusque linguae tralatione „peritos inſtanter iuſſimus, verborum fideliter ſeruata virginitate trans„ferri. Quia vero ſcientiarum generoſa poſſeſſio in plures diſperſa non „deperit, et diſtributa per partes minorationis detrimenta non ſentit, ſed „eo diuturnius perpetuoque ſeneſcit, quo publicata foecundius ſe diffun„dit: huiusmodi celare laboris emolumenta noluimus, nec aeſtimauimus „nos, eadem retinere iucundum, niſi tanti boni nobiſcum alios partici„pes faceremus. Conſiderantes veruntamen, quorum conſpectibus quo„rumque iudiciis operis coepti primitiae poſſent decentius deputari: ecce „vobis z) potiſſime, velut philoſophiae praeclaris alumnis, de quorum „pectoribus promtuaria plena fluunt, libros aliquos, quos curioſum ſtu„dium translatorum lingua non potuit fidelius inſtruere, conſulte proui„dimus praeſentandos vel deſtinandos. Vos igitur viri, qui de ciſternis „veteribus aquas nouas prudenter educitis, qui fluenta melliflua ſitienti„bus labiis propinatis, libros ipſos tanquam Xenium amici Caeſaris gra„tanter accipe: et ipſos antiquis philoſophorum operibus, qui vocis ve„ſtrae miniſteriis reuiuiſcunt, quorumque nutritis famam, dum dogmata „ſternitis ſapienter, vt expedit aggregantes, eos in auditorio veſtro (in „quo gratia virtutum fructificat, erroris rubigo conſumitur, et latentis „ſcripturae varietas aperitur,) cum mittentis fauore commoniti, tum „clari transmiſſi operis meritis perſuaſi, ad communem vtilitatem ſtu„dentium, et euidentis famae noſtrae praeconium, publicetis.“ Haec Fridericus princeps optimus per cancellarium auguſti nominis auctoritate vſum, ex quibus, quot nominibus de philoſophia mereri, eamque per Germaniam et Italiam quaſi ſepultam reſuſcitare cupiuerit, clariſſime liquet.

z) Haec verba ad Bononienſis ſcholae profeſſores diriguntur.

liquet. Dolendum tamen optime cogitata non optime cecidiſſe, nec ita euentum fuiſſe ſortita, vt vera philoſophiae incrementa ex ea re exſurgerent. Quibus, niſi fallimur duo obſtitere; primum, quod Ariſtoteles potiſſimus electus et philoſophis legendus explicandusque commendatus eſt. Quamuis enim aliorum quoque philoſophorum mentionem imperator faciat, ex dictis tamen colligi poteſt, reliquos vel interpretes Ariſtotelis inter Arabes cultos vel Arabes ipſos, v. c. Auicennam, Auerroëm ſimilesque fuiſſe: cetera turba mathematicos complexa eſt. Quamuis autem praeſtiterit cum Ariſtotele eſſe luſcum, quam plane coecutire, diffitendum tamen haud eſt, malo hunc potiſſimum philoſophum ſidere in manus hominibus philoſophantibus datum eſſe, qui et in ſe ſatis obſcurus acutiora, quam quae tunc erant, tempora poſcebat, et ſine veteris hiſtoriae philoſophicae notitia intelligi non poterat, qua tamen illud aeuum carebat. Ita quem non aſſequebantur, feliciter quoque explicare nequibant. Ergo neceſſario ad verſiones Arabicas recurrendum erat, quae alteram cauſſam conſtituunt, cur parum in promouendis philoſophiae incrementis profecerit Friderici II ſtudium. Hae enim quam infauſtis auibus infelicique euentu confectae fuerint, et quam parum idoneae ſint, ad veram Ariſtotelis mentem diſcendam ſuo loco luculentiſſime confecimus. Hae vero verſiones viris quidem haud indoctis, ſed Arabicae linguae non ſatis gnaris, et a philoſophiae praeſidiis vacuis cum transferendae in Latinum ſermonem commendatae eſſent, dici non poteſt, quam miſero habitu Ariſtoteles Latinus comparuerit, vt ex his Latinis Ariſtotelis interpretationibus, ſub auſpiciis et incunabulis typographiae magna cura editis [a] ipſa docet experientia. Et ex Graeco quidem nonnullas confici ſe curaſſe, ipſe imperator in adductis fatetur, rectequе notauit AVENTINVS [b], perperam ideo a TRIBBECHOVIO [c] notatus. Verum hoc ad Ariſtotelem pertinuiſſe, probari non poteſt, cuius Graecum textum ante captam Conſtantinopolin diſperſosque per Italiam Graecos philoſophos lectum haud fuiſſe, ſatis certo conſtat. Recte id obſeruatum magnis viris IOSEPHO SCALIGERO [d] et IOANNI SELDENO [e], qui, ne nimii ſimus, ipſi videndi. Illud quoque ex illius temporis monumentis conſtat; Arabicae linguae, quam Graecae, meliorem eius aetatis homines habuiſſe notitiam. Ita vero, quod extolli ſatis pro dignitate non poteſt, laudatiſſimi principis ſtudium eum effectum ſortitum haud eſt, quem optima eius voluntas quaeſierat, et Arabica magis philoſophia, quam Peripatetica genuina introducebatur, cumque illa omnes quoque iſti naeui, quos ſupra tetigimus. Quamuis enim ab eo tempore in plerisque academiis Germaniae et Italiae, praecipue Bononienſi, Patauina, Ferrarienſi, Neapolitana etc. Ariſtoteles praelegeretur, paſſimque eſſent, qui

a) Vid. FABRICII Bibl. Graec. Vol. II. p. 171.
b) Annal. Boic. L. VII. p. m. 670.
c) De DD. Scholaſt. c. III. §. 3. p. 127.
d) Epiſt. 362.
e) Origines Alex. p. 156.

qui Arabicam ideo linguam discerent, vt supra dictum, pauciſſimis tamen Ariſtotelis textum Graecum inſpicere licuit, contentis verſionibus ex Arabico confectis animum paſcere. Rariſſime enim is occurrebat, cum, qui deſcriberent, oppido pauci eſſent, tantique vnum Ariſtotelicorum librorum volumen conſtaret, vt hanc adire Corinthum non niſi locupletiſſimis ſummaeque dignitatis viris liceret, qui longe alia plerumque, quam Ariſtotelem curabant. Ex his autem intelligi poteſt, quousque verum ſit, quod nonnulli contendunt, Auerroëm vel Auicennam Arabesque alios Scholaſticorum parentes fuiſſe. Id enim non quidem de omnibus Scholaſticis, maxime Gallis, de plerisque tamen, praecipue in Italia verum eſt, apud quos ſola regnauit philoſophia Peripatetico-Saracenica, quae quam infeliciter Ariſtotelem expreſſerit, ſatis ſuperque dictum eſt. Viderunt id viri docti, qui ſeculo XVI in reſtituenda genuina philoſophia veteris Graeciae deſudarunt. Inter quos cuncta his eleganter complexus eſt LVDOVICVS VIVES *f*: *Neque haec ipſa Ariſtotelis volumina potuerunt intelligere, primum propter locutionem adſtrictam, et ex breuitate obſcuram, hinc propter intricatas et obliquas ſententias, tum etiam ob immodicas ſubtilitates, quibus Ariſtoteles plerumque non exacuit ingenia, ſed perturbat, et frangit, tenebrasque et hallucinationem inducit aciei mentis, dum conatur minutias quasdam tenuiſſimas oſtendere, et inutiles per ſe, et quae intentionem obtutus ingenii ſubterfugiant ac fruſtrentur: non aliter, quam ſi fila monſtrare quis vellet rudentum illius nauis, quam Myrmecides fabricatus eſt apicula contectam: vel diſpunctiunculas Iliados, quae nuce capiebatur. Tales ſunt illius libri Graece quidem, vt ab eo ſunt perſcripti, nam Latinos ita legimus, vt aenigmata audire te credas, non planum ſermonem atque explicatum, qualem inter ſe homines conſueuerunt vſurpare. Dicet aliquis, graue incommodum, ſed ideo tolerabile, quod adiuuamur bonis interpretibus ac explicatoribus ex Arabia vsque accitis.* His ea verba de Auerrois commentationibus et verſionibus Arabicis ſubiicit, quae in eius vita iam attulimus, iisque haec addit: *Ariſtotelem vero quomodo legit? non in ſua origine purum et integrum, non in lacunam Latinam deriuatum, non enim potuit linguarum expers, ſed de Latino in Arabicum transuaſatum. In qua transfuſione ex Graecis bonis facta ſunt Latina non bona, vt ille dicit, ex Latinis vero malis Arabica peſſima.* Haec iucunda digreſſione late proſequitur, et philoſophiae Arabico-Scholaſticae faciem natiuis depingit coloribus. Similia obſeruat FRANCISCVS PATRICIVS *g*, qui vbi notaſſet, Auerrois philoſophiam magna ſeruitute inhaerere Ariſtoteli, cum Auicenna, Algazel, Auempace, paulo liberius eſſent philoſophati, *haec*, monet, *axiomata, cum primum in Gallias ex Hiſpaniis Auerrois libri inuecti eſſent, Latini nominis homines philoſophiae ſtudioſos, cum alium, praeter Ariſtotelem philoſophum neminem haberent, nec alios Ariſtotelicorum librorum interpretes quam hunc*

 ipſum,

f) De cauſſis corrupt. art. L. V. p. m. 166. *g*) Diſcuſſ. T. I, L. XII. p. 162. 163.

ipſum, mire eſſe amplexatos, atque ad axiomata haec veluti ad hypotheſes firmiſſimas eſſe philoſophatos. Huiusmodi philoſophandi rationem in Germaniam ab Alberto M. in Angliam a Ioanne Duns, in Italiam a D. Thoma Aquinate inuectam fuiſſe veriſimile; ingentemque ab his philoſophorum numerum ac ſucceſſionem manauiſſe, quae in Auerrois hypotheſibus habitauerit. Ex quibus noua quaedam in Ariſtotele, vetus tamen in Academia a Pyrrhonis ſchola ratio philoſophandi orta ſit: vt ſcilicet de ſingulis dubitare vtile fore arbitrarentur, inde dubitationum ac quaeſtionum ſexcentorum millium numerum manaſſe. Nam cum omnia Ariſtotelis dicta vt vera reciperent, multis tamen locis contradictionem prae ſe ferrent, neceſſe fuit, de alteris dubitare; ſed dubia de dubiis nectendo, in nouam quandam Academiam horum ſcholas euaſiſſe, ita vt nihil in Ariſtotele certi affirmari poſſit. Praeter has duas philoſophandi rationes ad Auerrois ſcilicet hypotheſes et proprias eorum diſputationes tertiam quandam ipſis quoque peculiarem inuexiſſe, vti Ariſtotelicam philoſophiam Chriſtianae theologiae iungerent, huiusque praeceptis decretisque Ariſtotelicas rationes, ac etiam dubitationes quaeſtionesque permiſcerent, nihilque in theologia arbitrarentur, poſſe ſtatui, niſi Ariſtotelicis fundamentis firmatum eſſet &c. Quo loco natiuam philoſophico Arabico-Scholaſticae faciem depingi, ſequens ſcholaſticae philoſophiae demonſtrabit enarratio. Et haec quidem tanto ſtudio, tantaque mentis contentione excoli coepta ſunt, in Germania Alberto M. humeros philoſophiae Ariſtotelicae ſupponente, vt quae ſeculo duodecimo adhuc excolebantur a nonnullis humanitatis ſtudia, ſeculo XIII plane depreſſa iacerent, et quae emicabant ingenia tantum non omnia philoſophiae et theologiae Scholaſticae atque iuris canonici ſtudio detinerentur, vt ex conſpectu ſeculi huius literario facile colligent rerum periti attentique lectores. Obex vero, quem rei huic valde graſſanti hoc ſeculo poſuerant, pontifices parum eam impediuit. Ipſe quidem Gregorius IX, qui anno CIↃCCXXXI libros Ariſtotelis naturales et metaphyſicos, non niſi examinatos emendatosque legendos conceſſerat, eadem anno ſexageſimo huius ſeculi quinto repetiit, et per Simonem cardinalem apoſtolicae ſedis legatum, haec conſtituit: *Quod legant libros Ariſtotelis de dialectica tam de veteri, quam de noua in ſcholis ordinarie et non ad curſum. Legant etiam in ſcholis ordinarie duos Priſcianos, vel alterum ad minus. Non legant in feſtiuis diebus niſi philoſophos et rhetoricas, et quadriuialia, et barbariſmum et ethicam, ſi placet, et quartum topicorum. Non legantur libri Ariſtotelis de metaphyſica et de naturali philoſophia, nec ſummae de eisdem aut de doctrina magiſtri Dauid de Dinant, aut Almarici haeretici, aut Mauricii Hiſpani.* Vbi mirari quis poſſet, pontificem, eiusque legatum librorum Ariſtotelis metaphyſicorum et phyſicorum lectionem ſimpliciter prohibuiſſe, eum anno CIↃCCXXXI lectio

eorum

eorum permissa fuerit, extinctis prius, quibus scatent, erroribus. Sed recte, nisi fallimur, LAVNOIVS obseruauit, publicae id, quod egit legatus testificationis potius, quam instaurationis vel assertionis rationem habere, quamuis dici quoque possit, legatum plus vetuisse, quam satis erat, vt praestaretur, quantum satis esset, sicque ab Ἀριστοτελομανίᾳ philosophiae studiosi eo magis arcerentur. Effectum haec sortita esse fere nullum, illorum temporum historia testatur, satisque loquitur magnus scholasticorum numerus in ipsa Parisiensi Schola enatus. Quod, vti dictum, Alberti M. in Germania Aristotelicam philosophiam strenue sectantis studium effecit, cum in hac regione non obstarent constitutiones pontificis, eo quod nulla virorum Ecclesiasticorum ad sedem Romanam delatae essent querelae, Friderici imperatoris cura autem lectio et explicatio Aristotelis esset commendata. Hoc vero praeceptore, cuius seculo XIII summa erat auctoritas, cum innumeri discipuli fingeretur, vt infra dicemus, ex hac Alberti Schola Aristotelico-Scholastica philosophia vbique fere disseminata est. Nemo tamen ea in re melius Aristotelicae philosophiae operam suam locauisse, eamque vbique sparsisse credendus est, quam Thomas de Aquino, qui et ipse in Alberti M. schola formatus est. Hic enim cum et iudicio polleret, et eruditionis opinione atque sanctitatis laude esset inclytus, Aristotelicam philosophiam longe lateque disseminauit, et vel ipse nouam Aristotelis versionem, quod nonnulli contendunt, excudit, vel, quod magis verisimile, cudi curauit, vt infra in eius vita dicemus. Cui viro sua aetate summo cum innumeri discipuli adhaererent, et omni expectatione maior creuisset fama et auctoritas, triumphauit Aristoteles non obstante interdicto pontificio inter ipsos Gallos, vbi tunc magna erat Thomae veneratio. Valde se torquet LAVNOIVS, vt Albertum atque Thomam contra pontificis ordinationes tantopere Aristoteli fauentes et commentariis eum illustrantes excuset, eo tamen, quo fuit candore pollicem premere noluit CAMPANELLAE statuenti, nullo pacto putandum esse Aristotelizasse, sed tantum Aristotelem exposuisse, vt occurreret malis per Aristotelem illatis, et forte cum licentia pontificis; haec enim sine teste et verisimilitudine dici ipsa commentariorum Aquinatis ratio satis manifeste confutat. Non vero videntur hoc loco multi in simpulo fluctus mouendi esse, cum sufficiat annotasse, nec Albertum, nec Thomam in Gallia, sed istum in Germania, hunc in Italia tum docuisse: in neutra vero harum duarum regionum Aristotelicam philosophiam prohibuerat pontifex, sed in sola Gallia, in qua sine dubio id factum haud fuisset, nisi theologorum querelis, de innumeris erroribus et haereticis prauitatibus ex philosophia Aristotelica, vti clamabant, obortis, pontifex commotus talia per legatum constitui curauisset; quae Parisiis facta aliorum locorum doctores non obligabant, nec eos impedire debebant, quo minus in Aristotelica philosophia diligentiam suam ponerent. Qui cum

summa

ſumma opinione eruditionis et ſanctitatis laude non exigua florerent, exemplum eorum, facili negotio efficere potuit, vt ſpeciales illae ordinationes pontificis inter Gallos vileſcerent. Et ita non victoria modo, ſed imperio quoque Ariſtoteles potitus eſt, cunctaque in ſeruitutem ſeculo XIII et XIV redegit. Ita qui ad ſeculum vsque XII ex ſcholis exulabat Ariſtoteles poſtliminio admiſſus et in intima penetralia deductus eſt. Ab hoc enim tempore vbique locorum Stagirita principatum obtinuit, tantumque abeſt, vt vel conciliorum canonibus vel pontificum conſtitutionibus eiiceretur, vt in eius potius philoſophia, methodo Arabico-Scholaſtica adornata et theologiae adplicata prora puppisque conſiſteret hierarchiae Eccleſiaſticae. Certe quae interdum contra eius philoſophiam mouebantur, leuia fuere murmura ſine grandine, ſine fulmine.

Facies et fata philoſophiae ſeculo XIV et XV.

§. IX. Facies haec philoſophiae fuit a ſeculo XII ad XIV, quo tempore quamuis mira ſedulitate plurimi philoſopharentur, nihil tamen priſtina infelicitas remiſit, nec emendati ſunt vel animi vel literae. Seculo XIV autem, quae hactenus quaſi in nocte depreſſa iacuerat philoſophia ad lucem aliquam adſpirare coepit, cum decreſcere barbaries, et vires recipere humaniores literae ingeniique cultura inciperent. His enim inſtrumentis eruditi quaſi acuebantur et praeparabantur, vt de melioribus et ſanioribus cogitare auderent, et ignorantiae atque barbariei ſordes eluere auderent et abſtergere. Ipſa in ea re principum atque imperantium cura laudatiſſima, qua literis honorem reſtituere conabantur, multum ad hanc rem attulit. Ea enim obſtetricante nouae academiae erectae, eruditi qui caſtiores Muſas colebant, promoti, honorati, muneribus et reditibus aucti inſtigatique ſunt, vt ſordibus ſeculi ſui ſe eriperent. Ita factum vt et Latini ſermonis puritas, tot modis hactenus vitiata iterum compareret, et Graeca atque Orientales linguae excolerentur, et rubigo detergeretur, qua corrupta hactenus ingenia euiluerant. Quae omnia quomodo acciderint, hoc loco exponi non poteſt, ſed in hiſtoria literaria ſeculi XIV et XV, enarrandum eſt, ex parte autem in *ſequente Tomo* recenſebitur. Ita vero elegantiori literatura ſenſim emergente, elegantiam quoque philoſophiae meliorem quaerere coeperunt philoſophiae cultores, abiectaque, quae hucusque regnauerat, barbarie, paulo melius philoſophari, et ſi non caſtius, doctius tamen pulchriusque huic inuigilare ſtudio coeperunt. Quod imprimis, a Petrarchae aetate factum eſſe docet erudita huius temporis hiſtoria. Graecae enim linguae et antiquae hiſtoriae atque philoſophiae notitia clauium inſtar erant ad reſeranda, quae hactenus clauſa fuerant philoſophiae adyta. Qua in re feliciſſimam fuiſſe Italiae induſtriam quae potiſſimum in reuocando genuino Ariſtotelicae philoſophiae vultu deſudauit, ſuo loco ex inſtituto trademus. In praeſentia vero, quae ſeculo XIV philoſophiae facies fuerit, in Gallia, Germania et Anglia paucis eſt ediſſerendum. Et in academia quidem Pariſienſi ita Ariſtoteles ſeculo XIV victoria potitus

eſt,

eſt, vt qui prius vel plane prohibebatur, vel ſumma tantum cum cautione legendus permittebatur, ita iam omnibus commendaretur, vt ſine eius lectione honores ſummos in philoſophia conſequi poſſet nemo. Cum enim anno CIↃCCCLXVI, cardinales duo ex auctoritate Vrbani V, Pariſienſem academiam reformarent, et auctoritate ſummi pontificis ſtatuerent [h]: *Quod ſcholares antequam ad determinandum in artibus admittantur, congrue ſint in grammatica edocti, et doctrinale et Graeciſmum audiuerint, dummodo in ſtudiis aut aliis locis, vbi grammaticam didicerunt, dicti libri legantur. Item quod audiuerint veterem artem totam, librum topicorum potiſſime quoad quatuor libros, et libros elenchorum, priorum et poſteriorum complete, etiam librum de anima in toto vel in parte. Idem quod nullus admittatur, ad determinandum in artibus, niſi ad minus fuerit ſtudens Pariſiis per duos annos, omni diſpenſatione interdicta. Item quod nullus admittatur ad licentiam in dicta facultate, nec in examine B. Mariae, nec in examine B. Genouefae, niſi vltra praedictos libros audiuerit Pariſius vel in alio ſtudio generali phyſicorum de generatione et corruptione, de coelo et mundo, parua naturalia, videlicet libros de ſenſu et ſenſato, de ſomno et vigilia, de memoria et reminiſcentia, de longitudine et breuitate vitae, librum metaphyſicae, vel quod actu audiuerit eundem, et quod aliquos libros mathematicos audiuerit.* Haec cum pontificia auctoritate iniungerentur, mirum non eſt, ſummo loco habitam fuiſſe philoſophiam Ariſtotelicam. Plurimum hoc adiuuiſſe Thomae Aquinatis auctoritatem, ex iis, quae ſupra iam diximus, facili colligi poteſt negotio. Qui enim viuus effecerat, vt pontificiis conſtitutionibus praeponeretur Ariſtoteles, hoc ſeculo ad ſummum in Eccleſia locum elatus Ariſtotelis quoque philoſophiam non extollere non potuit. A Ioanne XII enim ſanctorum albo adſcriptus, tantique in Gallia habitus, vt dexterum eius brachium ab Vrbano V Carolo V muneris loco transmiſſum inſtar pretioſiſſimi theſauri, reciperetur [i], non potuit non commendare philoſophum, quem viuus ſummonere coluerat. Aegre id tulit facultas theologica Pariſienſis, quae cum aduerſus Ioannem Monteſonum per oratores libellum curiae Romanae offerret, in eo conqueſta eſt, S. Thomam in eas leges, quas a pontificibus ſtatutas fuiſſe ſupra diximus, peccaſſe. Merentur excerpta ex eo legi apud LAVNOIVM [k], quia ex illis diſcimus, diſplicuiſſe theologis Pariſienſibus, *quod eius doctrina in multis innitatur auctoritatibus et rationibus philoſophorum, et praecipue Peripateticorum: Et quod in omnibus etiam arduiſſimis fidei articulis et humanam rationem transcendentibus ipſe vtatur dictis Ariſtotelis, et immiſceat eius philoſophiam doctrinae fidei. Hoc enim praebere*, aiunt, *occaſionem errandi, cum ipſemet dicat, quod auctoritates philoſophorum ſint argumenta extra-*

h) LAVNOIVS l. c. p. 202. ſeq. i) Acta SS. d. 7. Mart. T. I. k) c. X. p. 213.

extranea doctrinae sacrae etc. Verum parum effecit querela sane iustissima, nec facultatis theologicae auctoritas summam, quam plerique de Thoma habebant, opinionem vincere potuit, sed Aristoteles publica docentium voce praelectus, explicatus, commendatus est. Tandem ethici quoque libri adiecti sunt; qui cum antea priuata tantum quorundam auctoritate praelegerentur, quod imprimis a Ioanne Buridano factum, tandem anno CIↃCCCCLII, cum iussu Caroli VII, Guilelmus Totauillaeus Cardinalis academiam Parisiensem reformaret, publice quoque explicari iussi, et philosophicorum honorum candidatis commendati sunt. Ille enim non priora tantum statuta renouando, lectionem librorum dialecticorum, physicorum et metaphysicorum Aristotelis iniunxit titulorum Academicorum candidatis, sed et *libros morales, specialiter librum ethicorum, quantum ad maiorem partem commendauit, specialius monens magistros, vt non permittant suos scholares et baccalaureos ad tentamen exhiberi, nisi sciuerint ipsos sufficienter in praedictis esse instructos; et mandans quoque vt ipsi scholares diligentius insistant metaphysicalibus libris et moralibus addiscendis, alioquin in tentamine repellendi.* Haec et alia lectu non iniucunda recitat LAVNOIVS [l], apud ipsum, ne nimis prolixi simus, legenda. Similia in Germania, Italia, et Anglia obtinuisse, ex Academiarum statutis, et professionibus publicis constitutis manifestum est, et Pragensis, quaeque ab ea orta est, Lipsiensis academia demonstrant, quae ad haec nostra tempora philosophiae Peripateticae explicationem professoribus iniunxere publicis. Ita vero factum, vt, quod recte PATRICIVS [m] asseruit, innumerabilis esset Scholasticorum philosophorum Aristotelem suo peculiari modo sequentium numerus, et tanta esset philosophiae litigiosae contentio, vt vsque ad rauim, immo non sine sudore et puluere, quin interdum non sine sanguine cruentisque manibus de hac philosophia disceptarent. Quod magnopere promouerunt sectae inter scholasticos ortae Nominalium, Verbalium, Realium, Formalium, Thomistarum, Scotistarum, Occamistarum, de quibus in sequentibus dicendi erit locus. Quibus cum se iunxissent religiosi mendicantium Ordines Dominici et Franciscí patrocinio gloriati [n], iique in cathedras quoque professorum inuolassent, magna vero hominum otiosorum esset turba, qua hac pseudo-philosophia auctoritatem sibi acquirere studebat, dici non potest, quantum orbis philosophicus, vsque ad reformationis tempora philosophia hac Scholastica repletus sit, tamque alte ea radices egerit, vt nec hodie vbique extirpari hactenus potuerit.

Iuris canonici compilatio, quid ad eam rem contulerit?

§. X. Non omitti plane hoc loco potest iuris pontificii compilatio a Gratiano Seculo duodecimo susceptа, qua canonici iuris studium publica tan-

l) c. IX. p. 210. seqq.
m) Disc. Perip. T. I. L. XIII. p. 613.
n) Catalogum scriptorum de ordine Dominicanorum exhibet FABRICIVS Bib. Lat. med. T. II. p. 137. et de ordine Franciscanorum ib. p. 573. seqq.

ca tandem profeſſione theologiae et philoſophiae iunctum plurimum philoſophiae incrementis obfuit. Hiſtoriam inſtituti, quod ſaniori philoſophiae tot nominibus inimicum fuit, hoc loco exponere, eſſet extra oleas vagari. Factum id luculenter a viris doctiſſimis, qui iuris canonici origines, fata et hiſtoriam enarrarunt, qui videndi *o*. Nos ea modo hic ſtrictim notamus, quae ad noſtrum inſtitutum pertinent. Et ipſum quidem Gratianum ab ingenio et moribus laudat TRITHEMIVS *p*, vtrum vero in philoſophia peritus fuerit, non indicat, parum vero in ea profeciſſe, ipſa haec *Diſcordantium canonum concordia*, quo titulo improbi laboris opus inſigniuit, ſatis loquitur. Cum enim nec arte ratiocinandi, et diſtinguendi vera a falſis, genuina a ſpuriis eſſet inſtructus, nec vera morum principia iurisque omnis tum ſacri, tum humani fontes intelligeret, exempla vero ſibi propoſuiſſet Burcardi et Iuonis Carnotenſis collectiones, quas iudicii laude ſe non probare ſupra obſeruauimus, facile ex eo colligi poteſt, philoſophiae eum in conſarcinando hoc opere rationem habuiſſe aut nullam plane, aut exiguam, eiusque praecepta non conſuluiſſe. Mirum itaque videri non debet, eum et Graecae linguae, et veteris diſciplinae et philoſophiae morum ignarum ad hoc opus accedentem quadrata nonnunquam miſcuiſſe rotundis, ad libros apocryphos et ſuppoſititios recurriſſe, decretales pontificum malae fidei pro genuinis habuiſſe, ſicque veterum mentem ſaepius peruertiſſe, et quae alia ſunt, quae in hac iuris canonici compilatione iure ſolent reprehendi. Qui ſi ſibi ſoli, vel ſui ſimilibus ſcripſiſſet, facile naeui hi, in ſeculo iſto barbaro et ad eiusmodi negotia inepto poſſent ferri condonarique. Sed malo ſidere euenit, vt iam imperante Friderico I. in cathedris docentium publica auctoritate ius nouum explicaretur, et Iurisprudentia Eccleſiaſtica ex his impuris lacunis a iuris profeſſoribus traderetur. Id quod Pariſiis et Bononiae euenit, in quibus ſtudiis, prout tum vocabantur, generalibus plerique, qui literis operam dabant, haerere diutius ſolebant. Nam non hoc iureconſultis ſolis relictum eſt, cumque iure ciuili coniunctum, et Decretiſtae Legiſtis ſociati, vnde vtriusque iuris doctores enati ſunt; ſed cum pontifices vehementer huic inſtituto fauerent, eo quod poteſtati Eccleſiaſticae mirum in modum frigidam ſuffunderet, philoſophiae ſtudioſi, qui theologiae operam dabant, huic quoque iuri canonico addiſcendo diligentiam locauerunt ſuam. Id quod magno philoſophiae damno factum eſt. Cum enim calx haec ſine arena non cohaereret, iudicium quoque adeo firmari eius lectione non potuit, vt magis obtunderetur. Cumque mira praeiudiciorum ſeges et falſorum praeiudiciorum farrago animos occuparet, philoſophiae ſemina inter tot lolia ſurgere non potuerunt, praecipue cum ius hoc canonicum cum theologia Scholaſtica ad eum tantum finem iunctum adhiberetur, vt hierarchi-

o) Praeter alios multos videndi praeſtantiſſimi ICti CASP. ZIEGLERVS de Orig. et incrementis iuris canonici, et GER. A MASTRICHT. in Hiſt. Iuris Eccleſiaſtici, add. G. PANCIROLLVS de claris leguin interpret. L. III. c. 4. ſeqq.

p) De S. E. c. 373. p. 95.

rarchiae Eccleſiaſticae, reipublicae ſacrae obtruſae, fundamenta confirmarentur, et ſarta tectaque eſſet Romanae curiae auctoritas. Maximum autem malum, quod ex iuris canonici ſtudio, quale tunc temporis philoſophiae et theologiae iungebatur, in philoſophiam redundauit, eſt moralis doctrinae corruptio, cum ex tam impuris maleque coniunctis lacunis nihil puri, quod ad mores pertinebat, potuerit deriuari. Ita vero ex hoc centone neſcio quam ſapientiam moralem conſuiſſe ſe viſi ſibi ſunt publici doctores, vnde de meliori philoſophia morali non diſpiciebant. Nec alia forte cauſſa fuit, cur moralis philoſophiae ſtudium vsque ad ſeculum XV medium ex academiis exularet, quo demum tempore morales Ariſtotelis libros praelectos fuiſſe, ex ſupra dictis repetendum eſt. Sed et alia inde peſtis enata eſt, quae ipſum fere philoſophiae iugulum petiit. Cum enim, qui triplex hoc monſtrum, ius canonicum, et theologiam atque philoſophiam Scholaſticam miro inter ſe connubio copulauerant, ſummam eruditionem acquiſiuiſſe ſibi viderentur, et magnas quoque vtilitates inde caperent, atque auctoritatem pariter ſuam atque reditus augerent, tantopere hac ſua potentia contra philoſophiam abuſi ſunt, vt cum illa felici ſucceſſu a magnis quibusdam viris emendari, et nitidiori vultu reduci coepiſſet, pugnis illi calcibusque reniterentur, ne nuditatis ſuae conſpectus philoſophiae opera publicaretur. Impoſſibile enim eſt, libere et cum ratione philoſophantibus in his eruditionis falſae praeſidiis acquieſcere. Ne itaque vel auctoritas labefactaretur, vel imminuerentur diuitiae, quas ex triplici hoc ſtudio ſibi corraſerant, oppugnanda fuit philoſophia elegantior, et terra mareque commouendum, ne qui ſe philoſophiae vindices oſtendebant, admitterentur. Hinc tantum irarum atque rabiei, vt ferro ignique hi homines viros illos doctos perſequerentur, qui manum emendandae philoſophiae adhibuerunt. Teſtem volumus hiſtoriam Vallae et Reuchlini, quorum vterque quantas perſecutiones ab hoc hominum genere pertulerit, in *ſequenti Tomo* accurate explicabimus. Neque hodie quibusdam in locis, maxime in Hiſpania hanc fabulam ludi deſiiſſe, nuper libere conqueſtus eſt eruditiſſimus MAIANSIVS q. Verum de his alio loco. Haec vero ſufficient, vt, quae fata philoſophia a Sec. XII ad XV et renatas in eo literas habuerit, intelligamus. Iam ad ipſam philoſophiae Scholaſticae eiusque profeſſorum hiſtoriam progrediendum eſt.

q) In vita Emmanuelis Martini, eius epiſtolis praemiſſa.

SECTIO

SECTIO SECVNDA,

DE SCHOLASTICIS.

§. I.

Scholasticus quid sit?

Varia vocis significatio.

Magna Scholasticorum in historia philosophica fama est atque celebritas; totum enim illud spatium temporis occupant, quod a seculo XII vsque ad renatas literas defluxit, omnemque suo sub imperio tenuerunt orbem philosophicum [a]. Ne vero in limine offendamus, vocisque ambigua

a) Fontes historici, ex quibus hauriendum est, quicquid de Scholasticis eorumque historia dici debet in philosophiae annalibus, ex iis, quae supra de auctoribus circa historiam philosophiae medii aeui confulendis dicta sunt, ex parte disci possunt. Non ignobilem enim philosophiae medii aeui partem constituit historia philosophiae scholasticae. Dolendum autem, neminem hactenus fuisse, qui iustae mensurae et conditionis historiam philosophiae Scholasticae scripserit, cum innumera sint, quae de ea obseruari mereantur, et quae sciri omnino literarum, praecipue sacrarum et philosophicarum, interest. A quo labore suscipiendo deterruisse viros doctos videntur ingratus labor suscipiendus, legendi libri inutilium disputationum pleni, ferenda dumeta et spineta subtilitatum ipsa sua inutili acie animum fauciantium et conuellentium, obscurae et incertae Scholasticorum opiniones, et ambiguae atque in infinitum excurrentes dissertationes, sermonis barbaries, totiusque tractationis molestia sane iniucundissima. Nec a nobis in vniuersalis historiae philosophiae tractatione talis historia plena et perfecta vel postulari vel expectari debet, quae vnius scriptoris integrum studium magnamque prolixitatem postulat. Interim consulendi tamen sunt praeter scriptores historiae literariae medii aeui supra iam memoratos, qui Scholasticos, leui licet plerumque brachio, et imperfecta tractatione, describere sunt aggressi. Inter quos primus fere fuit LAMBERTVS DANAEVS, qui in prolegomenis in librum primum Sententiarum cum comm. Geneuae 1580. editum Scholasticorum aetatem distribuit, eorumque breuem recensum exhibuit. Eius exemplum secuti sunt ALSTEDIVS in Thesauro chronologico, et IO. AD. OSIANDER in Chronotaxi historica. Verum hi pauca habent, et solis fere nominibus contenti de philosophia scholastica pene nihil attulerunt. Theologiae tamen scholasticae faciem depingere aggressus est CHRISTOPHORVS BINDERVS Tub. 1624. edita tractatione de theologia scholastica, in qua nonnulla sunt, quae ad haec quoque arua detrahi possunt. Eum descripsit IO. HIMMELIVS in tr. de theologia scholastica. Vid. THOMAS. Hist. sapientiae et stultitiae T. III. p. 225. Propius huc spectat IO. BARTHOLDI NIEMEIERI oratio de sequioris aeui philosophis, quos Scholasticos vocant, cum Aristotele coniungendis Helmst. 1675. sed is laudare magis et commendare Scholasticos, quam de iis iudicare voluit, vixque lectionem meretur. Elegantius multo maiorique et lectionis copia et iudicii acie in hoc campo versatus est IACOBVS THOMASIVS, qui vt philosophicae historiae cognitione omnes suo tempore superabat, ita huic quoque H. P. particulae lucem variis scriptiunculis accendere conatus est. Pertinet huc eius diss. de DD. Scholasticis inserta notae Collectioni scriptorum rariorum; itemque obseruatio de theologia Scholastica, eiusque initio edita a FILIO in Historia sapientiae et stultitiae T. III. p. 225. sqq. quibus addenda, quae sobrie et erudite monuit in Origin. Hist. philosophicae et Ecclesiasticae p. 105. Sunt quoque inter editas eius praefationes nonnullae, quae huc pertinent. vid. Praef. XLIII. de principio individuationis p. 246. LXXXIII. de cauſſis ineptiarum barbari aeui Scholastici p. 542. Et inter Orationes eius duodecima, de secta Nominalium p. 241. Ex instituto vero rem aggressus est ADAMVS TRIBECHOVIVS, edita Giessae 1665. 8. tractatione erudita de DD. Scholasticis ac corrupta per eos diuinarum humanarumque rerum scientia. Quae cum rarius appareret, recusa est laudatissima cel. C. A. HEVMANNI cura, Ienae 1719. qui eruditissimam praefationem bonae frugis plenam praemisit de origine, appellatione, natura atque σοφίᾳ theologiae et philosophiae Scholasticae, quae omnino ab illis legenda est, qui sobrium de hoc argumento iudicium vel legere vel ferre cupiunt. Et hic quidem liber inter ceteros praestantissimus est, multaque affert, non sine doctrina et lectionis copia operose dicta, quae ad detegendos veros Scholasticae philosophiae vsus plurimum facere possunt, et detestabilem faciem in aprico ponunt. Dolendum tamen affectam magis quam integram argumenti nobilissimi tractationem esse, multa auctorem attulisse peregrina, multa ex proximis verisque fontibus non hausta, multa a testibus accepta, animum non

ambigua significatione decipiamur, quid Scholasticus hac in tractatione sit, prius dispiciendum et accurate definiendum est. Vox enim, Scholasticus, πολύσημος est, et diu iam inter Latinos audita, sed diuerso plane sensu atque significatione. Et vigente quidem adhuc Latini sermonis puritate Scholasticus dictus est, quisquis in schola versabatur, discipulus. Ita enim a PETRONIO [b] vsurpata vox, scribente: *Dum haec diligentius audio, non notaui mihi Aeschylli fugam, et dum in hoc dictorum aestu totus incedo, ingens Scholasticorum turba in porticum venit, vt apparebat, ab extemporali declamatione, nescio cuius, qui Agamemnonis suasoriam exceperat.* Sed ad praeceptores quoque vocem translatam esse, praecipue in rhetorum scholis, testis est QVINCTILIANVS [c], qui sui temporis adolescentulos, indignatur, *deduci in scenas Scholasticorum, qui rhetores vocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse maioribus ex eo probat, quod M. Crasso et Domitio censoribus claudere, vt ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt.* Idem itaque Sophistae et Scholastici nomen significauit, et eloquentiae professorem designauit, vnde ad ipsum orationis tersae nitidaeque studium vox translata est, quo sensu HIERONYMVS dixit, *se cum rhetorum studiis adhuc caleret, multa scholastico flore pinxisse.* Et haec quidem vocis significatio in medio quoque aeuo obtinuit; quanquam et sequiori aetate Scholasticum dici soleret, quicquid elegantiorum literarum in scholis tradebatur, qua de re exempla collegerunt TRIBBECHOVIVS [d] et CONRINGIVS [e], qui, ne prolixi simus, ipsi videndi. Ab eloquentia scholae ad fori declamationes tandem traductum est nomen Scholastici, quaeque prius in fictis causis versabatur, in veris et ad iudicum subsellia directis occupata oratio scholastica dici meruit. Quo sensu in codice Theodosiano et Iustinianeo vox saepius occurrit [f]. Nec ignotum, ab hac causarum actione publica Agathiam et Euagrium itemque Socratem, historicos haud ignobiles Scholasticorum nomen tulisse, vt passim viris doctis obseruatum [g]. Haec vero significatio cum parum ad rem nostram faciat, ad ea potissimum tempora respiciendum est, quibus Scholastici vox ad doctorem scholasticum artium et philosophiae praecepta in

non plane a praeiudiciis liberum seruantibus. Conf. Ven. REIMMANNVS Cat. Biblioth. suae T. I. p. 74. seqq. Multos tamen Scholasticos dum recenset MORHOFIVS Polyhist. T. II. L. I. c. 13. p. 72. seqq. ex eo Tribbechouius suppleri potest. Pertinent huc quoque qui historiam literariam seculi XII. et sqq. tetigerunt, quales sunt LAVNOIVS libro toties adducto de varia fort. Aristotelis in Academia Parisiensi, BVLAEVS in Hist. vniuersitatis Parisiensis, NAVDEVS in Additionibus ad Hist. Ludouici XI. Io. FILESACVS in Statutis facultatis theolog. Paris. et qui ordinum religiosorum scripsere historiam, quos in sequentibus suo loco nominabimus in fine paginae, vt habeant, qui pleniora et prolixiora cupiunt, vnde affatim hauriant.

b) Satyr. p. 4. ed. Gonsali de Salas. Male hunc locum ad rhetores reuocat, qui Glossarium Petronianum editioni Bourdelotii adiecit, de discipulis enim et auditoribus declamatoris sermo est.

c) Dial. de causis corr. eloq. c. 23. p. 842. edit. Obrechti.

d) l. c. §. 7. p. 18. 19.

e) Antiqq. Acad. Suppl. XXXIX. p. 319.

f) Vid. Not. 74. 76. FR. PITHOEVS Glossar. ad Nou. Iuliani antecessoris.

g) MEVRS. Glossar. v. Scholasticus CONRING. l. c. p. 203. VALESIVS ad Socrat. H. E. L. VI. c. 6. p. 77. conf. MACARIVS homil. XV. §. 42. p. m. 226.

pta in ſcholis publicis Eccleſiarum cathedralium et monaſteriorum tradentem ſignificandum adhibita eſt. Supra enim iam obſeruatum, in collegiis canonicorum iuxta Eccleſiarum epiſcopalium ſedes excitatis, tempore Caroli M. et Ludouici Pii itemque in abbatiis monaſteriorum fuiſſe vnum, cui de ſcholis habendis et erudienda iuuentute cura commiſſa fuerit [h], inque eo laudatiſſimorum principum laborem fuiſſe diligentiſſimum, vt ſcholae hae accurate conſeruarentur, et conſtituerentur viri docti, qui literarum praecepta traderent. Quarum ſcholarum cum ſuccinctam hiſtoriam ſupra attulerimus, nihil hoc loco addimus. Mature tamen non inſtituti quidem ratio et Scholaſtici nomen, res tamen ipſa, ſcholarumque cura deſiit; cum enim amplis reditibus munus hoc ornaſſent imperatores atque principes, ipſique etiam epiſcopi, qui hoc pellendae ignorantiae et barbariei remedium adhibuerant, ex diuitiis otium et ignauia orta et ſcholarum inſtitutum derelictum eſt, ſeruatum nomen Scholaſtici, vt reditibus gauderent homines otioſi et nequam, qui cum literis aut plane non, aut leuiter tantum tincti eſſent, grauiſſimum munus homini ex vulgo leui ſtipendio conducto committebant, ipſi gulae, ventri, venationi, ſtrenue litabant. Quam propudioſam Scholaſticorum vitam graui oratione iugulat RODERICVS epiſcopus Zamorenſis, cuius *Speculum humanae vitae* [i] longe rariſſimum cui conſulendi dabitur copia, mirabitur, laudabile Scholaſtici nomen tantopere degeneraſſe, vt conqueratur: non re ſed ſolo titulo Scholaſticos inueniri, hosque nec ipſos doctos eſſe, nec alios docere poſſe, nec vnquam ſcholam vere vidiſſe, ſed ignorantia, balbutie et extrema primorum rudimentorum inſcitia cum peſſimis moribus coniuncta eſſe deteſtabiles, et tamen locum ſuum viris eruditis explere auerſantes, veram eruditionem nolle promouere. Paulo melius in monaſteriorum ſcholis conſeruatum eſt inſtitutum nobile, in quibus Scholaſtici monaſticam iuuentutem, et interdum nobilium quoque ſecularium filios erudiuerunt. Quo more conſeruato prodiiſſe, quicquid plenam literarum ruinam a ſeculo VIII ad ſeculum XII auertit, ſupra ſatis longa narratione demonſtrauimus. Non hoc quidem ſenſu philoſophia, quae a ſeculo XII ad ſeculum XVI obtinuit, ſcholaſtica dicitur, ab ea tamen vocis ſignificatione appellatio latius extenſa poſtea et affecta deriuanda eſt. Rem ſupra iam expoſitam tactamque ſtrictim recenſebimus, et paucis comprehendemus. Nempe ex antecedentibus notum, ex ſcholis monaſteriorum et eccleſiarum cathedralium tandem publicas ſcholas et academias enatas eſſe, in quibus, quae olim in iſtis ſcholis cathedralibus et monaſteriorum tradebantur, artes liberales ſiue philoſophia cum theologia, ſacrarumue literarum notitia explicabantur. Ita vero ex monaſteriis et ab ordinum eccleſiaſticorum hominibus ad profeſſores artium et philoſophiae, ipſosque theologos ratio philoſophandi traducta eſt. Ea qualis

h) CONRING. l. c. Diſp. III. p. 66. ſqq. ſuppl. XXXII. p. 294. ſeqq. TRIBBECHOV. l. c. c. I. p. 32. BALVZIVS ad Lupum Ferrar. p. 372. ſeq.

i) L. II. c. 17. p. 128. Vtimur nos verſione Germanica Aug. Vind. 1488, a Petro Bergero impreſſa.

qualis fuerit, ignotum illis esse non potest, qui ad ea attenderunt, quae supra ea de re dicta et testimoniis virorum doctorum ex hoc ipso aeuo confirmata sunt. Nempe cum in ea versarentur opinione, philosophiam solummodo ancillari theologiae, ideoque disci, vt de rebus diuinis, doctrinaque Christiana acute disputare, et aduersariis os obstruere possent, dialectica potissimum exculta est, quae cum prius ex Augustini, vt volunt, libello Stoicorum in morem conscripto, et postea ex Aristotelis libris dialecticis disceretur, cauillandi et argute ineptiendi artem philosophiae professoribus siue Scholasticis instillauit. Qui cum receptam doctrinam, et praeiudicia quoque atque praeconceptas hypotheses, quas lucri cupiditas introduxerat, hac arte egregie defendi sicque et laudes innumeras acquiri, et ad pinguia munera perueniri, et amplissimas de aduersariis, quos conatibus et gloriae suae obstare credebant, victorias reportari posse viderent, summa diligentia hoc dialecticae studium ad theologiam adplicatum excoluerunt, et dialecticas disputandi rationes aliis praetulerunt. Factum hoc iam esse seculo decimo, et ardentius vndecimo, luculenter supra demonstratum est. Cum autem a magistris contentiosis similes sibi discipuli formarentur, haecque falsae philosophiae species in nouas academias translata vniuersalis consuetudinis morisque indolem acciperet, ex scholis monasteriorum in publicum philosophiae exercitium dialectica traducta est. Cui cum accederent seculo XI metaphysicae speculationes, praecisiones mentales, et varia alia mentis otiosae deliria, seculo vero XII Aristotelis metaphysica, his elegantiis plena innotuisset, ita hominum horum subtilitas aucta est, vt plane ab humani intellectus natura degeneraret. Cumque, qui hoc modo philosophabantur aut monachi essent, aut clerici, tantum non omnes autem theologi, translata haec philosophia ad theologiam est, ipsique diuinioris doctrinae professores non tam ancillantem theologiae quam dominantem philosophiam sectariam, qualem supra depinximus, retulere ad eum scopum, cui eo tempore omnis disciplina sacra inseruiebat, nempe vt hierarchia ecclesiastica cum capite suo, et dogmatum, quod eam alebat et sustentabat, systemate sarta conseruaretur atque tecta. Huic fini egregie inseruiebat philosophia haec scholastica, quae Aristoteli male intellecto reuelationis mysteria subiiciens, de eorum sensu iuxta illius praecepta disputabat, et infinitis quaestionum et dubitationum anfractibus more vere sceptico longum ratiociniorum ipsa subtilitate sua incertorum syrma post se trahebat. Quod philosophiae et theologiae genus vbi semel innotuisset, et a summis rerum sacrarum praesulibus, quorum potestati fulcrum exhibebat firmissimum, summo esset fauore exceptum, sustentatum, ornatum, totum fere orbem Christianum fecit scholasticum, re vera et doctrina, et fide et moribus barbarum. Nihil hic Lectori tradimus, quod non sacra et philosophica seculi XII, XIII, XIV et XV historia luculentis demonstrat testimoniis dudumque a viris doctis est obseruatum: quos adire eos oportet,

tet, qui grauiſſimum, quod Eccleſia ex hac re paſſa eſt, damnum cognoſcere, et ſine partis ſtudio et praeiudiciis rem vere perſpicere cupiunt [k]. Nos praetermiſſis ceteris, hoc vnum notamus, negari non poſſe, philoſophos, et qui re ipſa coincidunt, theologos Scholaſticos, eo nomine, quamuis ſubtiliſſima eſſent ingenii acie praediti, pro veris philoſophis haberi non poſſe, quod erepta libertate philoſophandi omni ſeruire curiae Romanae et ad eius palatum totam philoſophiam ſuam componere coacti fuerint. Nunquam inſpexiſſe oportet ius canonicum, qui haec negauerit. Vnum exemplum ſufficiet, Nicolai II, praecipientis [l]: *Quisquis huius noſtrae decretalis ſententiae temerator extiterit, et Romanam Eccleſiam ſua praeſumtione confundere et conturbare contra hoc ſtatutum tentauerit, perpetuo anathemate atque excommunicatione damnetur etc.* Sed et iureiurando deuinctus curiae Romanae clerus, et qui doctrinam ſacram tradebant, eo vinculo capti, ne quid molirentur contra pontificis auctoritatem et vtilitatem. Ita enim in formula iurisiurandi inter alia tenebantur ſe obſtringere [m]: *Papatum ſanctae Romanae Eccleſiae et regulas ſanctorum patrum adiutor ero ad defendendum et retinendum contra omnes homines.* Ita Romanae curiae mancipatis addictisque, qui philoſophiam profitebantur, non poterat euenire aliter, quam vt omnis philoſophandi ratio eo adhiberetur, vt inſtrumentum fieret poteſtatis pontificiae in immenſum eo tempore auctae, quo fructu et emolumento Eccleſiae, et veritatis, cuius miniſtra eſſe debet philoſophia, innumerae teſtantur virorum piorum et cordatorum querelae, de quibus eccleſiaſtica huius temporis hiſtoria ſolet differere. Opponi quidem philoſophiae et theologiae Scholaſticae iam tum coepit theologia myſtica, quam Ioannes Scotus Erigena ex libris Pſeudo-Dionyſii in Eccleſiam introduxit, et Enthuſiaſmo philoſophiae Alexandrinae infecit. Quae cum ſterilitatem a Scholaſticis vbique proditam exoſa internam mentis emendationem et reductionem ad fontem ſuum, Deum, vrgeret, melius ſapuiſſe ſibi viſa eſt. Hinc contentiones, iurgia, anathemata, haereticae labis obiectio, et quae alia fuerunt, ridicularum litium terriculamenta, quibus ad execrationes et diras vsque pars vtraque digladiata eſt. Nihil tamen ita vel emendatum vel mutatum, nec ſaniori philoſophiae, ad eiuranda peſtilentiſſima praeiudicia locus datus eſt, ſed idem ſcopus, eaedem artes obtinuere, vt errores ſemel recepti, et auctoritas hierarchiae eccleſiaſticae inconcuſſo perſiſterent fundamento. Quamuis autem theoretici iſti theologi, quos Scholaſticos vocamus, vehementer inuiſi fuerint practicis, ſiue myſticis, qui captata occaſione vehementiam affectus contra illos prodere non ſunt veriti, vt vel vno Bernardi et ſequacium

k) Vid. TRIBBECHOV. l. c. c. III. pag. 96. CHR. THOMAS. Hiſt. I. C. p. 43. HEVMANN. l. c. p. 20. PVFENDORF. Introd. ad hiſt. c. XII. §. 34. p. 862.

l) Vid. I. Decret. diſt. 23. c. in nom. Dom. p. m. 71.

m) vid. Decretal. Greg. L. I. de Iureiur. p. m. 287.

quacium exemplo conſtat, qui hoc nomine Abaelardum, Gilbertum Porretanum, Lombardum aliosque huius aetatis Scholaſticos graui proſecuti ſunt odio; qua de re legenda ſunt, quae de contentione Ioachimi abbatis Florenſis coenobii, et Gualteri prioris contra Lombardum narrat Io. LAVNOIVS [a]: accidit tamen, vt qui Scholaſticae philoſophiae et theologiae non leuem poſuerant operam, myſticae interdum quoque theologiae inſudarent, cuius exemplum praeter Bonauenturam eſſe poteſt Hugo de S. Victore, qui propter doctrinae vbertatem didaſcalus appellatus eſt, ob affectatam autem myſticam doctrinam Lingua Auguſtini, et alter Auguſtinus dici meruit. Is enim praeter *Didaſcalicon*, in quo de ſummis theologiae dogmatibus philoſophice diſſeruit, complures tractatus myſticos edidit, quorum recenſionem poſt alios exhibet I. A. FABRICIVS [b]. Is vero cum *Annotationes elucidatorias in Dionyſium Areopagitam de coeleſti hierarchia a Ioanne Scoto Latine verſum* ſcripſerit, haud obſcure prodidit, vnde hanc philoſophiam hauſerit. Neque tamen id magnopere mirandum eſt. Supra enim iam obſeruauimus, ipſum Ioannem Scotum Peripateticae philoſophiae ſatis peritum eam cum philoſophia Alexandrina ſiue Platonica coniunxiſſe; nec adeo abhorrere ſyſtema phyſicum Ariſtotelis, prout ab Eclecticis Alexandrinis emendatum eſt, ab iſto Enthuſiaſmo, quem commendat Pſeudo-Dionyſii philoſophia. Illud extra dubitationis aleam poſitum, cum vbique in philoſophia Scholaſtica infelix lolium et ſteriles dominarentur auenae, coactos fuiſſe Scholaſticos, exulante philoſophia morali, ita animis pabulum ſuppeditare, quod negabat doctrina Scholaſtica. Et hoc pacto factum, vt Syncretiſmus quidem ſcholaſtico-myſticus inde emergeret, Eccleſiae non minus noxius, quam reliqua malorum Ilias, quae ex veſano philoſophiae falſae ſtudio exorta eſt. Totus enim eo reſpiciebat, vt errorum cateruae, quas commoda cleri introduxerant, ſaluae manerent. Verum de his plura praecipere hoc loco non licet: alium enim campum poſtulant.

Origines philoſophiae Scholaſticae.

§. II. De Scholaſticae philoſophiae, et, quae arcte cum ea cohaeret, theologiae origine diuerſiſſimae ſunt virorum doctorum opiniones et incertiſſimae coniecturae. Id quod mirandum magnopere haud eſt, cum id plerumque accidat, vt rerum earum, origines incertae dubiaeque ſint, quae non ſimul oriuntur, ſed caſu magis, et incerta temporum ſerie ſenſim enaſcuntur, tandemque, nemine veros natales obſeruante, in lucem perfectae prodeunt. Ita enim Scholaſticae quoque philoſophiae euenit, quod pſeudo-philoſophiae genus non vna dies genuit, peperit altera, ſed ſenſim inualeſcente vſu dialecticae praepoſtero, accedente metaphyſicarum ſubtilitatum norma enatum, et tandem in eos vultus formatum prodiit, quos a ſeculo XII vsque ad literarum et religionis emendationem habuit; ex quo intelligitur, annum natalem, parentes, obſtetrices, aliasque, quibus ea adiuta eſt, vt in lucem prodiret, circumſtantias

a) l. c. c. III. p. 191. ſeqq.

b) Bibl. Lat. med. T. III. p. 885.

tias accurate definiri non posse. Quae caussa est, cur in tot diuersas et dissentientes opiniones de origine Scholasticae philosophiae viri eruditi discesserint. Quidam enim *p* ab ipso Augustino in Occidentali, et a Ioanne Damasceno in Orientali Ecclesia philosophiam theologiae curiosius, quam par erat, adaptantibus has origines deriuant. Quos vero occasionem et praeludia cum ipsa origine confundere palam est. Propius accedunt, qui medio seculo vndecimo eam ortum habuisse coniiciunt, eo quod isto tempore philosophia Aristotelica ad Arabum methodum in scholis publicis doceri coeperit, quamuis concedant, haec quidem ab initio vsum tantum in philosophia habuisse, hominesque istis principiis infectos paulo post eadem in theologiam pedetentim intulisse, iisque non solum ad enucleandas decidendasque quaestiones theologicas, sed etiam ad nouas formandas disputationes, antea inauditas vsos fuisse, interque hos Ioannem Roscelinum et Anselmum, et post hos Abaelardum et Gilbertum Porretanum fere primos fuisse, Ottone Frisingensi rei huic ianuam in Germania aperiente. Ita Lvdov. Ellies Dvpinivs *q*, quem sequitur B. Io. Franc. Bvddevs *r*. Vterque seculo iam XI obtinuisse inter Latinos philosophiam Aristotelico-Saracenicam autumat. Eandem de Scholasticorum origine opinionem tuentur Lambertvs Danaevs *s* et Henr. Alstedivs *t*; improbante Iacobo Thomasio *u*, qui, cum recte obseruasset, circa ipsam theologiae Scholasticae historiam distinguendum esse tempus occasionum, a tempore ipsius theologiae Scholasticae, tanquam tempus conceptionis a tempore natiuitatis, monuisset, *occasiones eius duas ponendas esse, vnam studium conciliandi philosophiam gentilem cum religione Christiana, et defectionem a religione puriore ad impuram: alteram exortum philosophiae Aristotelicae in orbe Latino et venerationem eius post versiones nouas operum Aristotelis, verum tempus nati huius abortus philosophici et theologici, non altius repetendum esse statuit, quam ab eo aeuo, vbi in Ecclesia Latina titulo sententiarum coeperunt scribi systemata theologiae vniuersae, id autem factum esse Sec. XII, quo Petrus Abaelardus, huiusque discipulus Petrus Lombardus atque alii scripserunt quisque sententias suas.* Qua in obseruatione licet parum a vero tempore aberrauerit Thomasius, qui in philosophiae historia plerumque acute vidit, fallitur tamen, dum theologiae Scholasticae origines ad ortum systematum sine librorum sententiarum restringit. Hi enim libri nec theologiam Scholasticam exhauriunt, omnemque eius naturam constituunt, neque ratione philosophia Scholastica originem ceperit, exponunt, sine quo tamen de theologia Scholastica nihil definire licet. Ex iis quoque, quae supra de ratione disputa-

p) Bvddevs Isag. histor. theol. L. II. c. 1. §. 7. p. 352. Barbayrac. de la morale de SS. Peres. Mosheim. Hist. Eccl. N. T. sec. IX. P. II. sect. I. c. 1. §. 4. alique.

q) Meth. stud. theol. c. II. p. m. 19.

r) l. c. p. 358. Annot. ad hist. phil. c. V. §. 5. p. 348.

s) loc. cit.

t) Encyclopaed. T. I. p. 105. add. Horn. Histor. phil. L. VI. c. 2. p. 297.

u) Orat. XII. p. 266. et Hist. sap. et stult. P. III. p. 233.

tionum dialecticarum ad theologiam applicatarum differuimus, et testimoniis quoque luculentis confecimus, patet, tractationes theologicas iam Sec. XI, antequam libri sententiarum scribi coepissent, hac iam methodo fuisse adornatas. Id quod ex Lanfranci et Anselmi Cantuariensis scriptis manifesto argumento constat, probatque, non errasse eos, qui Sec. XI theologos armis dialecticis de grauissimis Christianae religionis mysteriis disputantes, inter parentes Scholasticorum referunt [x]. Ex his vero intelligi potest, quo fundamento nitantur, qui vel a Lanfranco et Anselmo, vel a Roscelino, vel ab alio quodam huius aetatis homine scholasticam philosophiam theologiae admixtam deriuant [y]. Alii probe monent [z], distinguendas esse Scholasticae philosophiae origines ab ortu theologiae Scholasticae, illasque a Roscelino, hunc ab Abaelardo esse deriuandum statuunt. Viguit haec opinio iam sub ipsis emendatae eruditionis auspiciis. Ita enim TRITHEMIVS [a] de Petro Abaelardo: *Petrus dialecticus Parisiensis dictus Abaelardus natione Gallus, vir in seculari philosophia eruditissimus, et in diuinis scripturis nobiliter doctus, gaudens nouitate terminorum, et altiora se scrutari tentans, oppressus a gloria plures incidit errores, et agente sancto abbate Bernardo in Senonensi concilio cum prauis suis doctrinis condemnatus. Ab hoc tempore philosophia secularis sacram theologiam sua curiositate inutili foedare coepit.* Miratur praestantissimus HEVMANNVS [b], viros doctos IAC. THOMASIVM [c], GEORG. HORNIVM [d], IO. LAVNOIVM [e], aliosque inepto Trithemii iudicio calculum adiecisse, quasi philosophia theologiae aduersetur, nec sobria ratione cum ea iungi possit; Trithemium enim non de mataeologia Aristotelico-Scholastica, sed de omni philosophia seculari in genere ita iudicare. Verum perperam haec non tantum in his viris doctis culpari, qui, vt ex ipsorum verbis apertum est, non aliam nisi pseudo-philosophiam illam intellexerunt, et Trithemium quoque ita intelligendum esse iudicarunt, sed ipsum quoque Trithemium praeter rem reprehendi ex ipsis eius verbis apertum est. Nam non culpat Trithemius, Abaelardum aliosque istius aetatis homines philosophiam quoque consuluisse, et in rem suam vertisse, hoc enim in antecedentium seculorum doctoribus multoties obseruat, laudat, commendat; sed praeposteros eum, et qui exemplum eius secuti sunt, discipulos, vsu et applicatione philosophiae secularis ad theologiam huius puritatem labefactasse, purpuraeque pannum sordidum assuisse improbat; id quod recte, nisi fallimur, carpit Trithemius, quamuis in tempore designando aberret, cum Lanfrancum iam dialecticam peritiam theologiae miscuisse ipse tradat, et de Berengario obseruauerit SIGEBERTVS [f], *eum*

x) Vid. MOSHEM. l. c. HEVMANN. l. c.
y) Continuator VOSSII de sectis c. VIII. §. 18. p. 190 MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 13. §. 2. p. 73 conf. IAC THOMAS. Orat. XII. p. 266. f.
z) IDEM de DD. Scholast. §. 7. sqq. Hist. sap. et stult. P. I. p. 102. HEVMANN. l. c. p. 13. not.
a) Cat. S. E. c. 381. p. 97.
b) loc. cit.
c) De DD. Schol. §. 8. et Orig. hist. phil. p. 120.
d) l. c. p. 296.
e) De fort. Arist. c. 3.
f) c. 154. p. 121.

eum dum dialecticis ſophismatibus contra ſimplicitatem apoſtolicae fidei abutatur, nec ſe excuſare, nec alios aedificare viſum eſſe. Paulo magis primam Scholaſticorum aetatem deprimunt, qui Petrum Lombardum primum eorum auctorem faciunt, cuius opinionis originem more ſuo eleganter enarrat eruditiſſimus HEVMANNVS [g], hoc loco omnino audiendus, is vero ſumma veriſimilitudine vſus ita coniicit: *Seculo XII Pariſienſis ſchola ita coepit efflorescere, vt ceteras omnes pleniori lumine obſcuraret, quae verba ſunt* LAVNOII, *qui et obſeruauit, Abaelardi tempore nondum Lutetiae fuiſſe ſcholam publicam theologicam. Cum igitur ſcholae publicae Pariſienſis initium incidat in duodecimum hoc ſeculum, quae et Bulaei eſt ſententia, multaque ſuadeant, vt credamus, Lombardum illum primum fuiſſe,* (publicum) *in academia Pariſienſi profeſſorem theologiae, facile iam patet, quo ſenſu et quo iure is vocetur pater theologiae Scholaſticae. Nam cum illa academia tantum breui tempore conſecuta ſit celebritatis, vt mater ac ſcaturigo haberetur omnis ſcientiae, praetereaque Lombardus, adiecta epiſcopatus Pariſini dignitate, tantum exſplendeſceret, vt ipſius ſyſtema theologiae pro abſolutiſſimo opere haberetur, ac ſequentium theologorum omnis opera in eo illuſtrando et commentariis ornando dicam an onerando? verſaretur, quis non videt, eum hoc pacto euaſiſſe theologiae Scholaſticae oraculum, fontem, ac patriarcham? Etſi itaque Lombardus haudquaquam fuit primus Scholaſticus, faſtigium tamen ſummum theologiae Scholaſticae aſſecutus illi aetati viſus eſt, eiusque veſtigiis inſiſtere pulchrum duxit ipſius poſteritas Scholaſtica.* Quae ſobrie et accurate dicta ſunt, et quid de Lombardo hac in quaeſtione ſtatuendum ſit, luculenter exponunt. Sunt et alii, qui Thomam Aquinatem in partes vocant, eo quod hunc philoſophiam Arabico-Peripateticam in Eccleſiam inuexiſſe autument, quos falli demonſtrauit RENATVS RAPINVS [h], quem ſequitur Io. FR. BVDDEVS [i], B. CHEMNITIVS [k] autem vsque ad Alexandrum Aleſium Scholaſticorum origines depreſſit. Quae opiniones omnes cum incertis coniecturis niti videantur, nulli harum tribuenda duxit theologiae vel philoſophiae Scholaſticae primordia Cl. HEVMANNVS [l], *cum dudum ante eorum exortum in monaſteriis floruerint Scholaſtici, id eſt, profeſſores literarum cum theologicarum, tum etiam, quatenus eae theologis vſui ſunt, philoſophicarum. Horum vltimus, hoc eſt, omnium primus quis fuerit, ſcire vetare monumentorum hiſtoricorum inopiam nec magnopere noſtra referre.* Recte ita iudicaſſe virum optimum atque acutiſſimum, haud inuite fatebuntur, quicunque enarratas opiniones recte conſiderauerint. In qualibet enim eſt aliquid, quod reprehendes, quodque aſſenſum cohibeat. Qui enim ex introducta Sec. XI philoſophia Arabico-Peripatetica Scholaſticae origines ad hoc ſeculum refe-

g) loc. cit. p. 13.
h) Reflexions ſur la philoſophie §. 16. Opp. T. II. p. 340.
i) Obſ. ad Hiſt. phil. c. V. §. 5. p. 345.
k) In exam. Concil. Trident. p. m. 577. a.
l) loc. cit.

runt duplici falluntur nomine. Nam hoc falſum eſt, primas origines philoſophiae Scholaſticae ſubminiſtratas a philoſophia Saracenico-Muhammedana, cum huius mali luculenta iam ſe oſtenderint veſtigia, antequam Latinis hominibus illa philoſophia innoteſceret, quanquam ſupra iam obſeruauimus, ad id augendum, confirmandum conſtituendumque eius indolem et perfectionem multum contuliſſe verſiones philoſophorum Arabicorum, et, quae iſtis verſionibus innoteſcebat, methodum Saracenorum Scholaſticam. Sed falſum quoque eſt, Seculo XI iam verſiones Ariſtotelis et philoſophorum Muhammedanorum Arabicas inualuiſſe. Quamuis enim ab Almamonis tempore iam eiusmodi verſiones philoſophorum Graecorum Arabicae confectae fuerint, ſuo tamen loco obſeruatum eſt, eas multo ſerius philoſophis Saracenorum Occidentalibus, qui Mauritaniam et Hiſpaniam occupauerunt, innotuiſſe; demonſtratum quoque in praecedentibus, ſeculo demum XI quosdam viros doctos ad Arabes excurriſſe, et primum Conſtantinum fuiſſe, qui libros nonnullos Arabicos verterit, nunc vero circa finem huius ſeculi ſecutum fuiſſe Danielem Morleium, et ab hoc demum excitatum Adelardum, Abaelardo σύγχρονον, ſimilia in philoſophico argumento Sec. XII ſuſcepiſſe, hos vero omnes tantum ad phyſica et mathematica reſpexiſſe, dialecticam autem, quae praecipue hoc malum genuit, multo prius introductam et ad theologica dogmata explicanda eſſe adhibitam. Quod vero Ingulfi Croilandenſis Continuator afferit anno MLXXX iam Cantabrigiae Ariſtotelis logicam iuxta Porphyrii et Auerrois Iſagogas explicatam eſſe, ſupra iam ex Auerrois tum nondum nati aetate falſum eſſe oſtendimus. Quod ſi concedimus, quod tamen ex hiſtoria huius temporis literaria vix euinci poteſt, fuiſſe paſſim viros quosdam eruditos, qui Arabica ſcripta legere, eorumque verſiones conficere potuerint, quod de Hermanno Contracto nos ſupra ex Trithemio obſeruaſſe recordamur; non tamen demonſtrari poteſt, ante Fridericorum aetatem eiusmodi verſiones fuiſſe publicatas, et in vſum philoſophantium traductas, quod euidenti argumento demonſtrat, ex hac quidem cauſſa philoſophiae Scholaſticae origines ad Sec. XI referri haud poſſe. Alios quoque, quam Peripatetico-Arabicos dialecticae theologiae admiſtae fontes nobis detexit hiſtoria philoſophica, nempe dialecticam Auguſtini, et Porphyrii, Victorini atque Boëthii libros dialecticos ex Graecis conuerſos, vt ſupra dictum. Perperam itaque Arabica philoſophia huc aduocatur, ſi de primis originibus ſermo eſt, quamuis negari nequeat, poſtquam Saracenorum verſiones obtinuerunt, philoſophiam Scholaſticam valde adoleuiſſe. Quod porro inter theologiam et philoſophiam Scholaſticam nonnulli diſtinguunt, recte quidem factum eſt, parum autem ad quaeſtionis, de qua agitur, ſolutionem confert; cum non tantum ſororio vtraque inter ſe vinculo cohaereat, ſed vtriusque iidem natales, eaedemque fuerint origines. Id quod nemo temere negauerit, qui, quae ſupra de ratione ſtudiorum

diorum et disciplinae Scholasticae, id est monasticae differuimus, deque munere Scholasticorum, de triuio et quadriuio etc. attulimus, attento consideraverit animo. Quamuis enim philosophiae studium, id est triuium et quadriuium theologiae plerumque praemitti soleret, ancillari tamen ista notitia philosophica theologiae iussa, et haec simul cum illa exculta est, eo quod philosophiae istius siue dialecticae et mathematicae praecepta iis tantum inseruire posse credebantur, qui sublimiori sapientiae destinabantur. Rem ex supra dictis satis notam heic operose probare necessarium haud putamus; vnius vero IOANNIS SARISBERIENSIS *) testimonium sufficit, qui integro capite demonstrandum sibi esse statuit, *inefficacem esse dialecticam, si aliarum disciplinarum destituatur subsidio.* Quae quoque causa est, cur nullus fere doctor Ecclesiasticus apud Sigebertum, Honorium, Henricum, Petrum et Trithemium occurrat, de quo scriptores isti historiae literariae non obseruauerint, eum et in seculari literatura egregie doctum et in Scripturis versatissimum fuisse. Qui enim haec inter se separaret, tunc erat nemo, pauci vero erant, qui ad iurisprudentiam vel medicinam, artesque mathematicas, dialecticam, (quae sola fere tum philosophiae nomine veniebat,) referrent. Ita vero iuncta dialectica theologiae, Scholasticum docendi discendique genus peperit, nec fuit vnus ex Scholasticis, qui non ex vtroque Caesarem se praestaret. Quod, ne ex seculo XII et sequentibus exempla afferamus, ex vndecimo seculo comprobat Roscelini exemplum, qui cum summum illa aetate locum inter dialecticos occupauisset, tanta temeritate philosophiam istam verbosam et contentiosam ad theologiam applicuit, vt grauissimorum errorum accusaretur, vt supra dictum. Non separari itaque potest historia philosophiae Scholasticae a theologia Scholastica, quod postulat Thomasius, falsa huius notione persuasus. Neque ad Roscelinum initia philosophiae Scholasticae referenda sunt, infra enim docebimus, sectam eum Nominalium excitauisse, quod inuicto argumento esse potest, Scholasticam philosophiam eo iam tempore fuisse, cum alias nouam is illius sectam condere non potuisset. Qui vero Abaelardum primum nobis Scholasticae philosophiae et theologiae auctorem definiunt, primum Scholasticum in academia Parisiensi, cum primo Scholastico in genere considerato confundere videntur. Non enim is contentiosae philosophiae et theologiae primus auctor parensque fuit, sed eam a Roscelino et Guilelmo de Campellis didicit, quos eiusdem farinae philosophiam excoluisse infra trademus. Quae vt certa sunt, ita euidenti ratione eos refutant, qui ad Lombardum hoc εὕρημα referunt, Abaelardum enim praeceptorem Lombardus habuit. Ita vero nec Thomas Aquinas, nec Alexander Alesius parentes Scholasticorum dici possunt, quorum vterque post Lombardum vixit, eoque tempore floruit, quo iam adoleuit philosophia Scholastica. Quibus omnibus iusta lance

truti-

*) Metalog. L. II. c. 9. p. 801. conf. Obs. Hal. Int. T. I. Obs. I. §. 23. p. 52.

trutinatis non inuiti in eam deſcendimus ſententiam, nullam certam aetatem, annumque, nec certum quendam virum doctoremque definiri poſſe, ad quem origines ſcholaſticae philoſophiae referri queant. Id quod omnino naturae ſcientiarum, dogmatum et opinionum conſentaneum eſt, quae, vbi a certo quodam auctore non conduntur, ſenſim tantum irrepunt, et tacito quaſi pede ſucceſſiuis partium ſuarum incrementis ſuccreſcunt, donec ad iuſtam perfectionem perueniant. Quae obſeruatio vti plurimis exemplis, quae ſuppeditat philoſophica et Eccleſiaſtica hiſtoria, comprobatur, ita inutilibus diſputationibus de incertis opinionum multarum originibus finem imponit prudentiſſime. Et hac quoque regula vſos nos eſſe in definienda philoſophiae Aegyptiacae et Cabbaliſticae origine, inque detegendis initiis ſectarum Iudaicarum nondum poenitet, nec in hoc argumento lubet ab ea deflectere. Ceterum magnopere in hac quaeſtione enodanda ad verum quaeſtionis ſtatum attendendum eſt, et ſeparandae quaeſtiones aliae, quae huic attextae miram confuſionem pepererunt. Ita multos iuris canonici origines cum initiis theologiae et philoſophiae Scholaſticae perperam miſcuiſſe, et duo quidem fulcra Romanae curiae ſibi perquam affinia, ſed ſua tamen natura diuerſa confudiſſe recte notatum eſt IACOBO THOMASIO *). Philoſophia enim ſcholaſtica ante conditam a Gratiano compilationem vehementer ſe iam commendauerat, nec inter theologos numerabatur, qui non his quoque ſacris initiatus eſſet, canonici autem iuris ſtudium imperante demum Friderico I, inter ſacras diſciplinas receptum et theologis traditum eſt. Deinde non de omni philoſophiae in theologia vſu et exercitio hic quaeri probe tenendum eſt; hoc enim ſi negligimus, ipſam philoſophiam cum philoſophia Scholaſtica, genuinamque veritatis filiam cum ſpuria commutabimus. Multos neglectus huius cautionis ſeduxit, vt de originibus Scholaſticae philoſophiae et theologiae diſputantes origines altius, quam par erat, quaererent, ipſumque philoſophiae omnis vſum in ſuſpicionem adducerent. Id quod inepte fit atque praeter rem, cum et ratio quemlibet doceat, ſuum eſſe iuxta theologiam locum philoſophiae, hancque illi haud exiguum praeſtare vſum poſſe, nec repugnare reuelationis lumen rationis lumini, quod vtrumque a patre luminum prodiit: et hiſtoria teſtetur, eam philoſophiae, et praecipue dialecticae atque methaphyſicae commixtionem cum ſacris dogmatibus, quae theologiae Scholaſticae nomine venire ſolet, ipſamque, quae in ſcholis Eccleſiaſticis obtinuit, philoſophandi et diſputandi rationem, de qua heic loci proprie quaeritur, ab ipſa philoſophia longiſſime differre, nec inter ſe iſta commutanda eſſe. Vt autem propius ad rem ipſam accedamus, et quid nobis quoque ſtatuendum videatur, vt inſtitutum noſtrum poſcit, modeſte et diſtincte explicemus, praemonendum eſſe exiſtimamus, eſſe nobis ſermonem de pſeudo-philoſophia illa medii aeui ſectaria, partim ex Stoico-

*) De Orig. theol. Scholaſt. §. 7. Hiſt. ſap. et ſtult. P. III. p. 226. ſeqq.

Stoicorum cauillationibus partim ex mataeologia dialecticae Aristotelicae enata, quae confusis inter se rationis et reuelationis principiis, et adhibito auctoritatis praeiudicio maleque consarcinatis doctorum opinionibus, ipsa veri omnis principia euertit, et inutili atque anfractuoso disputationum ac subtilitatum innumerarum agmine vim fecit veritati castiori omni, et dialecticis armis omnem veram philosophiam prostrauit, erroresque induxit quam plurimos. Hanc enim philosophiae Scholasticae veram faciem, hos natiuos eius vultus esse, ex dicendis luculenter constabit. Nam et in principiis ratiocinandi, et in ipsa forma lapsos esse, et in vtrumque peccasse Scholasticos, tot eorum disputationes clarissime monstrant, et pulchre obseruatum est IACOBO THOMASIO *), cuius verba, cum huic tractationi haud exiguam lucem foenerentur, pace Lectoris integra huc apponemus: *Vitiorum Scholasticae theologiae aliud ad conclusiones pertinet, aliud ad medios terminos; ad conclusiones, quod quaestionibus theologicis ex professo miscuerunt non theologicas, hoc est, eas, quae proprie spectant, ad aliquam partem philosophiae, quod conclusionibus theologicis veris miscuerunt falsas, quod vtilibus inutiles, iis, de quibus facta est nobis a Deo reuelatio, curiosas, seriis denique ridiculas. Ad medios terminos et eorum discursionem refer, quod sepositis fontibus S. Scripturae ex imperitia linguarum aliisque caussis ad impuros versionum riuulos deflexerunt: quod saepe in probando plus apud eos valuerunt sententiae patrum, decreta conciliorum aut pontificum, vel rationes philosophorum etiam ethnicorum, imprimis Aristotelis, quam Scripturae S. et quoniam ita S. theologiam adulterauerunt admixtione philosophiae et eius quidem gentilis non modo circa medios terminos, sed etiam circa conclusiones; non peccauerit fortasse, qui formalem huius vitii rationem maxime reponat in commixtione sacrae theologiae cum philosophia gentili.* Pertinere haec non tam ad philosophiam, quam theologiam Scholasticam, non negamus, sed cum ea quae communem naturam habent, inter se communia quoque attributa habeant, demtis iis, quae ad solam theologiam pertinent, vultus philosophiae Scholasticae ex his facile detegi possunt, praecipue si non ad conclusiones tantum, siue quaestiones otiosas inutiles, inepta subtilitate molestas, et vesana curiositate detestabiles, sed ad ipsa quoque ratiocinandi principia, ex suis fontibus non deducta, auctoritatis vero praeiudicio subnixa, et ex gentili Stoicorum et Aristotelicorum dialectica et metaphysica hausta, tum ad ipsam ratiocinandi et concludendi rationem, vagam, incertam, ex vtraque parte infinitis ambagibus disputantem, ad notiones, quae adhibitae sunt obscuras, vagas, temerarias, nimiaque mentis praecisione nihil significantes, quaeque reliqua sunt otiosorum hominum deliria respiciatur. Haec enim βδελύγματα in Scholastica

*) l. c. §. 16. p. 228. seqq.

ſtica philoſophia detexerunt viri cordati et iudicii acie praediti, non tantum ex iis Chriſtianorum coetibus, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſum fecerunt, ſed illi quoque, qui ei publica religionis confeſſione adhaeſerunt. His praeſuppoſitis, probeque obſeruata cautione, vt occaſiones ab ipſa re diſtinguantur, non difficile erit, ſi ea conſulamus, quae hactenus de philoſophia Chriſtianorum prolixe diſſeruimus, veras origines philoſophiae Scholaſticae detegere. Cui ſi cum viris quibusdam doctis dicamus S. Auguſtinum praeluſiſſe, nihil afferemus, quod non veritati congruum eſſe, ipſa magni viri teſtatur hiſtoria. Qui dum dialecticam Stoicam et Platonicam amat, dum Platonicam philoſophiam ad ſacra dogmata explicanda adhibet, dum de rebus ſacris per innumeras quaeſtiones ſubtiliter ſecundum philoſophiam, poſitis quibusdam axiomatibus diſputat, exemplum ſeculis ſequioribus praebuit, quod malo conſilio non imitarentur modo, ſed ſuperarent. Valde veneramur memoriam ſummi viri, quo vix doctiorem epiſcopum habuit Eccleſia: Sed ficus tamen ficus et ſcapha ſcapha nominanda eſt, vbi hiſtoriae veritas eſt detegenda. Nec culpamus methodum philoſophicam et accuratam ad argumentum quoque ſacrum adhibitam, ſed curioſam illam principiorum inter ſe diuerſorum confuſionem, et ſubtilitatem ex philoſophia gentili petitam in magno doctore candide improbamus. Sequimur in eo LVDOV. ELLIES DV-PINIVM *p*), candide more ſuo ita de Auguſtini methodo pronuntiantem: *Vſitata eius methodus eſt, praeclara principia ponere,* (dixeris Platonica et haud raro ſuſpecta) *ex quibus innumeras elicit conſequentias, adeo, vt omnia doctrinae illius capita arctiſſimam inter ſe connexionem habeant. In plerisque myſteriis magis ratiocinatus eſt, quam vllus auctor ante eum; plures quaeſtiones, prius non motas agitat, harumque plures ſola acuminis ſui vi diremit. Longe ſaepius abiit ab eorum ſententia, qui ipſum praeceſſerunt, vt nouam prorſus viam inſiſteret, ſiue in Scripturarum explicatione, ſiue in theologicis opinionibus. Circa res theologicas de eo dici poteſt, quod de ſe ipſo dicebat Cicero circa philoſophiam, quod fuerit magnus opinator, id eſt, quod plurimas opiniones, quae meram habebant probabilitatem, in medium protulerit. Sed id fecit Auguſtinus admodum modeſte et prudenter, non ea mente, vt alios ad arbitrium ſuum coecorum in morem ſequendum adigeret.* His poſtquam alia de eius methodo adiecerat, addit: *Argumenta innumera ex aliquo principio ediſſeruit, corpusque theologicum, vt ita loquar, Latinorum patrum, qui poſt ipſum vixerunt, efformauit. Hi ſiquidem ex illius libris non tantum hauſerunt principia, quibus vſi ſunt, ſed etiam frequenter eundem mere tranſcripſerunt.* Quae rectiſſime a doctiſſimo viro obſeruata eſſe, fatebitur, quisquis Auguſtini ſcripta legerit. Nec magnopere haec in pio doctore miranda eſt methodus; cum enim dimiſſa Manichaeorum doctrina ad Aca-

p) Bibl. Nou. Eccleſ. T. III. p. 256.

Academicos, et ab harum fluctuatione ad Platonicos reformatos tranſiiſſet, ipſum hoc diſputandi et differendi per varios anfractus genus ſimul didicit, et in vſus ſacros adhibuit. Cum autem ſumma ſemper Auguſtini in Eccleſia eſſet exiſtimatio, adeo vt piaculum aeuo medio eſſet, ab eius placitis recedere, ipſa vero, quae eius nomini ſuppoſita eſt, dialectica, cauillationum Stoicarum filia, huic philoſophandi modo patrocinaretur, mirum non eſt homines hos, neglecta optimi doctoris modeſtia, in has ſyrtes incidiſſe, et occaſionem ſumſiſſe ab Auguſtino contentioſum hoc philoſophiae genus comminiſcendi. Alterum quod ad occaſiones philoſophiae Scholaſticae condendae referri debet momentum ſuppeditant verſiones Latinae nonnullorum ſcriptorum Ariſtotelis et Porphyrii dialecticorum a Victorino et Boëthio confectae. Hae cum medio aeuo legerentur, vt ſupra dictum, Ariſtotelicae dialecticae notitiam quandam his hominibus comparauerunt. Praecipue autem Porphyrii *introductio in categorias* primam iis anſam dedit de notionibus abſtractis, generalibus et vagis diſpiciendi. Et has quidem, ſeruente in Occidentis partibus barbarie, in Hibernia primo perſonuiſſe, ex ſupra dictis, certum eſſe putamus. Vbique enim ſilentibus Muſis ibi philoſophiam in ſcholis monaſteriorum doctam fuiſſe, et ex hac inſula viros doctos Scotos Anglosque in patriam eam retuliſſe, ex Britannia autem in Galliam Alcuino, Clemente aliisque obſtetricantibus prodiiſſe, ea, quam ſupra dedimus narratio probat, et Hiberniam Scholaſticae philoſophiae condendae primum feciſſe locum manifeſtum facit. His, licet ſerius, acceſſit ex ſeculo VIII Damaſceni inter Graecos theologiam philoſophiae Ariſtotelicae cothurno adaptantis ſtudium, quod eum ab Arabibus didiciſſe ſupra iam monuimus. Poſtquam enim librum eius *de fide Orthodoxa*, Ioannes Burgundio Piſanus g) Sec. XII medio in Latinum ſermonem traduxiſſet, quamuis ſatis inepte id fieret, confirmati hoc exemplo ſunt aeui medii homines in iſto conſilio, quod antecedentium ſeculorum auctoritas tantopere commendauerat. Sed haec ſerius facta ſunt, vnde non niſi certo ſenſu et reſtrictione Ioannes Damaſcenus inter parentes philoſophiae et theologiae Scholaſticae referri debet. Ferri haec omnia iſto, quo vixit Auguſtinus ſeculo, et ſequentibus potuiſſent, ſi limites non migrauiſſet humana curioſitas. Ingruente autem barbarie, et dominante ignorantia, cum iuris omnis diuini et humani limites concuterentur, et ad noua dogmata et opiniones inclinaret humani ingenii luxuria, ex emolumento ordinis Eccleſiaſtici alimentum quaſi nacta, delirare indies magis coepit, et a ſimplicitate Scripturae, atque a recta via philoſophiae deflectere. Et tunc malum malo additum et fundamenta iſta facta ſunt, quibus inaedificatum eſt philoſophiae et theologiae

g) Vid. LE QVIEN. ad Damaſc. Praef. §. II. n. 3. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 776. Bibl. Lat. med. T. III. OVDINVS de S. E. T. II. p. 1297. Vertit is quoque GEORGII EMISSENI librum de philoſophia ſiue homine, eumque philoſophiae Graecae non ignarum fuiſſe teſtatur Io. SARISBERIENSIS Metalog. L. III. c. 7. p. 887.

giae Scholaſticae aedificium: Id quod hoc praecipue pacto factum eſt. Cum bellici tumultus et inuaſiones populorum barbarorum cauſſaeque aliae ſupra prolixe enarratae et morum et literarum barbariem inuexiſſent quique Eccleſiae non inſeruiebant, homines ſeculares alieno ab eruditione eſſent animo, omnemque ingenii cultum aſpernarentur, doctores autem Eccleſiaſtici ſibi ſolis omnis doctrinae elegantiam vindicarent, artium cultura, quae philoſophiae quosdam vultus expreſſit, ſed marcidos et deformes, in monaſteria quaſi relegata eſt, in quibus ſoli clerici docebant diſcebantque. Quamuis enim Caroli M. et ſucceſſorum ſtudio nobiles quoque laici eruditioni deſtinarentur, eamque in his ſcholis colere iuberentur, quem in finem in ipſa imperatoris aula et palatio ſcholam conſtituit Carolus M. laudabile tamen inſtitutum et cleri inuidia, et nobilium laicorum negligentia mature euiluit. Ita vero inſtrumentis rerum omnium, tam Eccleſiaſticarum, quam ciuilium bene gerendarum in manus clericorum delatis, hi de artibus diſponere, hi animos diſcipulorum ad lubitum formare, hi rebus ſuis inſeruiente hac occaſione fauere, hi artium ſiue philoſophiae culturam ſibi ſolis vindicare poterant. Philoſophia itaque, vel eius exigua potius pars dialectica ad hos modo fines reſpicere iuſſa eſt, vt ancillaretur theologiae, huicque diligenter atque fideliter ſeruiret. Quod vbi ſemel fixum ſibi conſtituerunt hi homines, confirmatum auctumque eſt peſtilens illud praeiudicium, quod philoſophiae culturae medio aeuo tantopere obfuit, non poſſe adhiberi in vſus philoſophiam, niſi ad explicandam defendendamque ſacram illam doctrinam, quam ex apoſtolica ſe traditione per manus maiorum accepiſſe gloriabatur clerus Latinus. Ex hoc vero aliud enatum eſt praeiudicium, quod eum canonem conſtituit, ad quem informanda philoſophia et theologia Scholaſtica exigenda eſſe conſilia, ſi ex re ſua futura eſſe debeant, probe viderunt homines aſtutiſſimi, nempe ita philoſophiam conformandam eſſe, prout doctrina in Eccleſia tum recepta, nouaeque quae horum hominum ingenio valde luxurianti debebantur, opiniones, poſtulabant, et emolumentum cleri requirebat. Ita vero omnis tum doctrina purior neglecta corruerat, vt poſthabita dogmatum a Chriſto et apoſtolis diuinitus traditorum veritate, vel parui ſaltem habita eorum cuſtodia, ad vnam Romani epiſcopi, ſuper omnia iam tum ſe efferre magnis conatibus laborantis ὑπεροχὴν cuncta referrentur. His dum armis eccleſiaſticis, immo ciuilibus quoque, ipſi pontifices velificantur, dum ſubditos contra imperatores, reges, principes, armant, dum bruta vibrant fulmina, et in roboranda auctoritate ſua prorſus furunt, omni niſu in eo eſt cleri obſequium, vt quantum poſſet, ad firmandam potentiam eccleſiaſticam conferret, et non opes tantum in hunc finem maximas corraderet, ſed et ingenia ſibi manciparet, iisque homines oneraret praeiudiciis, quae catenarum inſtar in ſeruitute eos cuſtodirent, nec permitterent ad ſuam adſpirare libertatem. Hiſce prudentiae,

dentiae, si superis placet, ecclesiasticae finibus subordinata reliqua omnia, huc relata omnis theologorum industria et eruditio, et ad regulam hanc hierarchiae ecclesiasticae cuncta exacta sunt, eo Ecclesiae damno, vt vulnera haec pati diutius vix posset. Non heic leues suspiciones adducimus, non ad vanas falsasque accusationes prouocamus, sed publicas virorum doctissimorum querelas testamur, quae cum toties in scenam adductae fuerint, sine pudore negari non possunt, fassique sunt, quotquot animum aluerunt liberum pectusque veritatis confessione generosum, et a turpissima adulatione abhorrens. Vna nostra Germanica natio, eo, qui illam decebat, candore, tantis Ecclesiae malis indignata, querelas effudit grauissimas, de quibus tamen hoc loco agere institutum vetat, videndus autem, qui vno fasce eas erudite comprehendit Ven. IACOBVS FRIDERICVS GEORGIVS [r]. Innumeram ex his principiis cleri politicis disputationum segetem oriri debuisse, facile intelligit, qui sine praeiudicio ad arcanas causas attendere nouit. Cum enim emolumentum hierarchiae ecclesiasticae, vel noua et inaudita hactenus dogmata inuexisset, vel maiorum fidem ita adulterauisset, vt opes et potentia, ad quam tantis motibus grassabatur, acquiri, acquisitae conseruari, conseruatae augeri in immensum et locupletari possent, adhibita hunc in finem philosophia illa est, quam in monasteriis docebant Scholastici, siue professores artium liberalium et theologiae, et ad istud dogmatum genus roborandum acumen ingeniorum, quae in claustris latebant, prouocatum est. Quae cum diligentiae suae opima satis et splendida sperare possent praemia, abbatias, episcopatus, ipsamque Ecclesiae purpuram, pugnis calcibusque pugnauerunt pro domino suo, cui se iurisiurandi sacramento obstrinxerant, et cum dialecticam hanc theologiam summa sagacitate ita comsissent, ornassent, auxissent, vt miris subtilitatibus turgeret, his armis contra viros cordatos, qui ingruenti malo se obiecerunt, in inimica processerunt praelia, certe illos, quos deuiare ab hac norma videbant, quocunque etiam fiebat nomine, aduersis adorti sunt telis, quae philosophia illa et theologia eristica a Scholasticis hominibus, id est professoribus philosophiae et theologiae in monasteriis viuentibus, et ad episcopatus ob haec insignia merita haud raro euectis culta suppeditabat. Testem damus totam historiam ecclesiasticam seculi VIII, IX, X, XI, et controuersias Felicis Vrgelitani, Godeschalci, Paschasii, Radberti, Ratramni, Berengarii aliasque his seculis motas considerare Lectorem, sed sine praeiudicio iubemus. Quamuis enim vel de horum virorum placitis sensuque dogmatum ab iis assertorum vero et genuino dispicere, vel de eorum veritate erroreue disquirere institutum vetet, de qua re in historia theologiae polemicae, vel ecclesiastica dispiciendum est; fatendum tamen est, vbi etiam concedimus, in errore hos homines versatos fuisse, nec

r) Comm. de grauaminibus nationis Germanicae aduersus sedem Romanam totumque ordinem ecclesiasticum, c. II. III. p. 20. seqq.

aliis, quam deſcripſimus, armis, nec alio, quam indicauimus ſcopo, nec laetiori, quam diximus euentu eos fuiſſe oppugnatos. Illud certe nec ipſi acerrimi Romanae hierarchiae tunc caput tanta ferocia, duce Gregorio VII. et ſimilibus epiſcopis Romanis efferentis, defenſores negabant, dialecticam hanc theologicam, ſubtiliſſima diſputationum, praeciſionum, diſtinctionum velitatione in arenam deſcendiſſe, et nugas humani ingenii iſtis alimentis egregie nutritas, vtramque tunc paginam feciſſe. Non vero vno hoc malum genitum eſt ſeculo, ſed vt ipſa potentiae eccleſiaſticae auctoritas a paruis initiis ad ſummum faſtigium progreſſa eſt, ita paulatim quoque vires illud accepit et incrementa. Et ſeculo quidem nono iam valde gliſcere coepiſſe, ex eius litibus dialecticis in cauſſa Godeſchalci, Radberti et Ratramni rerum in Eccleſia geſtarum peritos latere non poteſt, et famoſiſſimae iſtae controuerſiae luculenter probant, quas genuiſſe atque aluiſſe veſanam mentis humanae circa ſumma myſteria diuina curioſitatem ineptumque philoſophiae falſae ſtudium fatendum eſt, niſi in meridie coecutire libeat. Fuiſſe autem hoc ſeculo qui theologiae et philoſophiae principia inter ſe confuderint, vnius Ioannis Scoti Erigenae exemplo, quod ſupra copioſe explicuimus, conſtat. Manifeſtiora vero malum hoc veſtigia prodidit ſeculo X, quo iam eo res deuenit, vt philoſophus, theologus et clericus, hicque imprimis, ſi munus obtigiſſet, Scholaſticus idem eſſet ac ſignificaret. Seculo autem XI, vbi paulo reſpirare, quae ſeculo IX et X depreſſa iacuerat, philoſophia coepit, et ad metaphyſicas ſpeculationes, plerisque hactenus ignotas diuertit ingenii humani curioſitas, vehementer malum hoc auctum et multiplicatum eſt. Totum enim hoc ſeculum, praecipue ſi poſteriorem eius partem conſideres, dialecticum fuiſſe, et de rebus theologicis acute, ſed peruerſe diſputauiſſe, prolixe probare, poſtea, quae in praecedente capite diximus, opus haud eſt. Certe totam fere vitam in dialecticis diſputationibus hoc tempore homines contriuiſſe, ex Io. Sarisberiensis loco ſupra iam adducto, conſtat, docetque Roſcelini, nouam iam tum dialecticarum ſubtilitatum ſectam condientis exemplum, ſeculo vndecimo inuenuſtum hunc pullum iam excluſum fuiſſe. Ineunte enim ſeculo XII, controuerſias Nominalium et Realium dialecticas iam vehementer efferbuiſſe, ſupra clariſſimo Abaelardi teſtimonio demonſtrauimus. Ex quo recte conficitur, ſeculo vndecimo exeunte philoſophiam ſcholaſticam natam iam fuiſſe, eam vero hoc quoque ſeculo ad theologiam iam adplicatam omnes iſtos naeuos fouiſſe, quos ſupra indicauimus, ſcripta Lanfranci, Anſelmi aliorumque ex hoc ſeculo doctorum ſatis demonſtrant. Ii enim, quotquot ingenio et eruditione praeſtabant, cum id officii rationem munerisque commiſſi indolem poſcere crederent, in id connitebantur, vt theologia dialecticae beneficio illuſtraretur, augeretur, defenderetur. Quod ne ſine teſtibus dixiſſe accuſemur, vel inuidioſius, quam par erat, attuliſſe videamur, ecce Sigeberti Gem-

BLACENSIS[s] et HENRICI GANDEVENSIS[t], hominum isto aeuo medio viuentium et inclarescentium testimonia. Ille enim de Lanfranco ita: *Lanfrancus dialecticus et Cantuariensis archiepiscopus, Paulum apostolum exposuit, et vbicunque opportunitatis locorum occurrit, secundum leges dialecticae proponit, assumit, concludit.* Hic de Anselmo: *Anselmus secularium literarum peritia insignis, et praecipue dialecticae, religione venerabilis ex abbate monasterii Beccensis archiepiscopus Cantuariensis disputator reuera subtilis, scripsit cum adhuc prior esset Beccensis, duos libros quos vocauit Monologion et Prosologion, multo plus rationibus, quam Scripturarum auctoritatibus vtens.* His sine dubio testimoniis compulsus est LVDOVIC. ELLIES DVPINIVS[u], vt obseruaret, *neglectis decimo seculo studiis maxime necessariis et planioribus non esse mirandum, abstrusis solummodo quaestionibus illis ac difficilibus plerosque studium applicuisse. In medio tandem seculi vndecimi philosophiam Aristotelicam ad Arabum methodum in scholis publicis doceri coepisse, eamque ab initio vsum tantum in philosophia habuisse, sed homines principiis istis infectos paulo post eadem in theologiam pedetentim intulisse, iisque non solum ad enucleandas decidendasque quaestiones theologicas ordinarias, sed etiam ad formandas magno numero nouas, de quibus antea ne auditum quidem fuerit, vsos fuisse. Ioannem Sophistam Roscelinum, et S. Anselmum inter primos fuisse, et post eum Petrum Abaelardum, Gilbertum Porretanum aliosque complures vulgatissimam ac celebrem illam reddidisse, lectionibus publicis ad eam rem institutis.* Similia obseruauit eruditissimus MABILLONIVS[x], qui videndus. Non tam coeci fuere tunc viri docti, vt non malum hoc mature detegerent, et, quam amari fructus ex his radicibus exsurgerent, probe perspicerent. Supra enim iam Sigeberti verba produximus, conquerentis, Berengarium dialecticis sophismatibus contra simplicitatem fidei apostolicae abusum fuisse. Verum nulla inde morbo medicina parata erat. Quamuis enim doctores ecclesiastici oculatissime naeuum hunc in illis detegerent, qui a receptis hypothesibus dissentiebant, vocemque docentium publicam armis dialecticis aggrediebantur, lusci tamen, immo coeci, fuerunt, in eo in suae partis hominibus denotando. Et ex his sole meridiano clarius esse putamus, seculo vndecimo sidus hoc pestilens iam Ecclesiam afflasse, foetumque hunc ex vtero prodiisse, et vesano dialecticae studio obstetricante exclusum esse. Factum autem hoc quoque seculo, philosophiae studio iterum emergente, vt haec philosophia in academiis scholisque publicis doceretur, id quod in Cantuariensi et Parisiensi schola ad finem properante seculo XI, factum esse; supra testimoniis certissimis demonstrauimus. In hac vero, cum vbique celebraretur, et ad hanc Musarum sedem ex omni fere orbe literarum studiosi conuolarent, si non

s) De S. E. c. 155. p. 112.
t) Cap. 5. p. 218.
u) Meth. stud. theol. c. II. p. 21.
x) De studiis monast. P. II. c. 6. p. 285.

ſi non primus, certe inter primos, qui hanc philoſophiam contentioſam docuerunt, fuit Guilelmus de Campellis, quem hanc dialecticam ſtrenue excoluiſſe, infra dicemus. Roſcelinus enim, quem Abaelardus quoque praeceptorem habuit, licet ſummus dialecticus haberetur, non publice, ſed priuatim, nec Pariſiis docuiſſe videtur. Et hanc quidem pueritiam philoſophiae Scholaſticae dicere licet, quae omni expectatione citius adoleuit, educationem curante Petro Abaelardo et ſchola eius. Hunc enim dialecticarum ſubtilitatum acumine, et pertinaciſſimarum diſputationum vehementia omnes ſuo tempore ſuperaſſe, et hoc dialecticae contentioſae genus feciſſe frequentiſſimum, eam autem ad theologiam cum ſequacibus adhibuiſſe, in ſequentibus exponemus. Quamuis vero haec ad theologica dogmata adplicatio philoſophiae doctoribus eccleſiaſticis valde diſpliceret, non tamen inde decrementa ſenſit philoſophia Scholaſtica, ſed potius miro fato fortius adoleuit. Non inuiſa enim erat aduerſariis Abaelardi, et ſequacium, ipſa haec philoſophandi methodus, ſi Bernardum excipias, his ſacris parum initiatum, et myſticis magis contemplationibus delectatum; ſed id modo ferre non poterant, a doctrina eum recepta et in Eccleſia dominante receſſiſſe, huncque, quem fecerat diſceſſum ſuum, dialecticis rationibus defendiſſe. Hinc cum aggrediendus eſſet hoſtis valde formidatus, de iisdem armis diſpiciendum erat, et in iis exercenda ingenia, quo factum, vt latiſſime fimbrias ſuas dilataret, et iuuenili robore ferociret philoſophia et theologia Scholaſtica. Virilem vero aetatem iuſtaeque menſurae vires ſine dubio Petro Lombardo debet, qui, quamuis nonnullos ante ſe auctores exemplo ſibi habuerit, doctrinae ſacrae aedificium philoſophica ratione conſtruendi, recte tamen niſi fallimur, primus fuiſſe ſtatuitur, qui dialecticae quam ab Abaelardo didicerat, peritiae auxilio ex Scriptura S. philoſophia et ſententiis dictisque patrum publicum ſententiarum librum, id eſt ſyſtema theologiae Scholaſticae compoſuerit. Aliter hoc viſum DVPINIO [z], ſtatuenti, *ad afferendum malo huic remedium commotum Petrum Lombardum, epiſcopum Pariſienſem, farraginem collegiſſe ſententiarum e ſanctis patribus, inprimis Hilario, Ambroſio, Hieronymo et Auguſtino ad praecipuas, quae tunc temporis inter Scholaſticos agitabantur, quaeſtiones: perſuaſiſſeque ſibi, fore, vt hoc modo eorum lites componerentur, talesque formarentur deciſiones, quae ab auctoritate patrum, quorum ſententiis ac teſtimoniis innitebantur, venerationem adeptae, vnanimi conſenſu ab omnibus recipiantur. At vero Scholaſticos doctores ſimplicitati huius libri non acquieſcentes, vaſtos in eius textum commentarios edidiſſe, quibus litium et contentionum cramben centies recoxerint, principiaque philoſophica, nec non Ariſtotelis axiomata, quorum nullam ſententiarum magiſter rationem habuerat in theologiam denuo intruſiſſe, proque eo, quod eius methodum ſequerentur, motasque quaeſtiones patrum dictis ſoluerent, non niſi principiis philoſophicis ac ſubtilitatibus metaphyſicis militaſſe.* Verum parum accurate haec dicta eſſe, ipſa *libri*

z) De ſtud. monaſt. P. II. p. 23.

Senten-

Sententiarum inſpectio, quemlibet conuincere poteſt, nihilque tota haec obſeruatio euincit aliud, quam Petrum Lombardum, magiſtri Abaelardi exemplo cautum, ne ſui ordinis hominibus totus diſpliceret, ſeruata quidem praeceptoris methodo, patrum quoque ſententias adieciſſe, ſicque modeſtius de rebus diuinis philoſophari voluiſſe, re ipſa autem veſtigiis praeceptoris inſtitiſſe, et eiusmodi ſyſtema Scholaſticae theologiae compoſuiſſe, eius vero explanatores longius progreſſos inſanire indies magis coepiſſe. Quae Lombardum quidem a ſequentium ſeculorum Scholaſticorum furore liberant, a Scholaſticae vero theologiae cultura et augmento non abſoluunt. Et verum quidem eſt, quod idem vir doctiſſimus obſeruat, *in prima Scholaſticae theologiae aetate eam nondum in plenam artis formam redactam fuiſſe, nec ad methodum Auerroiſtarum philoſophiam Ariſtotelicam producefuiſſe habitam:* verum, cum ipſe vir eruditus non neget, hac iam aetate Scholaſticum docendi genus viguiſſe, ipſamque Scholaſticam theologiam natam iam fuiſſe, recte inde concluditur, Lombardum ex hoc numero non eſſe eximendum. Tota enim aetas prima Scholaſticorum longe modeſtior fuit reliquis, vt poſtea dicemus, ab ipſa tamen Scholaſtica methodo non receſſit. Petrus autem Lombardus cum tanta Pariſiis auctoritate refulſerit, vt tandem epiſcopali dignitate ornaretur, inter doctores autem eccleſiaſticos et theologos in hac vniuerſitate aut primus aut inter primos publice theologiam profiteretur, mirum non eſt, breui eius librum in ſcholis publicis ſolum praelectum eumque magiſtrum ſententiarum κατ' ἐξοχὴν dictum fuiſſe, ita vero hac auctoritate ſuffultam theologiam et, quae huic ancillabatur, philoſophiam Scholaſticam, mira virilitate creuiſſe, quam quoque cauſſam eſſe, cur multi Lombardum pro patre Scholaſticorum habeant, recte vidit cel. HEVMANNVS, cuius ea de re verba ſupra adduximus, quae hic repetenda ſunt. Maximas tamen vires recepit philoſophia et theologia Scholaſtica, cum Ariſtotelis ſcripta quoque metaphyſica per verſiones confectas innoteſcerent, ſicque ſenſim totus orbis Chriſtianus fieret Ariſtotelicus. Cum enim iam prius dialectica eius nota fuiſſet, quae innumerarum diſputationum mater hactenus foecunda fuerat, ſociata ſorori metaphyſica Ariſtotelis, cuius modo tenuem prius praeguſtum in praedicabilibus Porphyrii habuerant, ſubtilitates ſubtilitatibus augebat, et axiomata ſubminiſtrabat generalia, vaga, obſcura, et ambiguo vſu difficilia, quae cum ingenia otioſa, et in hoc inani acumine ſummam laudem quaerentia ad materias theologicas traduxiſſent, ipſa Scholaſtica theologia et philoſophia magno robore et viribus excellentiſſimis aucta eſt. Qua in arena diligenter deſudaſſe, et, mirum quantum, ad Scholaſticae doctrinae incrementa contuliſſe Albertum M. et Thomam Aquinatem, ex infra dicendis conſtabit. Tandem vt perfecta ratione et pleno habitu prodiret philoſophia et theologia Scholaſtica effecere verſiones librorum philoſophicorum Arabum circa initia ſeculi decimi tertii vulgatae, vt ſupra demonſtratum. Hae cum Saracenicorum

corum philoſophorum cogitationes et φιλοσοφούμενα exhiberent, eorum quoque methodum legentibus aperiebant. Hanc autem ſubtiliſſimarum diſputationum ſerram diligenter reciprocauiſſe, et praeciſionibus mentalibus vſam vaniſſimas lites diſſeminaſſe, in hiſtoria eius philoſophiae luculentis ſpeciminibus comprobauimus. Haec cum orbi Latino in manus traderentur, qui eadem hactenus methodo vſus erat, effecit Arabicae philoſophiae admiratio, vt in iſta conſuetudine non tantum confirmarentur, ſed eximie quoque illa augeretur. Imprimis autem Auerrois philoſophia Scholaſticam philoſophiam mire adiuuit. Cum enim Reales in eius intellectu vniuerſali magnum ſententiae ſuae praeſidium inuenirent, ea autem ſecta ὀρθοδοξότερος videretur, factum inde eſt, vt totus fere Scholaſticorum ordo fieret Auerroiſticus, quod imprimis in Italia accidiſſe infra obſeruabimus. Illud dubio caret, ab eo tempore, quo Arabum philoſophia inter Latinos innotuit, Scholaſticam philoſophiam ad furorem quoque et ineptias ſummas creuiſſe, et ab eo tempore Ariſtotelem non tantum omnibus philoſophis, ipſisque rationis principiis fuiſſe praelatum, ſed plane inter coelites receptum, certe ipſi Paulo haud raro praepoſitum, et ab iſto tempore innumeras tricas naeniasque inter philoſophos et theologos comparuiſſe. Ex hac breui vero conceptae naſcentisque et adoleſcentis philoſophiae Scholaſticae hiſtoria, quam annales Eccleſiaſtici inuictis rationibus et teſtimoniis muniunt, manifeſtum eſt, de eius originibus ita ſtatuendum eſſe, vt dicatur, a ſeculo V ad ſeculum VIII eam fuiſſe conceptam, ſeculo IX et X in vtero geſtatam et formatam, ſeculo XI natam, ſeculo XII pueritiam et iuuentutem egreſſam, ſeculo vero XIII ad plenam virilitatem euectam, et tum ſpuriis plurimis ridicularum ſectarum Formalium, Realium, Conceptualium, Nominalium, Scotiſtarum, Thomiſtarum, Occamiſtarum, Auerroiſtarum totum orbem philoſophicum repleuiſſe. Sed hoc quoque ex dictis manifeſtum eſt, a certo doctore et tempore philoſophiam Scholaſticam deriuari non poſſe, vt Ariſtotelica philoſophia ab Ariſtotele, Platonica a Platone, reliquaeque ſectae Graecae a ſuis conditoribus deriuari ſolent. Non enim ab vno homine inuenta et producta, ſed vt ſolent vitia et corruptiones ſenſim enata et propagata, et tandem obſtetricante hominum auaritia et habendi cupiditate, ob inſignem eam in rem vſum ad maſculum robur perducta eſt. Quod cum ineunte ſeculo XII factum ſit, inde tractationem de Scholaſticis eorumque philoſophia merito ſumus exorſi. Solet autem ob allatas rationes Scholaſticorum aetas plerumque ab Abaelardo eiusque praeceptoribus deduci vsque ad tempora reformationis, qua tota theologia aliam faciem accepit. Quamuis enim philoſophia et theologia Scholaſtica vsque ad noſtra tempora durauerit, recte tamen obſeruatum DUPINIO a) a reformationis annis faciem theologiae et philoſophiae, etiam inter Romano-Catholicos emendatam fuiſſe. Quod ex iis luculenter conſtabit, quae in *ſequenti Tomo* ea de re ex inſtituto differemus. c

a) Method. Stud. theol. p. 24.

§. III

§. III. Solent Scholastici in tres aetates diuidi, quarum prima a Lanfranco, vel Abaelardo eiusque discipulo Petro Lombardo, vsque ad medium seculum XIII, quo vixit Albertus M. extenditur. Hac aetate adolescentiam exegit philosophia, et acquisito iuuenili robore ad virilitatem contendit. Secunda aetas ab anno cIↃ ccxx vsque ad Durandum a S. Porciano, annumque cIↃcccxxx limites Scholasticae philosophiae prorogat, quo temporis spatio ad virilem vigorem progressa est; tertia ab eo tempore vsque ad Gabrielem Biel, theologum Tubingensem, qui circa tempora reformationis vixit, decurrit, et quicquid Scholasticorum adulta hac philosophiae illius aetate vixit vsque ad initia seculi XVI comprehendit. Seruabimus nos quoque hunc ordinem iam receptum, cum et diligentius ita temporum rationes teneat memoria, et incrementa Scholasticae philosophiae felicius distinguat iudicium. Tribus enim his interuallis insignes accessiones accepit, et ita quoque propius ad theologiae penetralia magno Ecclesiae damno admissa est, vt vetus quidem, iudice THOMASIO [b], Aristotelem in limen theologiae, media in adytum receperit, noua priores duas vicerit impudentia, de rebus etiam abditissimis magistraliter affirmans, quod in veteri et media factum haud est. Initia autem historiae Scholasticorum ducemus ab Abaelardi praeceptore Guilelmo de Campellis, de Lanfranco enim, Anselmo et Roscelino in antecedentibus, quantum institutum poscebat, iam diximus, seculi XI historiam philosophicam enarrantes, in quo isti subtilitatis Scholasticae magistri vixerunt [c]. Quorum aetatem dum miro errore confundit GEORGIVS HORNIVS *, non excusanda se, prodit, praecipitantia historiam suam philosophicam, tot mendis et erroribus scatentem scripsisse. Multi vero sunt philosophi, quorum nomina in prima Scholasticae philosophiae aetate celebratissima fecit ingenii acumen et solertia. Inter reliquos tamen velut inter ignes luna minores excelluerunt, Guilelmus de Champeaux, siue de Campellis, Petrus Abaelardus, Petrus Lombardus, Robertus Pullus siue Pulleyn, Gilbertus Porretanus, Petrus Comestor siue Manducator, Ioannes Sarisberiensis et Alexander Alesius. Quanquam et alii fuerunt, non minori ingenii laude famigeratissimi, quorum aliquos afferre, eorumque literariam historiam paucis tangere non negligemus.

Aetates tres Scholasticorum.

§. IV. GVILELMVM DE CAMPELLIS, Catalaunensem episcopum, dictum venerabilem [d], et ingenii subtilitas clarum fecit, et discipuli, Petri Abaelardi fata et historia nobilitauerunt. Nomen accepit a natali solo, de Campellis, quod Gallice de Champeaux dicitur,

Guilelmus de Campellis.

b) loc. cit. p. 241.

c) Fallitur AVENTINVS Annal. Boicor. L. II. p. 406. Roscelinum Lotharii temporibus, anno 1137. seqq. adscribens, ex Anselmi enim, aduersarii sui, et Abaelardi discipuli, aetate patet, eum circa finem seculi XI vixisse.

*) Is Historiae phil. L. VI. c. 5. p. 300. Occamum et Rucelinum, auctores ponit sectae Nominalium, qui tribus integris seculis inter se aetate differunt.

d) SAMMARTHAN. Tom. II. Gall. Christ. p. 504. EDM. MARTENE T. V. Anecdot. p. 877. PAGI ad ann. 1121. n. 12. seqq.

Parisiensis dioecesis in Bria, tertio a Maleduno lapide. Ibi parentibus natus humilibus et obscuris, cum mature ingenio praecelleret, Anselmo Laudunensi in disciplinam se tradidit, quem Scholasticae philosophiae et theologiae peritia tunc magnopere inclaruisse supra iam memorauimus. Hoc praeceptore vsus, quem magnos fumos vendidisse, iisque ignis loco domum suam repleuisse ait ABAELARDVS [e], similique eruditionis philosophicae genere excultus in eius aetatis philosophia et theologia tantos progressus fecit, vt Parisiensis Ecclesiae archidiaconus constitueretur. Cum autem magna philosophiae opinione celebraretur, in schola Ecclesiae cathedralis dialecticam docere iussus est [f]. Quanto ibi applausu philosophiam contentiosam tradiderit, ABAELARDVS [g] testis est, qui se eius in dialectica fama permotum, cum summo bellorum dialecticorum desiderio flagraret, ad eum in hoc tunc magisterio re et fama praecipuum aduolasse scribit, et cum illo aliquantulum commoratum primo ei acceptissimum, postmodum grauissimum extitisse, ait: cuius dissensionis et inimicitiae caussam infra in Abaelardi vita indicabimus. Fecit autem vel vitae tranquillioris amor, vel altius emergendi studium, vt de habitu ecclesiastico cum monastico commutando Guilelmus cogitaret, eumque in finem cum discipulis ad sacellum S. Victoris, sumto habitu canonici regularis prope vrbem Parisios secederet. Prius anonymus testatur, apud CAS. OVDINVM [h] his verbis: *Eodem tempore magister Wilhelmus de Campellis, qui fuerat archidiaconus Parisiensis, vir admodum literatus et religiosus assumens habitum canonici regularis cum aliquibus discipulis suis extra vrbem Parisiis in loco vbi erat capella quaedam S. Victoris martyris, coepit aedificare monasterium clericorum.* Quam animi religiosi deuotionem valde laudat HILDEBERTVS [i], qui ita ad eum: *De conuersione et conuersatione tua laetatur et exultat anima mea, illum prosequens gratiarum actione, cuius muneris est, quod tandem philosophari decreueris. Nondum quippe redolebas philosophum, cum ex acquisita philosophorum sententia, scientiae morum tibi minime depromeres venustatem.* Posterius autem ABAELARDVS [k] tradit, qui hunc praeceptorem suum, *habitu pristino mutato ad clericorum regularium ordinem se conuertisse*, scribit, *ea, vt referebant, intentione, vt quo religiosior crederetur, ad maiorem praelationis gradum promoueretur, sicut in proximo contigit, eo Catalaunensi episcopo facto.* Quaecunque autem caussa fuerit, illud certum, dialecticam eum professionem non abiecisse, sed in loco istius monasterii nouo [l] (ex quo ab illo tempore multi praeclari viri, interque hos Ioannes et Hugo de S. Victore prodiere [m]) hortatu Hildeberti dialecticam et rhetoricam cum theologia docuisse.

e) Histor. calam. suar. c. 2.
f) Ibid. g) Ibid.
h) De S. E. T. II. p. 964.
i) Epist. 1.
k) loc. cit.
l) Fallitur GERVASIVS in vita Abaelardi, T. I. c. 2. qui Benedictinae eum se familiae addixisse tradit.
m) Conf. LAVNOIVS de Scholis cel. c. LIX. p. 195. seqq.

docuiſſe. Teſtem damus ABAELARDVM [n] narrantem, *eum hunc conuerſionis ſuae habitum neque ab vrbe Pariſiaca, neque a conſueto philoſophiae ſtudio reuocauiſſe, ſed in ipſo quoque monaſterio, ad quod religionis cauſſa ſe contulerat, ſtatim more ſolito publicas exercuiſſe ſcholas.* Sed et quo euentu ibi docuerit, cum iterum ad eum ſubtiliſſimus diſcipulus acceſſiſſet, addit: *Tum ego ad eum reuerſus, vt ab ipſo rhetoricam audirem, inter cetera diſputationum noſtrarum conamina antiquam eius de vniuerſalibus ſententiam patentiſſimis argumentorum diſputationibus ipſum commutare, immo deſtruere compuli. Erat autem in ea ſententia de communitate vniuerſalium, vt eandem eſſentialiter rem totam ſimul ſingulis ſuis ineſſe adſtrueret indiuiduis, quorum quidem nulla eſſet in eſſentia diuerſitas, ſed ſola accidentium multitudine varietas. Sic autem iſtam ſuam correxit ſententiam, vt deinceps rem eandem non eſſentialiter, ſed indiuidualiter diceret.* Valde ſuſpecta eſt haec Guilelmi ſententia viris quibusdam doctis et inter hos P. BAYLE [o], qui in Spinozae eum luto haeſiſſe ſuſpicatus eſt. Nihil tamen ille a communi Realium ſententia receſſit, qui in hoc argumento Platonicam de ideis hypotheſin ſecuti ſunt, resque omnes indiuiduas ex vna ſpeciei ſuae eſſentia participare, et tantum per accidentia modificari aſſeruerunt. Quod quidem inſigni et abſurdo naeuo non caret, a Spinozae tamen vna rerum omnium ſubſtantia diuerſum eſt, cum ſpecierum tamen, ſiue eſſentiarum iſtarum vniuerſalium diuerſitatem Guilelmus cum tota Realium ſchola agnouerit, de qua re tamen infra, vbi de Realium et Nominalium ſecta plura dicemus, ex inſtituto agemus. Ceterum quae fata haec Abaelardi diſputatio contra Campellenſem habuerit, ille ſic porro narrat [p]: *Cum hanc ſententiam ille correxiſſet, immo coactus dimiſiſſet, in tantam lectio eius deuoluta eſt negligentiam, vt iam ad dialecticae lectionem vix admitteretur: quaſi in hac ſcilicet de vniuerſalibus ſententia tota huius artis conſiſteret ſumma. Hinc tantum roboris et auctoritatis noſtra ſuſcepit diſciplina, vt ii, qui antea vehementius magiſtro illi noſtro adhaerebant, et maxime noſtram infeſtabant doctrinam, ad noſtras conuolarent ſcholas.* In ſequentibus quoque refert, *quanta inuidia tabeſcere, quanto dolore excruciare coeperit, et qua ratione conceptae miſeriae aeſtum diu non ſuſtinens, callide aggreſſus ſit ipſum etiam tunc remouere,* de quibus eius conatibus, cum in vita Abaelardi dicendum ſit, hic nihil addimus. Eodem vero auctore, *ipſe intellexit, fere omnes diſcipulos de religione eius plurimum haeſitauiſſe, et de conuerſione eius vehementer ſuſurrare, quod videlicet a ciuitate minime receſſiſſet, ideoque eum ſe et conuenticulum fratrum cum ſcholis ſuis ad villam quandam ab vrbe remotam* (veteres cellas) *transtuliſſe, ſtatimque, vbi audiſſet, Abaelardum in monte S. Genouefae docere, in vrbem impudenter rediiſſe, ſcholasque, quas tunc habere potuerit, et conuenticulum fra-*

n) Hiſt. calam. ſuar. loc. cit.
o) Dict. T. I. art. Abaelard. not. C. p. 19. REIMMANN. Hiſt. Atheiſmi p. 341.
p) loc. cit.

trum ad priſtinum reduxiſſe monaſterium. Quibus addit, nec bella ſua cum illo ceſſauiſſe, nec victoriam defuiſſe. Non obſtantibus tamen, quibus eius claritatem obnubilauerat Abaelardus nebulis emergens ſedi Catalaunenſi admotus eſt [q], id quod mirandum non eſt, cum tantis muneribus ii omnium optime ea aetate ſufficere viderentur, qui in dialectica erant verſatiſſimi, eo quod ita ſacram doctrinam maxime tueri poſſe iudicarentur. In hac dignitate anno CIↃCXIII conſtitutus, poſtquam octo annos ſedit, fatis tandem ſupremis conceſſit, magnamque zeli pro Eccleſia ſuſcepti, et eruditionis gloriam poſt ſe reliquit. Teſtem aduocamus, non tantum elogium opinatiſſimi, et venerabilis, quod ei tribui ſolet, ſed et verba Chronici Mauriniacenſis [r]: in quo celebratur *canonis Praeneſtini epiſcopi et apoſtolicae ſedis legati auxiliator magnus Wilhelmus Catalaunenſis epiſcopus, qui ſublimes cauſſas rexerat, et tunc zelum Dei habens ſuper omnes epiſcopos totius Galliae diuinarum Scripturarum ſcientia fulgebat.* Aliorum BERNARDI, IVONIS CARNOTENSIS [s], OTTONIS FRISINGENSIS [t], iudicia et laudes de eo tacemus. Quamuis autem dialecticae potiſſimum excelleret peritia, de animae tamen natura et origine quoque philoſophatus eſt, quod breue ſcriptum ex eius ſententiarum theologicarum opere, vt videtur, excerptum vulgauit EDMVNDVS MARTENE [u]. In theologico vero argumento ideo memorabilis eſt, quod ante Abaelardum et Lombardum ſententiarum theologicarum opus ſcripſit, quod mſc. ſeruari in Galliae bibliothecis teſtatur CAS. OVDINVS [x], idque ait eſſe collectionem ſatis compendioſam quaeſtionum quarundam et dubiorum. Ex quo conſtat, errare eos, qui vel Abaelardum vel Lombardum ſyſtematum theologico-philoſophicorum primum auctorem faciunt. De morali vero theologia et philoſophia mereri voluit ſcripto *Commentario* vel compendio potius *in Moralia Gregorii M.* de quo quid ſtatuendum ſit, ex iis, quae ſupra de abbreuiatoribus, vti vocantur, Gregorii M. diximus, iudicari poteſt. Ex his autem refelli poteſt P. BAYLE [y], qui Campellenſem theologiam docuiſſe negat, quod reliquis quoque, quae attulimus, teſtimoniis aduerſatur. Vtrum autem vel LAVNOIO [z] credendum ſit, primum eum Pariſienſem profeſſorem conſtituenti, vel GERVASIO [a], auctori vitae Abaelardi, qui eum primum theologiae in hac academia doctorem fuiſſe aſſerit, lectori ex iis, quae ſupra de publicis huius Muſarum ſedis profeſſoribus diximus, iudicandum relinquimus. Qui Iudaeos eum refutaſſe volunt Gilbertum Criſpinum cum Campellenſi confundunt [b].

Abaelardi hiſtoria.

§. V. Ex huius diſciplina ſcholaque, vt dictum, prodiit PETRVS ABAELARDVS, cuius tum ob mira, quae expertus eſt, fata et calamita-

q) SAMMARTHANI loc. cit.
r) Apud OVDINVM l. c. p. 965.
s) Epiſt. 368.
t) De geſt. Frid. I. L. VII. c. 47. 48. is ipſum vidit et audiuit.
u) loc. cit.
x) loc. cit.
y) loc. cit.
z) l. c. p. 182.
a) loc. cit.
b) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. III. p. 161.

lamitates, tum ob eruditionem philoſophicam celeberrima eſt in hiſtoria philoſophica memoria. Cuius notitia omnium optime hauiri poteſt ex *Hiſtoria calamitatum ſuarum* ab ipſo viro longe doctiſſimo ſcripta, quam edidit inter opera eius FRANCISCVS AMBOESVS, eques regis in ſanctiori conſiſtorio conſiliarius, Baro Chartrae etc. cui iunxit annotationes ANDREAS DV CHESNE, ſiue QVERCETANVS [c]. In hac enim narratione vitae ſuae fata, famae incrementa, errores et labyrintha, perſecutiones, quaeque alia eius memoriam nobilitauerunt, vsque ad concilium Senonenſe exponit. Hanc merito fundamenti loco habemus in exponenda celeberrimi philoſophi hiſtoria, quae parem in aeuo medio non habet. Quod etſi diſplicuit memoriarum Triuoltienſium auctoribus [d], eo quod Abaelardum indignum de ſe ipſo teſtem eſſe iudicauerint, parum tamen ad hoc iudicium attendendum eſſe, quilibet intelligit, qui quid fides ſit hiſtorica didicit. Ita enim hanc calamitatum ſuarum hiſtoriam exponit Abaelardus, vt quid magnopere in eius fide et ſinceritate deſiderandum ſit, non habeamus. Nam tota, quam accurate et prolixe inſtituit, narratio non modo aduerſariorum animum indolemque aliunde notam ex vero depingit, et cum temporum illorum circumſtantiis mire conſonat, ſed et eam circumſtantiarum ſeriem ordinemque exponit, qui temperamenti animique Abaelardi veram effigiem nobis delineat; quod cum ita comparatum ſit, vt parum inde famae et honoris in Abaelardum redundet, de eius in narratione ſinceritate nos dubitare non ſinit. Eam enim quam cum Heloiſa habuit conſuetudinem, adeo non tegit, tacetue, vt ne arcanas quidem circumſtantias fileat. Neque fidem eius ſuſpectam facit, quod inuidiam cleri, et malas illorum artes, qui graui eum perſecutione preſſerunt, inter quos fuerunt ſanctitatis poſtea laude venerabiles, in apricum poſuerit. Eos enim non homines modo fuiſſe, ſed animum quoque, irarum et inuidiae plenum demonſtrauiſſe, ipſae factorum circumſtantiae loquuntur. Qui licet peſſima quaeque de Abaelardo tradiderint, et talia, quae cum hac eius narratione non concinunt, qualia multa in epiſtolis Bernardi occurrunt, parum tamen fidei illis tribuet, quisquis ad teſtimonii fidem animum in teſte requirit, a partis ſtudio affectuque omni, praecipue ab odio et inuidia alienum, talemque, qui et veritatem de qua agitur, intelligere ex re ipſa potuerit et voluerit; quam vtramque conditionem aduerſariis Abaelardi, niſi eleganter coecutire, et tenebrarum in Abaelardi hiſtoria cauſſas ſpecioſas quaerere velimus, merito denegamus. Conferendae tamen et Abaelardi et aduerſariorum paginae, vt ex circumſtantiarum ſerie de veritate cauſſae eius iudicari queat. Vnde non negligendae Bernardi epiſtolae, quem virum pium et eruditum, ſed philoſophicarum ſubtilitatum parum gnarum, iisque ob myſticae theologiae amorem valde infenſum acriorem vero, quam par erat, receptae hypotheſeos, et ordinis eccleſiaſtici πρόμαχον in Abaelardum tantopere fuiſſe

c) Paris 1616. 4. d) 1721. Iuin. art. I. p. 942.

fuiſſe debacchatum, merito dolemus. Audiendi itaque eius quoque amici ſunt, et inter eos Berengarius Pictauienſis, et Petrus Cluniacenſis, qui viri minime mali, licet forte nimio dialecticae ſtudio deuiantis miſerti ſunt. Inter recentiores magnus eorum eſt numerus, qui famoſiſſimi philoſophi hiſtoriam tetigerunt, quos tamen omnes, fuſe a nobis alibi allatos [e] heic adducere non vacat. Vnum in praeſentia GERVASIVM abbatem Trappenſem nominamus, cui elegantem debemus *vitam Petri Abaelardi, abbatis S. Gildaſii ordinis S. Benedicti, et Heloiſae ſponſae eius, primae abbatiſſae Paracleti* [f]. Is enim praeter ipſa Abaelardi ſcripta acta conciliorum Galliae, et opera Petri Cluniacenſis, Bernhardi, Fulconis, Ottonisque Friſingenſis, qui tunc temporis Pariſiis ſtudiorum cauſſa haeſerat, conſuluit, elegantemque nobis celeberrimi philoſophi hiſtoriam contexuit. In qua laudauiſſe eum Petrum Abaelardum, quis in tantae, quantam Petrus habuit, eruditionis viro improbauerit, detexiſſe autem vitia et artes aduerſariorum, nec conciliorum auctoritate, nec Norberti et Bernardi ſanctitatis laude deterritum, quis non extollet in hiſtorico, quamuis diſplicuerit Triuoltienſibus operum eruditorum cenſoribus? Idem enim dudum ſuſcepiſſe Amboëſum, praefixa operibus Abaelardi apologia loquitur [g]. Laudandum itaque praeſtantiſſimi HEVMANNI [h] conſilium, quo libelli elegantiſſimi ſumma noſtra vernacula expreſſa eſt. Nos eius quidem filum ſequemur; ſed duce actorum publicorum et teſtimoniorum fide dignorum narratione vtemur, eaque praeeunte accurate eius hiſtoriam excutiemus, quam innumeris aliis memoria digniorem eſſe, non rerum tantum et fatorum viciſſitudines mirae et inſolitae probant, ſed et vſus, quem Lector ex hac vita capere poteſt, plurimus demonſtrat. Egregium enim ſapientiae et ſtultitiae exemplum Abaelardi vita nobis exhibet, et quibus fortunae procellis iactentur viri docti, quid virtus valeat, quid inuidia; qui cleri excitati ad odia et perſecutiones mores ſint, et quae alia, docet; luculento autem ſpecimine in ipſo Abaelardo iuuenes monentur, a voluptatis et ambitionis deuiis recedere, vnumque Dei timorem et reuerentiam vitae ſtudiorumque ducem adhibere, quorum neglectum verum fontem fuiſſe calamitatum Abaelardi, ſequens attento probabit narratio.

Abaelardi vita.

§. VI. Natus eſt ABAELARDVS, vel, quo proprio nomine appellatus eſt, Abeillardus [i] (quem ideo apem de Francia vocauit BERNARDVS [k],) in Britannia minore, ſiue Galliae, Palatii, exiguo Armoricae oppido dioeceſis Nannetenſis, qui locus eius natalis occaſionem quibusdam

e) In Germanico H. P. opere T. V. p. 978. conf. quos nominat FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. V. p. 687. et LVDOVICVM IACOBI de ſcriptoribus Cabilonenſibus L. III. p. 139. ſeqq.

f) Paris 1720. 12. II. Vol. vid. A. E. L. 1721. p. 263. Mem. de Trevoux 1721. p. 941. Journal literaire T. XI. p. 255.

g) Conf. BAYLE l. c. art. Amboiſe T. I. p. 175.

h) Act. philoſ. Vol. III. p. 529. ſeqq.

i) Varia eius nomina affert I. THOMASIVS in eius vita, in Hiſt. ſapientiae et ſtultitiae T. I. p. 77. conf. Act. Phil. l. c. p. 582. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. V. p. 695.

k) Epiſt. 180.

busdam errandi dedit. Quidam enim Britanniam minorem cum maiore confundentes Britannum ſiue Anglum dixere [l]: a patria autem SARISBERIENSI [m] aliisque Palatinus dicitur. Quod non obſeruatum IACOBO THOMASIO [n], qui coniicit, ideo toties a Sarisberienſi dictum eſſe Palatinum, quod in palatio aliquo inſigni docuerit. Falſum enim hoc eſſe, et ad locum Abaelardi natalem pertinere, recte monuit PETRVS BAYLE, et poſt hunc GERVASIVS [o]. Nec huc ſchola Palatina quae Pariſiis olim floruiſſe dicitur vocari, vel ita hoc nomen explicari poteſt [p]; ea enim ſchola in palatio Caroli M. excitata huc plane non pertinet, ſed ad ſeculum VIII, vt ſupra dictum, nec vllo teſtimonio demonſtrari poteſt, eam vsque ad ſeculum XII, quo Abaelardus vixit, durauiſſe, ſed cum filiis Caroli extincta eſſe videtur. Parentibus natus eſt nobilitate inſignibus: ita enim ipſe [q]; *Vt militaris gloriae pompam cum haereditate et praerogatiua primogenitorum meorum fratribus derelinquens Martis curiae penitus abdicarem, vt Mineruae gremio educarer:* Ex quo patet errare eos [r], qui tradunt, eum ſplendore generis nobilem fortunam et ſortem ad conditionem fabrilem deieciſſe. Patrem habuit Berengarium, literarum ſtudiis aliisque facetiis ab ineunte aetate, vt ait FRISINGENSIS [s] deditum, quem caue, vel cum Berengario Pictauienſi, de quo ſupra dictum, vel cum Berengario Turonenſi noſtri diſcipulo, confundas. Vidit Abaelardus lucem anno CIↃLXXIX, incertum an natu maximus inter fratres, quod vult abbas Trappenſis, vel minimus, quod DVPINIO [t], OVDINO [u] placuit. Verba enim, quae modo adduximus, vtrumque ſignificare poſſunt, et vel indicant, Abaelardum cum ex primogenituraе iure, prae fratribus nobilitatis decoribus et Martis curiae deſtinaretur, his praerogatiuis relictis Muſarum caſtra ſecutum, fratribus iſta generis ornamenta et fauores reliquiſſe; vel id volunt, eum, cum propter fratres et primogenituraе ius iſtis praerogatiuis potiri non poſſet, ad literarum ſtudia ſe conuertiſſe. Quicquid autem eius rei fuit, illud certum, animi tantum, non ſanguinis, nobilitatem Abaelardum reſpexiſſe, et inſigni indole dotibusque naturae auctum totum eruditioni et literis a parentibus deſtinatum fuiſſe. Cum autem et generoſus ortus et quaedam animi praeſtantiſſimi excellentia ad praeclara quaeuis audenda eum fortiſſime inſtigaret, in literarum ſtudia totis ruit amplexibus, iisque omni, qua potuit, induſtria ſe tradidit. Maxime vero ad dialecticam totus rapiebatur Abaelardi animus: huius velitationes omnes pernoſcere, his ſignis cum omnibus concurrere, hoc praeſidio contra quosuis ſe defendere, hacque via ad gloriae culmina

l) Ita GENEBRARD. Chronogr. L. IV. p. 611.
m) Policrat. L. II. c. 22. p. 111. Metalog. L. I. c. 5. p. 745. L. II. c. 10. p. 802. c. 17. pag. 810. vetusque Codex Mſc. apud OVDINVM de S. E. T. II. p. 1174.
n) l. c. §. 8. p. 78. Ita quoque in Obſ. Hal. T. V. Obſ. 20.
o) ll. cc.
p) Vid. Act. Philoſ. l. c. p. 575. not. a.
q) Hiſt. Calam. ſuar. c. I.
r) Ven. WEISMANN. H. E. N. T. T. II. p. 838.
s) l. c.
t) Nouv. Bibl. des aut. Eccleſ. T. IX. p. 570.
u) l. c. p. 1161. conf. BAYLE l. c. not. a.

culmina graſſari cupiebat. Qua de re ſupra iam ipſa eius verba[x] adduximus, quibus ſe armaturae huius genus reliquis omnibus praetuliſſe fatetur. Id quod mirandum haud eſt, cum iam ſupra plurimis exemplis atque teſtimoniis confecerimus, dialecticae ſtudium hoc ſeculo exſpirante, fuiſſe celebratiſſimum atque commendatiſſimum, quique in eo excellebant, ſummis honorum munerumque eccleſiaſticorum, faſtigiis dignos fuiſſe habitos. Huic igitur animi contentioni vt faceret ſatis, Roſcelini diſciplinae ſe tradidit[y], quem omnium ſuae aetatis dialecticorum acutiſſimum habitum fuiſſe, ſuo loco innuimus. Hic cum a recepta de vniuerſalibus re ipſa extra intellectum exiſtentibus opinione ſeceſſum feciſſet, et ad ſola ea nomina reuocaſſet, ſicque Nominalium ſectam condidiſſet, diſcipulum quoque in partes pertraxit, ita tamen, vt relicta magiſtri opinione inepta, quae vniuerſalia ſiue praedicabilia nudas voces ſiue nomina dicebat eſſe, has notiones vniuerſales in praedicatione enuntiationum quaereret. Ita enim diſcipulus Abaelardi SARISBERIENSIS[z] mentem eius explicat: *Alius conſiſtit in vocibus, licet haec opinio cum Roſcelino ſuo fere omnino iam euanuerit: Alius ſermones intuetur, et ad illos detorquet, quicquid alicubi de vniuerſalibus meminit ſcriptum. In hac autem opinione deprehenſus eſt Peripateticus Palatinus Abaelardus noſter etc. Rem de re praedicari monſtrum ducunt, licet Ariſtoteles monſtri huius auctor ſit.* Huius dialectici diſciplina ita formatus, vt acerrime diſputare poſſet, mores quoque contentioſos, vt fieri ſolet, magiſtri fama ſeductus imitatus eſt, licet errores eius theologicos deteſtaretur[a]. Cuius luculentum exemplum dedit, *diuerſas*, vt ipſe fatetur, *diſputando perambulans prouincias, vbicunque huius artis vigere ſtudium audiuerat, Peripateticorum aemulator factus:* Ex quibus colligi poteſt, dialecticas contentiones ad oſtentandam eruditionem et ingenium vbique Abaelardum quaeſiuiſſe. Tandem Pariſios delatus, vbi dialectica iam tum maxime florere coeperat, Guilelmum Campellenſem archidiaconum, de quo dictum, inuenit, plenis buccis huius artis myſteria pandentem, ſummaque fama ob eam rem inter literatos celebratum. Cum eo aliquantulum conuerſatus gratiſſimus ei fuit, at paulo poſt grauiſſimus et moleſtus extitit, ingenii ferocia ex artis praeſidio enata ardori animi faces ſubdente, vt magiſtrum, armis aggrederetur dialecticis, et ipſius opiniones oppu-

x) Hiſt. Cal. ſuar. c. 8.

y) Negat id SALABERTVS in philoſ. Nominalium vindicata, vid. BAYLE l. c. not. z. quia autem adeo rarus liber eſt, vt in ipſa Gallia eius videndi copia non data fuerit Cel. LA CROZE, quod is ipſe ante fata ſuprema nos docuit, nos quoque de rationibus, quibus id euincere voluit, iudicare nequimus. Damus autem aſſerti auctorem OTTONEM FRISINGENSEM loc. cit. teſtem coaeuum et Abaelardi auditorem.

z) Metalog. L. II. c. 17. p. 814.

a) Pertinent huc verba, quae in Codice Tergernſeenſi ſe inueniſſe teſtatur Cl. BERN. PEZIVS T. III. Anecdot. P. II. p. 627. ſeq. „Petrus, qui Abaelardus, a plerisque Baiolardus „dicitur, natione Anglicus, (Britanno-Gallus) „primum grammaticae et dialecticae, hinc diuinitati operam dedit; ſed cum eſſet inaeſtimandae „ſubtilitatis, inauditae memoriae, capacitatis ſupra humanum modum, auditor aliquando magiſtri Roſcii (Roſcelini,) coepit eum cum exſe„ſtucatione (i. e. in probatione errorum tanquam „feſtucarum) quadam ſenſuum eius audire. Attamen imperauit ſibi, vt per annum lectionibus „eius intereſſet.

oppugnare auderet, et ſolertia vſus, vt ſuperior nonnunquam in diſputando videretur. Factum id quoque eſſe cum condiſcipulis, facile ex his colligi poteſt, tanto autem feruore actum eſt, vt ſententiam mutare Guilelmum coegerit. Ita vero ampliſſima inuidiae ſeges tum ex parte praeceptoris, tum ex parte condiſcipulorum Abaelardo effloruit, cum et ſtudiorum et aetatis ratione imparem eum his auſibus eſſe iudicarent. Abelardus autem, ſupra vires aetatis, vigeſimum ſecundum annum nondum excedentis, de ingenio ſuo, vt ipſe candide ſcribit, praeſumens, quamuis adoleſcentulus de erigenda ſchola dialectica cogitare coepit, vt, qua ratione in dialecticis praeſtaret, omnibus innoteſceret. Pariſiis hoc facere auſus non eſt, Guilelmi factionem veritus, qui praeterea epiſcopum Pariſienſem ſibi habebat fauentiſſimum. Meledunum itaque locum decem lapidibus ab vrbe diſtantem ſelegit, quo in caſtro eo tempore ſedes erat regia. Ibi cum egregie differere noſſet, et ſupra aetatem eruditionem oſtenderet, applauſu et amicis quoque in aula regia non caruit: quod tamen materiam inuidiae clero Pariſienſi ſubminiſtraſſe probabile eſt. Praeuidit id Campellenſis, et efficere, quantum poſſet, conatus eſt, vt hoc loco pelleretur. Amicorum tamen in aula potentium auxilio Abaelardus obtinuit, vt Scholas habere praeſente aula ſibi liceret, immo manifeſtam Guilelmi inuidiam plurimorum ſibi aſſenſum applauſumque parauiſſe ipſe tradit [b]. Tanta autem inde extitit celebritas Abaelardi in arte dialectica, vt non ſolum condiſcipulorum, ſed ipſius quoque praeceptoris fama in dies magis extingueretur. Vt itaque vel huic aegre faceret, vel fortius contra aduerſarios tela vibraret, viciniorem vrbi locum, Caſtrum Corbolii, elegit, ſperans fore, vt opportuniorem ſaepius crebriorum diſputationum occaſionem nanciſceretur; qua in re vindictam et amcitionem calcar ipſi ſubdidiſſe ipſe candide fatetur. Hac vero ratione dum omnes in ſtudium dialecticum neruos intendit, dum maximae, quam videbat ad ſe accurrere, adoleſcentum frequentiae ſatisfacere laborat, dum acerrimo animo in aduerſarios pugnis dialecticis inſurgit, ita vires debilitat, vt vehementi languore corriperetur. Vt itaque animo remiſſiore corporis curam agere poſſet, et his, quae tantopere eum ad immoderatum hoc philoſophiae ſtudium accendebant, occaſionibus ſe ſubtraheret, in patriam reuerſus eſt, coeloque mutato reſpirare et vires colligere ſtuduit. Quae cum valde eſſent exhauſtae, per duos annos abeſſe a Pariſienſi vrbe coactus eſt. Neque tamen fama eius, licet abſentis, euiluit, ſed ardentius ab iis, quos dialectica ſollicitabat doctrina, quaeſitus eſt. Redux tandem poſt longam abſentiam, omnia mutata deprehendit, praeceptoremque ſumto habitu monachali in monaſterium ſecedentem inuenit, vt ſupra memoratum. Hunc vero ſumto habitu canonicorum regularium, ſcholas tamen rhetoricas et dialecticas habuiſſe ſupra diximus. Has itaque iterum inuiſere Abaelardus ſtatuit, nouam, vti veriſimile, occaſionem

b) Hiſt. calam. ſuar. loc. cit.

nem quaerens, ex victoria de praeceptore gloriam priſtinam, quae per longam abſentiam nonnihil obſoleuerat, reſuſcitandi. Priorem itaque modum ſecutus controuerſiisque dialecticis reſuſcitatis, validiſſimis argumentationum machinis praeceptorem euertere conatus eſt. Ampliſſimum vero, vt ſupra iam tactum, diſputandi campum aperuit Abaelardo celeberrima, quae a Roſcelino mota fuerat, quaeſtio de vniuerſali ante rem, in re et poſt rem, quam vehementer tum, Noſter ait, fuiſſe agitatam. Nominalium autem partes cum Abaelardus ſequeretur, Realium ſententiam Guilelmus traderet; ille autem praeciſionibus, abſtractionibus, diſtinctionibus eſſet exercitatiſſimus, et praeceptori praeſtaret, ipſum vero rei argumentum illi faueret, facili victoria potius eſt, et tum condiſcipulos praeceptoris ſententiam relinquere, tum praeceptorem illam mutare coëgit, vt ſupra narratum. Eo id euentu accidit, vt ſumma inde Abaelardo enaſceretur gloria, et dialecticae ſtudioſi deſerto Guilelmo ad Abaelardi ſcholas conuolarent, illiusque tantum non vacuum relinqueretur acroaterium c). Neque hoc gloriae ſatis fuit, ſed ipſe quoque, qui in ſchola cathedrali Guilelmo in monaſterium ſecedenti ſucceſſerat, fama eruditionis Abaelardi permotus, locum ei ſuum obtulit, vt ibidem, quae ipſius Abaelardi verba ſunt, cum ceteris illius ſe traderet magiſterio. Aegerrime id tuliſſe Guilelmum, nemo non intelligit, qui inuidia tabeſcens, opponere ſe tantae coniualis fortunae, quibus poſſet, viribus ſtatuit: Redux ergo in vrbem, eum, qui locum Abaelardo ceſſerat, pellere ab iſto munere, conatus eſt, obiectis turpiſſimis criminibus. Quod cum Guilelmus, magna apud epiſcopum auctoritate pollens, facile obtinuiſſet, effeciſſetque, vt alius quidam, Abaelardo aemulus, in eius locum ſurrogaretur, Abaelardus quoque cedere coactus eſt. Ille itaque Meledunum reuerſus, ſcholas, ſicut antea conſtituit, effecitque Guilelmi inuidia, vt maioribus ibi famae nominisque celebratiſſimi radiis coruſcaret. Quoniam autem valde ſuſcepta Guilelmi religio ſuſpecta fiebat, eo quod in vrbem reuerſus eſſet, in villam ille ab vrbe remotam denuo ſeceſſit, quo cognito Abaelardus in vrbem rediit, cumque ſchola cathedralis ab alio, curante Guilelmo, eſſet occupata, extra ciuitatem in monte S. Genonefae, ſcholarum locum ſibi delegit, et hunc quaſi obſidere, poſitis caſtris ſtatuit, qui locum eius occupauerat. Ita ſcilicet ambitioni ſuae valde ſe efferenti felicius litare ſe poſſe ſperabat, quod tamen grauis perſecutionis occaſio extitit, qui plerumque euentus eſſe ſolet ambitione ferocientis iuuentutis. Guilelmus vbi aduerſarium rediiſſe vidit, in vrbem reuerſus eſt, ſcholasque et conuentum monachorum ad priſtinum locum reduxit, et, quem in ſchola cathedrali ſurrogari curauerat, defendere contra Abaelardum coepit, ſed infelici ſucceſſu. Ille enim cum antea quosdam habuiſſet diſcipulos, maxime propter lectionem in qua plurimum valere credebatur, magiſtro redeunte omnes amiſit, ſicque ſcholae regimen

c) Ipſe haec omnia tradit l. c.

regimen deſerere et in monaſterium deſperatis rebus ſuis reuerti coactus eſt. Inter ipſum autem Abaelardum et diſcipulos, et inter Guilelmum et ſcholares cum quotidie velitationes dialecticae exorirentur, ea plerumque pugnae fortuna fuit, vt Abaelardus neque ſuperaretur, neque victor decedere deſineret. Interim parentes Abaelardi deſerta vita ſeculari ad monaſticam conuertebantur, quod Abaelardum in patriam reuerti coëgit. Catalaunenſem vero epiſcopatum obtinuerat Guilelmus, vt ſupra memoratum, qui cum theologicae eruditionis dialectico acumine auctae laude ad hoc faſtigium emerſiſſet, Abaelardus aemulatione accenſus, ſacrarum literarum ſtudio animum adiicere ſtatuit, eamque ob cauſſam in vrbem Pariſienſem reuerſus eſt. Aliter viſum doctiſſimo vitae Abaelardi auctori [d], qui ideo dialecticae culturam Scholasque in ea arte habitas deſeruiſſe Abaelardum coniicit, quod aduerſarius deeſſet, quocum conflictando et diſputando gloriam quaſi acueret, augeretque. Quae vero coniectura parum habet veriſimilitudinis. Licet enim Guilelmus hanc dialecticam profeſſionem deſeruiſſet, alius tamen in ſchola cathedrali docebat, quocum dialecticas pugnas conſerere Abaelardo licuiſſet, ſi haec ei ſola ratio placuiſſet. Plus itaque probabilitatis habet, et cum charactere indoleque animi eius egregie conſpirat, iuuenem admodum ambitioſum, et per literas emergere cupientem, aemulatione vero in Guilelmum accenſum, cum vidiſſet aduerſarium ad tantum honoris faſtigium eruditionis theologicae auxilio promotum fuiſſe, ad eandem gloriae viam properauiſſe, quam ſe eo facilius feliciusque ingreſſurum ſperabat, quod iſta arte excelleret, quam praeſtantiſſimos facere theologos tunc omnes credebant. Ipſum quoque parentis, monaſticae vitae ſe tradentis exemplum et cohortatio conſilium hoc confirmare in animo Abaelardi potuit; vt taceamus, eam tum fuiſſe omnium opinionem, nullam dialecticam vſum praeſtare poſſe, niſi ancillaretur theologiae. Quaecunque autem ſuſcepti conſilii cauſſa fuit, illud ipſius Abaelardi confeſſione indubitatum eſt, ſacrarum illum literarum ſtudio ſe deſtinauiſſe. Cum autem Guilelmus, cuius tunc doctrina theologica valde commendabatur, Anſelmum Laudunenſem praeceptorem habuiſſet, et huius ſumma eſſet in his literis exiſtimatio, eum ſibi praeceptorem delegit, et ad eum conuolauit. De quo viro in antecedentibus iam memorauimus, ſummam eum inter Galliae theologos famam ſuiſſe conſecutum, et inter illos numeratum fuiſſe, qui praeſtantia ſacrae eruditionis omnes ſuperarent. De qua Anſelmi famae celebritate paſſim extant huius aetatis ſcriptorum teſtimonia [e]. Ex quibus, qui ex ipſius Abaelardi diſciplina prodiit, SARISBERIENSIS [f] vehementer indignatur Cornificio ſuo, *quod impudenter, in latebris tamen, quia palam non liceat, obfuſcare nitatur ſplendidiſſima Galliarum lumina, Anſelmum, et Radul-*

d) loc. c. §. 10.

e) Locum Guiberti de Nouigento affert OVDINVS de S. E. T. II. p. 956. et LAVNOIVS de ſcholis celebr. c. XLV. p. 147. add. HENR. GANDAVENSIS c. 30. p. 122. TRITHEMIVS cat. S. E. c. 362. p. 92. BVLAEVS Hiſt. vniu. Paris. ad annos 1101. 1113. 1116 p. 9. 35. 46.

f) Metalog. L. I. c. 5. p. 746.

et Radulfum Lauduni gloriam, fratres theologos, quorum memoria in iucunditate et benedictione ſit, quos nemo laceraverit impune, et qui ſolis diſplicuerint haereticis, aut flagitiorum turpitudine obuolutis. Ad hunc ita celeberrimum theologum, cuius tanta tunc erat opinio, et ex cuius ſchola tot viri clariſſimi prodierant, Abaelardus quoque accelerandum eſſe gradum ſtatuit. Verum deprehendiſſe ſe, ait, virum quidem magnificis verbis magnaque iactantia multa pollicentem, nihil vero rei praeſtantem coruosque hiantes deludentem. Qua de re verba eius ſupra retulimus, vbi de Anſelmo hoc, poſcente temporis ordine diximus, quae ex loco videri poſſunt. Qui vtrum vera dixerit, vel inuidae et aemulationis inſtigatione, cum omnes prae ſe contemneret, ita de Anſelmo iudicauerit, hoc loco definiri non poteſt, licet prius viſum fuerit CAESARI EGASSIO BVLAEO [g], et eius aetatis teſtimonia Abaelardo contradicant; quae vero hodie ſupereſt Anſelmi *Gloſſa interlinearis* [h], mediocris eruditionis ſpecimen ſit. Illud extra dubitationem poſitum eſt, Abaelardum cum hanc de Anſelmo opinionem concepiſſet, neque eius lectiones frequenter audiuiſſe, neque multum in eo fiduciae poſuiſſe [i]. Sua itaque eruditione et ingenii luminibus fretus ipſe ſuomet Marte ſacrarum literarum ſtudium ſuſcipere, eumque in modum, quo Anſelmus theologiam docebat, diſcipulis librum quendam biblicum enarrare conſtituit. Quam vero methodum eo tempore theologi adhibuerint, ex ipſius Anſelmi gloſſa aliisque eius commentationibus [k], quae Anſelmo Cantuarienſi perperam tribui ſolent, diſci poteſt, nempe liber biblicus ex ſententiis patrum collectis explicabatur, ſicque arena ſine calce exhibebatur auditoribus, qualis laboris ſuſcipiendi ſpem ſibi facilem concipiebat Abaelardus ſatis doctrinae praeſidiis eam in rem inſtructus. Vt itaque periculum eius rei faceret, auditoribus Anſelmi, quae ſibi de ea mens eſſet, aperuit, pollicitus, quemcunque ſibi librum biblicum delegiſſent, eum ſe hac methodo conſultis patrum commentationibus expliciturum. Exordium itaque Ezechielis vatis, difficillimum et obſcurum ei proponunt, quod ille poſtridie habita lectione theologica tanta felicitate expoſuit, vt omnes in admirationem raperet, qui cum ingenii perſpicaciam obſtupeſcerent, ſequentibus quoque diebus eius lectioni interfuerunt. Verum quae eum auditoribus tantopere commendabat eruditio, ſummam quoque conflauit Anſelmi inuidiam. Qui cum vindictam meditaretur conſilii conſcios admittit diſcipulos duos, eruditionis et acuminis dialectici laude inclutos, et Realium ſectae addictiſſimos, atque vel ob hoc vnum nomen Abaelardo vehementer infenſos Albericum Rhemenſem [l], et Lotulfum, vel, quo nomine

g) loc. cit.
h) Vid. RICH. SIMON. Hiſt. crit. V. T. L. III. c. 11. p. 414.
i) Hiſt. calam. ſuar. l. c.
k) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p. 307.
l) Qualis Albericus fuerit ex SARISBERIENSI diſci poteſt, qui haec de eo habet Metalog. L. II. c. 13. p. 803. „Poſt diſceſſum Peripatetici Palatini, adhaeſi magiſtro Alberico, qui inter cereros opinatiſſimus dialecticus enitebat, et erat reuera „Nominalis ſectae acerrimus impugnator. Sic „ferme toto biennio conuerſatus in monte artis „huius

nomine a FRISINGENSI [m] appellatur, Leuthaldum Nouarenſem, homines acerrimos, et ad dolos quosuis audendos promtiſſimos. Cum his conſilia agitat, qua ratione inuiſum ipſis nomen Palatini philoſophi abigi a ſede vrbeque Laudunenſi poſſet. Et hi quidem auctoritate eccleſiaſtica vtendum, et prohibendum eſſe Abaelardum ſtatuebant, ne ſacras literas doceret; rati fore, vt hoc pacto cogeretur Laudunum deſerere. Anſelmus autem pulchrius rem agi poſſe ratus, hunc praetextum adhibuit, ferri non poſſe, vt homo iuuenis theologiam doceret, facilem enim in errores lapſum eſſe, eumque tunc effecturum, vt ipſe in culpa haerere accuſaretur, eo quod hanc ei licentiam conceſſiſſet. Quod quamuis manifeſtam inuidiam prodebat, quam ipſi Anſelmi diſcipuli palpabant et indignabantur, coëgit tamen Abaelardum lectiones theologicas intermittere. Pariſios itaque reuerſus ſacram Scripturam ibi explicare perrexit. *Ibi ſe*, ſcribit ABAELARDVS [n], *Scholas ipſi iamdudum deſtinatas atque oblatas, vnde fuiſſet expulſus, annis aliquibus quiete poſſediſſe, atque ibi in ipſo Scholarum initio gloſſas illas Ezechielis, quas Lauduni inceperat, conſummare ſtuduiſſe. Hasque adeo acceptas fuiſſe auditoribus* teſtatur, *vt non minorem in argumento ſacro et theologico, quam in philoſophico gratiam conſecutus eſſe omnibus videretur.* Ita vero et auditorum numerus vehementer multiplicabatur, et gloria admodum augebatur, et haud exiguum lucrum ad eum redundabat, adeo vt famam de eo quoque vbique percrebuiſſe ipſe indicet. His ſi nouae vocationis ſacrique, quod ſuſceperat, muneris limitibus ſe continuiſſet Abaelardus, dubium non eſt, quin ob praeſtantiſſimam eruditionem haec eius durauiſſet felicitas; verum cum affectuum fluctibus valde iactaretur, et nec philoſophia nec theologia eos reprimeret, in illas ſyrtes incidit, ad quas naufragium fortuna eius paſſa eſt. Rem multorum narratione celeberrimam [o] paucis ſic habe. Viuebat eo tempore Pariſiis Fulbertus

„huius praeceptoribus vſus ſum Alberico et Ma„giſtro Roberto Meludenſi, vt cognomine deſi„gnetur, quod meruit in ſcholarum regimine, na„tione ſiquidem Angligena eſt: quorum alter ad „omnia ſcrupuloſus, locum quaeſtionis inueniebat „vbique, vt, quamuis polita planities, offendi„culo non careret, et vt aiunt, ſcirpus ei non eſſet „enodis. Nam et ibi monſtrabat, quid oporteat „enodari. Alter autem in reſpondendo promtiſſi„mus, ſubterfugii cauſſa propoſitum nunquam „declinauit articulum, quin alteram contradictio„nis partem eligeret, aut determinata multipli„citate ſermonis doceret, vnam non eſſe reſpon„ſionem. Ille ergo in quaeſtionibus ſubtilis et „multus, iſte in reſponſionibus perſpicax, breuis „et commodus. Quae duo pariter eis, ſi alicui „omnium contigiſſent, parem vtique diſputato„rem non eſſet inuenire. Ambo enim acuti erant „ingenii, et ſtudii peruicacis, et vt reor magni „praeclarique viri in phyſicis ſtudiis enituiſſent, „ſi de magno literarum niterentur fundamento, „ſi tantum inſtitiſſent veſtigiis maiorum, quantum „ſuis applaudebant inuentis. Haec pro tempore, „quo illis adhaeſi. Nam poſtea vnus eorum pro„fectus Bononiam dedidicit, quod docuerat, ſi„quidem et reuerſus dedocuit. An melius, iu„dicent, qui eum ante et poſtea audiuerunt. „Porro alter in diuinis proficiens literis, etiam „eminentioris philoſophiae et celebrioris nominis „aſſecutus eſt gloriam.“ Totum deſcribere locum placuit, cum et veram Scholaſticorum effigiem exprimat, et apud alios de his viris illa aetate celeberrimis ſit ſilentium.

m) loc. cit.

n) loc. cit.

o) Vid. quos nominat FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. V. p. 689. not. g. Prolixe, integro articulo de Heloiſa agit PETR. BAYLE T. II. p. 712. ſeqq. quem tamen, dolemus, omnia ex hac Heloiſae hiſtoria ſelegiſſe, et arcuiſſe, quae ignes impuros accendere, et latentes fauillas excitare poſſunt. Caute itaque, et non niſi munito timore Dei animo legendus eſt. Qui ſi minus dixiſſet, ſi voluptatum artificia non narraſſet, ſi in his eloquentiam non oſtendiſſet, diſertiorem ſe demonſtrauiſſet.

bertus quidam canonicus cui neptis erat Heloiſa, eximia pulchritudine commendabilis. Ea quamuis octodecim tunc demum annos nata eſſet, ingenio tamen, quo fruebatur praeclariſſimo, ita excelluit, vt ſpes auunculo enaſceretur, fore, vt ſui ſexus homines facile ſuperaret. Is itaque valde eam diligens nihil curarum ſumtuumque intermiſit, vt literis diligenter excoleretur. Egregie in iis illam profeciſſe, teſtatur ABAELARDVS [p], habuiſſeque non ſolum Latinae verum etiam tam Hebraicae quam Graecae literaturae peritiam, matheſin quoque et philoſophiam atque theologiam didiciſſe, *fuiſſeque per abundantiam literarum ſupremam, hocque literatoriae ſcientiae bonum, quo in mulieribus eſt rarius, eo amplius puellam commendauiſſe, et in toto regno nominatiſſimam feciſſe.* Quod equidem facile credi poteſt, quamuis vix dubitandum ſit, quin Abaelardus, qui Heloiſam ſuam intenſiſſimo amore deperibat, ex affectus ſui magnitudine eam contemplatus ſit, ideoque comtius, quam res poſcebat, laudauerit. Quamuis autem laudes ipſius vt nimiae ſuſpectae ſint, temporum tamen eorum conditio, quibus rarum exemplum fuit, Graeca et Hebraica intelligere, ſatis euincit, foeminam hanc velut rariſſimam et peregrinam auem inter domeſticas ſe diſtinxiſſe, ſummasque aetatis ſuae laudes meruiſſe. Quas tamen ex illorum temporum conditione metiendas, nec ad noſtrae aetatis eruditionem exigendas eſſe, quilibet facile intelligit, qui eum medio vixiſſe aeuo recordatur [q]. Quo autem animo fuerit, quamque morum integritatem ſeruauerit, facile ex peſſima, quam cum Abaelardo habuit conſuetudine coniici poteſt; quae tanto furore Abaelardum deperuit, vt Deum teſtem inuocaret [r], *ſi ipſam Auguſtus vniuerſo praeſidens mundo matrimonii dignaretur honore, totumque ipſi orbem confirmaret in perpetuum praeſidendum, carius ſibi et dignius viſum iri, Abaelardi dici meretricem, quam illius imperatricem.* Quae a docta foemina ſcribi potuiſſe, merito miramur: verum amoris affectui ita obnoxiam ſe fuiſſe ipſa fatetur, vt poſt ſuſceptam ſacri ordinis dignitatem inter ipſa ſacrorum ſolennia, ſe obſcoenarum voluptatum imagines proſcribere non poſſe, grauiſſima deploratione conqueratur [s]. Talis cum Heloiſa fuerit, mirum equidem haud eſt, et Abaelardum magnis amoris incendiis correptum eius igniculos ſummopere quaeſiuiſſe, eam autem manus audaci iuueni et ad audenda quaeuis promto dediſſe. Nam et ipſum, praeter formae elegantiam, literarum decora, eo tempore in foemina rariſſima vehementer afficiebant, Heloiſa autem, cum voluptatis ſemina natura ſua concepiſſet, homini, qui, vt ipſe ſcribit, *tanti tunc nominis erat, et iuuentutis et formae gratia praeeminebat, vt quamcunque foeminarum*

p) Op. p. 260. p. 337. conf. BAYLE l. c. not. B. MENAGIVS Hiſt. mulier. philoſoph. §. 45.

q) Nimium itaque eſt elogium FRANC. AMBOESI, qui in praef. „Altera eſt Suſannae aut „Eſthera, pulcra et Deum timens, pſalmos Hebraice perſonare ab incunabulis docta, clarum „ſui ſexus ſidus et ornamentum, tres illas linguas, „nec non matheſin, philoſophiam et theologiam „a viro edocta illo ſolo minor fuit."

r) pag. 45.

s) pag. 59.

rum ſuo dignaretur amore, nullam veteretur repulſam, reſiſtere eo minus poterat, quo magis omnem in eo artem ponebat, vt foeminam ſimplicem ſuis irretiret laqueis, et verſiculis quoque amatoriis egregie atque iucunde luderet, cantaretque. Vt itaque ſcopo ſuo potiretur, Fulbertum adit, huncque rogat, vt contubernii ſibi poteſtatem faceret, et non pretium modo ſe ſoluturum affirmat, ſed neptem quoque ita edoctu-rum promittit ſine mercede, vt doctrina literisque euadat cultiſſima. Fulbertus habendi cupiditate coecus dum ſe ſine ſumtibus fine ſuo potiri poſſe ſperat, *agnum lupo*, (verba damus ipſius Abaelardi [t] eius ſimplicitatem et auaritiam deteſtantis) *committit, et non ſolum docendam verum etiam vehementer conſtringendam tradit, ſicque illud agit, vt votis ille ſuis licentiam penitus det, et occaſionem etiamſi nollent, offerat, vt quam videlicet blanditiis non poſſet, minis et verberibus facilius flecteret.* Sic inſtitutioni Heloiſae praefectus Abaelardus dum virginem amore accenſam ſummo affectu proſequitur, ita literarum praecepta ei tradidit, vt et conſcientiae monita et philoſophiae praecepta negligeret, et omne, quod dies noctesque in Heloiſae conſortio tranſigebat, tempus voluptatis negotiis tribueret. Quod non potuit non tandem et diſcipulorum Abaelardi, et eorum, qui eum nouerant, omnium oculos perſtringere. Fatetur ipſe [u]: *ita negligentem et tepidum lectionem habuiſſe, vt iam nihil ex ingenio, ſed ex vſu cuncta proferret, nec iam niſi recitator priſtinorum eſſet inuentorum, et ſi qua inuenire liceret, carmina eſſent amatoria, non philoſophiae ſecreta.* Haec et diſcipuli ſentiebant, praeceptorisque negligentiam indignabantur, et vulgus ad ea attendebat, quod eius carmina paſſim decantabat. Haec cum pueri noſſent, vnus ignorabat Fulbertus, et mala domus ſuae intellexit nouiſſimus, vitiaque neptis, vicinis canentibus, ſolus neſciuit. Tandem re aperta in furorem degenerauit ira, ita vt domo excedere Abaelardum iuberet. Nec hic malorum finis, ſed cum ex hac conſuetudine cum Abaelardo Heloiſa concepiſſet, illa tota ſtulto amore furens, cum gaudio ſummaque exultatione illi de eo ſcripſit [x], conſulens, quid faciendum deliberaret? Is conſilii inops eam grauidam in ſuam patriam habitu indutam monialis ad ſororem miſit, vbi filium perperit, Aſtrolabium dictum. Peſſime id habuit Fulbertum, qui cum ignominiam hanc ferre non poſſet, de vindicta cogitauit, cum autem Heloiſae nuptias Abaelardus offerret, placari ſe hoc modo paſſus eſt. Neque recuſauit nuptias Abaelardus, id modo pactus, vt clam haberentur, ne theologicam cathedram deſerere cogeretur [y]. Aliter autem viſum Heloiſae; quae multis rationibus matrimonium ei diſſuadebat, inter alia cauſſata [z], *ſacris vel philoſophicis meditationibus intentum*

t) Hiſt. calam. ſuar. pag. 11.
u) pag. 12.
x) pag. 13.
y) Ita dubium tollitur, quod nectit Baelius, miratus, cur Heloiſa ordinem ſacrum non obiecerit? Tacemus, ſacros ordines omnes tum quidem nondum recepiſſe Abaelardum, vt non eos deſerere poſſet.
z) pag. 14.

tum pueriles vagitus, nutricum, quae hos mitigant naenias, tumultuosam familiae tam in viris quam in foeminis turbam sustinere non posse. Addidit alia, non magis firma, quae satis docent, furtiuos amores Heloisae placuisse prae matrimonio. Noluit tamen abstinere Abaelardus, vel quod sibi vni deuincire amicam studeret, vel quod famae ita consulere iramque Fulberti auertere vellet. Rediit itaque ad Fulbertum cum Heloisa, ab eo satis beneuole exceptus, cuius quoque cura paucis post diebus matrimonio, sed clam, copulati sunt. Fulbertus autem consummato hoc coniugio, cum magno extinguendi maculam, quam domui suae Abaelardus inusserat, desiderio flagraret, illius notitiam in vulgus disseminauit [a]. Quod quamuis pertinaciter Heloisa pernegaret, parum tamen profecit, et auunculi iram meruit. Ne itaque sibi nouum matrimonium in docendi licentia obesset, vxorem clanculum hominum oculis subducere Abaelardus statuit, eamque in monasterio Argentioli cum monialibus includi curauit, ita tamen, vt hoc quoque loco frequenter eam inuiseret, nec ab eius complexibus abstineret. Enata ex hoc consilio praepostero Abaelardo Ilias malorum, et ampliſſima dolorum et lachrymarum messis est. Ratus enim Fulbertus eiusque consanguinei, Abaelardum contemto maritali vinculo Heloisam eo fine claustro inclusisse, vt habitum monasticum induere cogeretur, ira et indignatione accensi et furibundi de vindicta cogitant, qua insigni mulcta afficeretur Abaelardi incogitantia et perfidia. Dum itaque solus et incautus in cubili dormitat Abaelardus, nihil mali cogitans, media nocte corrupto ministro irrumpunt missi a Fulberto, qui vim inferentes virilia illi exsecant. Ancipiti malo vehementer angebatur Abaelardus: nam praeter vulnus, quod inflixerant, omnis ita spes decollabat Heloisae amoribus porro fruendi, et summo mane per totam vrbem facinoris egregii disseminabatur notitia. Ex qua licet contemtum exorturum esse Abaelardi Fulbertus crederet, aliter tamen res cecidit, et indignitas facti adeo omnium detestationem meruit, vt et magistratus cura facinoris auctores, qui sibi fuga consuluerant, persequeretur, captosque duos non simili tantum, sed oculorum quoque, iactura puniret, et amici in omne solatii genus effusi, desperabundi erigere animum, quantum possent, conarentur, cuius exemplum esse potest Fulconis, prioris de Diogillo *Epistola ad Abaelardum*, inter eius opera obuia, qua magno rationum aceruo eum consolatur; quaeque ex hoc vulnere commoda ei prouenire possint, enumerat. Parum tamen medicina tanto malo impar, in animo Abaelardi effecit, qui cum totus animi consternatione opprimeretur, desperatio tandem, non deuotio, fecit monachum. Ipse hoc candide fatetur [b]: *In tam misera me contritione positum confusio, fateor, pudoris potius, quam deuotio conuersionis ad monasticorum latibula claustrorum compulit.* In monasterium itaque S. Dionysii secessit, ratus ibi se in solitudine inuidiae telis fortunaeque sibi

a) Hist. calam. suar. pag. 17. b) pag. 217.

ſibi aduerſantis perſecutioni ſe ſubtracturum eſſe. Neque tamen ita fatorum aduerſitatem effugere potuit. Quamuis enim, vbi vix e vulnere conualuiſſet, confluentes ad eum clerici tam ab abbate, quam ab ipſo continuis ſupplicationibus efflagitarent, vt, qui lucri gloriaeque cauſſa diuitibus philoſophiae et theologiae ſecreta tradidiſſet, nunc pauperculis clericis eandem praeſtaret operam, ſicque ex eius eruditione monaſterium Sandionyſianum valde illuſtraretur; ferre tamen neque abbas moribus perditiſſimis praeditus et infamia reliquis notior, neque reliqui conuentus fratres poterant, quod intolerabiles ſpurcitias frequenter atque vehementer, modo priuatim modo publice redargueret; Itaque odioſus factus, ab abbate compulſus eſt, vt ad cellam quandam recederet, ſcholis more ſolito vacaturus. Ibi tantam ſcholarium multitudinem confluxiſſe ipſe dicit, vt nec locus hoſpitiis, nec terra ſufficeret alimentis. Quod qua ratione factum ſit, ab ipſo diſcendum eſt, ita narrante [c]: *Quod profeſſioni meae conuenientius erat, ſacrae plurimum lectioni ſtudium intendens, ſecularium artium diſciplinam, quibus amplius aſſuetus fueram, et quas a me plurimum requirebant, non penitus abieci: ſed de his quaſi hamum quendam fabricaui, quo illos philoſophico ſapore ineſcatos ad verae philoſophiae lectionem attraherem: ſicut et ſummum Chriſtianorum philoſophorum Origenem conſueuiſſe hiſtoria meminit eccleſiaſtica. Cum autem in diuina Scriptura non minorem mihi gratiam, quam in ſeculari, dominus contuliſſe videretur, coeperunt admodum ex vtraque lectione ſcholae noſtrae multiplicari, et ceterae omnes vehementer attenuari.* Fulco quoque teſtis eſt, ex omnibus fere Europae angulis literarum ſtudioſos ad eum conuolaſſe; et quod Chronicon Moriniacenſe a LAVNOIO [d] laudatum habet, ad *hunc excellentiſſimarum ſcholarum rectorem pene de tota Latinitate viros literatos confluxiſſe.* Prodiiſſe ex hac bonarum mentium et literarum officina viros ſummos et praeſtantiſſimos, magnis poſtea meritis et nominibus in Eccleſia inſignes, Petri Pictauienſis [e], Petri Lombardi, Arnaldi Brixienſis, Ioannis Sarisberienſis, Yuonis cardinalis, Gaufridi Antiſiodorenſis aliorumque exemplis conſtat. Obiectumque ideo Abaelardo, ea tantum ex cauſſa ad concilium Senonenſe eum prouocauiſſe, quod plurimos diſcipulos in aula et inter Eccleſiarum praeſules haberet. Ita vero dum noua Abaelardo ſurgit gloria, comes quoque inuidia ſecuta eſt, maximumque magiſtrorum, quorum vacua Pariſiis relinquebantur auditoria, concitatum eſt odium. Cui proſequendo

c) Hiſt. calam. ſuar. loc. cit.

d) De Scholis celebr. c. LIX. art. 2. p. 194.

e) Petrus Pictauienſis poſt Abaelardum Petrum Lombardum praeceptorem habuit, et poſt hunc theologiam diu Pariſiis docuit, ex cancellario Pariſienſi ſenex factus epiſcopus Ebrodunenſis, vid. praeter Sammarthanos fratres BVLAEVS de Acad. Paris T. II. p. 767. OVDINVS T. II. p. 1499. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. V. p. 801. ſeq. Cum Abaelardo, Lombardo et Gilberto Porretano in eundem ſeductorum Galliae cenſum retulit GVALTERVS DE S. VICTORE in libro de quatuor labyrinthis Franciae. Vid. LAVNOIVS de fort. Ariſt. c. III. p. 193. FABRIC. l. c. T. III. p. 385. OVDINVS l. c.

inque Abaelardi fortunam exercendo duces ſe praebuerunt Rhemenſes doctores Albericus et Lotulfus, quos aemulationem contra eum dudum furore accendiſſe ſupra narrauimus. Hi Rhemenſem praeſulem contra Abaelardum incitare ſtatuentes, commodam occaſionem quaerebant, ex inſidiis eum aggrediendi. Quam ſubminiſtrauit liber Abaelardi, quo rogatu diſcipulorum Roſcelini errorem de diſtinctione perſonarum in diuinitate non reali ſed nominali confixit. Hunc enim praeceptoris errorem, quem, vt ſupra dictum, ſemper reiecerat, rationibus philoſophicis euertere eo tamen nomine non compellato, aggreſſus librum ſcripſit de Deo et Trinitate, qui hodie quoque inter opera eius titulo: *De fide S. Trinitatis, ſiue introductio ad theologiam*, tribus libris diuiſus legitur. In eo arduum myſterium dum rationibus dialecticis explicare nititur, exemplum quoque ex dialectica ad illuſtrationem rei addit, hoc pacto: Sicut eadem ratio eſt propoſitio, aſſumtio et concluſio, ita eadem eſſentia eſt Pater, Filius, et Spiritus S. Hunc librum ob ratiociniorum ſubtilitatem valde Abaelardi diſcipuli extollebant, neque his ſuſpectum erat ſimile, quod illuſtrandae rei in ſe omnem humani ingenii captum ſuperantis cauſſa allatum eſſe probe nouerant, et multoties aliis ſimilibus a theologis veteribus et recentioribus [g] factum eſt. Aduerſarii autem Abaelardi, inueniſſe ſe, non quod pueri in faba, rati, haereticorum errorum Abaelardum accuſauerunt, et archiepiſcopum, ſubtilitatum dialecticarum minus gnarum eo compulerunt, vt coacta anno cIↃcxx [h] ſynodo Sueſſionenſi, cui praeſidebat pontificis legatus, Conon, epiſcopus Praeneſtinus, ipſe quoque rerum harum ſatis ignarus ad reddendam ſynodo rationem doctrinae ſuae Abaelardus citaretur, vt cur Tritheiſmi errorem (ita enim Sabellianiſmum cum Tritheiſmo confundebant theologi acutiſſimi) foueret, cauſſam diceret. Comparuit Abaelardus, cum nec erroris, nec mali vllius ſibi conſcius eſſet, et incommodum ſimile facili explicatione emolliri poſſe crederet. Verum ita infenſum et praeoccupatum expertus eſt non modo epiſcoporum et doctorum, ſed et plebis animum, vt ipſo referente, *pene populus ipſum paucosque, qui aduenerant ex diſcipulis ipſius, prima diei aduentus lapidarent, dicentes, eum tres deos praedicare et ſcripſiſſe.* Et obrutus fuiſſet lapidibus cum comitibus, niſi in templum proximum aufugiſſent. Ita lapideis ratiociniis res acta eſt. Nec meiius res in ipſa ſynodo transacta. Legatus enim et archiepiſcopus theologos ſupra dictos in partes vocantes, licet accuſatores eſſent, iudices in ea cauſſa conſtituerunt, qui quamuis multa in eo libro paſſim laceſſerent, in ſcirpo tamen nodum quaerentes non ſine

f) pag. 973.

g) Trium dimenſionum ſimile adhibuit Walliſius, conf. BAYLE l. c. not. M. hunc eſſe theologum putamus, quem innuit GERVASIVS l. c. quanquam ex Nouis liter. reip. 1685. Iul. art. 3. pater, quendam hoc quoque ſimile theologum adhibuiſſe.

h) Alii ad ann. 1116. referunt, alii ad an. 1136. ſeries autem rerum poſcit annum vel 1120. vel 1121. prius CAVEO H. L. pag. 606. poſterius NAT. ALEXANDRO placuit H. E. Sec. XI. et XII. P. III. p. 43. quem ſequitur BAYLE l. c. not. N. p. 21.

ne pudore confusi sunt. Cuius iucundum exemplum esse potest animaduersio Alberici, improbantis, quod docuisset Abaelardus, Deum se ipsum non genuisse; eo quod diuinitatem filii ita negari crederet. Abaelardus enim, non hanc suam thesin esse, sed Augustini, ostensis eius verbis, demonstrauit, sicque ineptum theologum in ruborem dedit. Ita vero dum erroris coargui non potest, a legato pontificis et episcopo Carnotensi, viro docto absoluitur, quod cum dicti theologi improbarent, res ad concilium aliquod generalius deferenda statuitur, decerniturque Abaelardum domum remittendum esse. Id si naturae feciſſet Abaelardus, inimicorum tela euasisset. Dum autem moram nectit, theologi Rhemenses archiepiscopum adeunt, conquestique de synodi sententia ipsi valde ignominiosa, noua eum rabie in Abaelardum armant, legatum pontificis alia ratione aggrediuntur [i], caussati non decuisse Abaelardum, sine licentia et approbatione summi pontificis librum edere theologicum. His rationibus dum sibi persuadere nititur legatus, auctoritatem domini sui laesam ab Abaelardo esse, tandem in innocentem insurgere coepit, eoque annitente a synodi patribus decretum est, vt haeretico homini, ex dialectica nouos errores disseminanti silentium imponeretur, editaque fidei sanioris professione librum ipse suum combureret. Qua in actione quam turpiter se dederint supinamque ignorantiam prodiderint episcopi, inter acta huius synodi non sine stupore legitur. Abaelardus cum violentiae se resistere posse desperaret, nec valere rationem vel apologiam vllam, videret, flammis iam praeparatis librum tradidit, recitatoque non sine lacrymis symbolo Athanasii, huic se ex animo doctrinae adhaerere professus est. Sed vt poenitentiam quoque ageret, abbati S. Medardi Sueſſionensi in monasterio concludendus traditus est. A quo tamen conuentuque omni, cum moribus doctrinaque se vehementer commendaret, benigne et humaniter habitus, pauloque post, cum iniustae sententiae, quam bonus quilibet detestabatur, ipsique episcopi suam fuisse negabant, patrocinium legatus pontificis subterfugeret, liber ab eo dimissus, et coenobio Sandionysiano restitutus est [k]. Ex quo breui huius synodi conspectu, quem amplissime exponunt conciliorum [l] et historiae ecclesiasticae scriptores, quique Abaelardi vitam atque fata enarrant, intuentibus sine partis studio manifestum est, nefariis artibus Abaelardum a clero fuisse oppressum. Redux in monasterium suum Abaelardus sibi viuere atque Musis suis, crabronesque minime irritare, et fratres ignorantiae in voluptatibus et sordidie se volutari pati constituit, persequente vero fatorum iniquitate nouam tempestatem euitare non potuit. Nempe dixerat aliquando in priuato aliquo colloquio, Dionysium, quem Gallia colit, et cuius corpus asseruare creditur monasterium, non Atheniensium fuisse, sed Corinthiorum episcopum, frustraque Areopagitae nomen iactari. Quo colloquio satis quidem erudite, sed imprudenter habito,

i) Vid. OVDINVS l. c. p. 1163. vbi verba Abaelardi leguntur.

k) Hist. calam. suar. c. 10. p. 19. seqq. OTTO FRISINGENSIS L. I. c. 47. conf. BERNARD epist. ad Yuon. Card. 193.

l) COSSARTIVS Concil. T. X. p. 990.

ita monachorum furorem acuit, vt rabie iraque acti, qua potiſſimum ratione in Abaelardum debaccharentur, vix inuenirent. Carceri tamen tanquam atheum ſupremaeque impietatis reum incluſerunt, fruſtra oggerente Abaelardo, ſe Areopagitam non inficiari. Abbas itaque, perditiſſimorum morum homo comminatur, ſe ad regem ſcripturum, eumque accuſaturum, quod regni ſui gloriam contaminando, maieſtatem regiam violaſſet, certum, non defore ſeueram regis vindictam. Ita dum extrema Abaelardo minantur monachi impudentiſſimi, carcerique ille mancipatur, monſtrante tamen viam ſolertia elabendi rimam inuenit, et aufugit, poſtquam in aula innocentiam demonſtrauerat, et ad terram Theobaldi comitis proximam, vbi antea in Cella moratus fuerat, dilapſus eſt. Hic cum antea in ditione ſua ſumma frequentia auditorum docentem noſſet Abaelardum, clementer eum habuit, permiſitque vt in quodam ſuae ditionis monaſterio Benedictino moram nectere poſſet. Ex hoc vero loco ad abbatem ſuum ſcripſit Abaelardus et retractata quaſi, certe valde excuſata ſententia ſua de Dionyſio Areopagita cum eo in gratiam redire tentauit, ipſo comite, eius rogatu, pro eo intercedente. Sed cedere noluit abbas, qui ferre non potuit propudioſae, quam agebat, vitae cenſorem moleſtum. Tandem illo fatis functo anno CIↃCXXII, ab eius inſidiis Abaelardus liberatus eſt. Huic ſucceſſor datus Sugerius, cuius vitam GERVASIO abbati etiam debemus, fauentiorem ſe quidem Abaelardo praebuit, quocum reconciliationem Abaelardus iterum tentauit, fruſtraneo tamen euentu, cum de conditionibus ipſis non conueniret. Tandem interuenientibus regis amicis, cum conſilium eorum ſuper hanc rem compellauiſſet [m], maxime vero Stephano regis dapifero, a rege veniam accepit, commorandi, vbicunque vellet, cum moleſtam eius praeſentiam amici regis crederent in eo monaſterio, quod moribus corruptis viuere e re publica eſſe iudicabant [n]. Diffiſus itaque monachorum ſodalitiis, in quibus habitare inuidiam et malitiam triſti experientia didicerat, aliam ſibi ſedem in ipſa ſolitudine ſelegit, ratus fore, vt, quem hominum ſocietas ferre non poterat, ſibi ſoli viuere quiete poſſet. Igitur ad amoeniſſimam Trecenſis epiſcopatus ſolitudinem prope Nouiogentum ſe contulit, ibique liberaliter a quibusdam ſibi conceſſa terra, annuente Trecenſi epiſcopo ſedem ſibi, qualem praeoptabat cum oratorio ex calamis primo et coeno conſtruxit, vtque orthodoxam fidem ſe colere probaret SS. Trinitati dedicauit. Cumque ex diſcipulis vnus eo conceſſiſſet ad augendam pietatem aliud oratorium excitarunt S. Spiritui Paracleto ſacrum [o]. Quamuis autem bene ita ſe viuere poſſe ſperaret Abaelardus, ſi bene latuiſſet, tegi tamen occultarique eruditionis eius ſplendor non potuit. Qui cum vbique radiaret, quamprimum vita eius ſolitaria innotuerat, plurimos ad eum diſcipulos congregauit, qui viuere agreſti

m) Opp. p. 27.
n) Vid. BAYLE l. c. not. O.
o) IDEM Art. Paraclet. Tom. III. pag. 592. ſeq.

agreſti more, et victum durum cum Abaelardo quaerere, quam eius inſtitutione carere malebant. Ex vrbibus itaque atque caſtellis ad philoſophum conuolantes ſolitudinem inhabitare, conſtructisque tuguriolis pane triuiali et herbis agreſtibus viuere, et culmis atque ſtraminibus pro lectis, Abaelardum imitantes vti coeperunt, et ab eius ore ſumma veneratione pependerunt. Mirumque eſt vitae huius eremiticae auſteritatem non obſtitiſſe, vt non ſexcenti mox primo anno adoleſcentes ad eum congregarentur. Ita vero, qui mundum ſe effugiſſe ratus erat Abaelardus, in ipſa ſolitudine mundi inuidiam nouo ſpeciminę experiri coactus eſt. Cum enim odio et inimicitia theologi Rhemenſes arderent, parum autem aduerſus eum valerent, ad potentiores et maiore auctoritate florentes ſe conuerterunt, et Norbertum atque Bernardum concitarunt, quos, cum magna diſciplinae ſeuerioris atque ſanctioris laude florerent, aemulatione accenſos Abaelardum vitae rigidioris laude celebrem facile pulſuros eſſe credebant. Ipſe ABAELARDVS p) *quosdam, eos* conqueritur *aduerſus ſe nouos apoſtolos, quibus mundus plurimum crederet, excitauiſſe, quorum alter regularium canonicorum vitam, alter monachorum ſe reſuſcitauiſſe gloriaretur.* Quos cum ſuſpicionibus et falſa de Abaelardi ἑτεροδοξίᾳ opinione occupauiſſent, dici non poteſt, quanto feruore et acerbitate hi viri, qui pro cauſſa Dei ſtrenue ſe militare credi volebant, ſummamque inde ſibi ſanctitatis laudem acquiſiuerant, at nec eruditione nec iudicio ſatis valebant ad cauſſam Abaelardi dignoſcendam, et praeterea credulitate valde peccabant, in Abaelardum inſurgere coeperint. Non obtrectare animus eſt gloriae magnorum et praeclariſſimorum virorum, praecipue Bernardi, quem vel ideo laudibus extollendum exiſtimamus, quod ſterili theologiae, quam Scholaſtica philoſophia inuexerat, quamque nec vitae rectitudini, nec animi ſolatio inſeruire probe videbat, meliores ſenſus et ſucculentiorem doctrinam oppoſuerit, diſciplinae quoque monaſticae reſtaurandae, quae tum temporis miſere collapſa erat, manus fortiſſimas admouerit: Verum dum merita eius agnoſcimus et praedicamus, eius quoque naeui hiſtorico tacendi non ſunt, quos eius praeſtantiae et humana infirmitas attexuit, et nimium theologiae myſticae ſtudium genuit, ſanae autem philoſophiae defectus, et quaedam accurate ratiocinandi imperitia ſuſtentauit: animusque plus iuſto credulus, et contra eos, quos errare credebat, acrius, quam pium doctorem decebat, inſurgens valde aluit. Talem ſe praebuiſſe in hac controuerſia Bernardum, non noſtrum iudicium eſt, ſed OTTONIS FRISINGENSIS q), ad quod iam prouocauit FRANCISCVS AMBOESVS, qui, cum eius diſcipulus fuerit, de abbate ſuo haec in annalibus ſcripta reliquit. *Erat abbas tam ex Chriſtianae religionis feruore zelotypus, quam ex habitudinali manſuetudine quodammodo credulus, vt et magiſtros, qui humanis rationibus ſeculari ſapientia confiſi*

p) Hiſt. calam. ſuar. loc. cit. q) loc. cit. r) Praef. ad Opera Abaelardi.

fisi nimium inhaerebant, abhorreret, et si quicquam et Christianae fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem praeberet. Qui cum somnio, quod matri obtigit, persuasus crederet, *custodem se singularem domui Dei destinatum esse, qui validos pro ea contra inimicos fidei ederet latratus* [s], quamquam alias moribus erat mansuetissimus, firmauit tamen, quae verba sunt Amboësi, vaticinium euentus, nec enim vlli pepercit. Id quod auctoritatis praeiudicio non impediti ex controuersiis, quas vir cetera magnus contra Abaelardum, Gilbertum Porretanum, Arnoldum de Brixia aliosque errorum in doctrina Christiana suspectos fouit, luculenter colligent, iudicabuntque, quantum fidei mereantur vel BERENGARIVS Pictauiensis Abaelardi discipulus, acerrima *Apologia* Bernardo se opponens [t], vel immodici illi pii viri laudatores [u], qui hominem eum fuisse obliuiscuntur, vel qui suspicionibus Bernardi credulitatem in hac Abaelardi causa iuuari probarique posse putant. Nobis nihil partium studio dantibus, excusari quidem in eo posse videtur Bernardus, quod Abaelardus dialectico potissimum acumine insignis, et more horum hominum Scholasticum docendi genus secutus, notionibus, distinctionibus, axiomatibus, exemplis obscuris, et ex philosophia petitis tractatus suos theologicos repleuerit; quos cum non satis intelligeret Bernardus, philosophiae imperitus, isque iudicio episcoporum et theologorum, qui publice docebant, fideret, magno autem pro Ecclesia eiusque doctrina feruore accensus esset, viderique summus eius veritatis custos cuperet, non potuit non in Abaelardum insurgere, etiam vbi optima voluntatis intentione regeretur. Quandam vero animi impotentiam et superstitionem cum aliqua dominandi libidine, licet eximia pietatis specie tegeretur, controuersiam hanc in eo luculenter prodere, fatebuntur, quotquot in perspiciendis magnorum virorum naeuis non plane coecutiunt, et quibus liberum est, veritatem auctoritatis praeiudicio praeponere. Verum haec ὡς ἐν παρέδῳ. Iam in viam redeundum, ipsiusque historiae filum resumendum. Occupatis monachorum sanctius, quam tum solebant, viuentium conditorum parentumque animis, his ducibus et antesignanis omnia clamoribus replebantur, de haereticis Abaelardi opinionibus. Irrisisse et subsannasse Abaelardum in scholis suis nouorum ordinum auctores, coniiciunt BVLAEVS et qui eum sequitur OVDINVS [x], sicque, putant grauem eum illorum inimicitiam meruisse, et contra se tantopere illos armasse. Verum haec frustra dici, ex studiose quaesita ab Abaelardo solitudine palam est, quam ideo elegit, vt ab omni turba aemulantium remotus viueret, et perperam supponitur, Abaelardum ex solitudine

s) vid. Vitae Bernardi scriptores passim; BAYLE Dict. T. I. art. Bernard. not. D. p. 537.

t) Vid. THOMAS. Hist. sap. et stult. T. I. p. 114. BAYLE Art. Berenger; OVDINVS T. II. p. 119.

u) MABILLON. Opp. Bernardi T. II. p. 642. EDM. MARTENE l. c. p. 1146. BOSSVET Hist. des variat. T. II. p. 201. Mem. de Trevoux loc. cit.

x) ll. cc. Quae enim contra hos monachos scripsit Abaelardus, postea ab eo consignata sunt.

tudine Parisios ad pristinum docendae theologiae munus rediisse. Alia enim loquuntur acta huius controuersiae, quae produnt, ipsum Paracleti oratorium et similia calumniae occasionem praebuisse, et non obstante apologia tanta inuidiae rabie aduersarios eum fuisse aggressos, tantum ei apud omnes conflauisse odium, vt ferme ad desperationem redigeretur. Audi enim, Lector, quiritantem y): *Deus ipse mihi testis est, quoties aliquem Ecclesiasticarum personarum conuentum adunari noueram, hoc in damnationem meam agi credebam. Stupefactus illico quasi superuenientis ictum fulguris expectabam, vt quasi haereticus aut profanus in conciliis traherer et synagogis. Saepe autem, Deus scit, in tantam lapsus sum desperationem, vt Christianorum finibus excessis ad gentes transire disponerem, atque ibi quiete sub quacunque tributi pactione inter inimicos Christi Christiane viuere.* Quae omnia prolixe exponere, grauissimasque persecutiones enarrare, huius loci haud est, et ad annales ecclesiasticos pertinet, vel apud eos quaerendum est, qui infelicis philosophi fata ex instituto enarrarunt. Digna tamen est viri memorabilis historia, quae accurate excutiatur, cum ampliſſimum humanae vitae inuidia exagitatae theatrum exhibeat, et quibus moribus clerus tum vixerit, doceat. Inter medias autem anxietates, cum nesciret, quo se verteret, asylum ei monstrauit prouidentia diuina. Commendatus enim a Britanniae minoris duce abbas monasterii Benedictini S. Gildasii Riuensis in dioecesi Vennetensi electus est, annum agens quadragesimum septimum. Quam vocationem secutus Paracleti sui curam amicis duobus, quos fidissimos habebat, permisit. Neque vero hoc quoque loco furere in eum desiit fortuna irata, nec a persecutione destitit. Perosus enim pessimam monachorum in hoc monasterio vitam, qui gulae, ventrique egregie litabant, et turpissimis scortationibus sacri muneris honorem diffamabant, conscientia de officio monente emendare hominum nequissimorum mores aggressus est. Qui cum disciplinae essent impatientissimi, et a vita turpissima auocari aegerrime ferrent, maximis odiis abbatem prosecuti sunt; et ita creuit hominum perditissimorum audacia, vt pene fidem superet, quod de insidiis sibi quotidie structis queritur z): *Quotidie quasi ceruici meae gladium imminentem suspicio, vt inter epulas vix respirem, sicut de illo legitur, qui cum Dionysii tyranni potentiam atque opes conquisitas maximae inputaret beatitudini, filo latente appensum super se gladium respiciens, quae terrenam potentiam felicitas consequatur, edoctus est.* Sed veram fuisse querelam, res ipsa docuit euentusque probauit: Multoties enim minaci gladio impetitus, multoties veneno in sacrum calicem iniecto et in ipsa altaris solennitate tentatus vix mortem toties sibi proximam euitare potuit. Et ne calamitas haec sola esset, continuam simul vexationem

y) Hist. calam. suar. p. 32. z) loc. cit. c. 13. p. 34.

nem passus est, ab illius loci domino, qui ex vita monachorum dissoluta occasionem nactus loca, quae ad monasterium respiciebant, sibi vindicauerat, grauibusque exactionibus ipsos monachos exagitabat. Haec anno CIↃCXXVII facta sunt, quo tempore quoque accidit, vt moniales, quibus Heloisa praeerat, Argentiolo ab abbate Sandionysiano eiicerentur. Quae cum locum refugii ignorarent, coenobium suum Paracleti Heloisae tradidit, quae se illuc cum sororibus quibusdam recepit. Eo itaque aliquoties profectus Abaelardus, monasterium totum Heloisae concessit, eiusque regimen consiliis suis adiuuit. Quam cum anno CIↃCXXXVII Innocentius II. P. M. abbatissam declarasset, frequentius Heloisam, quam hactenus non viderat, inuisere, eique re et consilio adesse coepit. Id quod nouam Abaelardum calumniandi occasionem eius aduersariis obtulit, caussantibus, pristinos amoris igniculos resuscitatos huius frequentiae caussam esse. Ipse hoc refert [a]: *Quod me facere sincera charitas compèllebat, solita derogantium prauitas impudentissime accusabat, dicens me adhuc quadam carnalis concupiscentiae oblectatione teneri, qui pristinae dilectae sustinere absentiam vix aut nunquam paterer.* Quam tamen obtrectationem ex vulnere, quod a Fulberti furore acceperat, refutat, et quam impossibile sit, cogitare iubet [b]. Vt tamen suspicionem amoliretur, monasterio suo, se continuit, in quo vero tranquillam eum vitam agere non passa est monachorum peruersitas, qui contemto sacro fulmine, insidias ei struebant, quamuis nequissimos eiecisset. Et hucusque quidem ipse Abaelardus calamitatum suarum historiam in epistola ad amicum exposuit.

Abaelardi historia continuata.

§. VII. Male habuit Heloisam diuturnum Abaelardi sui silentium, quae cum hanc de suis calamitatibus epistolam legisset, ea de re apud illum conquesta est. Id quod occasionem multarum epistolarum ad Heloisam dedit, quarum aliquas hodie legimus, quae tenerrimo Heloisam affectu complexum fuisse Abaelardum satis loquuntur [c]. Libellos quoque aliquos ad eam misit, hoc loco, ne nimii simus, non enarrandos. Quo vero loco tum Abaelardus docuerit, scriptores vitae eius non indicant [d]. Ex IOANNIS SARISBERIENSIS [e] vero loco quodam colligi potest, reuersum eum esse Parisios, et in pristino loco in monte S. Genouefae sacras literas et philosophiam docuisse. Dabimus Parui locum, cum satis luculentus sit: *Cum primum, adolescens admodum, studiorum caussa migrassem in Gallias, anno altero, postquam illustris*

a) Hist. Calam. suar. p. 55.

b) Haec excusatio an sufficiat valde dubitat P. BAYLE l. c. et art. Heloise l. c. art. Combabus T. II. not. B. p. 201. conf. CHR. THOMASIVS Iurisprud. Diu. L. III. c. 2. §. 179. p. 471.

c) Liberiores Gallicas metaphrases harum epistolarum dedere BVSSIVS, RABVTINVS Col. 1695. et P. F. G. DE BEAVCHAMP, Paris 1714. et 1717. maxime vero Abbas GERVASIVS Paris 1723. II. Vol. 12. Latinam emendatiorem editionem debemus RICH. RAWLINSONO Lond. 1718. 4. vid. Iurn. des sauans 1718. Nou. p. 239.

d) Primus de hac vitae Abaelardi particula dispicere coepit IAC. THOMASIVS l. c. quem secuti sunt BAYLE et OVDINVS ll. cc.

e) Metalog. L. II. c. 10. p. 892.

ſtris rex Anglorum Henricus, leo iuſtitiae, rebus exceſſit humanis, contuli me ad Peripateticum Palatinum, qui tunc in monte ſanctae Genouefae clarus doctor et admirabilis omnibus praeſidebat. Ibi ad pedes eius prima artis huius rudimenta accepi, et pro modulo ingenioli mei, quicquid excidebat ex ore eius, tota mentis auiditate excipiebam. Deinde poſt diſceſſum eius qui mihi praeproperus viſus eſt, adhaeſi magiſtro Alberico etc. Eſſe Peripateticum Palatinum Abaelardum ex variis SARISBERIENSIS locis, praecipue autem *Metalogici libro ſecundo*[f] manifeſtiſſimum eſt. Henricus II. autem obiit anno CIↃCXXXV, ex quo inuicta ratione demonſtrari poteſt, an. CIↃCXXXVII, in monte Genouefae Sariſberienſem Abaelardum audiuiſſe. Nec obſtat, quod obiicit OVDINVS[ff], nullibi mentionem facere Abaelardum, quod poſt relictum Paracleti monaſterium Pariſios redierit; luculentum enim eſt Ioannis teſtimonium: recteque, niſi fallimur, cum tota hiſtoriae Abaelardi ſerie cohaeret, et hiatus aliquis, quem Geruaſius quoque non ſuppleuit, emendari, et perfici philoſophi huius hiſtoria poteſt. Relicto enim S. Gildaſii monaſterio, ob inſidias monachorum, cum in priſtino Paracleti monaſterio ob ſuſpiciones et rumores hominum commorari nollet, ad alium eum locum diuertere oportuit, quem ex eius biographis nemo indicat, Pariſios vero fuiſſe ex hoc loco manifeſtum, dubiumque non eſt, quin celeberrimus philoſophus, quem tam importunis ſemper flagitationibus iuuenes quaerebant, ſcholas ibi aperuerit. Ex hac quoque commoratione cauſſa ſatis euidens oſtendi poteſt, nouorum motuum, quos in eius caput concitauerunt Albericus, Guilelmus aliique eius temporis philoſophi et theologi, quam nemo hactenus inter vitae Abaelardi ſcriptores detexit. Nempe anno circiter CIↃCXXXIV, Abaelardum relicto coenobio Riuenſi Pariſios remeauiſſe, ibique occupato priſtino loco dialecticam et theologiam docuiſſe, ex allato Sarisberienſis loco conſtat. Eo autem innuente ſcimus quoque, Albericum, qui et ipſe Pariſios ſe conuerterat, magna dialecticae eruditionis opinione eodem tempore Pariſiis docuiſſe, Abaelardum vero, poſt annum CIↃCXXXVII, praepropere diſceſſiſſe, eiusque in hac ſchola locum Albericum occupaſſe. Ex quibus ſumma veriſimilitudine colligimus, Albericum inter et Abaelardum veteres inimicitias reſuſcitatas nouam litigiorum anſam dediſſe, eumque Abaelardum anno CIↃCXL ad concilium Senonenſe vocatum ex hoc loco eieciſſe. Valde enim vrebat inimicos, Abaelardi, quod ſcholas publicas haberet, eo quod gloriam et applauſum ipſi inuiderent. Vnde Bernardum inſtigabant, vt publice docendi munus ei auferri curaret, cauſſati, ſeducere eum iuuenes ad heterodoxa dogmata. Quod pro credulitate ſua facile admittens Bernardus, in id potiſſimum incubuit, vt haec ei facultas adimeretur. Summa hoc veriſimilitudine colligimus ex *Epiſtola*[g] PETRI

f) c. 17. p. 814.
ff) loc. cit. p. 1165.
g) Extat in operibus Abaelardi p. 335. inter PETRI VENERABILIS epiſtolas L. IV. ep. 4. et in Bibliotheca Cluniacenſi a QVERCETANO edita p. 816.

CLVNIACENSIS *ad Innocentium II. R. P.* in qua inter alia ſcribit: *Interim a nobis admonitus, magis autem a Deo, vt credimus, inſpiratus, dimiſſis Scholarum et ſtudiorum tumultibus in Cluniaco veſtro ſibi perpetuam manſionem elegerit.* His itaque inuidiae telis denuo petitus Abaelardus, magnis iterum fortunae procellis iactatur, Guilelmo quodam [h] monacho Benedictino prodeunte, qui Abaelardum apud epiſcopum Carnotenſem et abbatem Claraeuallenſem haereticorum dogmatum accuſans, tredecim errorum articulos illis offerebat. Satis nouerat Abaelardum epiſcopus, qui ſi vixiſſet, vix credibile eſt, eum Abaelardum non fuiſſe defenſurum. At ille fatis concedebat anno CIↃCXXXIX. Maxima itaque ira Abaelardum aggreſſus Bernardus, aliquoties coram cum eo agit, cumque philoſophus Palatinus pertinaciter negaret, vllum ſibi in fide et doctrina errorem haerere, nec manus dare victas Bernardo, contentioſe eum obiurganti vellet, adeo virum magnum, et hac ſua auctoritate non ſine dominandi libidine vtentem exacerbauit, vt acri epiſtola contra illum inſurgeret, et apud Romanum praeſulem errorum eum acerrime poſtularet. Quod cum in Abbate ferendum non eſſe Abaelardus ſtatueret, Senonenſi archiepiſcopo, ad quem cauſſa deuoluebatur, eius violentiam et iniquitatem demonſtrauit, cumque apud Senones ſe epiſcopi congregauiſſent, in ea ſynodo cauſſae ſuae agendi licentiam expetiit rogauitque, vt exponere ſibi doctrinam ſuam, eamque contra calumnias et obtrectationes Bernardi, eo praeſente et rationem reddente, rege vero ipſo totoque concilio iudice, defendere liceret. Declinauit initio arenam Bernardus, in dialectica diſputandi arte Abaelardo multum inferior. Tandem cum auctoritatis, qua fruebatur, conſeruandae cauſſa a ſynodo rogatus acceſſiſſet, ad confutandos Abaelardi errores ſe accinxit. Meretur de hoc conſilio legi PETRI BERENGARII *Apologia pro Abaelardo* [i], vt quibus animis res illa acta ſit, pateat. Is inter alia: *Poſt aliqua pontifices inſultare, pedem pedi applodere, ridere, nugari conſpiceres, vt facile quilibet iudicaret, illos non Chriſto vota perſoluere, ſed Baccho. Inter haec ſalutantur ſcyphi, pocula celebrantur, laudantur vina, pontificum guttura irrigantur, - - lethaei potio ſucci pontificum corda iam ſepelierat. Ecce, inquit ſatyricus:*

- - - inter pocula quaerunt
Pontifices ſaturi quid dia poëmata narrent.

Denique cum aliquid ſubtile diuinumque ſonabat, quod auribus pontificalibus erat inſolitum, audientes omnes diffecabantur cordibus ſuis, et ſtridebant

h) Abbas S. Theodorici, vid. BVLAEVS Hiſt. Acad. Pariſ. p. 743. OVDINVS T. II. p. 1434. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. III, p. 499. Scripſit diſputationem catholicorum PP. contra P. Abaelardi dogmata, quae extat in Biblioth. Ciſtercienſi a BERTRANDO TISSIERIO 1669. edita, conf. BERNARDI ep. 391.

i) Opp. p. 302. de hoc Berengario vid. THOMAS. Hiſt. ſap. et ſtult. T. I. p. 113.

debant dentibus in Petrum, et oculos talpae habentes in philoſophum, hoc, inquiunt, ſineremus viuere monſtrum? - - Vini calor ita inceſſerat cerebris, vt in ſomni letargiam oculi omnium ſoluerentur. Inter haec ſonat lector, ſtertit auditor. Alius cubito innititur, vt det oculis ſuis ſomnum, alius ſuper molle ceruical dormitionem palpebris ſuis molitur: alius ſuper genua caput reclinans dormitat. Cum itaque lector in Petri ſatis aliquod reperiret ſpinetum, ſurdis exclamabat auribus pontificum, damnatis? Tunc quidam vix ad extremam ſyllabam expergefacti ſomnolenta voce, damnamus, aiebant. Alii vero damnantium tumultu excitati decapitata prima ſyllaba, namus, inquiunt. Acrius, et vt ſatyrici ſolent, ad deridendos concilii huius patres haec appoſuiſſe Berengarium in iſta inuectiua, ſi quis contenderit, non moroſe repugnabimus, Lectorem tamen a partium ſtudio alienum recordari iubemus, publice haec apologia edita epiſcopis obieciſſe Berengarium, non reueritum, quod rex cum tota aula ſua adfuiſſet. Qui, ſi ita ſobrie, vt decebat, patres conſcripti rem egiſſent, hanc in Berengario calumniam minime pertuliſſet. Qui vero mores eius ſeculi, etiam inter homines eccleſiaſticos, quin ipſius monaſticae ſeueritatis alumnos turpiſſimos, maximisque facinoribus, praecipue gulae, deformes cogitat, de quibus luculenta quaedam ſpecimina exhibet Abaelardi hiſtoria, recordaturque, non modo praeſentem fuiſſe, et cum pontificibus in eo concilio victitaſſe aulam regiam, ſed eam quoque ſtudio in eiusmodi ἀσωτίαν in hominibus eccleſiaſticis fouendam ferendamque conſenſiſſe [k], facile credet, ſobriis animis et corporibus ad audiendam Petri cauſſam patres huius concilii non acceſſiſſe. Ita vero diſpoſitis iudicibus facile fuit Bernardo clamoribus retundere Abaelardum, quem argumentationum machinis ſuperare nequibat, praecipue, cum non diffitente Berengario capitula Abaelardo obiecta, *etſi ſanum ſaperent, ſanum tamen non ſonarent.* Explicatione itaque opus erat, eaque vt patienter audiretur, Abaelardi intererat. Aſt hanc patientiam extorqueri non poſſe probe videbat. Cum itaque cauſſam, quamuis iuſtam, vinci praeuideret, diſputationem cum Bernardo declinauit, et ad ſummum pontificem prouocando epiſcoporum damnationi eius inhiantium ſpem eluſit. Quod cur fecerit Abaelardus, ex dictis quidem nemo non intelligit, variae tamen eius rei cauſſae a viris doctis afferuntur, eo quod diſputationis aleam iam detrectauerit Abaelardus, quam ipſe prius popoſcerat. Otto Frisingensis [l] qui eo tempore vixit, *Abaelardum*, ait, *dum de fide ſua diſcutieretur, ſe-*

k) Vt fidem faciamus rei vix credibili, en ipſa Abaelardi verba in ſaepe dicta Hiſtoria calamitatum ſuarum p. 27. „Stephanus regis tunc „Dapifer vocato in partem abbate et familiaribus „eius, quaeſiuit abbis, cur inuitum retinere vellent, ex quo incurrere ſcandalum facile poſſent, „et nullam vtilitatem habere, cum nullatenus „vita mea et ipſorum conuenire poſſet. Sciebam „autem in hac regii conſilii ſententiam eſſe, vt quo „minus regularis abbatia illa eſſet, magis regi eſſet „ſubiecta et vtilis, quantum videlicet ad lucra temporalia. Vnde me facile regis et ſuorum aſſenſum conſequi credideram, ſicque actum eſt."

l) L. I. c. 48.

ditionem populi timentem, apoſtolicae ſedis praeſentiam appellauiſſe. Nequaquam hoc veriſimile putat OVDINVS [m], cum, rege Galliarum, Theobaldo comite plurimisque viris nobilibus praeſentibus, nihil eſſet, a populo metuendum. HENRICVS GANDAVENSIS [n] autem; *a B. Bernardo*, ait, *haeretica aliqua in ſcriptis ſuis ſenſiſſe, conuictum eſſe in concilio Senonenſi*, quod repetit MIRAEVS [o], et poſt illum Bernardi defenſores reliqui. Vtrumque falſum eſſe, circumſtantiae loquuntur, et veram cauſſam produnt. Et ſeditionem quidem populi timendam non fuiſſe, facilius negatur, quam probatur, cum ſupra iam dixerimus, aduenientem Abaelardum populum lapidibus obruere voluiſſe, praeuentum a doctoribus ſuis. Quid itaque in ipſo concilio damnato vel liberius cauſſam peroranti expectandum fuit? Dabimus autem falſum hoc eſſe, licet Friſingenſis teſtis ſit αὐτήκοος καὶ σύγχρονος; eadem ſeditio, iidem tumultus ab ipſis concilii patribus tantopere contra eum a Bernardo ſanctitatis ſuae opinione occupatis animatisque expectandi fuiſſent, ſi, quod facile poterat, diſputandi artificio vſus Bernardum confudiſſet, et ad ſilentium redegiſſet, vt recte obſeruatum GERVASIO. Bernardum autem Abaelardum ad ſilentium diſputando non redegiſſe, ex prouocatione ad ſedem Romanam intelligitur, quam ad euitandam ancipitem cauſſae ventilandae diſceptationem Abaelardus interpoſuit. Ita vero concilii ſufflaminata ſunt conſilia, ſuſpenſa auctoritas, re ad ſupremum iudicem Eccleſiaſticum delata. Igitur ad eum recurrendum erat aduerſariis: itaque Bernardus, iubente concilio ad papam acri epiſtola ſcribens, vt ſilentio imperato damnaretur Abaelardus, rogauit. Aliis quoque paſſim epiſtolis [p] Abaelardum configere ſtuduit, quae in hac cauſſa legi, verum cum Berengarii apologia, et Ottonis Friſingenſis narratione conferri merentur, vt ex his iudicium accuratum de ea re et a partis ſtudio alienum formetur. Abaelardus autem nec ipſe ex ſua parte taeuit, ſed conſcripta fidei confeſſione, orthodoxae ſe doctrinae addictum eſſe, et tredecim illos articulos concilio oblatos nec ſuos eſſe, nec a ſe aſſeri, ſed iniuſte ipſi imputari demonſtrare conatus eſt. Non enarrabimus eorum ſummam, hoc enim huius loci non eſt, et ad annales Eccleſiaſticos pertinet: neque noſtrum eſſe putamus, definire, vtrum Abaelardus innocens et orthodoxus fuerit, quod eius cauſſae patroni veteres et recentiores contendunt, negant, qui Bernardi auctoritatem ſaluam cupiunt, nec prolixe inſiſtemus virorum doctiſſimorum AMBOESI, NATALIS ALEXANDRI, LVD. ELL. DVPINII [q] opinioni, Bernardum dialectici ſermonis ignarum, ſubtiles illas diſtinctiones, nomina et enunciationes quas Abaelardus attulit, non intellexiſſe, ſed ſenſu heterodoxo acceptas aggreſſum, cum magna auerſione philoſophiam horreret, eas damnauiſſe. Neque eorum virorum

m) De Script. eccleſ. loc. cit.
n) De S. E. c. 16. p. 120.
o) Ad h. l.
p) Vid. Ep. 187. 188. 189.
q) Il cc. hanc partem ſequitur BVDDEVS Obſ. Hal. T. I. p. 191. et GERVASIVS l. c.

virorum eruditorum [r] ſententiam excutiemus, qui media via incedentes Abaelardum omni ab errore liberari non poſſe putant, in multis tamen iniuriam paſſum meliora fata et molliorem medicinam meruiſſe contendunt. De his enim omnibus in hiſtoria philoſophica diſputare, eſſet extra oleas vagari. Monemus tamen, merito attentionem debuiſſe praeſules aſſertioni Abaelardi iureiurando confirmatae, quam in apologia, ſiue fidei confeſſione habet [s]: *Scripſi forte aliqua per errorem, quae non oportuit, ſed DEVM teſtem et iudicem in animam meam inuoco, quia in his, de quibus accuſor, nihil per malitiam aut ſuperbiam praeſumſi.* Quae etiam ſine aſſeueratione facile credimus, et haec maxime prouido de Abaelardi cauſſa iudicio fundamentum ſternere putamus. Deinde hoc quoque notandum eſſe putamus, damnauiſſe quaedam Bernardum, quorum nec verum ſenſum fontesque viderat, nec primos auctores nouerat, quaeque diu iam, licet erronea, in Eccleſia perſonarunt. Dabimus eius rei exemplum, eo quod ad noſtros limites pertinet, et manifeſte probat, quam praecipitanter Bernardus in cauſſa Abaelardi verſatus ſit. Ipſe BERNARDVS [t] de Abaelardo ita: *Omitto, quod dicit Spiritum S. eſſe animam mundi, mundum iuxta Platonem tanto excellentius animal eſſe, quanto meliorem animam habet, Spiritum S. vbi dum multum ſudat, quomodo Platonem faciat Chriſtianum, ſe probat ethnicum.* Non diſputabimus de veritate huius accuſationis, quam fundamento carere iudicat NATALIS ALEXANDER [u], certe Bernardus diiudicare non potuit hiſtoriae philoſophicae imperitus; ſed concedemus, recte eum mentem Abaelardi et ex vero retuliſſe, erroremque hunc, qualem eſſe nemo temere negabit, Abaelardum fouiſſe: ſane indignum erat tanti viri auctoritate in Abaelardo tanta eum vehementia configere, et ideo Abaelardum Platonicum facere (quod placuiſſe quoque ex recentioribus IACOBO THOMASIO [x] merito miramur,) quem non tantum in vetuſtis Eccleſiae doctoribus legebat, nec reprehendebat, ſed in ſuae quoque aetatis hominibus, ipſisque amicis ſuis magna patientia ferebat, nec eos ἑτεροδοξίας ſuſpectos faciebat, euidentiſſimo argumento, ignorantiam philoſophiae, et odium atque inuidiam in debellando Abaelardo plurimum animum Bernardi occupauiſſe. Quod ne ſine demonſtratione dixiſſe, et infenſo animo tantum virum calumnia oneraſſe videamur, ad priſcae Eccleſiae doctores, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum, et Aeneam Gazaeum prouocamus, quorum loca cum produxerit praeſtantiſſima Ven. MOSHEMII [y] eruditio, ad eum, docte in hoc argumento verſatum Lectorem remittimus. Alia PP. loca, mire in hoc dogmate πλατωνίζοντα, praecipue Syneſii et Dionyſii Areopagitae, cuius

r) TRIBBECHOV. de Dd. Scholaſt. c. VI. p. 325. BAYLE Dict. T. I. art. Berenger not. H. p. 527. MOSHEIM. Hiſt. Eccl. Sec. XII. P. II. S. I. c. 4. §. 7.
s) p. 330.
t) Ep. 190.
u) H. E. Sec. XI. et XII. P. III. p. 27.
x) De ſecta Nominal. Orat. XII. p. 253. ſeqq.
y) Ad CVDWORTHI ſyſtema intell. cap. IV. §. 30. not. 28. pag. 657. ſeqq.

ius tunc inter Gallos, praecipue myſticos, qualis cupiebat eſſe Bernardus, ſumma erat auctoritas et exiſtimatio, tacemus, nec recentiores tangimus, ex quibus Auguſtinum, Steuchum Eugubinum alibi [z] nominauimus. Sed nec ea ipſa, qua viuebat Bernardus aetate dogma hoc in Eccleſia inauditum et inſolitum fuiſſe, illius aetatis ſcriptores teſtantur. Inter quos praecipue ARNOLDVS Abbas Bonae Vallis in Francia Carnotenſis Ordinis S. Benedicti huc aduocandus eſt. Is librum ſcripſit de *cardinalibus Chriſti operibus* [a], olim S. Cypriano tributum, quem ideo inter libros Cypriano perperam adſcriptos retulit IO. FELLVS [b]. In eo libro, *ſermone de Spiritu S.* eundem prorſus errorem prolixe defendit, eſſe Spiritum S. animam mundi. Haec ignota eſſe non poterant Bernardo, cuius amicus fuit abbas ille Bonaeuallenſis, vt ex *Epiſtola* eius cccx conſtat. Ille autem in amico clariſſimis verbis hunc errorem ſcriptis diſſeminante ferre poterat, quem tot pugnis in aduerſario ſugillabat, licet ex verborum tantum deductum conſequentia. Ita ſcilicet ſemper homines ſunt homines, nec a ſanctitatis quoque laude ſibi aliisque placente aliena eſt affectuum intemperantia. Non improbamus, B. Bernardum hanc theſin reieciſſe, quam ideo diſplicuiſſe eius aetatis theologis, quod ſimplicitatem Dei tollere videretur, ex SARISBERIENSI [c] diſcimus; ſed tacuiſſe eum inter amicos, tantum autem excitaſſe puluerem contra aduerſarium, id quidem, ſi ficus nominanda ficus eſt, tam pium, quam videri volebat, doctorem non decuit. His vero artibus cum aduerſarii Abaelardi vterentur, non difficile ei fuit apologiam ſcribere. Bonae itaque cauſſae atque innocentiae ſuae fiſus Abaelardus ipſe Romam proficiſci cauſſaeque ſuae patrocinium agere conſtituit. Verum eum non auditum iam damnauerat, carcerique mancipari libris concrematis confirmataque concilii Senonenſis ſententia iuſſerat Romanus pontifex. Vbi merito illud oggerendum erat, quod Bernardo auctoritate ſua in perniciem Abaelardi abutenti obiecit Berengarius [d]: *Damnatur, proh dolor, abſens, inauditus, et inconuictus. Quid dicam, quidue non dicam, Bernarde?*

Nil opus eſt bello veniam pacemque rogamus,
Porrigimus iunctas ad tua lora manus.
Iura cadent rerum, veretur ſanctio legum,
Si vis, ſi mandas, ſi ſic decernis agendum
Quem penes arbitrium eſt, et vis et norma loquendi.

In itinere itaque iam verſantem retinuit Petrus Mauritius, Monboiſerius, a morum honeſtate Venerabilis dictus Abbas Cluniacenſis ab anno CIↃCXXII ad CIↃCLVI, vir literis ſacris et profanis etiam philoſophicis [e], ſatis tinctus, et Arabicae quoque literaturae non ignarus. Is cum

z) Vid. Hiſtoria de ideis Sect. I. §. 6. p. 99.
a) Vid. OVDINVS l. c. T. II. p. 1290. ſeqq.
b) Append. Opp. Cypriani fol. 60.
c) Metalog. L. IV. c. 16. p. 897.
d) In Apolog. pro Abaelardo p. 303.
e) De hoc Petro Venerabili videndi, qui hiſtoriam

cum moribus eſſet pacificis, humanis et benignis, fatis Abaelardi vehementer indoluit, cumque nouas tempeſtates ex itinere Romano praeuideret, et accurate intelligeret, vnde lerna malorum Abaelardo enata fuiſſet, perſuaſit philoſopho, vt in ſuo monaſterio remaneret, pollicitus, daturum ſe operam, vt intercedente abbate Ciſtercienſi cum Bernardo reconciliaretur. Manum dedit Abaelardus tot malis expugnatus, praeſenteque Bernardo, errores, licet immerito imputatos retractauit. Quod quamuis nonnulli negent [f], vix tamen de eo dubitandum eſſe videtur, et plerique eius aetatis ſcriptores, interque hos auctor *Cluniacenſis Chronici* [g] teſtantur. Quod tamen in praeiudicium cauſſae Abaelardi verti non poteſt. Dubium enim non eſt, virum bonum, tot malis fractum, tot miſeriis oppreſſum, cum omnia in ſe armata, et ſuperſtitionem atque ignorantiam triumphantem videret, ipſa vero Romani pontificis fulmina pertimeſceret, vt malorum finem faceret, et cum Bernardo reconciliatus pacem inueniret, ea, de quibus hactenus diſputatum erat, quaeque partim logomachiis inuolui, partim ſubtilitatibus detineri videbat, Petro Cluniacenſi monente hortanteque, abieciſſe, Bernardum autem, cuius ambitio victo proſtratoque aduerſario pepercit, poſitis irarum, quibus aeſtuauerat fluctibus, mitiorem ei animum praebuiſſe, ſicque litem iſtam indecoram tandem fuiſſe compoſitam. Namque poſthaec Abaelardo nihil obiectum eſſe nouimus. Ita intercedente apud Romanum pontificem Petro Mauritio ab anathemate, abſolutus, permiſſumque ei eſt, reliquum vitae in Cluniacenſi monaſterio tranſigere. In hoc vero ſeceſſu talem ſe Abaelardum praeſtitit, qualem philoſophum Chriſtianum exoptes. Qua de re legi meretur PETRI CLVNIACENSIS *Epiſtola ad Heloiſam* [h] eius laudibus plena, qua humilitatem eius in tanto eruditionis faſtigio ſummam, cibi potusque frugalitatem, lectionem, orationem, meditationem perpetuam, pietatemque ſine exemplo vehementer commendat. Egregie ſane de eo ſcribit vir cordatus et ſincerus: *Mens eius, lingua eius, opus eius ſemper diuina, ſemper philoſophica, ſemper eruditiora meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiſcum vir ſimplex et rectus ac timens Deum, ac recedens a malo, tali inquam per aliquantum temporis conuerſatione vltimos vitae ſuae dies conſecrauit Deo.* Tandem cum animi mala calamitatesque deſiiſſent, corpo-

riam literariam ſcriptorum Eccleſiaſticorum condiderunt fere omnes, celebre enim ob eruditionem et mores eius nomen fuit. Plerosque laudat FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. V. p. 753. Dabimus modo verba Petri Pictauienſis monachi ex epiſtola ad eum Bibl. PP. T. XXII. p. 825. ed. „Lugd. „Quis vnquam Plato ſubtilius, quis „Ariſtoteles argumentoſius, quis Cicero pulchri„us aut copioſius aliquando quicquam diſſeruit? „quis grammaticus inſtructior, quis rhetoricus „ornatior, quis dialecticus fortior, quis arithme„ticus numeroſior, quis geometricus regularior, „quis muſicus cantileneſior, quis aſtronomicus „perſpicacior extitit"?

f) SPANHEM. Opp. T. I. p. 1604. G. ARNOLD. Hiſt. Eccl. et haeret. P. I. L. XII. c. 5. §. 7. p. 350.

g) Apud OVDIN. p. 1174. conf. ITTIG. de Catenis et Bibliothecis PP. p. 678.

h) Inter Petri epiſtolas L. IV. 24. et inter Abaelardi opera p. 337. in DV CHESNE Bibl. Cluniacenſi p. 850.

corporis eum infirmitates infeſtare coeperunt, toto corpore inuſitata ſcabie et vlceribus occupato. Vt itaque liberiori aura frueretur, ab Abbate Cluniacenſi Cabilonem miſſus, locum ſibi ſumma amoenitate commendabilem prope vrbem, Arari tamen flumine interfluente, elegit, in prioratu S. Marcellini. Ibi teſte Mauritio [i], *antiqua ſua recolens ſtudia, libris ſemper incumbebat, nec momentum praeterire ſinebat, quin ſemper aut oraret, aut legeret, aut ſcriberet, aut dictaret.* Malo vero corporis indies augeſcente ex ſuperueniente febri mortalitatis debitum perſoluit XI Cal. Maii anni cIↃ CXLII, anno aetatis climacterico. Acerbe luxit hanc amici ſui mortem Petrus Venerabilis, qui hoc ei epitaphium ſcripſit:

Gallorum Socrates, Plato maximus Heſperiarum,
Noſter Ariſtoteles, logicis, quicunque fuerunt;
Aut par aut melior, ſtudiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius ſubtilis et acer,
Omnia vi ſuperans rationis et arte loquendi,
Abeilardus erat, ſed tunc magis omnia vincit,
Cum Cluniacenſem monachum moresque profeſſus,
Ad Chriſti veram tranſiuit philoſophiam,
In qua longaeuae bene complens vltima vitae
Philoſophis quandoque bonis ſe connumerandum,
Spem dedit vndenas Maio renouante Calendas.

Sed et alterum de eo circumfertur, incertum an eodem auctore:

Petrus in hac Petra latitat, quem mundus Homerum
Clamabat, ſed iam fidera fidus habent.
Sol erat hic Gallis, ſed eum iam fata tulerunt,
Ergo caret regio Gallica ſole ſuo.
Ille ſciens quicquid fuit illi ſcibile, vicit
Artifices, artes abſque docente docens.
Vndecimae Maii Petrum rapuere Calendae,
Priuantes logices atria rege ſuo.
Eſt ſatis; in tumulo Petrus iacet hic Abeillardus
Cui ſoli patuit ſcibile quicquid erat.

Tertium quoque affert Cl PEZIVS [k], quod ne nimii ſimus, apud ipſum legi poteſt. Haec duo enim ſufficiunt, vt conſtet, inter ſummos ſuae aetatis philoſophos fuiſſe numeratum. Nec recentiorum iudicia [l] de eo diſſentiunt, quibus ſi ſtandum, ſummo loco ponendus Abaelardus fuiſſet, ſi in noſtra tempora incidiſſet. Poſt mortem corpus eius prout viuus mandauerat, ad Heloiſam miſſum eſt, vt in Paracleto conderetur, inter-

i) Ibid.
k) T. III. Theſ. Anecdotor. P. II. p. 627. inde repetiit FABRICIVS l. c. p. 699.
l) Vid. Act. phil. Vol. II. p. 963. III. 582. OVDINVS l. c. p. 1174., THOMASIVS l. c. et ſcriptores H. L. E. ad annum 1120.

interfuitque funeri iuſtaque amico, habita oratione panegyrica perſoluit Petrus Venerabilis. Traditumque, Heloiſam poſt fata eidem tumulo illatam miraculoſo priſtini amoris ſigno amicis eum complexibus comprehendiſſe, quod verum eſſe contendit GERVASIVS [m], quo iure, viderint, quorum intereſt. Illa autem poſt duos et viginti annos mortalitatis exuuias anno cIↃCLXIV depoſuit. Multa ſcripſit vir inexhauſtae diligentiae, ex quibus ſcripta theologica pleraque, non tamen omnia, edita ſunt, quorum recenſionem dabunt LVDOVICVS IACOBVS, CASIM. OVDINVS, IO. ALB. FABRICIVS [n], et qui eorum ſummam enarrauit abbas GERVASIVS [o]. Inter philoſophicas tractationes dialecticae eminent, vidiſſeque ſe mſc. teſtatur Oudinus, *ſuper praedicamentis Ariſtotelis, de modis ſignificandi, libros analyticorum priorum et poſteriorum, libros topicorum, libros hypotheticorum, de diuiſionibus, de intellectibus.* Scripſit etiam *logicam*, quam ſe editurum promiſit ANDREAS QVERCETANVS [p]; nondum tamen lucem vidit; moralem quoque philoſophiam attigit, ſed more Scholaſtico, id eſt, confuſo inter ſe rationis et reuelationis lumine, quam titulo: *Scito te ipſum*, edidit C. V. BERNARDVS PEZIVS [q]. Diſplicuit hic liber Bernardo, alium moralis diſciplinae cultum amanti. Eum vero ſuum eſſe non ſemel in vita, ſi fides CAVEO [r], negauit. Librum autem ſententiarum, *Sic et non* dictum Bibliothecae Angliae ſeruant [s]: Libros autem quinque *Theologiae Chriſtianae* vulgauit primus EDM. MARTENE [t], eisque erudita prolegomena de Abaelardo eiusque erroribus et aduerſariis praemiſit. In his libris reliquis Scholaſticis primum ſyſtematis theologici philoſophica methodo adornati exemplum dedit, quod Petrum Lombardum, diſcipulum eius, in ſententiarum opere frequenter prae oculis habuiſſe ac ſecutum eſſe faſſus eſt IOANNES CORNVBIENSIS [u], obſeruantibus QVERCETANO [x] et PAGIO [y]. Ex hac vero breui vitae Abaelardi hiſtoria, qualis fuerit, quibus fatis, quo ingenio, qua voluntate vſus ſit, rei intelligens haud difficulter definiet. Magna eum iudicandi acie et facile in rerum nexus penetrante fuiſſe ornatum, vidiſſe porro praeiudicia innumera, eruditione autem literisque ingenium excoluiſſe pulcherrime, et imprimis in dialectica Peripatetica ſimilem non habuiſſe, et ſcripta loquuntur, et ipſa, quam ſibi conflauit, aduerſariorum inuidia, inſolita quoque auditorum frequentia teſtantur; mirumque non eſt, graues eum perſecutiones perpeſſum eſſe, cum hiſtoria literaria luculentis ſpeciminibus doceat, magnorum meritorum ſuper alios emergentium comitem plerumque fuiſſe inuidiam. Sed nec diffitendum eſt, am-

m) l. c. conf. Acta phil. l. c. BAYLE l.c. art. Heloiſe not. Y. Z. T. II. p. 716.
n) ll. cc.
o) loc. cit.
p) Ad opera Abaelardi p. 1160.
q) loc. cit.
r) Hiſt. Lit. Scr. Eccl. p. 571.
s) Conf. TRITHEMIVS c. 381. MABILLON. it. Germ. p. 64.
t) Anecdot. T. V. p. 1156. ſeqq. Paris. 1717. fol.
u) In Eulogio ad Alex. III. papam.
x) l. c. p. 1159.
y) Ann. 1113. n. 13.

ambitionis et voluptatis miro inter se connubio iunctarum mixturam hanc ei fortunam magna ex parte finxisse, vt in ipsa vitae eius narratione aliquoties notatum. In philosophia autem, quamuis subtilissimo gauderet ingenio, aliosque sui temporis omnes antecelleret, Scholasticus tamen fuit et dialecticus, adeoque iisdem, quae supra tetigimus, vitiis obnoxius, quae cum ad theologiam transtulisset [z], mirum non est, hominem, dialecticis axiomatibus diuina mysteria definientem, vel in errores varios incidisse, vel quod malumus, veritates, luculentas et simplices inutili et malesana curiositate et subtilitate obscurasse. Quas nubes cum nec ferre, nec in eas penetrare aduersarii possent, materia inde enata est superstitioni, ignorantiae, hypocrisi, inuidiae, eum crudeliter persequendi melioribus fatis et temporibus digniſſimum, et iure suo inter martyres philosophicos numerandum. Quam fabulam et olim lusisse, et lusuram esse in posterum quoque hypocrisin, rerum intelligentes norunt. Ceterum ipso Bernardo duriores sunt, qui atheismi notam Abaelardo inurunt. Factum hoc a CARAMVELE [a], qui ad Vasquezium prouocat, testantem, docuisse Abaelardum, primam elementorum concordiam esse Deum, Deum esse omnia, et omnia esse Deum, eum in omnia conuerti, omnia in eum transmutari. Hos enim Almericum et Dauidem de Dinanto cum Abaelardo confundere, manifestum est. Quam autem B. BVDDEVS [b] producit opinionem Abaelardi, quam Spinozismo fauere putat, non Abaelardi ea est, fortissimis rationibus euertentis, sed Guilelmi de Campellis, vt supra dictum. Monstrum tamen alere videtur quod afferit, Deum nihil facere posse, nisi quod vult [c]; nisi, quod coniicimus, praecisione quadam mentali vsum statum possibilitatis cum statu existentiae confudisse, et de hoc tantum locutum fuisse dicamus. Qua de re alibi dicendum est.

Petrus Lombardus.

§. VIII. Ex Abaelardi schola, praeter alios multos, quos magno numero discipulos habuit, PETRVS LOMBARDVS, celebris est, plerisque, qui historiam literariam medii aeui et Scholasticorum tetigerunt, memoratus [d]. Hunc theologia magis quam philosophia Scholastica nobilitauit: quia vero pro Scholasticorum parente haberi solet, interque praecipuos fuit, quae theologiae cuiusdam philosophicae genus introduxerunt, hoc quoque loco silendus non est. Patriam habuit oppidum Nouariae vicinum [e] in Lombardia, vnde Lombardus dictus est. Fuisse vna cum fratre Gratiano et Petro Comestore ex furtiuis complexibus genitum,

z) Vidit id TRITHEMIVS l. c. qui theologiam eius vocat „volumen dialectica obscuritate „subumbratum multis sententiis varium.“ Add. Annal. Hirsaug. T. I. p. 410.

a) Philos. real. L. III. S. 3. p. 178.

b) Annal. Hist. phil. p. 339. seq.

c) Conf. DVPIN. l. c. T. IX. p. 122.

d) HENRICVS GANDAV. cap. 31. App. c. 11. p. 123. 129. TRITHEM. c. 377. pag. 96. VINCENT. BELLOVACENSIS Specul. Hist. L. XXIX. c. 1. ANTON. FLORENS. Summ. Hist. T. 18. c. 6. et 7. recentiores non excitamus, cum noti sint plerisque qui fontes historiae literariae Ecclesiasticae tenent.

e) Dictum, lumen omnium.

tum [f], fabula est dudum reiecta, quae ex ipsis celeberrimorum virorum locis natalibus refutari potest, Gratianum enim Clusinum ex Tuscia, Petrum Comestorem Trecensem fuisse constat, vt taceamus, nullo testimonio doceri posse, ex illegitimo thoro eos prodiisse, et fuisse fratres [g]. Studiorum fundamenta potissimum in academia Parisiensi posuit, quo confluere solebat, quisquis eo tempore eruditionis hauriendae erat auidus. Maxime vero summa, qua tum docebat Abaelardus celebritas eum permouit, vt ad eum quoque conuolaret, et philosophiae atque theologiae praecepta ab eo hauriret. A quo, accedente ingenii felicitate ita formatus est, vt Scholastici, id est, professoris philosophiae et theologiae munere in abbatia S. Genouefae vicario nomine fungi aliquandiu posset. Sunt equidem multi [h], qui primum eum theologiae doctorem publicum in academia Parisiensi constituunt: Sed hos falli ex eo constat, quoniam Abaelardo in eo loco successit, qui publicus doctor non fuit, sed vicarii tantum locum obtinuit. Quamuis autem Augustini loco, Aristotelem sequeretur, quod displicuisse reliquis doctoribus Parisiensibus supra monuimus; effecit tamen ea, quam in aula habebat, auctoritas, cum regiorum filiorum institutioni esset praefectus, vt magnis passibus ad dignitates Ecclesiasticas properaret. Cum enim anno CIↃCLIX Philippus, Archidiaconus Ecclesiae cathedralis frater Ludouici VII, regis Galliae episcopus Parisiensis crearetur, concessit ob doctrinae eminentiam hanc Lombardo dignitatem Philippus, Petrusque Parisiensi Ecclesiae episcopus datus est. Quo in loco excelso positum, aulaeque pariter patrocinio et eruditionis opinione subnixum theologiam Scholasticam mire adiuuisse, temporum eorum monumenta testantur: quae causa est, cur verisimile visum fuerit viris doctis, facultati eum theologicae in schola Parisiensi dedisse originem. Illud certum, condito eum systemate theologico, siue sententiarum opere, cui titulum: *Magister sententiarum* [i] praefixit, quod ei postea nomen haesit [k], Scholasticum docendi theologiam genus mire promouisse. In eo Lombardus methodum ab Augustino iam suo modo adhibitam [l] seruat, qui obiecta scientiarum in res ea signa, resque ipsas in eas, quibus vti, et quibus frui licet, distribuit. In hoc libro collectis patrum sententiis doctrinam Ecclesiae eum illustrare, et tunc dialecticas adiicere quaestiones, deque iis dubio differendi genere disputare voluisse, ex ipsa libri inspectione patet; vnde supra monuimus,

f) Recoquunt fabulam HORNIVS Hist. phil. L. V. p. 297. et TRIBBECHOV. de Dd, Scholast. c. VI. p. 314 321. dubitat HOTTINGER. Hist. eccl. Sec. XII. p. 74.

g) Reiecit fabulam iam SCHEDELIVS in Chron. Norimberg. p. 201. et post eum multi, vid. PANCIROLLVS de claris LL. interp. L. III. c. 2. PAGI ad ann. 1164. n. 19. aliique.

h) BVLAEVS l. c. HENRIC. GANDEV. loc. cit.

i) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. V. p. 777. OVDINVS T. II. p. 1220.

k) Tum ob auctoritatem et venerationem teste TRITHEMIO de S. E. c. 377. p. 96. tum ob morem aeui medii, a titulis librorum auctores appellandi. Ita dictus Gildas, querulus, Hugo de S. Victore, didascalus, Ioannes Scholasticus climacus, Rob. Suisset calculator, vt alia exempla taceamus.

l) Conf. THOMAS. Hist. I. N. c. 4. §. 7. p. 44. BVDDEVS Isag. L. II. c. 1. §. 9. p. 360. Damascenum imitatum fuisse non inepte coniicit TRIBBECHOVIVS l. c. p. 285.

non audiendum esse DVPINIVM [m] statuentem, Lombardum Scholasticorum vesaniae occurrere, eosque a philosophia ad Ecclesiae consensum vocemque isto libro reuocare voluisse. Ipsam enim Scholasticorum theologorum viam, quam duce praeceptore Abaelardo ingressus erat, non reliquit, quamuis certum sit, longe modestiorem in ea tractatione Lombardum se praebuisse, quam innumeri, quos postea habuit commentatores, fecerunt, qui immensas disputationes et inutiles quaestionum disceptationes immiscuerunt. Exemplum, si vis, lege quaeso, Lector, ampliſſima disputatione excutientem quaestionem, an Christus, secundum quod homo, sit persona vel aliquid? de qua ita ambigue subtiliterque in vtramque partem differit [n], vt facile agnoscas, virum subtilissimum, sed dialecticis atque metaphysicis notionibus animum sibi totum replentem, ad id potissimum respexisse, vt philosophiae in theologia locum faceret; quamuis PP. sententias vbique praefigat. Hoc enim ipso dum ad duplices riuulos a vero fonte Scripturae S. Lectores abducit [o], Scholasticam theologiam mire confirmauisse atque promouisse discitur. In hoc vero opere non Abaelardi tantum vestigiis, eum strenue institisse, eumque valde secutum esse, supra obseruauimus, sed et plagii a nonnullis accusatur, quod ex Bandini cuiusdam libris totam hanc tractationem descripserit [p]. Id quod tamen negant alii [q], nos hoc loco definire ob instituti nostri leges non possumus [r], ex quocunque autem fonte librum suum Lombardus hauserit, illud certum, Lombardi opus partim ob perspicuitatem, quo nomine id valde laudat HENRICVS GANDAVENSIS [s], partim ob collectam doctrinae theologicae summam, tantopere istius aeui hominibus placuisse, vt ipsi pene Scripturae S. praeferretur, et nemo theologus haberetur, qui non ad amussim illud teneret; et omni explicationi doctrinarum sacrarum tanquam fundamentum substerneretur [t], et innumeris compendiis et commentariis, quibus inde sententiariorum nomen haesit, illustraretur. Displicuere tamen nonnulla theologis, maximeque Ioanni Cornubiensi, Gualtero priori S. Victoris et Ioachimo abbati Florensi, qui hanc eius propositionem tanquam erroneam accusauerunt: Christum, qua hominem, non esse aliquid, itemque Patrem, Filium et Spiritum S. esse rem vnam summam; quae tamen acta heic recenseri non possunt, cum ad ecclesiasticam historiam pertineant, videndus autem praeter alios IO. LAVNOIVS [u], quique concilium Romanum anno clɔclxxix habitum ab Alexandro tertio enarrarunt: qui enim articulos XXVI exponunt, *in quibus magister communiter in sententi-*

m) De methodo studii theologici c. II. p. 20.
n) L. III. dist. 10. q. 1.
o) CHEMNITIVS LL. theol. p. 13. 20.
p) Vid. IAC. THOMASIVS de plagio lit. §. 493. seqq. p. 217. CAVE p. 581.
q) OVDINVS l. c. p. 1221.
r) Incerta enim aetas Bandini, quem cum Banckino eundem putat OVDINVS l. c. is vixit 1382. quam coniecturam improbat FABRICIVS l. c. p. 779.
s) loc. cit.
t) TRITHEM. Annal. Hirsaug. T. I. p. 435.
u) De Fort. Arist. p. 182. 192. THOMAS. Hist. sap. et. stult. T. III. p. 238. OVDINVS l. c. MARTENE T. V. Anecdot. p. 1655.

ſententiis non tenetur. Sunt qui graduum academicorum origines ad Lombardum referant [x]. Qui ſi magiſtri nomen et titulum, quo theologi inſigniri ſolebant, intelligunt, falluntur. Nam non ſolum Abaelardus ita appellatus eſt, ſed et Cantabrigienſem theologiae profeſſorem Gislebertum magiſtrum vocat auctor *Appendicis ad* INGVLFVM CROILANDENSEM [y]. Obiit Lombardus anno clɔclxiv, XIII Cal. Sext. ſepultus in templo S. Marcelli, vbi et epitaphium eius legitur. Alium eodem tempore Lombardum vixiſſe, familiarem S. Thomae, Romanae Eccleſiae diaconum, notat PAGI [z], hunc cum Pariſienſi epiſcopo caue ne confundas.

§. IX. Tulit haec quoque aetas ROBERTVM PVLLVM ſiue PVLLEYN, Britannum. De eius aetate inter ſe viri docti diſſentiunt. Galli enim ad initia ſeculi XIII referunt, annoque clɔccviii ad archiepiſcopatum Rothomagenſem promotum ſequenti anno expeditioni aduerſus Gallos interfuiſſe, demum anno clɔccxxi obiiſſe tradunt [a]. His Anglicorum ſcriptorum fide nixus contradicit GVILELM. CAVEVS [b], illi enim medio ſeculo duodecimo conſtanter eum addicunt. Quae omnino ſententia probari debet. Nam IOANNES SARISBERIENSIS [c] auctor eſt, ſe in Angliam reuerſum, quod circa medium ſeculum XII contigit, *poſt magiſtrum Gilbertum nimis cito ſibi ſubtractum in logicis et diuinis praeceptorem habuiſſe Robertum Pullum, quem vita pariter et ſcientia commendauerint.* Vitam eius ex ſcriptoribus Anglicis ſtrictim congeſſit CAVEVS, ex qua diſcimus, virum hunc et inter ſuos et inter exteros ob eruditionem praeclariſſimum, flagrante in Anglia ciuili bello, vt ſtrepitus militares Muſis inimicos fugeret, in Galliam ſe contuliſſe, et in academia Pariſienſi bonarum literarum ſtudio diu gnauiter incubuiſſe, hac vero occaſione in S. Bernardi amicitiam deueniſſe, qui eum laudatum, retinere diutius in Gallia conatus ſit [d]: in patriam vero redeuntem Exoniam appuliſſe, indeque Oxonium perueniſſe, et in hac Muſarum ſede, obſoletum Scripturae S. et theologiae ſtudium reuocaſſe, et theologiam per quinquennium praelegiſſe. Tandem ob ingentem ingenii et eruditionis famam ab Innocentio II Romam euocatum et anno clɔ cxliv a Coeleſtino II, eius ſucceſſore, purpuratorum eccleſiae Romanae albo adſcriptum fuiſſe, multis vero priuilegiis a pontifice obtentis academiam Oxonienſem auxiſſe, a Lucio II autem cancellarii Eccleſiae Romanae honore auctum eſſe. Valde ſe commendarunt eius *Sententiarum Libri VIII* cum Petro Pictauienſi editi *, eo quod rationibus potius et Scripturae dictis, quam patrum, in decidendis quaeſtionibus,

Robertus Pullus.

x) Vid. TRITHEMIVS l. c. c. V. p. 199. c. VI. p. 316.

y) Apud LAVNOIVM de Scholis celebr. c. XLIV. p. 143.

z) Ad ann. 1167. n. 22.

a) Confunde duo viri eiusdem nominis videntur, quod CAVEVS quoque ſuſpicatur Hiſt. liter. Scr. eccleſ. p. 582.

b) loc. cit.

c) Metalog. L. II. c. 10. p. 805.

d) Vid. ep. 205.

*) Paris 1651. fol.

bus, vtitur teſtimoniis, neglectisque ſubtilitatibus metaphyſicis nugisque dialecticis, grauiora et ſolidiora conſectatur [e]. De ſcriptis eius reliquis videndi ſcriptores hiſtoriae literariae Angliae.

Gilbertus Porretanus. §. X. GILBERTI PORRETANI nomen valde memorabile eſt in hiſtoria Gallicanae Eccleſiae ſeculi XII, ob peculiaria, quibus a recepta Eccleſiae doctrina deuiaſſe viſus eſt dogmata, vnde paſſim eius res a ſcriptoribus attinguntur, qui vel annales huius aetatis eccleſiaſticos, vel literarios condiderunt [f]. Cum autem inter ſummos quoque Scholaſticos philoſophos connumerari meruerit, in hiſtoria quoque Scholaſticae philoſophiae omittendus haud eſt. Eius res praeter TRITHEMIVM [ff] et HENRICVM GANDAVENSEM [g], qui eum inter ſcriptores eccleſiaſticos retulerunt, fuſe tetigit OTTO FRISINGENSIS [h], qui omnino audiendus eſt, cum teſtis ſit coaetaneus, et praeſens eo tempore in Gallia fuerit. Et huius quidem fidei nonnulli detrahunt, tum ob GAVFRIDVM [i] *vitae Bernardi* ſcriptorem, qui alia longe et funeſtiora, quam Otto, de Gilberto narrat, tum ob obſeruationem RADEVICI in fine chronici ſiue continuatione geſtorum Friderici [k], monentis: *Ottonem hunc codicem manibus ſuis offerre praecepiſſe, eumque literatis ac religioſis viris tradidiſſe, vt ſi quid pro ſententia magiſtri Gilberti, (vt patet in prioribus), dixiſſe viſus eſſet, quod quempiam poſſet offendere, ad ipſorum arbitrium corrigeretur, ſeque catholicae fidei aſſertorem iuxta S. Romanae, immo et vniuerſalis Eccleſiae regulam profeſſum eſſe.* Aſt nihil haec obſtare omnia, quominus fidem Ottoni dandam eſſe, res Gilberti narranti ſtatuamus, quilibet videt. Gaufridus enim fidem ipſe decoxit, dum ita Bernardum impenſe laudat, vt hunc nulla in re peccaſſe contendat; quod mirandum quidem non eſt, cum notarius Bernardi fuerit, adeoque magiſtro addictiſſimum ſe praebuerit, rationem vero ſatis validam exhibet, cur Friſingenſi hac in re poſtponendus ſit. Verba Radevici autem de epiſcopo nihil aliud volunt, quam ſe nec Gilberti nouitatibus fauere, nec, quae in eius excuſationem dixerit, aliter velle intelligi, quam vt integro ſe animo adhaeſiſſe doctrinae Romanae Eccleſiae manifeſtum ſit: id quod ad hiſtoricae narrationis fidem non pertinet. Vt taceamus, apertum eſſe, ideo tantum ſummum virum talia praecepiſſe, vt inuidiae et obtrectationi, quae ex praeſtito cauſſae Gilberti patrocinio, accuſataque Bernardi acerbitate oriri poſſet, ſe ſuumque librum ſubduceret. Erat autem Gilbertus Pictauienſis ex Aquitania Galliae prouincia, qui ab ipſa, vt ait FRISINGENSIS [l], adoleſcentia vsque ad vltimam ſenectutem, in diuerſis Galliae locis philoſophiae ſtudium excoluerat,

e) Conf. DVPIN. nouv. bibl. des aut. eccleſ. T. IX. p. 212. ſeq.

f) SAMMARTHANI fratres Gall. Chriſt. T. III. p. 886. BVLAEVS Hiſt. acad. Par. ad ann. 1141. 1146. 1148. p. 223. NATALIS ALEXANDER H. E. P. III. p. 486. aliique multi.

ff) De S. E. c. 368. p. 94.

g) De S. E. c. 17. append. c. 7. p. 1.

h) De geſtis Frid. L. I. c. 46. ſeqq.

i) De hoc Gaufrido vel Galfredo vid. OVDINVS T. II. p. 1494. Vitam hanc Bernardi eius Operibus T. VI. p. 1130. ſeqq. inſeruere MABILONIVS et ſocii.

k) L. II. c. 11.

l) loc. cit.

rat, nactus praeceptores viros celeberrimos et acutiſſimos, Hilarium Pictauienſem, Bernardum Carnotenſem, Anſelmum et Radulphum. Hos cum dialecticas ſubtilitates doctrinae ſacrae attemperatas tradentes audiuiſſet, acceſſiſſetque ingenii vere magni ſubtilitas ac rationum acumen, inter ſummos ſuae aetatis philoſophos et theologos numerari meruit. Vnde TRITHEMIO [m] audit *vir in diuinis Scripturis multum exercitatus, et in ſecularibus literis magnifice doctus, ingenio ſubtilis et nouitate terminorum confuſus eloquio.* Quod et Friſingenſis agnoſcit, faſſus, *ob rationum acumen multa praeter communem hominum morem dicere conſueuiſſe.* His eruditionis praeſidiis ad dignitates eccleſiaſticas ita promotus eſt, vt primo quidem doctrinam ſacram in academia Pariſienſi publice traderet, vnde ab HENRICO GANDAVENSI [n], inter magiſtros ſcholae theologicae Pariſienſis refertur. Inde ad canonicatum Eccleſiae cathedralis Carnotenſis promotus ita ſe eruditionis opinione commendauit, vt Pictauienſis epiſcopus conſtitueretur, poſtquam in hac ſua patria ſacras literas canonicus S. Hilarii maioris ſummo cum applauſu docuerat: infulamque nactus eſt anno CIↃCXLI. Quamuis autem et ingenio acutus et eruditione fuerit ornatiſſimus, tantopere tamen non inclaruiſſet, niſi dialecticas ſubtilitates et ſublimes argutiunculas more ſeculi ſui in theologiam inuehendo, nouis phraſibus vſus, de religione ſe ſuſpectum reddidiſſet, ſicque inuidiae occaſionem praebuiſſet, de ἑτεροδοξίᾳ in articulo de Deo et perſonis diuinitatis eum accuſandi. Totam controuerſiae hiſtoriam exponit Friſingenſis, et poſt eum enarrant annalium eccleſiaſticorum conditores [o], quorum etiam eſt, eam, quae in plerisque eccleſiaſtica et theologica eſt, pluribus excutere. Quoniam autem ex philoſophia Scholaſticą tota iſta lis enata eſt, paucis hoc loco eam tangemus. Nempe ingenium metaphyſicum atque dialecticum fouebat Gilbertus, eoque nomine ſibi mire placebat. Hoc vero pacto dum abſtractiones ſequitur, notionesque vulgares ad praeciſionum mentalium rigorem examinat, ac emendat, et nimia ſubtilitate ſe ipſum non ſatis intelligit, et a conſueta vocum et terminorum ſignificatione recedens, ab aliis non intelligitur, et nouitates inuexiſſe in doctrinam de Deo ſacroſanctaque Trinitate viſus eſt. Quae cum animos eorum, qui non niſi receptum dogmatum τύπον ſequebantur, mire offenderent, facile inuenit aemulatio et inuidia, ex Gilberti promotione et honoribus enata, vnde de fide ſuſpectum facerent. Duo itaque Eccleſiae iſtius archidiaconi Arnaldus et Calo de epiſcopi ſui erroribus conquerentes, quod in conuentu quodam clericorum ſuae dioeceſeos in ſermone quodam habito a recepta Eccleſiae fide de SS. Trinitate deuiaſſet, cum appellatio fuiſſet interpoſita, ad Romani pontificis examen iudiciumque prouocant, eique ex vrbe in

m) Annal. Hirſaug. loc. cit.
n) loc. cit.
o) Vid. NAT. ALEXANDER Hiſt. eccleſ. ſec. XII. c. IV. art. 9. p. 485. PETAVIVS dogm. theol. L. I. c. 8. add. Obſ. Hal. Lat. T. I. obſ. 15. §. 15. p. 193. BVLAEVS l. c.

in Galliam tendenti cauſſam exponunt. Cum autem magnus validusque doctrinae eccleſiaſticae cuſtos eo tempore Bernardus Claraeuallenſis abbas videretur, eum potiſſimum contra Gilbertum accenderunt, excitaruntque, vt erroribus epiſcopi ſua, qua apud pontificem vtebatur, auctoritate ſe opponeret. Quamquam vero Bernardus nihil minus, quam has ſubtilitates intelligebat, qui humilibus aſcetarum meditationibus, quam ſublimibus dialecticorum argutiis magis erat aſſuetus exercitatusque. Porreta autem, teſte Ottone, *ſicut in factis ita in dictis erat difficilis, vt nunquam puerilibus, vix autem eruditis et exercitatis paterent animis:* quoniam tamen imperare aliis, et cenſorem non modo morum, ſed doctrinae quoque publicum ſe haberi cupiebat Bernardus, infenſo in Gilbertum apud pontificem animo inſurgit: quem humanae fragilitatis vitio falſum fuiſſe, non negat, ſed humaniter excuſat Friſingenſis. Euocato itaque Gilberto primum Antiſſiodorum, poſt Pariſios, hi potiſſimum errores obiecti ſunt: quod docuiſſet, diuinam eſſentiam non eſſe Deum, proprietates perſonae non eſſe ipſas perſonas, perſonas in nulla praedicari propoſitione, diuinam naturam non eſſe incarnatam, nihil mereri niſi meritum Chriſti, nullum baptizari niſi ſaluandum. Receſſiſſe a recepta doctrinae formula et loquendi modo Gilbertum, veriſimile eſt, licet ab ipſa doctrina ſana diſceſſum non feciſſet: Omnis itaque controuerſia de modo loquendi erat, et abſtractionum logicarum atque metaphyſicarum ſubtilitas ventilabatur: in quibus cum mire excelleret Pictauienſis epiſcopus, hisque praeſidiis fretus obſcuras diſtinctiones afferret, mirum non eſt, peregrinam et ſuſpectam viſam fuiſſe eius doctrinam. Dixerat enim, patrem alio eſſe patrem, alio Deum, nec tamen eſſe hoc vel hoc, diuerſis ſcilicet notionum relationibus nixus, quas non ſatis philoſophice inter ſe diſtingui putabat. Allegabat enim auctoritatem Auguſtini, dicentis: *Sic aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deo eſſe, aliud patrem eſſe vel dominum eſſe: quod enim eſt, ad ſe dicitur, pater autem ad filium, et dominus ad ſeruientem creaturam.* Ad has ſubtiliſſimi philoſophi praeciſiones dum epiſcopi non ſatis attendebant, et diuerſas eius vocum definitiones non in partes vocabant, tota controuerſia in logomachiam abire debuit. Interrogatus enim Gilbertus, vt explicaret, cur ita perſonas diſtingueret? reſpondit, quia omnis perſona eſt per ſe vna, hincque rationem peti voluit, cur tres perſonas tria ſingularia vocauerit. Quod cum potius diuinae naturae competere epiſcopi iudicarent, palam fuit, in ipſis magis notionibus metaphyſicis, quam in dogmate theologico eos diſſenſiſſe. Plures huiusmodi ſubtilitates ventilatae ſunt, quae omnes philoſophicae non theologicae fuerunt, e. c. diuinam eſſentiam non eſſe Deum, vbi ille, diſtinctione facta inter Deum et naturam, in relatione tantum ad hoc, non illud ſe id intelligere affirmarit. Quae, late a Friſingenſi allata, licet ad eccleſiaſticam hiſtoriam proprie pertineant, hoc tamen loco expendi debent; vt conſtet, in

quae

quae fila aranearum, retiaque humanarum tricarum muſcis captandis apta, per iſtam philoſophiam Scholaſticam, eiusque dialecticam et metaphyſicam theologi inciderint. Cetera quae in hoc concilio acta ſunt, quamuis ſint grauia, et ſpecimina corruptae Eccleſiae luculenta exhibeant, non tangimus, alibi exponenda. Sufficiat notaſſe, Gilbertum commode terminorum philoſophicorum nouitatem explicuiſſe definitaque ſententia a pontifice, *ne aliqua ratio in theologia inter naturam et perſonam diuideret, neue Deus diuina eſſentia diceretur, ex ſenſu Ablatiui tantum ſed et Nominatiui*; cum ſe epiſcopus illi ſubieciſſet, archidiaconis ſuis in gratiam receptis, cum ordinis dignitate et pleniſſimo honore ad ſedem ſuam epiſcopalem eſſe reuerſum. Ex quibus patet, falſum eſſe, quod ſcribit Gaufridus, *Gilbertum ob blaſphemiam in doctrina auctoritate Eccleſiae damnatum, errorem publice reuocaſſe, ſicque indulgentiam accepiſſe.* Haec enim niſi ſcriberet monachus, fatendum fuiſſet, nodum in ſcirpo quaeſiuiſſe, et quod Otto iudicat, humanae infirmitatis fragilitate tanquam hominem deceptum fuiſſe Bernardum. Interim occaſio tamen haec fuit, illis, qui nouos philoſophos perhorreſcebant, magnos clamores contra eos tollendi. Inter quos GVALTERVS DE S. VICTORE, Gilbertum, cum Abaelardo, Petro Pictauino et Lombardo *inter labyrinthos Franciae retulit, quos vno ſpiritu Ariſtotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis et incarnationis Scholaſtica leuitate tractarent, multas haereſes olim vomuiſſe, et adhuc errores pullulare,* contendit [p]. Et Porretanum quidem rectius mentem explicuiſſe, id eſt terminis philoſophicis tolerabiliores ſenſus tribuiſſe, ex ſupra dictis patet: vnde eum ex haereticorum numero illi quoque excludunt, qui vere erraſſe contendunt. Acciderunt haec anno CIↃCXLVII et ſequenti in concilio Antiſiodorenſi, Pariſienſi et Rhemenſi. Scripſit praeter *Commentarium in Boëthium de SS. Trinitate, librum de ſex principiis*, ſaepius editum in antiquis Latinis Ariſtotelis editionibus, ex recenſione Hermolai Barbari, in quem commentatus eſt ALBERTVS MAGNVS [q]. Hunc Graece et Latine editum ait OVDINVS [r], negat FABRICIVS [s], qui de eius ſcriptis quoque theologicis agunt. Obiit ſubtiliſſimi ingenii philoſophus anno CIↃCLIV. In epitaphio eius, quod SAMMARTHANI [t] exhibent, inter alia ita de illo:

Floruit et cunctis praecelluit ille magiſteris
Logicus, ethicus hic; theologicus atque Sophiſta,
Solaque de ſeptem cui defuit aſtronomia,
Artibus, ac diua praecellens philoſophia.
Qui quam facundus verbis fuit atque profundus,
Senſu teſtantur bene qui legiſſe probantur
Illius in libris magni commenta Boëthi

p) De varia fort. Ariſt. in acad. Pariſ. c. III. p. 189.
q) T. I. Opp. p. 198. ſeqq.
r) loc. cit.
s) Bibl. Lat. med. T. III. p. 167.
t) loc. cit.

Hic alter recte dictusque Boëthius ipſe
Cum Gislebertus pröprio ſit nomine dictus.

Ex his, quem ea aetate locum inter philoſophos Gilbertus obtinuerit, conſtat.

Petrus Comeſtor.

§. XI. Celebre quoque in hac prima Scholaſticorum aetate nomen habuit PETRVS cognomine COMESTOR ſiue MANDVCATOR, quem quidam Pariſienſem faciunt [u], plerique Trecenſem dicunt [x]. Is in vrbe Trecenſi presbyteri et decani officio functus, cum ſummam eruditionis opinionem ſibi acquiſiuiſſet, ad theologiam docendam in Pariſienſem academiam vocatus inque ea cancellarius creatus eſt. De fama eius, quam literarum decoribus ſibi comparauit ita TRITHEMIVS [y]: *Vir in diuinis Scripturis ſtudioſus et eruditus atque in ſecularibus literis egregie doctus carmine exercitatus et proſa, ſcripſit vtroque ſtilo quaedam praeclara opuſcula, quorum auctoritas ab Eccleſia longo iam vſu comprobatur.* Maxime vero praeter orationes ſacras, quarum multae adhuc paſſim in bibliothecis Galliae latent [z], et in quibus corruptionem et vulnera Eccleſiae maſcule tetigit, praecipue ſibi gloriam comparauit edita *Hiſtoria Scholaſtica*, vel ideo memoranda hoc loco, ne tituli ambiguitas nos ſeducat, vt credamus, eum hiſtoriam quandam philoſophiae Scholaſticae conſcripſiſſe, in quem errorem incidit DAN. MORHOFIVS [a] vir literatiſſimus, cui ideo Petrus magiſter philoſophiae Scholaſticae audit. Nihil enim quod philoſophiam ſapiat, in hoc libro lectoribus propinauit Petrus, ſed hiſtoriam ſcholarum vſui et praelectionibus, vt videtur, deſtinatam, certe conſtanti ſcholarum vſu probatam, ſiue Breuiarium Scholaſticum librorum V. et N. Teſtamenti hiſtoricorum contexuit, et praeter expoſitionem varia quoque ex Ioſepho aliisque, etiam profanis ſcriptoribus tum probatae fidei tum apocryphis adiecit. De cuius operis celebritate RICH. SIMONIVS [b] teſtis eſt, narrans, *ad Scripturam S. intelligendam nihil praeſtantius eo tempore maiusue atque melius habitum fuiſſe, hoc Petri Comeſtoris libro; ſic vt non modo in plerasque Europae linguas translatus ſit, ſed et ſacrae paginae non aliter legerentur, quam iuxta hanc compilationem eiusque gloſſas, et hanc quoque conſuetudinem diu in Gallia duraſſe.* Alia non addimus, cum ad haec noſtra arua non pertineant, videndi autem, qui ſcriptores eccleſiaſticos et hiſtoricos enarrarunt [c]. Tranſiit tandem ad religionem canonicorum regularium in monaſterio S. Victoris, ſeruata tamen cancellarii

x) Vid. OVDINVS T. II. p. 1526. BVLAEVS ad ann. 1151. T. IV. p. 374.

x) HENRIC. ANDEGAV. c. 31. p. 123. TRITHEM. de S. E. c. 380. p. 96. Annal. Hirſaug. T. I. p. 435.

y) loc. cit.

z) Quaedam ſub Petri Blaeſenſis nomine occurrunt, vid. OVDINVS l. c. p. 1527. FABRIC. l. c. T. I. p. 1137.

a) Polyhiſt. lit. T. II. L. I. c. 14. §. 1. p. 84.

b) Hiſt. crit. N. T. T. II. p. 320.

c) Vid. VINCENT. BELLOVAC. ad ann. 1151. POSSEVINVS Appar. S. T. II. pag. 247. VOSSIVS de Hiſt. Lat. L. III. c. 53. DVPIN. nouv. bibl. T. IX. aliique.

larii vniuerſitatis dignitate. De anno emortuali diſceptant viri docti; plerique anno cIↃCLXXVIII obiiſſe contendunt. Nomen comeſtoris ſiue manducatoris inde, ſi fides TRITHEMIO [d], nactus eſt, quod Scripturarum auctoritates in ſuis ſermonibus et opuſculis crebrius allegando quaſi in ventrem memoriae manducauit [e]. Hinc natum epitaphium [f]:

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comeſtor,
Nunc comedor, viuus docui, nec ceſſo docere
Mortuus, vt dicat, qui me videt incineratum,
Quod ſumus, iſte fuit, erimus quandoque quod hic eſt.

§. XII. Meliori iure inter philoſophos ſeculi XII refertur IOANNES cognomento PARVVS ſiue PETITVS, LELANDO [g] Seuerianus dictus, a patria Sarisberienſis vocatus, vir ſuprá ſeculi ſui conditionem eleganter doctus, et quem recte inter praecipua aeui medii ornamenta retulerunt viri eruditi [h], qui hiſtoriam literariam vel ſcriptorum eccleſiaſticorum [i], vel Britanniae enarrarunt. De ſtudiorum ſuorum ratione ipſe nos fuſe in *Metalogico* [k] docet, et quos praeceptores habuerit, exponit. Nempe admodum adoleſcens ſtudiorum cauſſa in Gallias migrauit, anno poſt Henrici Leonis Angliae regis exceſſum altero, id eſt anno cIↃCXXXVII, ibi reuerſum ex Aremorica Abaelardum audiuit Pariſiis, vt ſupra dictum, eoque ad concilium Senonenſe auocato Alberico et Roberto Meludenſi in diſciplinam ſe dedit; et apud hos *toto biennio, et regulis et aliis rudimentorum elementis, quibus pueriles animi imbuuntur, et in quibus praefati doctores potentiſſimi erant et expeditiſſimi, vt haec omnia ſibi videretur noſſe tanquam vngues digitosque ſuos haeſit. Hoc enim plane ſe didiciſſe*, ait, *vt iuuenile leuitate pluris faceret ſcientiam ſuam, quam eſſet, videreturque ſibi ſciolus, eo quod in iis, quae audiuerat, promtus eſſet.* Id quod eo tempore regnante Scholaſticorum methodo et facilius fieri potuit, cum inanis ſcientiae opinio ex triuii ſtudio mature enaſci ſoleret, et pleraque ad differendi artem, et linguae volubilitatem referrentur. Tandem apertis oculis metiens vires ſuas, et ad ſe ipſum reuertens, cum curtam deprehenderet ſupel-

Ioannes Sarisberienſis.

Eee ee 3 lecti-

d) Annal. Hirſaug. loc. cit.

e) Ad hoc non attendit MORHOFIVS, l. c. qui ideo Comeſtorem (le mangeur) dictum putat, quod omnes Scholaſticos deuorauerit, quem Latini elegantius helluonem librorum dicunt. Nobis et Morhofii et Trithemii explicatio frigida videtur, cum epitaphium ſuſpicionem ſuppediter, eum a voracitate ita dictum eſſe. Sed nihil ea in re definimus.

f) Apud BRICEVM Deſcript. Lutet. T. II. p. 188.

g) c. 176. vetuſtis enim appellationibus gaudet Lelandus, quod eum ſaepe facit obſcurum. Dictus autem Ioannes Seuerianus in epiſtolis quoque PETRI BLAESENSIS, et in MORSI libro de interpret. vocum Graecarum ad eum ſcripto, vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. III. p. 380. Sarisberia autem Seueria dicta eſt ab imperatore Seuero, ipſo notante IOANNE Policrat. L. VIII. c. 19.

h) Vid. iudicia eruditorum collecta a BLOVNTIO p. 395. ſeqq. FABRIC. Bibl. Lat. T. I. p. 737. T. III. p. 540.

i) VOSSIVS de Hiſt. Lat. L. II. c. 52. p. 421. SAMMARTHANI Gall. Chriſt. T. II. LABBEVS, CAVEVS, OVDINVS, PAGI notiſſimis libris ad ann. 1180. et H. E. ſcriptores plerique.

k) L. II. c. 10 p. 802. quocum conferendus BVLAEVS T. II. p. 750.

lectilem, ad Guilelmum de Conchis [l], *grammaticum poſt Bernardum Carnotenſem opulentiſſimum*, vt ipſe vocat, ſed philoſophiae quoque myſteriis accurate et ſupra aetatis ſuae conditionem eruditum ſe contulit, eumque per triennium docentem audiuit. Nec dubium eſt, quin hoc praeceptore praeſtantiſſimo monente factum ſit, vt eo tempore plura legerit, adeo, vt *huius ſe temporis nunquam poenitere* ſe profiteatur, et huic potiſſimum inſtitutioni adſcribenda eſſe videatur, elegantioris literaturae, et lectionis variae copia, quam in Sarisberienſi merito miramur. Deinde ad Richardum cognomento Epiſcopum ſe contulit, quem *hominem vocat fere nullius diſciplinae expertem, et qui plus pectoris habeat, quam oris, plus ſcientiae, quam facundiae, veritatis, quam vanitatis, virtutis, quam oſtentationis*: Hoc praeeunte in quadriuii ſiue matheſeos ſtudiis ea, quae ab aliis audiuerat, et praecipue ab Hardeiuino quodam Teutonico, relegit, et accuratius didicit. Rhetoricam autem plenius quoque poſtea a Petro Helia [m] accepit, poſtquam prima eius praecepta a Theodorico hauſiſſet. Coëgit tamen, quae noſtrum, amicorum et cognatorum auxiliis deſtitutum premebat, paupertas, temporis ſtudiorum ſollicitudini deſtinati iacturam facere, et nobilium quorundam liberos inſtruendos ſuſcipere, eo quod alimenta ipſi praeſtabant. Neque tamen ita in elegantioribus literis et philoſophiae cognitione detrimentum paſſus eſt, ſed id ad eruditionis incrementa adhibuit: Cum enim partim officii neceſſitate poſcente, partim iuuenum inſtantia vrgente, ea quae a praeceptoribus audiuerat crebrius reuocare in animum cogeretur, docendo didicit, et eruditionem mire perfecit. Vt vero certiori fundamento adoleſcentes doceret [n], *ad magiſtrum Adamum*

l) Guilelmus de Conchis Ebroicenſis Normannus, Pariſiis grammaticam magno applauſu docuit, ſermonisque Latini barbariei, quae inualuerat, magno conatu ſe oppoſuit, vid. BVLAEVS l. c. T. II. p. 143. 742. Inter philoſophos autem et theologos non minus celeberrimum nomen conſecutus eſt, non contentus dialecticas cauillationes docuiſſe, ſed ad naturalem quoque philoſophiam animum conuertit. In qua, quod mireris, Democriti atomos pro principiis adhibuit. Id ex libro GVALTERI de S. Victore de quatuor labyrinthis Galliae probat OVDINVS de S. E. T. II. p. 1229. cuius haec verba affert: „Aiunt Hebrael, Doc ſignificari tenuiſſimum puluerem, qui „vento rapitur, ſaepe in oculos mittitur, et ſentitur potius, quam videtur. Minutiſſima ergo „fruſta pulueris et pene inuiſibilis hoc verbo appellantur, quae forſan Democritus cum Epicuro „ſuo atomos vocat. Inde Wilhelmus de Conchis „ex atomorum id eſt minutiſſimorum corpuſculorum concretione fieri putat omnia.“ Scripſit philoſophiam minorem et maiorem, ex qua multa habet more ſuo VINCENT. BELLOVAC. in Speculo nat. L. II. XXIV. 57. XXV. 12. ſeqq. minor ſub titulo διδάξεων ſiue quatuor librorum de elementis philoſophiae prodiit inter Bedae opera T. II. p. 502. vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p. 502. maior ſub incunabula typographiae ſine anni loci que mentione excuſa longe rariſſima eſt. Ea de naturis creaturarum ſuperiorum et inferiorum ſiue opere ſex dierum libris XXXII. ex PP. commentatur, vid. OVDINVS T. II. p. 1229. et quos laudat. Quaedam recantauit, in opere, cui titulum fecit Dragmaticon, quod edidit, ſub Guilelmi Aneponymi nomine GVIL. GRATAROLVS Arg. 1566. 8. Et hic quoque ſuſpectus fuit Bernardo, acri philoſophorum aduerſario, deferente eum Guilelmo de S. Theodorico. Obiit 1150. vid. BVLAEVS T. IV. p. 742. WADDING. Bibl. Script. Ord. min. p. 157. et POSSEVINVS T. I. Appar. S. p. 701. Franciſcanum faciunt, de quo merito dubitamus.

m) Sec. XI hunc grammaticum adſcribit FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. II. p. 274. conf. Bibl. Lat. T. I. p. 783. ſed ad Sec. XII. pertinere ex hoc loco euidenter patet, niſi eiusdem nominis et profeſſionis homines duos fuiſſe contendas.

n) Vixere Sec. XII. in Gallia Adamus Scotus, vid. FABRIC. l. c. T. I. p. 27. OVDINVS T. II. p. 1544. et Adamus Victorinus Canonicus regularis S. Victoris, ib. p. 28. vtrum ex his vnus fuerit, ne coniectura quidem attingere audemus.

mum (verba ipſius damus) *acutiſſimi virum ingenii, et quicquid alii ſentiant, multarum literarum, qui Ariſtoteli prae ceteris incumbebat, familiaritatem contraxit vlteriorem, vt, licet eum doctorem non habuerit, ipſi ſua benigne communicaret, et ſe, quod aut nulli faciebat, aut paucis alienis, ipſi patentius exponeret.* Interim ad logicam conuerſus, *Willermum Sueſſionenſem, qui ad expugnandam, vt aiunt ſui, logicae vetuſtatem et conſequentias inopinabiles conſtruendas, et antiquorum ſententias diruendas machinam poſtmodum fecit, prima docuit logices elementa. Extractum vero ſe eſſe* ait *hinc rei familiaris anguſtia, ſociorum petitione et conſilio amicorum, vt officium docentis aggrederetur.* Quod maiori quam reliqui facere, ſolebant, felicitate ab eo, ſuſceptum eſſe, ex ipſius ſcriptis nullo negotio colligitur. Regnat enim in iis ingenium amoenum, veteris elegantiae valde curioſum, lectio varia et in ſcriptis melioris aetatis ſubacta et exercitata, quae *centonibus ſui ſeculi multos pannos purpurae et fragmenta melioris aeui,* appoſite obſeruante I. LIPSIO *o*, *attexuit*, id quod ex indice ſcriptorum in illius ſcriptis allegatorum perſpicuum eſt, quem exhibet I. A. FABRICIVS *p*. Erat praeterea cum in arte fingendi non inexercitatus, tum mathematicarum diſciplinarum non imperitus, et nec Graecam nec Hebraeam linguam, raro ſuae aetatis exemplo, ignorabat. Praecipue vero laudabilem in philoſophia operam poſuit, et quamuis more ſeculi ſui dialecticam magnopere deperibat extollebatque, in ea tamen erat ſententia: *Illam, ſi ſola fuerit, iacere exſanguem et ſterilem, nec ad fructum philoſophiae foecundare animam, ſi aliunde non concipiat.* Quare ad phyſicam quoque et moralem philoſophiam animum adiecit, et ad has quoque diſciplinas extendendos eſſe philoſophiae terminos ſtatuit *q*. His itaque praeſidiis ornatus et inſtructus cum docendae philoſophiae munus aggrederetur, iuuentutis ſtudioſae frequentiam ei non defuiſſe, probabile eſt. Poſt triennium reuerſus in patriam ad ſacrarum literarum ſtudia animum applicuit, et Gilbertum, et poſt hunc Robertum Pullum in logicis et diuinis magiſtros habuit, deinde Simonem Pexiacenſem, *ſidum lectorem, ſed obtuſiorem diſputatorem.* Ita duodecennium ipſi elapſum eſt, quod, ſi ab anno CIↃ CXXXVII, initium ducamus, medio ſeculo XII expirat. Sic eruditione valde auctus, in animum induxit, *veteres quos reliquerat in monte Genouefae, quosque adhuc dialectica detinebat, ſocios reuiſere, conferre cum eis ſuper ambiguitatibus priſtinis, vt ſuum ex collatione mutua commetiretur profectum.* Dabimus ſequentia quoque eius verba valde memorabilia in hiſtoria philoſophica huius ſeculi, eo quod nobis veram et genuinam philoſophorum illius aetatis imaginem depingant. *Inuenti ſunt*, ſcribit, *qui fuerant, et vbi: neque enim ad palmam viſi ſunt proceſſiſſe ad quaeſtiones priſtinas dirimendas, neque propoſitiunculam vnam adiecerant. Quibus vrgebant ſtimulis eisdem*

o) Ad Tacit. L. XII. c. 63. p) Bibl. Lat. l. c. q) Conf. BVLAEVS l. c. p. 750.

eisdem et ipsi vrgebantur, profecerant in vno duntaxat, didicerant modum, modestiam nesciebant, adeo quidem, vt de reparatione eorum posset desperari. Expertus itaque sum, quod liquido colligi potest, quia sicut dialectica alias expedit disciplinas, sic, si sola fuerit, iacet exsanguis et sterilis etc. Similia immo his grauiora habet, vel ideo notanda, vt appareat, meliores eius animo insedisse de philosophia sensus, nec defuisse viro laudatissimo eam perspicaciam, quae naeuos philosophiae Scholasticae suo tempore iam regnantes detegeret. Adscribemus, pace Lectoris, vnum alterumque locum ex viri cordati scriptis, eo quod in illustrandis rebus huius seculi philosophicis magnum momentum habet[r]. *Ea est cautela hominis*, (ita de suae aetatis homine philosophastro, quem Cornificii nomine exagitat) *cum aeque omnium dicta vituperet, vt in adstruenda sua, aut aliena sententia destruenda nunquam manum conferat, ratione nunquam innitatur, nunquam sustineat congredi in campo Scripturarum: nescio quid arduum et ignotum omnibus sapientibus, tumenti ventosi pulmonis folle concepit: vnde alicui respondere aut patienter audire quempiam dedignatur. Si enim quidlibet proposueris, ille conuiciabitur aut ridebit. Si, vt ille propositionem probet, exspectas, dilatio necessaria est, vt cum dies cesserit, tu expectationis fructu fraudaberis, eo quod margaritas suas, porcis alienis, vt ait, non vult esse communes. Fabellis tamen et nugis, suos pascit interim auditores, quos sine artis beneficio, si vera sunt, quae promittit, faciet eloquentes, e tramite compendioso sine labore philosophos. Nam et ipse accepit a doctoribus, quod nunc discipulis tradit, eosque sic instituit, sicut et ipse institutus est: discipulos ergo in philosophia sibi facit coaequales.* Et ne putes, vnum hic Cornificium exagitari, miserum hominem, en alio loco de plerisque sui temporis philosophis[s]: *Nostri ad ostentationem scientiae suae suos instituunt auditores, vt non intelligantur ab illis, et apices singulos secretis Mineruae grauidos opinantur. Quicquid vnquam ab aliquo dictum aut factum est, excutiunt, et teneris ingerunt auctoribus, vt vitio, quod a Cicerone arguitur, saepe minus intellecti sint ob rerum multitudinem, quam ob difficultatem.* Et paulo infra[t]. *In his non arbitror eis ignoscendum: primum quod onera importabilia teneris auditorum humeris imponunt: Deinde quod decenti ordine praetermisso, diligentissime cauent, ne singula quaeque locum teneant, sortita decenter: Finem enim artis, vt sic dixerim, legunt in titulo. - - - Postremo quod quasi ab aduerso petentes, veniunt contra mentem auctoris, et vt Aristoteles planior sit, Platonis sententiam docent*[u], *aut erroneam opinionem, quae et aliquo errore deuiat a sententia Aristotelis*

et

r) L. I. c. 3. p. 739.
s) L. II. c. 17. p. 814.
t) c. 19. p. 818.
u) Bernardi Carnotensis discipulos notare videtur, quos operosius egisse ait c. 17. pag. 816. „vt componerent inter Aristotelem et Platonem, „sed eos tarde venisse, et laborasse in vanum, vt „reconciliarent mortuos, qui quamdiu in vita li„cuit, dissenserunt.“

et Platonis. Siquidem omnes Aristotelem profitentur. Alia eius loca infra afferendi dabitur occasio: haec enim heic sufficiunt, vt appareat, naeuos philosophiae et philosophorum Sarisberiensem probe perspexisse, et in iis taxandis notandisque iudicium pariter et fortitudinem animi demonstrauisse, quae in plerisque huius aetatis philosophis aliis desideramus. Hoc vero pacto ad egregiam prorsus eruditionem formatus, digna diligentia atque doctrina sua retulit praemia. Eugenio III enim et Hadriano IV valde commendatus est, quem posteriorem *cum ipse quoque ex Anglia oriundus esset, se quam matrem et fratrem vterinum, arctiori dilexisse affectu;* scribit [x]: *Eamque de se*, ait, *concepisse opinionem, vt quoties opportunitas adesset, conscientiam suam in ipsius conspectu effundere laetaretur, et cum Romanus pontifex esset, ipsum in propria mensa, gauderet habere conuiuam, et eundem scyphum et discum, sibi et ipsi vellet et faceret, ipso licet renitente communem. Ad preces suas quoque illustri regi Anglorum Henrico II dedisse Hiberniam iure haereditario possidendam* etc. Nec aliunde causa deriuanda est, cur auctoritatis, siue, quod ipse mauult, maiestatis pontificiae ac sacerdotalis propugnatorem se demonstrauerit acerrimum, quod ei indignationem Angliae regis et exilium conciliauit. Cantabrigiae vero clericorum ordini adscriptus apud Cantuarienses archiepiscopos Theobaldum [y], Thomam et Richardum [z] gratiosus fuit, quorum partes cum strenue sequeretur, et scriptis quoque aulam acerbius castigaret, Thomae Becketo exuli comes datus est, quod accidit anno clɔ clxiii [a]. Post exactum in exilio septennium impetrata a pontifice venia, paceque cum rege inita in Angliam rediit: Thoma vero anno clɔ clxxii iam mortuo denuo in Galliam excurrit, cumque magna ibi eruditionis et virtutis eius esset existimatio, fatis concedente Senonensi archi-episcopo, cui Carnotensis successerat, hocque ad sedem Remensem promoto, eius denominatione Carnotensi Ecclesiae praesul datus est. Quod quanta virtutis eius commendatione et vniuersali bonorum omnium gaudio factum sit, multis verbis exponit PETRVS CELLENSIS [b], eius in episcopatu Carnotensi successor. Factum id anno clɔ clxxii, duos enim annos Guilelmus Carnotensem sedem post nouam electionem sibi seruauerat. Obiit ex plerorumque sententia anno clɔ clxxxii, PAGIO [c] vero supputante biennio prius. Scripsit varia vir elegantissimi ingenii, a philosophiae melioris luce non destituta, ex quibus patet, si in feliciora tempora incidisset, magno eum honore futurum fuisse literis, quarum ornamentum hac aetate satis aspera et in literis incondita fuit. Praeter epistolas enim et libros nonnul-

x) Metalog. L. IV. c. 42. p. 929.
y) Ibid. p. 930.
z) Vid. RICH. DE MONTE in supplem. Sigeberti apud OVDIN. p. 1504.
a) Vid. vita Thomae Cantuariensis a Ioanne scripta p. 157. HENR. WHARTON. praefat. ad T. II. Angliae S. n. IX. p. 11.
b) L. II. ep. 8. T. III. Opp. Sirmondi ed. Venet.
c) l. c. MIRAEVS in Auctar. p. 64.

nonnullos theologicos enumeratos a CAVEO, OVDINO, FABRICIO[d] aliosque, edidit *Policraticum*, siue *de nugis curialium et vestigiis philosophorum*, *libros VIII*, ad Thomam tunc adhuc cancellarium Angliae, opus eruditum, varium, iucundumque lectu et veteris literaturae fragmentis refertum, in quo commendata philosophia mores aulae satis libere fugillat, vnde vix eum amicum habiturum esse praedixit in *Epistola ad Petrum Cellensem* [e]. In eo vero pleraque ex veteribus collegit, sine dubio Isidori, Cassiodori aliorumque ex veteribus exemplo inuitatus; quos etiam frequenter nominat. Vnde perperam eum nonnulli inter plagiarios referunt [f]; eiusmodi enim compilationes huic aetati fuisse solennes, et sua quoque natura et indole nonnisi ex centonibus constare, notum est. Alterum, quo inclaruit librum, *Metalogicum* vocauit, falso *Mythologicon* a LELANDO [g] dictum, quem secuti sunt BALEVS [h] et PITSEVS [i]; in quo apologiam grammaticae ac philologiae, tum logicae Peripateticae, contra Cornificium quendam, logicae criminatorem, philosophantium scurram scripsit, quem illi vehementer obtrectauisse, verisimile est. In eo praeter philosophiae, vulgari melioris cognitionem plurima habet, historiae philosophicae illius aetatis lucem accendere aptissima, vt supra monitum, vnde legi in huius seculi historia omnino meretur [k].

Alexander Halesius.

§. XIII. Magna quoque inter Scholasticos primae aetatis gloria enituit ALEXANDER AB HALES, siue Halesius, quod nomen a monasterio comitatus Claudiocestrensis ordinis Minorum in Anglia accepit, in quo ab ipsa iuuentute humanarum atque diuinarum scientiarum praecepta didicit [l]. Id quod ea felicitate factum, vt ob doctrinae opinionem archidiaconus constitueretur. Literarum tamen in Parisiensi Academia florentium fama excitatus in Galliam abiit, ibique sacris literis iurique Ecclesiastico gnauiter insudauit, tantamque sibi comparauit eruditionis copiam, vt inter professores doctoresque sacrae Scripturae publicos legeretur. Quo in munere constitutus, tanta cum laude docuit, vt plurima apud eum esset studiosae iuuentutis frequentia, id quod circa annum CIↃ CCXXX factum [m]. Inter hos discipulos Thomam Aquinatem et Bonauenturam fuisse, contendunt ordinis Franciscani asseclae, quorum rationes exponit, qui ex instituto Halesii res tetigit LVCAS WADDINGVS [n]. Alii tamen haud contemnendis id rationibus negant, et peculiari dissertatione: *An S. Thomas sub Alexandro Halensi Parisiis studuerit*, refutare aggressus est NATALIS ALEXANDER [o], argumento potissi-

d) Ll. cc. ad ann. 1170.
e) Ep. 80.
f) Vid. IAC. THOMASIVS de plagio lit. n. 535. p. 240.
g) l. c. c. 176. p. 206.
h) Cent. IV.
i) p. 248.
k) Vtimur nos editione Lugd. Bat. 1638. 8.
l) HENRICVS GANDAV. c. 46. p. 126. TRITHEM. c. 458. pag. III. SCHEDELIVS Chron. Norimb. p. 214.
m) BVLAEVS Hist. Acad. Paris. T. III. pag. 200. 673.
n) Bibl. Ord. Minor. p. 8. Annal. ad ann. 1245.
o) Paris 1680. 8. quae inserta quoque H. E. T. VII. p. 707.

potiſſimum chronologico vſus. Is enim reiecta auctoritate epitaphii Haleſii, quod hodie legitur in conuentu Minoritarum Pariſienſium ad tumulum eius, eo quod ſeculo XVII demum poſitum fuiſſe putat, multis oſtendit, eo tempore Haleſium nec Thomam nec Bonauenturam audire potuiſſe, quo ſtudiorum cauſſa Pariſios miſſi ſunt. Quam controuerſiam noſtram non facimus, cum parum noſtra interſit. Magna autem fama et doctrinae, praecipue philoſophicae et theologicae exiſtimatione docuit, adeo, vt irrefragabilis doctoris fontisque vitae appellationem mereretur, dicerentque nonnulli Adamum, quoad Haleſium non peccaſſe [p], adeo credebant, in omnibus eum dogmatibus eſſe irreprehenſibilem. Tandem mundi pertaeſus, ad Franciſcanorum regulam tranſiit, huncque primum, ex hoc ordine theologiae profeſſorem fuiſſe volunt LABBEVS, WADDINGVS, alii. Obiit cIↃCCXLV. Inclaruit ſcriptis theologicis et philoſophicis. Inter illa *Commentarius* eſt *in libros ſententiarum Lombardi*, quo primus aliis exemplum praeiuit in hunc librum commentandi. Titulum habet *Summa vniuerſae theologiae*; quam nonnulli perperam ab hoc commentario diſtinguunt [q]. Porro inter ea quoque ſumma *de virtutibus* refertur, liber moralis, quem VINCENTIVS BELLOVACENSIS [r] diligenter exſcripſit. Sed Haleſii eum non eſſe, quod Waddingus contendit, diſputauit IACOBVS QVETIF [s], qui longe iunioris ſcriptoris ſeculi XIV eſſe ſtatuit. Inter libros philoſophicos refertur *commentarius in Metaphyſicam Ariſtotelis*, quem tamen alii Alexandro de Alexandria tribuunt; itemque libri tres *de anima:* Succeſſorem habuit in cathedra Ioannem de Rupella, quem in philoſophia Ariſtotelis magnifice doctum vocat TRITHEMIVS [t]. Epitaphium vetus, quod illi poſitum, hoc eſt:

Clauditur hoc ſaxo famam ſortitus abunde
Gloria doctorum decus et flos philoſophorum,
Auctor ſcriptorum vir Alexander variorum,
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum.
Inclytus Anglorum fuit archileuita, ſed horum
Spretor clerorum, frater collega Minorum
Factus egenorum, ſed doctor primus eorum.

Hunc caue confundas cum Alexandro Aleſio Edinburgenſi Scoto, qui cum theologiam Francofurti ad Viadrum et Lipſiae docuiſſet, anno cIↃ IↃLXV obiit [u].

p) ANTON. FLORENT. Hiſt. P. III. c. 7. Tit. 24. fol. 244. col. 2.

q) OVDIN. T. III. p. 129. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. I. p. 170. in hac Summa Haleſius viſus eſt omne punctum tuliſſe. Abſoluta demum poſt eius mortem a Guil. de Melitona aliisque ſodalibus.

r) In Speculo morali.

s) Bibl. Dominican. T. I. p. 318.

t) c. 469. p. 112. conf. WADDINGVS ad ann. 1238. 1242. et in Bibl. Ord. Min. p. 225. BVLAEVS T. III. p. 164. 694. DV CANGE Gloſſar. in praemiſſo cat. ſcript. p. 124. OVDINVS T. III. p. 160.

u) Vid. BAYLE Dict. T. I. art. Aleſius p. 156. Obſ. Hal. T. VII. Obſ. 2. Io. CHR. BECMANNI Vitae profeſſ. Francof. ad Viadrum p. 97. IACOB THOMASIVS Orat. p. 300.

Alii Scholastici.

§. XIV. Praeter hos viros magnos, quos prima Scholasticorum aetas tulit, ferax ea aliorum quoque fuit virorum acumine et ingenio clarissimorum et in Scholasticae philosophiae historia non negligendorum, quorum breuem dabimus recensionem. Inter eos chorum quasi ducit

Alanus ab Insulis.

ALANVS AB INSVLIS, ex ciuitate Insulana, Gallo-Flandriae metropoli oriundus, cuius notitiam post HENRICVM GANDEVENSEM [x], et TRITHEMIVM [y] facient CAROLVS DE VISCH [z] et CASIMIRVS OVDINVS [a], qui id in primis demonstrandum sibi sumsit, vnum tantum Alanum fuisse, cui parti quoque accessit Cel. FABRICIVS [b], et ante hunc IACOBVS QVETIF [c], cum duos faciant BVLAEVS [d], IACOBVS A S. CAROLO [e], aliique. Hi duos Alanos ita distinguunt, vt primum dicant fuisse professorem theologiae Parisiensem, deinde Claraeuallensem Cistercienſis sodalitii alumnum, abbatemque Ripatorii in dioecesi, Trecensi, ac demum ab anno CIↃCLI episcopum Antisiodorensem, qui, permittente pontifice Alexandro III, solitudinis desiderio tactus cathedram dimiserit et reliquum vitae Claraeuallae pie transegerit, defunctus anno CIↃCLXXXIV. Alterum sacrae Scripturae Parisiensem doctorem faciunt, eumque deposito professionis publicae munere Cistercienſium religionem amplexum pr. Cal. Febr. CIↃCCXCIV obiisse contendunt, quem celeberrimum fuisse philosophum, illius aetatis monumenta loquuntur. Causſa cur inter Alanos duos, Insulanum et Cistercienſem vtrumque, viri laudati distinguant, ea est, quod alia ratio suppetere non videatur, veterum de Alano relationes conciliandi. Epitaphium enim Alani quod adhuc Cistercii in claustro conspicitur, diserte eius mortem ad annum CIↃCCXCIV refert, his verbis:

Alanum breuis hora breui tumulo sepeliuit,
Qui duo [f], qui septem [g], qui totum scibile sciuit,
Labentis seculi contemtis rebus egens fit.
Intus conuersus, gregibus commissus alendis,
Mille ducenteno nonageno quoque quarto
Christo deuotus mortales exuit artus.

Ipse autem Alanus se adolescentem in Flandria tempore Theodorici de Alsatia comitis fuisse ait: Ille vero comes CIↃCXXVIII electus est: multique veterum, etiam ex ista aetate, annum obitus ad annum CIↃCLXXXII referunt. Alii cum TRITHEMIO anno CIↃCCL obiisse affirmant. Quae tempora cum longe inter se differant, commoda visa est viris doctis via scriptores inter se conciliandi, si duos Alanos statuant, vnum Sec. XII, alterum exeunte Seculo XIII viuentem. Sed ita eruditos viros sine necessita-

x) c. 21. p. 121. MIRAEVS ad h. l.
y) c. 525. p. 128.
z) Bibl. Script. Ord. Cisterc. p. 12. et peculiari diss. praefixa operibus Alani ab ipso editis Antwerp. 1654. fol.
a) T. II. p. 1386. seq.
b) Bibl. Lat. med. T. I. p. 89.
c) Bibl. Dominic. T. I. p. 194.
d) Hist. acad. Paris. T. II. p. 452. T. III. p. 19.
e) De Scriptor. Cabilonens. p. 144.
f) Philosophiam et theologiam.
g) Septem artes liberales.

ceſſitate Alanos multiplicare, recte OVDINVS [h] contendit, cum rationes et teſtimonia, quae pro iuniore Alano militare videntur, tanta non ſint, vt aſſenſum extorquere apta ſint. Trithemii enim teſtimonium eo minus attentionem meretur, quo magis eum accuratas Alani temporum rationes ignoraſſe apertum eſt. Epitaphium quoque fidem non habere ſatis veriſimiliter OVDINVS diſputat, eo quod primi tantum tres verſus veterem inſcriptionem exprimunt, quae cum lituram a calcantibus ita paſſa eſſet, vt vix legi poſſet, renouata a fratribus Ciſtercienſibus et quatuor illis verſibus aucta eſt, qui fidem, cum recentiores ſint, non merentur. Qua in re ad Matthaei Bonhomme teſtimonium prouocat, qui *Commentarium in parabolas Alani* anno CIↃIↃI edidit Lugduni impreſſum; vitamque Alani cum epitaphio praemiſit, de quo videndus BVLAEVS [i]. Recte porro huic opinioni opponitur, ſcriptores Ciſtercienſes Seculo XIII ſuperiores ad antiquius eum tempus referre. Haec prolixius et multis teſtimoniis roborat Oudinus, qui videndus. Is ita viri celeberrimi rationes chronologicas collocat, vt ſtatuat, natum eſſe circa an. CIↃCXIV, diſciplinam Ciſtercienſem ſub Bernardo ſuſcepiſſe anno CIↃCXXVII, abbatem Ripatorii electum eſſe anno CIↃCXL, epiſcopum vero Antiſiodorenſem deſignatum anno CIↃCLI, eam dignitatem depoſuiſſe anno CIↃCLXVII, reducemque in monaſterium cum eius abbate anno CIↃCLXXX Concilio Lateranenſi interfuiſſe, tandem anno aetatis XCIII, ſalutis CIↃCCIII, defunctum. Quae facile admitti poſſunt, cum rationibus non contemnendis nitantur, nec certiora dari poſſint, duos autem Alanos cudere coactum et a veriſimilitudine alienum ſit. Quae pro iis quoque miris commentis non militat, quae de eius conuerſionis modo illius aetatis ſcriptor anonymus recitat, enarrata quoque a VISCHIO et BVLAEO [k] et rectiſſime exploſa ab OVDINO [l]. Quis enim iſtorum temporum fabulas et comminiſcendi audaciam ignorat? Ipſe iam TRITHEMIVS [m] *mirandis, quae de eo narrantur, fidem ſe nec adſtruere, nec temere infringere* profeſſus eſt. Quanta autem eruditionis eius exiſtimatio fuerit, ex eo intelligi poteſt, quod non tantum Alanus Magnus quibusdam dicatur, ſed et cognomen acceperit doctoris vniuerſalis, id eſt polyhiſtoris, quo nomine in *Commentario in prophetias Ambroſii Merlini Angli appellatur* [n]. Suo enim tempore in philoſophia, theologia, arte poëtica pares paucos habuit, ſuperiorem neminem. Inter opera eius edita a CAROLO DE VISCH ſunt nonnulla philoſophica; et inter haec *Anti-Claudianus* ſiue *Encyclopaedia verſibus hexametris diſtincta in libros IX*, pro prouidentia diuina cum Claudiano pugnans, de quo opere diligenter egit B. POLYCARPVS LEYSERVS [o]. Sed *de lapide* quoque *philoſophico dicta* ſub eius nomine ambulant. Liber vero *de naturis*

h) T. II. p. 1386. ſeq.
i) loc. cit.
k) loc. cit.
l) Ibid.
m) loc. cit.
n) De hoc vate Anglico vid. LELANDVS c. 27. PITSEVS p. 101. BALEVS Cent. I. 65.
o) Hiſtor. poëtar. medii aeui p. 1016. ſeqq.

turis quorundam animalium, qui ei tribuitur, est secundus liber *Bestiarii* HVGONIS DE S. VICTORE [p]. Laudandus Alanus, quod morali quoque doctrinae operam locauit suam, vt ex indice scriptorum vel ineditorum vel deperditorum, apud TRITHEMIVM, VISCHIVM et OVDINVM [q] perspicuum, quamuis miserum ea vultum referat.

Petrus de Riga.

§. XV. Floruerunt porro circa haec tempora Petrus de Riga, Hugo Eterianus, Ioannes Beleth et Stephanus Langhtonus. PETRVS DE RIGA cantor et canonicus fuit Remensis, auditque TRITHEMIO [r], *Vir in diuinis Scripturis studiosus et eruditus, atque in secularibus literis inter omnes doctores sui temporis doctissimus, grammaticus et philosophus insignis, carmine excellens et prosa.* Is opere metrico, quo libros biblicos historico allegoricoque sensu exposuit et *Auroram* inscripsit, celebritatem consecutus est, de quo accurate egit Cl. LEYSERVS [s]. Obiit cIↃCCIX. Non confundendus cum hoc Petro, alius huius nominis et aetatis cantor Parisiensis, et non quidem postea episcopus, vt ait TRITHEMIVS [t], ad Tornacensem tamen postulatus cathedram; cui vero vocationi consentire noluit, sed ad Longipontis coenobium ordinis Cistercienſis in dioecesi Suessionensi concedens habitum monasticum anno cIↃCXC assumsit [u]. Eum *in diuinis Scripturis eruditissimum et in seculari philosophia nobiliter doctum theologicae scholae Parisiis multis annis glorioſe praefuisse, et discipulos egregios multos erudiuisse*, testatur TRITHEMIVS. Plura de eo dabit OVDINVS [x], qui videndus.

Hugo Eterianus.

HVGONEM ETERIANVM, Tuscum, qui aliquandiu in aula Manuelis Comneni Constantinopoli versatus est, et ad Alexandrum III contra Graecos scripsit [y], TRITHEMIVS * vocat in *Scripturis sanctis omnium sui temporis doctorum facile doctissimum, et in secularibus literis egregie doctum, philosophum et rhetorem facundissimum, Graeco et Latino sermone ad perfectum instructum, quem tota Graecia mirata sit scribentem, ingenio subtilissimum et disputatorem nulli secundum.* Scripsit, qui ad haec nostra arua pertinet, librum *de anima corpore iam exuta, siue de animarum immortalitate et regressu earum ab inferis.* Docuit quoque in academia Parisiensi non sine laude magnae in philosophia cognitionis IOANNES BELETH, vt ex HENRICO GANDAVENSI [z] et TRITHEMIO [a] intelligitur. Hunc nominis celebritate vicit STEPHANVS DE LANGETOVN, siue Langhtonus, Lelando Longodunus Anglus, pri-

Ioannes Beleth.

Stephanus Langhtonus.

p) Vid. Eius opera edita Rothomagi 1648. fol. Tom. II. p. 418. seqq.
q) II. ec. conf. Obs. Hal. T. VI. obs. 19. §. 1. sq.
r) c. 388. p. 98.
s) l. c. p. 692. A'LTEMVRA Bibl. Domin. p. 19. FABRIC. T. V. p. 816.
t) c. 419. p. 104.
u) DE VISCH Bibl. Cisterc. p. 262. is vero Remensem et hunc confundit.
x) T. II. p. 1169. BVLAEVS T. III. pag. 486. seq.
y) L. ALLATIVS de Consensu Gr. p. 654. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. X. p. 423. 443. Bibl. Lat. med. T. III. p. 857.
*) c. 398. p. 100.
z) c. 17. p. 120.
a) c. 415. pag. 104. conf. FABRIC. T. IV. pag. 188.

primo quidem Scholasticae philosophiae et theologiae doctor et cancellarius Parisiensis, deinde cardinalis titulo S. Chrysogoni et archiepiscopus Cantuariensis ab anno CIↃCCVII ad CIↃCCXXVIII. Multa de eius vita Anglicae historiae scriptores HENR. WHARTONVS [b], et VSSERIVS [c] tradunt, qui cum CAS. OVDINO [d] videndi. Nos ideo eius hoc loco mentionem facimus, quia teste TRITHEMIO [e] *in philosophia Aristotelica nulli sui temporis secundus, eius ope theologiam multis annis glorioſe docuit, et primus Scripturam sacram mediullitus et moraliter exponere coepit.* Quod qua ratione factum sit, exponit BALEVS [f], qui narrat, *eum cum in philosophia Aristotelica nullum haberet secundum, vtramque theologiam et Scholasticam et interpretatiuam ingenio callidum nouo praelegendi genere per subtilitates docuisse, Scripturasque sacras multis annis quam superstitioſe per allegorizationes et moralizationes expoſuisse.* Hunc, vt hoc quoque obiter moneamus, primum Scripturam Sacr. V. et N. T. in capita distribuisse auctor est PITSEVS [g].

§. XVI. Sunt praeter hos multi inter Scholasticos Sec. XI et XII ineuntis, qui ingenii philosophici laude memoriam sui conseruarunt, sed hos omnes recensere nec licet, nec libet. Non prorsus tamen indicti praetermittendi sunt Raymundus de Penna Forti, Vincentius Bellouacensis, Guilelmus Parisiensis, Alexander de Villa Dei, Alexander Neckam, Alfredus Anglus et Robertus Grosthead. Et RAYMVNDVS DE PENNA FORTI quidem, illustrissimo genere satus ad Aragoniae reges origines suas retulit, Barcinone anno CIↃCLXXV natus, tertius Ordinis Praedicatorum Generalis et Gregorii IX poenitentiarius [h], quem vel solus persecutionis spiritus nobilitauit, cui etiam consilium debetur constituendi in Hispania inhumanum inquisitionis tribunal. Magis laudandus cum ob philosophiae et theologiae iurisque pontificii notitiam, qua eum excelluisse testatur TRITHEMIVS [i], tum quod auctor fuerit condendi in Aragonia Seminarii linguarum Orientalium, cui multos debemus viros doctos. Is philosophiam ad iurisprudentiam attulisse sibi visus est, quo euentu, ex commentationibus eius ex iure canonico cognosci potest, quibus quam misera fuerit haec philosophia iuridica, conspicitur, et luculentius intelligeretur, si quae adhuc in forulis bibliothecarum msc. latet, tractatio *de bello et duello* [k] typis comparuisset. VINCENTIVS BELLOVACENSIS, non episcopus Bellouaci fuit, quod perhibent AMBROSIVS ALTAMVRA [l] et G. I. VOSSIVS [m], sed

Alii Scholastici.

Raymundus de Penna-Forti.

Vincentius Bellouacenſis.

b) Angliae S. T. I. p. 114.
c) Antiqq. Britann. p. 154.
d) T. II. p. 1695.
e) c. 422. p. 105.
f) III. 87.
g) p. 304.
h) BOLLANDVS Act. SS. T. I. Ian. p. 404. sq. Sanctis enim Raymundum adscripsit Clemens VIII. anno 1601. conf. NAT. ALEXANDER H. E. T. VII. p. 144. I. QVETIF. Bibl. Dominic. T. I. p. 106. NIC. ANTON. Bibl. Hisp. vet. L. VIII. c. 4. T. II. p. 46.
i) c. 422. p. 105.
k) Vid. LAGERVS in proleg. ad Raymundi Summam, Mem. de Treuoux 1717. Mars p. 510.
l) Bibl. Ord. Praed. p. 21.
m) De Hist. Lat. L. II. c. 59. p. 477.

ſed Ordinis Praedicatorum in eadem vrbe monachus, patria Burgundus, qui anno CIↃCCXLIV claruit. Non omittendus ille heic nobis eſt, ob *Speculum*, quod ſumtus ſuppeditante Francorum rege Ludouico S. quadruplex concinnauit, *doctrinale*, quod omnium ſcientiarum ſummam exponit, initio facto a grammatica, vsque ad theologiam: *hiſtoriale*, quod hiſtoriam vniuerſalem complectitur ab orbe condito ad ſeculum XIII medium; *naturale*, quod eſt de natura rerum, ſitu locorum, et ratione temporum, *morale*, quod eſt de affectibus, de lege et gratia, de virtutibus et vitiis [n]. Laudat ob hoc opus Vincentium TRITHEMIVS [o], quod ſe demonſtrauerit *in veterum lectione diuitem, ingenio ſubtilem et ſermone compoſitum*, additque *tantum literis ſtudium adhibuiſſe, vt nullis vnquam laboribus, vigiliis vel occupationibus ab earum cultura potuerit euocari; quin ſemper aut legeret, ſcriberet, vel praedicaret. Tantum itaque fuiſſe, vt poſt ſe necdum habuerit parem, ſi ardua, quae ſcripſit opuſcula ex multis laborioſe collecta aequa lance cum ceteris comparemus.* Quod iudicium quanquam, fatente LABBEO [p], nimium eſt, facile tamen concedimus, Vincentium ſua laude non priuandum eſſe. Qui regia munificentia excitatus, et quod veriſimile eſt, veterum Iſidori, Caſſiodori, Martiani Capellae, ſimiliumque exemplis incitatus, quandam artium et ſcientiarum encyclopaediam ſuo ſeculo dare conſtituit: quod eo tempore ſatis magnos conatus poſcebat. Nec diffitendum eſt, magnam probauiſſe Vincentium in prolixis his commentationibus diligentiam, improbumque ſuſcepiſſe ingratumque laborem. Neque magnopere inter vitia reponendum eſſe exiſtimamus, quod excerptorem, quam tractatorem agere maluerit, vt ipſe in praefatione fatetur. Hac enim ratione dum in proprio fundo non inuenit, quod exhiberet, aliorum cogitationes propinat. Nec ideo plagii [q] accuſari poteſt, eo quod ſe aliorum meditationes referre candide in prologo profitetur. Fuitque mos hic totius aeui medii, vt in eiusmodi introductionibus ad artes et ſcientias rhapſodiam magis exhiberent, quam iuſtam tractationem: ad quem ſeculi ſui morem Vincentius exigendus iudicandusque eſt. Aſt ne ſic quidem peſſime de orbe literario meruiſſe cenſendus eſt. Multa enim continent haec Specula alibi nuſquam obuia, eo quod interdum libros legit et excerpſit, quos hodie non habemus. Quin et hoc laudandum in Vincentio putamus, quod arctis Scholaſticae philoſophiae, dialectica et metaphyſica ſola contentae limitibus tractationem ſuam concludi paſſus haud eſt, ſed ad moralem et naturalem quoque imo et ciuilem philoſophiam ſe conuertit. Qua ratione ſyluam quandam illis exhibuit, qui poſt ipſum ſcripſere. Verum licet haec omnia laude ſua defraudanda haud ſint, foedauit tamen inſtitutum non contemnendum, ſeculi,

n) Vid. OVDINVS T. III. p. 451. et quos fuſe laudat.

o) c. 457. p. III.

p) De S. E. T. II. §. 478.

q) Conf. I. THOMASIVS de plagio §. 562. 575. Speculum morale alterius ſcriptoris eſſe contendit IAC. ECHARDVS Diſſ. de ſcriptis Vincentii Bellouacenſis, Paris 1708. 8. edita.

culi, quo ſuſceptum eſt, ruditas quae vbique elucet, marcidusque philoſophiae vultus, et ſumma philoſophantium paupertas, exigua, quam in hiſtoria tradenda ſeruauit, fides, et quod in tam amplo vbique exulat opere, iudicium, ipſa quoque libri moles pauca iſta bona prorſus ſupprimit: adeo, vt, quamuis in hoc ſterquilinio auri aliquid interdum eniteat, ipſa tamen vaſtitas et confuſum chaos tractationis male congeſtae et minime digeſtae nauſeam excitet. Vnde non ineleganter grandi operi illud Horatii applicuit D. G. MORHOFIVS [r].

Cum flueret lutulentus, erat, quod tollere velles.

Ex quibus, vtrum omniſcii laudem mereatur, quam ei tribuit Ioannes Bona cardinalis [s], iudicari poteſt. Inter meliora philoſophantium ingenia refertur quoque WILHELMVS, Auernus, theologus, philoſophus et mathematicus ſuo tempore inſignis, et ab anno clo ccxxviii ad clo ccxlix epiſcopus Pariſienſis. Laudat eum more ſuo TRITHEMIVS [t], qui ſcripta quoque recenſet, ex parte edita a IOANNE DOMINICO TRAIANO [u] et BARTHOLOMAEO FERRONIO [x], de quibus poſt LABBEVM [y] videndi OVDINVS [z] et FABRICIVS [a]. Valde in eo commendat DVPINIVS [b], quod iudicium et ſcientiam, ſuo ſeculo meliorem in tractationibus ſuis attulerit, dimiſſisque nugis et ſpeculationibus atque quaeſtionibus inutilibus, ſtilo facili et natiuo, minusque quam aetas illa ſolebat, lutulento, ad mores et vitam ſpectantia retulerit, ſed in eo quoque laudem meretur, quod non adeo ſe Ariſtoteli mancipauerit, vt non ab eius ſententia recedere, eamque erroris redarguere, vel principiis et rationibus Platonicis vti auderet. Quemadmodum raro quoque ſui ſeculi exemplo in philoſophiae veteris hiſtoria non ignarum ſe demonſtrauit. Vt taceamus magnam in Eccleſiae Romanae vulneribus et vlceribus tangendis et corripiendis fortitudinem et libertatem [c]. Quibus omnibus meruit inter optima ſeculi XIII ingenia connumerari. Eadem tempora tulere ALEXANDRVM DE VILLA DEI, ſiue Villadeum, Aremoricum Dolenſem, ordinis Minorum, quem non doctrinale modo puerorum ſiue grammatica Latina excerpta ex Priſciano et verſibus Leoninis ad iuuandam memoriam comprehenſa, quae in ſcholis auide recepta diu obtinuit [d], celebrem fecit, ſed et philoſophiae cognitio et mathematica ſcientia valde commendauit. Vocat eum TRITHEMIVS [e], *Grammaticum, philoſophum, aſtronomum et calculatorem inſignem.* Id quod ſcripta quodque teſtantur aſtronomica et calculatoria, quae in Vltraiectina bibliotheca aſſeruari memorat OVDI-

Wilhelmus Auernus.

Alexander de Villa Dei.

r) Polyhiſt. T. I. L. I. c. 21. p. 241.
s) Apud POPE-BLOVNT. Cenſ. cel. ſuct. p. 411.
t) c. 480. p. 119.
u) Venet. 1591. fol.
x) Aurel. 1674. fol.
y) De S. E. T. I. p. 409.
z) T. III. p. 100.
a) T. III. p. 470.
b) Bibl. nou. S. E. T. X. p. 69. 70.
c) Conf. SPANHEM. Opp. T. I. p 1682.
d) GANDAV. c. 59. conf. LEYSER Hiſt. poëtar. medii aeui p. 765.
e) c. 463. p. 112.

OVDINVS [f], quem vide. In Anglia in philoſophia Sec. XIII inter Scholaſticos eminuerunt ALEXANDER NECHAMVS, vel Neckamus, vel quod BALEVS [g] habet, Nequam, et Aelfredus cognomento philoſophus. Ille Hartfordienſis fuit, in coenobio S. Albani in Anglia enutritus, et theologiae atque philoſophiae praeceptis, pro more ſui temporis accurate imbutus. Qui cum proſa et ligata eloquentia valeret, in academia Pariſienſi, iuuentutem anno cIↃcLxxx docere coepit, tanto audientium applauſu, vt frequentiam non caperet auditorium [h]. Poſt ſexennium in patriam redux, a dicti coenobii abbate ſcholam S. Albani regendam accepit, tandemque ſuſcepta canonicorum regularium religione abbas Exceſtrienſis factus eſt, diemque obiit anno cIↃccxv. Valde ille tum ob philoſophiae acumen, tum ob eloquentiae vim laudatur; cuius vtriusque ſpecimen edidit in ſeptem libris *de naturis rerum*, proſa ſcriptis, ſed interpoſitis verſibus: vt alias eius lucubrationes taceamus, poſt ſcriptores hiſtoriae literariae Britannicae recenſitas ab OVDINO [i] et FABRICIO [k]. Quanta omnium eius exiſtimatio fuerit, ex epitaphio hoc diſci poteſt, quod extat apud BALEVM:

Alexander Nechamus.

Eclipſin patitur ſapientia, ſol ſepelitur,
Cui ſi par vnus non eſſet flebile funus,
Vir bene diſcretus, et in omni more facetus,
Dictus erat Nequam, vitam duxit tamen aequam.

ALFREDVM ANGLICVM, cognomento philoſophum claruiſſe anno cIↃccLxx narrat PITSEVS [l], maturius vero vixiſſe oportet, ſi verum eſt, quod IOANNES LELANDVS [m] habet, quod Rogerus Baco, quem anno cIↃccxLvIII obiiſſe infra dicemus, libro *de vtilitate linguarum*, hunc numerauerit inter linguarum politarum interpretes, qui infinita in Latinum conuerterint, vt fuere Gerardus Cremonenſis, Michaël Scotus, Hermannus Alemannus. Is imprimis memorabilis eſt, quod ad explicandam naturalem philoſophiam Ariſtotelis animum applicuit, et in *Meteora Ariſtotelis* commentatus eſt, itemque librum *de plantis* illuſtrauit, vt taceamus libellum *de motu cordis*, quem ſe vidiſſe teſtatur Lelandus. Hunc cum Alfredo Magno rege, de quo ſupra, caue ne confundas. Tertium his ex Anglorum gente addimus philoſophum, et mathematicum inter Scholaſticos primae aetatis celeberrimum, ROBERTVM CAPITONEM, Anglice Grosthiad, Gallice Groſſetete, primum diaconum Leiceſtrienſem, tandemque epiſcopum Lincolnienſem. Is diu in academia Pariſienſi ſtudiorum cauſſa verſatus [n], poſtquam prima artium et philoſophiae elementa in Oxonienſi Schola hauſiſſet, ad miraculum vsque animum literis excoluit, linguaeque Hebraeae, Graecae et

Alfredus Anglicus.

Robertus Capito.

f) T. III. p. 154.
g) Cent. III. 86.
h) Vid. BVLAEVS Hiſt. acad. Pariſ. T. II. p. 725.
i) T. III. p. 4.
k) T. I. p. 173.
l) pag. 351.
m) c. 183.
n) BVLAEVS T. III. p. 260.

et Latinae, itemque philoſophiae et artium mathematicarum tantam notitiam acquiſiuit, vt magiae ſuſpectus haberetur [o]. Sed et ingenti animo epiſtola ad Innocentium IV data, Romanae curiae auaritiam, ſordes, iniuſtitiam, tyrannidem caſtigauit, qua de re digniſſima eſt, quae legatur MATTHAEI PARISIENSIS relatio. Verum de his alibi; hoc nos loco obſeruamus, tantam eius apud praeſtantiſſimum philoſophum, Rogerum Baconem fuiſſe opinionem, vt eum cum Salomone et Ariſtotele compararet. Cui ſententiae ſubſcripſit ex Anglis doctus et cordatus quilibet, quorum elogia de hoc viro ſumma collegit THOMAS POPE-BLOVNT [p], qui videndus. Totum enim artium circulum pro temporum ſuorum conditione emenſus alios ſui temporis multis paraſangis ſuperauit. Scripſit etiam *Commentarium in Dionyſii Areopagitae opera*, ex quo colligitur, philoſophiae Platonicae recentioris ſiue Alexandrinae eum non fuiſſe imperitum. Editus eſt eius *Commentarius in libros poſteriorum analyticorum Ariſtotelis*, itemque *Compendium ſphaerae mundi*, vt alia taceamus, enarrata ab OVDINO [q]. Fuit enim πολύγραφος. In Germania quoque non defuiſſe ingenia, Scholaſticae philoſophiae laude non defraudanda, vel ex vno TRITHEMII [r] catalogo et annalibus diſci poteſt, qui e. g. Conradum Hirſaugienſem, velut ſummum theologum, muſicum, poëtam et philoſophum extollit. Fuiſſeque huius generis plures, vel vnius Ottonis Friſingenſis exemplum comprobat, quod ſupra iam attulimus. De his tamen plura dicere et inſtitutum vetat, et monumentorum paucitas obſtat, cum hactenus aeui medii monumenta delituerint, et noſtra demum aetate coeperit virorum quorundam clariſſimorum induſtria, exemplo Gallorum et Anglorum excitata, huiusmodi anecdota colligere et vulgare. Ex dictis vero de reliquis iudicium fieri, et, qualis aetas haec Scholaſticorum prima fuerit, cognoſci poteſt. Iam ad alteram aetatem properandum eſt.

Germani Scholaſtici.

§. XVII. Succeſſit ſecunda Scholaſticorum aetas, quae ab Alberto Magno ad Durandum vsque extendi ſolet. In ea vegetam valentemque viribus ſuis iuuentam florentiſſima conſecuta eſt philoſophia et theologia Scholaſtica. Non defuere huic aetati magna ingenia, mentis acumine, et eruditionis copia praeſtantiſſima, ſed corrupit omnia praepoſterus ſubtilitatum amor, et ineptum Peripatetico-Saracenicae philoſophiae ſtudium, quod tanti habitum eſt, vt non modo praeſtantes iudicio et ingenio viros a diſciplinis reliquis arceret, ſed et ambabus, quod aiunt, manibus in theologiam inferretur, ſicque theologia Euangelio nixa, quae tamen in aetate prima caput interdum attollere poterat, tantum non penitus opprimeretur, et ſubtilitatibus tricisque humani ingenii quaeſtionibusque inutilibus tantopere cumularetur, vt vix reſpirare poſſet, neruis-

Aetas Scholaſticorum ſecunda.

o) GODWIN. de Praeſul. Angliae pag. 348. NAVDE apologie pour les grands hommes c. XVIII. p. 368. ſeq.

p) p. 408. ſeqq.

q) T. III. p. 131.

r) c. 334. p. 97. Annal. Hirſaug. T. I. p. 393.

que exciſis vigorem omnem amitteret. De qua infelicitate pulchre MATTHAEVS PARISIENSIS [s], *His temporibus*, inquit, *incipiebant magiſtri theologiae, praecipue tamen praecipui Praedicatorum et Minorum lectores diſputare et differere ſubtilius et celſius, quam decuit aut expediuit. Qui non verentes tangere montes a gloria Dei opprimendi, nitebantur ſecreta Dei imperueſtigabilia temere perſcrutari, et iudicia Dei, quae ſunt abyſſus multa, nimis praeſumtuoſe indagare. Vnde defecerunt ſcrutantes ſcrutinio et errauerunt in inuio Dei inueniendo, cui plus placet firmae fidei ſimplicitas ſobria, quam nimis tranſcendens in theologia ſubtilitas.* Saracenicae philoſophiae et theologorum Muhammedanorum diſputationibus adſcribendum id eſſe putamus, quas eundem in modum exhaurire voluiſſe philoſophiae opera naturae diuinae decretorumque myſteria, ſupra oſtendimus. Hae enim curae Saracenorum philoſophicae cum inter Latinos innotuiſſent, magnaque eſſet earum fama atque exiſtimatio, coeco impetu philoſophi theologique ad imitationem ruebant, cumque metaphyſica Peripatetica, methodusque quae in ſcholis inualuerat, exoptatiſſimam his ſtudiis anſam exhiberet, in praeceps decurrendi, factum inde eſt, vt prorſus a vera philoſophiae facie degeneraret philoſophia Scholaſtica. Id quod Sec. XIII et XIV ſcripta legenti erit in propatulo. Sed de his in ſequentibus quoque dicetur. Enarrabimus autem aliquot virorum ſummorum hiſtoriam, quibus nihil celebrius eſt in annalibus philoſophiae Scholaſticae. Sunt vero hi: Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonauentura, Petrus Hiſpanus, Rogerus Baconus, Aegidius de Columna, et Ioannes Duns Scotus. His per lancem ſaturam eos adiiciemus, quorum haud poſtrema inter Scholaſticos hac aetate fama fuit.

Albertus M. §. XVIII. ALBERTI M. vitam et hiſtoriam praeter eos, qui ſcriptorum eccleſiaſticorum res literarias enarrauerunt [t], quique Dominicanorum merita in literas expoſuerunt [u], RVDOLPHVS NOVIOMAGENSIS tribus libris expoſuit. Tulit ingenium vere magnum, ſi in alia tempora incidiſſet, annus CIↃCXCIII, pro quo alii annum CIↃCCV ponunt. Prius TRITHEMII [x] auctoritate conſtat, qui mortuum eum eſſe ſcribit ſub Rudolpho imperatore anno Chriſtianorum CIↃCCLXXX, indictione Romana VIII, aetatis vero ſuae anno LXXXVII. Ex hoc enim anno Alberti emortuali ſequitur, eum anno CIↃCXCIII fuiſſe in lucem editum. LXXX. annos autem tantum et alibi tribuit TRITHEMIVS [y], ex iſto Annalium Hirſaugienſium loco corrigendus. Alii, inter quos G. CAVEVS [z], annum CIↃCCV praeferunt. Quamcunque vero epocham ſequa-

s) Apud TRIBBECHO v. de Dd. Schol. c. 17. p. 328.

t) HENRIC. GANDAV. c. 23. p. 125. TRITHEMIVS de S. E. c. 464. p. 111. recentiores ſatis notos non addimus.

u) ALTAMVRA Bibl. Dominic. p. 49. 19. ANTON. FLAMINIVS de Dominicanis illuſtr. L. III. IAC. QVETIF Bibl. Script. Dominic. T. I. p. 162. 275.

x) Annal. Hirſaug. T. I. p. 610.

y) De S. E. l. c.

z) Hiſt. lit. S. E. p. 639.

ſequaris, planum tamen, erraſſe NIC. REVSNERVM [a], natum eum eſſe dicentem anno CIↃCCXCIII, (niſi typorum vitium ſit,) et G. I. VOSSIVM [b], ſcribentem: *Anno* CIↃCLX *magnam fuiſſe exiſtimationem Alberti M., eumque obiiſſe anno* CIↃCCVIII, *anno aetatis LXXXV.* Haec enim ſibi contradicere, quilibet palpat. Debet vero orbis literarius ſummum virum Sueuiae noſtrae, in qua Lauingae ex nobili Bolſtattienſium gente natus eſt. Adoleſcens Patauium ſtudiorum cauſſa miſſus eſt, vbi muſeum eius bibliothecae S. Auguſtini contiguum adhuc monſtrari teſtis eſt L. THOMASINVS [c]. Ingenium ei obtigit excelſum, iudicium acre et ſubtile, et quaedam εὐσοχίᾳ parum obuia. Quas animi dotes cum ſingulari diſcendi ardore et inexhauſto ſcientiarum deſiderio coniunxit. Teſtes damus totum fere literatum orbem, virorumque de eo ſummorum iudicia. Inter quos TRITHEMIVS [d], *non ſurrexiſſe*, ait, *virum ſimilem ei, qui in omnibus literis, ſcientiis, et rebus tam doctus, eruditus et expertus fuerit.* Alia, ne nimii ſimus, praetermittimus, legenda ex parte apud THOM. POPE-BLOVNT [e], cui facile plura addet lectoris induſtria. Factum inde eſſe plerique volunt, vt Magni nomen ei tribueretur; ſique IOVIO [f] credendum, *maximi cognomentum ei deferebat gymnaſiorum conſenſus, niſi publico voto Chriſtiana verecundia reſtitiſſet.* Aliter tamen viſum praeſtantiſſimo HEVMANNO [g], qui cum obſeruaſſet apud L. VIVEM [h] Albertum Grotum dici, id nominis, non honoris cauſſa, ſed ob gentilitiam appellationem illi datum eſſe coniecit. Hac enim ratione Hugonem Grotium quoque hoc nomine gauiſum fuiſſe conſtat. Valde haec coniectura confirmatur iis, quae ad virum optimum perſcripſit Cl. GEORG. CHR. IOANNIS, de familia nobili Grotorum, ſiue Magnorum, quae olim in tractu Rhenano floruit [i]. Nos nihil decidimus, cum non ſufficere nobis videatur, quod familia quaedam hoc nomine vſa ſit, (quales eiusdem nominis inter ipſos ciues noſtros Auguſtanos nouimus) ſed demonſtrandum praeterea ſit, Bolſtattiorum gentem ex qua ortus eſt Albertus, hoc nomine fuiſſe vſam. Vt taceamus plerorumque conſenſum, de magna nominis fama Alberti occaſionem huic appellationi dante, quae Belgico quoque nomine Groot exprimi potuit. Quaecunque autem nominis origo fuerit, illud omnium conſenſu certum, reipſa omnium-

a) In Imaginibus eruditorum.
b) De Scient. mathemat. c. XVI. §. 9. p. 62.
c) De Biblioth. p. 61.
d) loc. cit.
e) Cenſ. cel. vir. 416. ſeqq. quibus adde iudicium SCALIGERI epiſt. 99. p. 341.
f) In Elog. p. 15.
g) Act. phil. Vol. III. p. 756. not. a. et in conſpectu reip. lit. c. IV. §. 42. p. 118.
h) De cauſſis corrupt. artium L. IV. p. m. 338.
i) Ecce verba Cl. viri ab ipſo doctiſſimo Heumanno nobiscum communicata: „Satis conſtat familiam nobilem *Gros* appellatam olim in „tractu Rhenano floruiſſe, e qua praeter Gerhardum Magnum, qui in literis Landolfi Wormatienſis epiſcopi anno 1236. Schoenaugenſium „in gratiam perſcriptis inter teſtes eſt, occurrunt iam anno 1220. Conradus Magnus et frater eius Wicnandus, Eccleſiae Moguntinae Miniſteriales, et circa annum 1254. Conradus „Magnus, eccleſiae Moguntinae maioris canonicus. „Ceterum Gerhardi Magni ſiue, Groti, Dauentrienſis, qui celebris illius reformationis Auctor „fuit, praeter locum illum Gudeni meminit Bvschius L. III. de reformatione monaſteriorum „c. 39. p. 939. ſeqq."

que exiſtimatione Albertum hoc Magni nomen meruiſſe. Sunt qui alia nobis narrant, et initio tardiſſimum ingenium nactum eſſe tradunt, ſed miraculo ad tantam perſpicaciam peruenisſe referunt. Rem ita exponit VINCENTIVS IVSTINIANVS *in vita Alberti M. quod hebetiori eſſet ingenio, et condiſcipulis inferior, aſſumtam viuendi rationem deſerere, et ad priſtinam reuerti diſpoſuerat; et nocte inſequenti admotis ſcalis coenobium ingredi videre ſibi videbatur. Scalis conſcenſis quatuor praecellenti forma matronas conſpexit, quae a coepto eum impedire paratae erant. Cumque ſemel, iterum ac tertio repulſus cauſſam excutiendi monaſtici habitus reddere cogeretur, hebetudinem ingenii cauſſatus eſt, quem miſericordiae mater couſirmans conſolata eſt, expetitamque philoſophiam demta ingenii ruditate ab eadem promeruit obtinere. Alio tempore cum plurimum metueret, ne philoſophorum opinionibus ac ſophiſmatibus deciperetur; crebris eandem Dei genetricem precibus interpellabat, ne a fide aberrare permitteret: cui eadem apparens votis eius annuit: ſpoſponditque colluſtrandam ab eo fore Eccleſiam et in fidei integritate moriturum.* Id quod obtigiſſe quoque Alberto contendunt [k], ita, vt *quinquennio, dicant, ante mortem oblitum omnia quae in philoſophia didicerat, id a B. Virgine precibus impetraſſe, ne in philoſophorum opinionibus, ſed ipſa Chriſti fide ac charitate moreretur.* De qua narratiuncula, cui ſimiles ſupra iam aliquoties tetigimus, iudicium eo minus interponere noſtrum neceſſarium eſſe putamus, quo minus difficile erit in hiſtoria medii aeui paulo accuratius verſato, et iudicandi aciem aduertenti, totam hiſtoriolae originem ſcenamque perſpicere; illi autem, qui his delectantur, nunquam rationes admittent, quibus fabulae proſcribi debent. Inde vero prouerbium enatum volunt, Albertum repente ex aſino factum philoſophum, et ex philoſopho aſinum, quod non immerito inter nugas ſeculi huius et commenta otioſorum hominum referimus, certique ſumus, nec ingenii ſtupiditate, nec animi pigritia, nec obliuionis ignauia Albertum ſomma hoc, quod pia fraus commenta eſt, meruiſſe. Anno CIↃCCXXI Dominici familiae nomen dedit, ſacroque ordini ab ipſo generali adſcriptus eſt, habitumque accepit monaſticum. Cumque ſumma iam tum eius inclareſceret eruditio, ad docendam iuuentutem vocatus eſt. Id quod primo quidem Pariſiis factum eſſe, tradit TRITHEMIVS [l], qui tamen ſibi non conſtat, dum alio loco [m] perhibet, Coloniae primo iuuentutem Albertum docuiſſe. Sed prius recte praeferimus, cui concinit tota Alberti hiſtoria. Aſt proſcriptam tum fuiſſe Ariſtotelis lectionem a pontifice Romano ſupra monuimus: vnde mire ſe torſerunt viri docti, ita Albertum, Ariſtotelem commentatibus illuſtrando, laeſiſſe pontificiam auctoritatem obſeruantes, vt Albertum ab hoc crimine liberarent. Sane LAVNOIVS [n], quo ſe verteret

k) Vid. Scriptores Hiſt. Lit. Dominicanorum citati.

l) De S. E. loc. cit.

m) In Annal. Hirſaug. loco cit.

n) De fort. Ariſtot. c. VII. p. 203. ſeq.

teret nescius, probari vel excusari non posse hoc Alberti factum censuit; id vnum suspicatus, eum vel alibi, quam Lutetiae, commentaria haec scripsisse, seque a Parisiensis concilii decreto, et ab imposita per Gregorium IX Parisiensi academiae lege immunem credidisse, vel, cum Lutetiae commentaretur; concilii decretum Gregoriique legem ignorauisse. Quod enim ab apostolica sede legendi Aristotelem commentandique veniam quaesiuerit, se nullibi legere, nec eam obtinere Albertum potuisse, ob verba pontificis expressa. Quae an difficultatem tollere apta sint, Lectori iudicandum relinquimus [o]. Priorem tamen excusationem admittit Ven. HEVMANNVS [p], eo quod ob densam tantum, vt verba Baconi habent, ignorantiam Parisiis Aristotelis libri prohibiti sint. Nobis recte omnia sibi constare videntur, si modo supponamus, decretum pontificis non diu durauisse, sed mox, vt fieri solet, obsoleuisse, adeoque eo tempore, quo Albertus M. Parisiis docuit, non obseruatum fuisse. Factum id autem esse, vel vna haec ratio satis euincit, quia pontificis legati intra L annos tribus vicibus, nempe anno CIↃCCXV, CIↃCCXXXI et CIↃCCLXV eandem repetere prohibitionem, immo a seueritate nonnihil concedere, et permittere lectionem librorum physicorum prius simpliciter et sine vlla exceptione vetitorum, contra statutum papae coacti fuerint. Quod imprimis effeciisse auctoritatem Alberti M. et Thomae Aquinatis tanto studio Aristoteli se dedentium, supra iam obseruauimus. Et conniuere eo magis curia Romana potuit, quo magis isto decreto satisfaciendum tantum erat inuidiae et querelis veterum professorum et episcoporum Galliae, cum ipsa Aristotelis lectio non displicuerit; alias in ceteris quoque regionibus eam prohibuisset pontificum Romanorum vigilantia [q]. Alberti autem iam tum summam auctoritatem fuisse, ex eo intelligi potest, quod anno CIↃCCXXXVI mortuo Iordano generali Dominicanorum magistro, totum ordinem vicarius rexerit, et biennio post, in generali capitulo Bononiae habito ad supremi in hac familia capitis dignitatem petitus sit. Qua licet excidisset, Prouincialis tamen ordinis sui per Germaniam factus est. Tunc itaque Coloniae sedem fixit, magnoque applausu theologiam et philosophiam docuit, discipulosque habuit celeberrimos, inter quos praeter Ambrosium Senensem et Thomam Cantapratensem [r] maxime eminuit Thomas Aquinas summa magistri sui gloria [s]; vt alios taceamus primi ordinis et magnae famae viros. Anno

CIↃCCLX

o) Conf. HERM. AB ELSWICH ad h. l.

p) Act. phil. Vol. I. p. 703.

q) Nempe eo ipso tempore in Germania introduxisse publicam Aristotelis lectionem Ottonem Frisingensem, supra obseruauimus. Et hic viam Alberto M. parauit, vt commentationibus suis in philosophum applausum mereretur.

r) Vid. CAVE Hist. Lit. S. E. p. 638.

s) Passim docuisse ferunt Albertum M. Hildesii, Friburgi, Argentorati, eo missum a superioribus; reducemque 1240, Cathedra Parisiensi susceptа Colonienſem Thomae tradidisse; post triennium vero redeuntem Coloniam pristinas lectiones resumsisse, et Prouincialem factum anno 1254, prouinciam peditem visitasse: Romam porro vocatum ibi sacri palatii magistrum constitutum lectiones theologicas habuisse, et anno 1260 in Germaniam rediisse, anno 1274. synodo Lugdunensi interfuisse iam episcopum nomine imperatoris, indeque Coloniam reuersum obiisse, vid. BVLLART. Acad. scient. T. II. p. 146. sed in his quaedam falsa, quaedam incerta esse series historiae Alberti euincit.

cIↃCCLX ob magnam eruditionis praeſtantiam laudemque ab Alexandro IV Ratisbonenſi Eccleſiae praeſul datus, et ſpartam hanc inuito licet animo ſuſcipere coactus eſt. Quod magno ſtudiorum eius, maxime philoſophicorum, detrimento factum eſſe, nemo non intelligit. Oneris itaque epiſcopalis curarumque pertaeſus anno cIↃCCLXIII dignitate iſta ſe abdicauit, et in monaſterium ad fratres Dominicanos reuerſus ſibi Muſisque ſuis vixit, donec vita excederet, anno cIↃCCLXXX, Die XV Nouembris, aetatis anno, vt ſupra dictum, LXXXVII, ſepultus apud Dominicanos, qui inuidendo eum elogio in epitaphio poſito ornarunt. Ibi inter alia dicitur:

Phoenix doctorum, paris expers philoſophorum
Princeps doctorum vas fundens dogma ſacrorum,
Maior Platone, vix inferior Salomone etc.

Quod quam inficetum ſit, et ſeculi iſtius ruditatem prodat, Lector, nobis non monentibus, intelligit. Fatendum tamen eſt, inter ſummos ſui temporis viros Albertum locum merito obtinuiſſe, et inter commentatores Ariſtotelis, quod ad dialecticam et metaphyſicam attinet, ſua aetate reliquis praeſtitiſſe. Quamuis in omnes quoque Ariſtotelis libros et philoſophiae partes, ſed non pari vbique felicitate commentatus ſit, et *philoſophiam pauperum*, ſiue *Iſagogen in Ariſtotelem* [t] ſcripſerit, vt haberent egeni, vnde hos ſapientiae theſauros minori ſumtu haurirent. Ferri id potuiſſet, ſi vel ſobria ratione ſuſcepiſſet, et ab inanium diſtinctionum, abſtractionum, quaeſtionum et ſimilium ſartagine abſtinuiſſet, vel theologiae has tricas non immiſcuiſſet. Verum in vtroque contrarium ab eo factum, ſicque philoſophiae et theologiae Scholaſticae corruptio inſigniter promota eſt. Vidit id iam et notauit HENRICVS GANDAVENSIS [u], monens, *eum, dum ſubtilitatem ſecularis philoſophiae nimis ſequitur, ſplendorem aliquantulum theologicae puritatis obnubilare.* Idem obſeruatum PAVLO LANGIO [x] monacho Cizenſi, qui haec de Alberto habet: *Ob amplitudinem omnifariae doctrinae magnus dictus, fuit in omni philoſophia Peripatetica peritiſſimus. Hinc et a plerisque ſimia Ariſtotelis appellatus eſt, qui et nimium vino ſecularis ſcientiae ebriatus ſapientiam humanam, ne dicam philoſophiam profanam, diuinis literis copulare auſus eſt, quique dialecticam contentioſam, ſpinoſam et garrulam ſacratiſſimae et puriſſimae non pertimuit commiſcere theologiae, nouum et philoſophicum modum ſacras docendi et explanandi literas ſuis tradens ſequacibus: theologiſtarum ſectae, quae ab eo Albertiſtarum dicitur, dux et monarcha excellens.* Quod vero cordato pioque cuilibet diſplicuit, gregi monachorum et theologorum adeo placuit, vt Wernerus Roleuinckius de eo ſcribere auſus

t) T. XXI. Opp. ea vero ad ſolos Ariſtotelis libros phyſicos pertinet.

u) loc. cit.

x) In chronico ad annum 1258.

ausus sit [y]: *Quae autem fuerit ista sapientia*, (vnde Magni consecutus est nomen) *libri sui, ostendunt, quandoquidem, vt reor, nemo ante eum potuit, quod ipse, domino cooperante, et sermonem confirmante, videlicet, concordare philosophiam cum theologia.* Laudandus autem magnopere Albertus est, quod non contentus dialecticas et metaphysicas subtilitates attigisse, ad naturalem quoque philosophiam animum applicuerit, magnoque studio in naturae stupendis operibus detegendis, et mathematicis, maxime mechanicis artibus, summa diligentia desudauerit; et si non primus, inter primos sane fuerit, qui hoc aeuo medio metallurgiam et lithologiam excoluerint. Id quod non tantum speculationibus exequutus est, sed ipsis quoque stupendis machinis, qualis ea fuisse fertur [z], quam voces edentem Thomam Aquinatem perterritum baculo concussisse et fregisse, dolente Alberto, quod triginta annorum opus perdiderit, nonnulli narrant. Fecit haec Alberti eruditio, rerumque naturalium et mechanices notitia, albo ea aetate coruo rarior, vt inter celeberrimos magos referretur. Quam calumniam iam sua aetate magno viro inustam fuisse, ex censura TRITHEMII [a] patet, qui haud inuitus ab hoc crimine eum absoluit: *Quod autem de necromantia accusatur, iniuriam patitur vir Deo dilectus.* Repetiit ista, et prolixius pro eo apologiam scripsit Sponheimensis abbas in *Annalibus Hirsaugiensibus*, quem locum, etsi longiusculum, pace Lectoris totum describemus, eo quod rem in huius aetatis historia philosophica celeberrimam haud ineleganter perstringat. Ita vero ille [b]: *Quod vero de necromantia, et pernicios artibus ab Ecclesia sancta merito prohibitis accusatur a nonnullis imperfectissimis nebulonibus, iniuriam et contumeliam patitur: Quippe qui homo doctissimus, moribus integerrimis, fide catholicus, meritoque vitae sanctus et semper in Christi amore deuotissimus existens necromantiam magiamque superstitiosam et omnes artes diabolicas damnauit, contemsit, et summa cum ratione confutauit, sicut manifesto in libello, quem praenotauit astronomiae speculum, ostendit; vbi satis exacta diligentia libros magiae naturalis a superstitiosis et prohibitis discernit, vnde si qua miranda feciss inuenitur, non maleficio, sed occultis naturae, vel rebus, vel modis procul dubio sibi notis inculpate perpetrauit. Multa enim stupenda ignorantibus causas occultas naturaliter fieri possunt, quorum visio intuentes parui sensus homines vertat in stuporem. Libri autem et volumina magicarum et necromanticarum superstitiosarumque artium quae circumferuntur sub nomine Alberti M. ficta et ementita sunt omnia, et ob id ignibus committenda. Vir enim ille sanctus et doctissimus talia non scripsit, nec illicitis et profanis*

y) Vid. AB ELSWICH. loc. cit. §. 6. pag. 12.

z) NAVDAEVS Apolog. magiae accusat. c. 18. p. 370. PASCHIVS de inuentis nouantiquis c. VII. §. 43. p. 694. §. 15. p. 580.

a) De S. E. loc. cit.

b) T. II. p. 40.

nis ſe vnquam ſtudiis occupauit. Libros illum magiae ac necromantiae legiſſe curſim quandoque, ipſius inducti teſtimonio concedimus, ſed vſum eis fuiſſe, aut fidem adhibuiſſe, penitus negamus. Legit illos vt ſciret ex ratione ad refutandum, et nullatenus ad imitandum. - - De libris autem necromanticorum B. Doctori Alberto mendaciter adſcriptis hoc dicimus, quod ſentimus. Quemadmodum naturae praeſumtuoſi et nimium auari praeſtigiatores alchimiſtae grandia promittentes, et nihil veritatis exhibentes, vel a ſemet ipſis decepti multos et varios circumferunt vanitatis ſuae libellos, Platonis, Ariſtotelis aliorumque praeſtantiſſimorum virorum nominibus praenotatos: Vel circumuenti ab aliis, cum non habeant, vnde viuant, ſub titulis falſis decipiunt curioſos: Ita nebulones et tenebriones iſti necromantiae profeſſores, vt ſuae peruerſitatis inſtituta curioſis perſuadeant, librorum quos confinxerunt, falſos titulos mentiuntur. Haec Trithemius, ampliora dedit pro Alberto M. praeſtantiſſimus NAVDAEVS [c], cuius rationibus ſubſcripſit P. BAYLE [d]. Nec aliter ſtatuent, quicunque proſcriptis anilibus fabulis, et ſuperſtitioſis narratiunculis de his rebus ſobrie et ſine praeiudicio iudicare norunt. Omnis niſi fallimur, accuſatio ad tria capita reducitur; nam et mirabile illud caput, voces articulatas edens in partes vocatur, et libri ſuſpecti magicique Alberti adducuntur, et imprimis ad conuiuium illud magicum prouocatur, quod Coloniam inuiſenti Wilhelmo imperatori exhibuiſſe dicitur Albertus, quodque fuſe deſcribit TRITHEMIVS [e], ex IO. DE BECKA *Chronica de geſtis epiſcoporum Traiectenſium et comitum Hollandiae* narrans: Wilhelmo Albertum in media hyeme dura, graui et aſperrima in horto monaſterii, reſtituto veris flore, reuocatoque aeſtu conuiuium opiparum exhibuiſſe, expleto vero conuiuio hyemem, vere iſto diſparente, rediiſſe. Quae multis mirabilibus circumſtantiis exponit, et *ſe quidem verane ſint an falſa, diſquirere non velle*, ait, *fatetur tamen, habere ſe Albertum pro viro ſancto et optimo, qui nec diabolicis, nec prohibitis ab Eccleſia ſuperſtitionibus impenderit ſtudioſum exercitium, quippe qui magis talia improbauerit, quod auctoritate ſcriptorum eius lucide comprobetur.* Nihil in his eſſe, quod magnopere ad hanc accuſationem confirmandam faciat, Lector cautus facile comprehendet. Caput enim illud magicum; ſi modo vera eſt hiſtoria, quae nondum omni dubitationi exempta eſt, nihil habet, quod non mechanicae artis perito poſſibile ſit, vt haec noſtra aetas nuper inſigni artificio ſtatuae eleganter fiſtula canentis demonſtrauit [f]. Ad obiectionem autem librorum magicorum ſatis luculenter Trithemius reſpondit, eosque ſuppoſititios eſſe, nemo forte hodie negat [ff]. Conuiuium autem illud magicum vtrum naturale fuerit,

c) Apol. Mag. accuſ. loc. cit.
d) loc. cit.
e) l. c. T. I. p. 592. et in Chronico Sponheimenſi ad annum 1254.
f) Veteribus non innotum artificium vid. CASSIODOR. Ep. L. I. 4.
ff) Conf. Cl. PETR. FRID. ARPE de Talismanibus c. IV. p. 114.

fuerit, quod Vallemontius contendit [g] et magiae naturalis opus, an praeternaturale quod TENZELIO [h] viſum, perperam diſputatur, ſcilicet non euicta rei ipſius veritate et exiſtentia; quam tamen prius ita euincendam eſſe, vt nulla veriſimilis dubitandi ratio ſuperſit, leges hiſtoriae poſtulant, et ſine ea andabatarum more diſputatur. De ea autem dubitandi cauſſam ipſe Trithemius affert, qui, licet magiae naturalis fuerit ſatis gnarus, definire tamen non audet, admirandis naturae arcanis hoc conuiuium adſcribendum eſſe, mauultque nominato auctore ſuo, a quo habuit, generali probitatis Alberti M. argumento, magiae ſuſpicionem ab eo depellere. Qui vero poſt Trithemium huius conuiuii mentionem fecerunt, vt LEHMANNVS [i] aliique, eum exſcripſerunt, et pro teſtibus pluribus fideque dignis habendi non ſunt. Ad vnum itaque Ioannem de Becka, ſiue Becanum totius narrationis fides referenda eſt. Fuit autem Becanus canonicus Traiectenſis, vixitque circa annum cIↃCCCL, cuius *Chronicon Traiectinum* poſt BERNARDVM FVRMERIVM, edidit ARNOLDVS BVCHELLIVS anno cIↃIↃCXLIII, in *corpore Hiſtoriae Traiectinae* cum obſeruationibus ſuis [k]. Hunc vero teſtem fide dignum de tam ſtupendo et incredibili opere eſſe, nemo forte aſſeuerauerit, qui, quid fidei hiſtoricae leges poſtulent, intelligit. Integro enim ſeculo a tempore, quo contigiſſe illud conuiuium magicum dicitur, remotus, et praeterea in eo loco, vbi factum illud portentum, non viuens, veritatem nec accurate ſcire potuit, nec, cum eam vulgi narratiunculam ſine examine admitteret, ſcire voluiſſe valde ſuſpectus eſt: certe in tam incredibili argumento ſolis rumoribus fidens, omnem fidem amittit. Nemini enim, qui haec tempora obſcura nouit, et quantis tenebris apud plerosque depreſſum iacuerit, naturalis ſcientiae ſtudium, intelligit, ignotum eſſe poteſt, quaecunque ſingularia pauloque ſupra captum vulgi emergentia praeſtita ſunt in naturalibus, magiae fuiſſe accuſata, hacque occaſione vſam ſuperſtitionem, mendacium et inuidiam turpiſſimam notam viris ſummis, qui talia perpetrabant, per calumniam inuſſiſſe. Exempla damus Gerbertum et Baconum, vt de illo ſupra iam dictum, de hoc infra dicetur. Talia enim cum de ſummo pontifice, ſupra vulgi captum in rebus phyſicis et mechanicis ſapiente comminiſci auſa fuerit ignorantia et calumnia, cur non de monacho Dominicano, eo tempore nondum ad ſedem Ratisbonenſem euecto ſimilia confingere, hasque fabulas cudere auſa ſit? Quem cum mirabilia multa praeſtitiſſe artis mathematicae beneficio, certum ſit, facile fuit ignauo pecori eum his narratiunculis ob illa opera infamare, ob quae ſumma laude dignus erat. Sed vt totam quoque fabulae ſcenam abſoluamus, exponemus Lectorisque iudicio relinquemus, quid nobis de tota hac hiſtoria in mentem olim iam venerit, cogitantibus, raro eiusmodi fabellas vulgari diſſeminarique,

g) Vid. Act. erud. 1709. p. 172.
h) Colloq. menſtr. 1691. p. 4. ſeqq.
i) In Chronico Spir. L. V. c. 90.
k) Conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. IV. p. 153.

quibus non aliquid veri occaſionem dederit. Quam facillimam fuiſſe nemo non videt, qui noſtrae aetatis artem nouit, in media hyemis ſaeuitia florum, pomorumque pulcherrimas producendi in viridariis illis ſingulari artificio conſtructis ſpecies. Simile aliquid nouiſſe Albertum, potuiſſeque caloris artificioſi intenſione in eiusmodi hypocauſto hortenſi inter ipſas niues et frigora flores fructusque oſtendere, intempeſtiue maturos, ſi ſupponimus, nihil facimus ab ea naturalis peritiae, quae Alberto tribui ſolet, praeſtantia alienum. In eiusmodi itaque viridarium horto ſuo inaedificatum ſi Wilhelmum duxit Albertus M. rerum naturalium indefeſſus ſcrutator et peritus artifex, ſi maturos ei fructus, et florentia veris decora oſtendit, nihil aliud ſane fecit, quam quod noſtra aetate hortulani praeſtant, mediocri artis ſuae peritia inſtructi, et ab omni magiae ſuſpicione longiſſime remoti: at eo in ſeculo ignotum et nunquam viſum exhibuit ſpectaculum. Quod cum ob ſingularis artis excellentiam admirarentur, omnes, Comites autem imperatoris, qui aderant, in laudes viri, cui in ea arte parem aetas illa non habuit, effuſi, augere, circumſtantiis, vt fieri ſolet, inſolitis, ornare, et τὸ θαυμαζὸν in ſua narratione affectare, vt iucundior eſſet, coepiſſent, mirum non eſt, eos, qui de praeternaturalium artium notitia Albertum ſuſpectum habebant, vel calumniis eum cumulare, inuidia dictante ſtudebant, auctis et mutatis rerum circumſtantiis talem tandem cudiſſe fabulam, qualem ex Becano narrat Trithemius. Sed hanc coniecturam eſſe, licet magna veriſimilitudine non deſtitutam, fatemur, eamque totam lectoris arbitrio permittimus. Quam ſi quis, quod facile patimur, reiiciat, eum tamen cogitare iubemus, vixiſſe eo tempore Michaëlem Scotum [1], magni nominis theologum, et phyſicum in aula Friderici II, valde gratioſum, qui, cum naturalis diſciplinae cognitione et artibus mathematicis ſupra aetatis ſuae conditionem excelleret, vt ex ſcriptis eius conſtat, quae abſtruſiora philoſophiae naturalis capita illuſtrant, hanc conſtruendorum extemplo conuiuiorum, et inſtruendae ex aliorum penariis atque cellis menſae artem tenuiſſe dictus ſit; de quo rumuſculo, eiusdem cum noſtro commatis iucundi ſunt THEOPHILI FOLENGII * verſiculi. Haec cum ſatis ma-

1) Michaël Scotus, patria Anglus Dunelmenſis inter ſui temporis mathematicos et phyſicos inſignem locum occupauit, de quo videndi BALEVS IV. 67. et XIV. 52. PITSEVS p. 495. G. MACKENZIE de vitis Scotor. p. 197. ſeq. Commentatus quoque eſt in pleraque Ariſtotelis ſcripta phyſica, et ſpeciatim in Meteora, vbi Auerroëm refutauit; Abbreuiationes quoque Auicennae edidit. De reliquis eius ſcriptis videſis FABRICIVM Bibl. Lat. med. T. V. p. 233. inter ea ſunt quaedam, quae perperam ad Albertum M. referuntur.

*) MERLINI COCAI Macaron XVIII. p. m. 358. ob inſignem iucundiſſimi libelli raritatem et elegantem ironiam, qua lepidam de Scoti magia fabulam ridendam propinat verſiculos eius huc apponimus:

Ecce Michaëlis de Incantu regula Scoti
Qua poſt ſex formas caerae fabricantur imago
Demonii, Satan, Saturni facta piombo.
Cui ſuffimigio per ſirica rubra cremato,
Hac, licet obſiſtant, coguntur amare puellae.
Ecce idem Scotus, qui ſtando ſub arboris umbra.
Ante characteribus deſignat millibus orbem,
Quatuor inde vocat magna cum voce diablos
Vnus ab occaſu properat, venit alter ab ortu
Meridies terzum mandat, ſeptentrio quartum,
Conſecrare facit freno conformle per ipſos
Cum quo vincit equum nigrum nulloque redutum,

Quem

tis manifeſte euincant, Seculum XIII, contra viros doctos naturalis ſcientiae accuratius peritos ſuperſtitione, credulitate, inuidia, ignorantia, calumnia et ſimilibus artibus inſaniuiſſe, id quod Baconi quoque exemplum infra adducendum confirmabit, colligi inde ſine negotio poteſt, quae ratio Alberti M. memoriam hac infamia obnigrauerit, quam detergent a viro ſummo, et Germaniae noſtrae ea aetate ornamento, qui in noſtri temporis luce coecutire erubeſcunt. Quorum iudicio foetus quoque illi adulterini proſcribentur, quos Alberto M. ſuppoſuit temeritas et fingendi audacia, quales ſunt *de ſecretis mulierum*, quo libro docti viri famam lubricam paſſam eſſe notam conſtat [m], *de mirabilibus mundi*, *de virtutibus quarundam herbarum*, *lapidum*, *animalium*; *ſecretum Alberti* et huius furfuris alia. Nec firmiore ſtant talo, quae IMPERIALIS [n] et poſt hunc alii afferunt, vt probent, Albertum M. lapidis philoſophici myſterio potitum metallorum commutandorum et perficiendorum arcanum tenuiſſe. Quamuis enim negari nequeat, doctiſſimum epiſcopum multos μεταλλαγικὸς legiſſe, vt ex erudito eius *de Metallis* opere liquet [o], ipſeque narrat, *ſe exulem aliquando factum longe abiiſſe ad loca metallica, vt experiri poſſet naturas metallorum: hacque etiam de cauſſa quaeſiuiſſe in alchymicis transmutationes metallorum, vt ex his innoteſceret aliquatenus eorum natura, et accidentia eorum propria*; quae ſatis euincunt, magna diligentia et iudicio in chemicis illum fuiſſe verſatum; apparet tamen, eum deceptorum fraudes, et impoſturas deprehendiſſe, et detexiſſe, vt ex luculento eius loco [p] demonſtrauit HERMANNVS CONRINGIVS [q]. Liber autem, ſub hoc nomine ei tributus adulterinus foetus eſt. Inter calumnias porro de tanto viro indigne iactatas pertinet, quod obſtetrices parturientibus manus porrexiſſe dicitur, quae fabula ex falſa perſuaſione orta eſt, librum *de natura rerum*, in quo artis obſtetriciae praecepta ſuppeditantur, eſſe foetum Alberti M. quem Cantipratanum diſcipulum praeceptori ſuppoſuiſſe auctor eſt biographus Alberti PETRVS DE PRVSSIA. Quanquam, ſi hunc librum edidiſſet Albertus, nihil egiſſet a naturalis ſcientiae doctore alienum, quamuis vt ait Petrus, *Artis huius praecepta nec chartis committi, nec voce tradi poſſunt, abſque expreſſione multorum, quae libido non natura foedauit.* Ceterum praeter ingenii felicitatem et acrimoniam, et eruditionis ampliſſimae copiam, in iis quoque ſcientiis, quae tunc neglectae et contemtae iacebant demonſtratam, inuicta eius diligentia improbique laborum patientia admiranda eſt, qua integram fere librorum bibliothecam conſcripſit, magnumque ſcriptorum logicorum, phyſicorum, ethicorum, meta-

Quem quo vult tanquam turbeſca ſagitta canalcat
Sacrificatque comas eiusdem ſaepe caballi. etc.
Seria vero apologia ab hoc crimine Michaëlem Scotum liberat NAVDAEVS in Apol. magiae accuſ. c. 17. p. m. 355. ſeq. qui tamen non obſeruauit Folengium rem potius quam affirmare hanc fabulam. Conf. BAYLE Dict. T. IV. art. Scote p. 180.

m) Conf BAYLE art. Albert. not. B.

n) Muſeum hiſtoric. p. 10. conf. Act. erud. 1720. p. 443. MORHOF. l. c.

o) De Met. L. III. tr. 3. c. 1.

p) c. 9.

q) De Hermet. medic. c. XXVII. p. m. 578.

phyſicorum, aſtronomicorum, theologicorum aceruum confecit, quae pleraque XXI voluminibus, prętioſo opere edidit PETRVS IAMMY Ord. Praedic. [r], quae breui recenſione enarrat I. A. FABRICIVS [s], vt nondum excuſa indicat IACOBVS QVETIF [t]. Sunt in iis, quoad philoſophiam rationalem et metaphyſicam, multa Scholaſtico iſto ſeculo digna, ſpeculationes ipſa ſubtilitate ſua moleſtae, et aetatis iſtius natiui fructus, in phyſicis vero particularique naturalium rerum tractatione multa haud contemnenda attulit, magna experientia earum rerum inſtructus. Vnde non totum probandum eſt NAVDEI "iudicium, *eum ſi pauca demas ex libro de hiſtoria animalium, nihil vnquam inepte, nihil non docte ac ſapienter protuliſſe.* Illud dubio caret, in Ariſtotelem quem commentariis fere totum illuſtrauit, exigua felicitate commentari potuiſſe, eo quod et veteris hiſtoriae philoſophicae fuerit ignariſſimus, vt ſupra iam in Dauidis de Dinanto hiſtoria obſeruatum, et Graece doctus non fuerit. *In dicendo ſapit Gothicum et barbarum, oratione quarroſa prorſus et illepida*, vt obſeruatum COELIO RHODIGINO [v], et ipſe docet inſpectio. Cum autem tota fere Europa ad eum confluxerit, ad percipienda philoſophiae Peripateticae praecepta, mirum non eſt, eius cura et labore per diſcipulos philoſophiam Ariſtotelico-Scholaſticam vbique fuiſſe diſſeminatam. Cui cum diſcipulus Thomas poſt praeceptorem humeros ſupponeret, dici non poteſt, quantum ab hoc tempore hoc philoſophiae genus inualuerit. Ceterum cum Alberto Magno, Brunſuicenſium ea aetate duce [w], itemque cum Alberto le Grand, Morlaeenſi [x], itidem Dominicano, ſed ſuperiori demum ſeculo viuente Ratisbonenſium epiſcopus confundendus haud eſt.

Thomas Aquinas.

§. XIX. Alberti M. gloriam non aequauit modo, ſed ſuperauit quoque THOMAS AQVINAS, eius diſcipulus. Qui cum omnes nominis fama, philoſophiae et eruditionis laude, atque ſanctitatis opinione antecellere crederetur, et viuus et mortuus multorum calamis celebratus eſt: quos hoc loco allegare omnes, inſtituti ratio non patitur. Viuum adhuc non ſine elogio dimiſere *Vitarum fratrum ordinis Praedicatorum* ſcriptor GERARDVS DE FRACHETO [y] et THOMAS CANTIPRANTANVS [z]. Poſt fata autem multa de eo tetigere Stephanus de Salanacho, Ptolemaeus Lucenſis, Nicolaus Triuethus, Bernardus Guido, Petrus Rogerius, ſiue quo nomine innotuit Clemens VI. P. R. Antonius Florentinus, ex quibus copioſa excerpta attulit ad vitam resque Thomae cognoſcendas valde vtilia CASIMIRVS OVDINVS [a]. Vitam vero eius ex inſtituto ſcripſit diſcipulus eius et familiaris GVILELMVS

r) Lugd. 1651.
s) T. I. p. 114. t
t) Biblioth. Dominic. T. I. p. 179. ſeq.
u) Bibliograph. polit. p. m. 16.
v) Antiq. lect. L. I. c. 11. p. m. 18.
w) Conf. MISSON. Itin. Ital. p. 734.
x) Vid. FABRIC. T. I. p. 122. eſt is auctor Vitarum et miraculorum SS. Britanniae Aremoricae, ſaepius editarum.
y) QVETIF. Bibl. Domin. T. I. p. 260.
z) De Apib. L. I. c. 20.
a) De S. E. T. III. p. 259.

MVS DE THOCO [b], quem illustri *Actorum SS.* collectioni inseruerunt BOLLANDI socii [c]. Praeter hos ex medio aeuo scriptores Thomam indictum praetermisit nemo, qui vel scriptores Ecclesiasticos, vel historiam Ecclesiae, vel Acta et Scriptores Ordinis Praedicatorum, vel Acta Sanctorum, vel Historiam literariam vniuersalem particularemque, nempe Neapolitanam exponere aggressus est. Quorum libri, cum in actis eruditionis medii aeui nostrique versato satis noti sint, hoc eos loco allegare supersedemus. Cum autem diuersissimo animo, opinione, scopo quoque et viribus ad exponendas Thomae res plerique accesserint, accurato iudicio ab omni praeconcepta opinione atque affectu libero ad discernendum verum a falso, laudabile a corripiendo etc. in cognoscenda Aquinatis historia opus est. Nos pro scopo nostro libere quidem et sine praeiudicio, sed strictim tamen et paucis tantum summam vitae philosophi inter Scholasticos omnium celebratissimi exponemus. Ortum duxit Thomas ex illustrissima comitum de Aquino gente, hodie adhuc inclyta [d], satus patre Laudolpho comite Aquinate, quem mater Theodora Theatis comitis filia in castro Roccasicca anno CIↃCCXXIV enixa est. Puer quinquennis in Casinense monasterium, in quod a prisco tempore pueri adolescentesque nobiles educationis caussa mitti solebant, ablegatus prima artium et scientiarum rudimenta hausit, cumque ex monachis ipsi praeceptor delectus esset, ingenium, quod natura habebat tardum, mature mitigare literis didicit. Vtrum autem, quod PTOLOMAEVS LVCENSIS, eius discipulus [e] tradit, *ibidem in sua prouincia in logicalibus et naturalibus optime profecerit, habens secum spiritualem magistrum more nobilium regionis*, id nec affirmare pro certo, nec plane negare audemus; quamuis logicis magis, quam physicis exercitationibus in adolescentia cultum fuisse eius ingenium, huius aeui methodus docendi discendique suadeat. Vt vero fundamentis positis maiorem doctrinam superstrueret, Neapolin missus est, vbi in humaniori literatura Martinum quendam, in dialectica Petrum Hibernum praeceptores nactus est. His studiorum deliciis inescatus, et praecipue vitae tranquillioris, quam in aula solet, desiderio tactus, de subducendo se seculari vitae eligendaque monastica cogitare coepit, inscisque parentibus anno CIↃCCXLIII ad Dominicanorum religionem Neapoli transiit, habitumque Praedicatorum induit. Aegerrime id tulit mater filii amantissima, multumque curis anxia, vt eum a proposito reuocaret, nunquam tamen a monachis Neapolitanis in eius conspectum admissa est. Qui ne sibi iuuenis nobilissimus eriperetur, huc illucue missum matris inuestigationi subducere satis non potuerunt. Vnde ablegandum in aliam regionem censentes, vbi insidiis matris non exponeretur, in Galliam deducere constituerunt,

b) De eo vid. FABRIC. T. III. p. 502.
c) d. 7. Mart. T. I. p. 655. seqq.
d) Vid. IMHOF Corp. histor. geneal. Italiae ac Hispaniae p. 65. Act. erud. 1703. p. 2. 1689. p. 176.
e) Scripsit Dominicanus hic H. E. a nato Christo ad Ann. CIↃCCLXXXIV. in bibliothecis Parisiensibus inter mss. libros obuiam, ex qua ea, quae ad Thomae historiam pertinent, excerpsit QVDINVS T. III. p. 259. seqq.

ſtituerunt, iterque cum Thoma verſus Pariſios ingreſſus eſt Ioannes Teutonicus magiſter generalis ordinis. Quos cum in Tuſcia offendiſſet frater Fridericus, matre monente et iubente dicto magiſtro a fratribus ereptus, et in patris caſtrum deductus eſt. Ibi blanditiis primo lachrymisque matris fratrumque, mox minis, tandemque carcere, immo, quod biographi referunt, mulierum lenociniis tentatus, vt propoſitum deſereret, in eo ſuperatis vexationibus omnibus conſtans perſtitit. Ita biennio elapſo occaſionem tandem inuenit, fune ex feneſtra noctu ſe demittendi, paratisque, quos fratres Dominicani aduexerant equis aufugiendi. Libertati hoc pacto reſtitutus, ſi Lucenſem audimus, Coloniam abiit, ſi reliquos biographos ſequimur, Neapolin, indeque Romam elapſus, et ex vrbe a generali ordinis primo Pariſios, et deinde Coloniam miſſus eſt. Eo in loco tum Albertus Magnus docebat tanta eruditionis, maxime philoſophicae et theologicae laude et fama, vt, quisquis clericorum eruditi accurate cuperet, illuc ad eum magiſtrum aduolaret. Tantum vero praeceptorem nactus Thomas, quamuis ingenii tarditate impar videretur, ferrea tamen laboris patientia et aſſiduitate naturam nouercam vincere, et in vſus ſuos hanc praeceptoris eruditiſſimi opportunitatem vertere conatus eſt. Quare pauca locutus multa cogitauit; tanto condiſcipulorum contemtu, vt bouem mutum conuicio appellarent. Melius tamen de Thomae indole et ingenio iudicans Albertus, *hunc* dixit, *bouem, ſi mugire coeperit, totum orbem boatu ſuo impleturum* [f]. Nec decepit Albertum ſpes, quam de hoc diſcipulo conceperat, maxima. Ita enim praeceptis eius in dialectica, metaphyſica reliquisque Peripateticae philoſophiae partibus eruditus eſt, hacque auctus ornatusque doctrina ſecundum mores ſuae aetatis ad theologiam acceſſit, vt omnes, quotquot habebat Albertus, diſcipulos antecelleret, matureque docere poſſet alios. Factum id primum eſſe Coloniae vult ELSWICHIVS [ff], ſed ſine teſte: Pariſios miſſum ibique a theologica facultate honoribus ſacris auctum eſſe anno CIↃCCLVI, indubitatum eſt [g]. In quo axiomate obtinendo Bonauenturam habuiſſe ſocium nonnulli contendunt, quod vtrum verum ſit, hoc loco diſquiri non poteſt: certe habuiſſe Haleſium ibi praeceptorem vel promotorem, rationes chronologicae Aquinatis non patiuntur, vt ſupra iam tactum. Cum enim anno demum CIↃCCXLIII religioni Praedicatorum ſe addixerit, per biennium autem captiuus detentus poſt annum CIↃCCXLV demum liberatus ſit, Haleſium eo anno iam defunctum praeceptorem habere non potuit. Vt taceamus Ptolomaei Lucenſis, familiaris et diſcipuli teſtimonium, aſſerentis, mox poſt fugam ad Albertum Coloniam eum ſe ſubduxiſſe, et Pariſios demum anno CIↃCCL veniſſe. Verba ipſa, quae ex hiſtoria eius eccleſiaſtica mſc. excerpſit OVDINVS [h], haec ſunt: *Inde vadit Coloniam ad fratrem Albertum, vbi multo*

f) Ita quidem I. B. Fulgoſius, ex quo repetiit G. HORNIVS Hiſt. phil. L. IV. c. 4. p. 298.

ff) Diſſ. de Fatis Ariſt. in ſcholis Proteſtant. p. 12.

g) PTOLOM. LVCENSIS l. c.

h) l. c. p. 261.

multo tempore fuit, et ibidem exiſtens oblata fuit eidem abbatia montis Caſini per Alexandrum gratia parentum, qui iam erant expulſi de regno, et recuſauit. Ac ibidem multa hauſit, quamuis ex ſuo ingenio multa inuenerit, quia in inuentiua et iudicatiua omnem hominem transſcendit. Poſt hoc vadit Pariſios. XXV autem annorum fuit, cum primo Pariſios venit, vbi infra XXX annum ſententias legit, et conuentum in theologia ſiue licentiam recepit. Infra autem magiſterium quatuor libros fecit ſuper ſententias etc. haec ille, qui *ſe* ait, *diſcipulum fuiſſe S. Thomae Aquinatis, et cum ipſo peregrinatum fuiſſe, ſaepius cum eo et diu manſiſſe, eiusque confeſſionem ſaepe excepiſſe.* Is ipſe autem, *tanta porro illum,* ait, *contentione ſtudiis inuigilaſſe, mentemque adeo eleuatam habuiſſe, teſtibus illis, qui tunc cum eo Pariſiis conuerſabantur, vt quaſi inſenſibilis eſſet, videreturque ita ſtudiorum rationes diuino obſequio mancipaſſe, vt palam eſſet, eum in mundo adhuc verſantem nihil habere de mundo.* Anno magiſterii tertio, tempore Vrbani IV in Italiam rediit, diffinitoris ordinis ſui per prouinciam Romanam axiomate auctus, et praeter theologiam philoſophiam quoque Ariſtotelicam pontificis iuſſu docuit. Teſtem iterum PTOLOMAEVM aduocamus, ita narrantem: *Tunc frater Thomas rediit de Pariſiis ex certis cauſſis, et ad petitionem Vrbani multa fecit et ſcripſit, ſed praecipue duo. Vnum fuit, quod expoſuit Euangelia ſub miro contextu diuerſorum doctorum, et vnus author videtur, quod non fuit ſine magna ſubtilitate tradentis. - - - Iſto autem tempore frater Thomas tenens ſtudium Romae, quaſi totam philoſophiam Ariſtotelis ſiue naturalem, ſiue moralem compoſuit, et in ſcriptum ſiue compendium redegit; ſed praecipue ethicam et metaphyſicam quodam ſingulari et nouo modo tradendi.* Haec ipſius papae auctoritate facta ſunt a Thoma, qui et ſimile inſtitutum in academiis Bononienſi, Piſana, aliisque, vbi publice docebat, tenuit. Aſt haec in tempora iſta incidunt, quibus Pariſiis certa reſtrictione impeditam fuiſſe ſcriptorum Ariſtotelis lectionem et explicationem ſupra diximus. Ex quo, luce meridiana clarius demonſtratur, ipſam Ariſtotelis lectionem pontificibus non diſplicuiſſe, iſtamque prohibitionem, rogatu tantum Pariſienſium doctorum quorundam factam, parum fuiſſe obſeruatam, nec impediuiſſe Aquinatem, quo minus Ariſtotelicam philoſophiam doceret, vel vereretur, ne in pontificis ſummi auctoritatem peccaret. Tandem mutationum pertaeſus priſtinas apud Neapolitanos ſedes repetiit, ibique more ſuo docuit, archiepiſcopatum autem ob inſignia merita et pietatem oblatum refugit. Lugdunenſi vero Concilio II a papa Gregorio X congregato, ob vnionem Eccleſiae Graecae et Latinae, eo miſſus eſt, vt concilii patribus librum de erroribus Graecorum iuſſu Vrbani IV ab ipſo conſcriptum offerret. Quo in itinere, dum in via haeret, morbo graui occupatus in abbatia ordinis Ciſtercienſis, Foſſa noua, in Campania aeger decubuit, ibique editis pie-

tatis ſpeciminibus praematura morte die VII Martii anno CIↃCCLXXIV viuis, quinquagenarius, ereptus eſt: quod quibus praeſagiis et miraculis factum ſit, apud eos legi debet, qui his deliciis delectantur, et audaciſſimi in fingendo ſeculi ineptias concoquere poſſunt. Tanta autem de eo fratres Dominicani iactarunt miracula, vt anno CIↃCCCXXIII a pontifice maximo Ioanne XXII coelitum choro adſcribi mereretur, hinc anno CIↃCCCLVIII corpus eius Dominicani ab Vrbano V conceſſum Toloſam transtulerunt: Pius V autem P. M. eum, ſui ordinis ſocium, anno CIↃIↃLXV quintum Eccleſiae doctorem renunciauit. Ex his autem, nobis non monentibus intelligitur, quanta eius in Eccleſia Romana auctoritas fuerit, quae hodienum obtinet, in qua elogia omnem ſane modum excedentia in Thomam cumulantur, quae hoc loco afferre, eſſet Lectoris patientia abuti. Facile ea vbique inueniri et legi poſſunt [i], cum nondum in tanta melioris philoſophiae et elegantioris ſeculi luce perſonare deſierint. Illud attuliſſe ſufficit, pontifices, academias, gymnaſia, et quicquid de doctrina et eruditione iudicare ſolet, in profundendis Thomae laudibus decertaſſe. Hinc ſplendidum doctoris communis nomen, mox poſt fata eius receptum, teſte PTOLOMAEO [k], et quod maius eſt, doctoris Angelici. Paucis multa eſt complexus SIXTVS SENENSIS [l], cui audit *maximo et altiſſimo ingenio vir, cui ad plenam ubſolutamque totius tam diuinae quam humanae eruditionis gloriam ſolus defuit linguarum et eloquentiae vſus, quem eruditi illius ſeculi, vtpote ſublimioribus ſtudiis intenti neglexere. Theologorum fuit ac philoſophorum omnium, quos in hanc vsque diem Scholaſticorum academia protulit, ſine vlla controuerſia princeps, quippe qui primus omnium Latinorum philoſophorum non minus incredibili, quam felici auſu omnem Ariſtotelis philoſophiam commentariis lucidiſſimis illuſtrauit. In ſacris vero ſincerioris theologiae ſtudiis ita ſapientiſſimo Auguſtino proximus inceſſit, atque ita mentem eius et omnes reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque, vt iuxta Pythagorae μετεμψύχωσιν communi doctiſſimorum omnium adagio iactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam. In Scholaſticis quoque myſticae theologiae diſputationibus ita ceteris academiarum ducibus antecelluit, vt vniuerſali ſcholarum omnium conſenſu receptum ſit, Thomam, Scholaſticae theologiae inſtauratorem, quatuor inter ſe implacabiliter pugnantia indiſſolubili pacis foedere coniunxiſſe, videlicet, copiam, breuitatem, facilitatem et ſecuritatem, quas nulli vnquam literarum profeſſori vel ante, vel poſt eum contigit, ſimul potuiſſe contingere.* Alia non minus inuidenda tacemus. Quantacunque autem eſſe poteſt Thomae Aquinatis exiſtimatio, non defuere tamen, quibus immoderatum philoſophiae Ariſtotelicae ſtudium maleſano conſilio ad theologiam translatum, quod a praeceptore Alberto didicerat, et mirifice

i) Conf. PORR. BLOVNT. Cenſ. cel. auct. p. 413.
k) loc. cit.
l) Bibl. S. L. IV.

mirifice auxerat, displicuit. Inter quos ipsa facultas theologica Parisiensis est, quae in tractatu quem aduersus Ioannem Montesonum edidit, et Auenioni per oratores suos Romanae curiae obtulit, conquesta est, S. Thomam in eas leges, quas Gregorius IX tulerat, peccasse. Verba in editis ad calcem *Magistri sententiarum* omissa ex msc. edidit Io. Lavnoivs [m], in quibus inter alia reprehendunt *propositum eius, quia eius doctrina innitatur in multis auctoritatibus et rationibus philosophorum et praecipue Peripateticorum. Nam*, ita pergunt, *in omnibus, etiam arduissimis, fidei articulis et humanam rationem transcendentibus ipse vtitur dictis Aristotelis, et immiscet eius philosophiam doctrinae fidei, sicut patet cuilibet intuenti. Hoc autem praebet occasionem errandi, cum ipsemet dicat, quod auctoritates philosophorum sint argumenta extranea doctrinae sacrae.* In sequentibus autem varios Thomae errores exprobrant, ex philosophia exortos, quae ibi dicta licet grauia sint, et lectu digna, heic tamen adduci omnia non possunt. Alii ad censuram Stephani Parisiensis episcopi prouocant, qui anno cIↃCCLXXVII multos Thomae errores suffragiis patrum et praedecessorum suorum auctoritate confixit [n]. De qua re ad Henricum de Erphordia prouocat Adamvs Tribbechovivs [o]; cui accusationi frigidam suffundunt Scotistae Thomistarum aduersarii, cuius specimen affert Ovdinvs [p]. Sed quod tacendum quoque, veritate poscente, haud est, longe alia et pro Thoma facientia afferunt tuenturque eius partis asseclae [q]. Monent enim, censuram Stephani non feriisse Thomam, nec errores ab eo reprobatos ex consilio magistrorum theologiae, in eius libris inueniri; adducuntque epistolam anno cIↃCCLXXIV ab vniuersitate Parisiensi ad capitulum generale fratrum Praedicatorum scriptam, in qua mirifice Thomam laudant, eiusque doctrinam probant. Adiiciuntque Stephani III, Parisiensis episcopi epistolam, cui etiam subscripsit facultas theologica anno cIↃCCCXXV, qua *annullantur quidam articuli fidei olim S. Thomae Aquinati adscripti.* Nobis si in tanto sententiarum discrimine iudicium quoque, quod institutum postulat, afferendum est, fatemur omnino, fuisse in Thoma iudicandi aciem haud mediocrem, ingenium excellens, lectionis copiam et inexhaustam prorsus industriam, qua quinquagenarius denatus tot et tanta scribere potuit. Habemus in eo consentientes duumuiros eruditissimos et Scholasticae philosophiae minime patronos Lvdovicvm Vivem et Erasmvm Roterodamvm; quorum ille [r], licet culpet in Aquinate, *quod secutus sit alienum iudicium, suum non adhibuerit in Secunda Secundae;* eum tamen vocat *scriptorem de schola omnium saniissimum ac minime ineptum.* Hic [s] autem *virum* praedicat *non suo tantum*

m) De Fort. Arist. c. X. p. 213. conf. Bvlaevs Hist. acad. Paris. T. III. p. 433.

n) Ipsam Stephani epistolam exhibet Ovdinvs T. III. p. 365. et Bvlaevs l. c. p. 408.

o) De Dd. Scholasticis c. V. p. 234.

p) Ex Petri de Alva Nodo indissolubili de conceptu mentis et ventris Duaci 1662. edito.

q) Fr. Sylvivs in Apologia pro S. Thoma. Pro Thoma quoque strenue militat Ovdinvs l. c.

r) De Corrupt. art. l. V. p. m. 363.

s) Comm. in Epist. ad Rom. p. 244.

tantum ſeculo magnum, cui nullus recentiorum theologorum par ſit diligentia, cui ſanius ingenium cui ſolidior eruditio, dignus plane cui linguarum quoque peritia reliquaque bonarum literarum ſupellex contingeret, qui iis, quae per eam tempeſtatem dabantur, tam dextre ſit vſus. Sane ſi in meliorem aetatem incidiſſet, iisque, quibus hodie fruimur, literarum praeſidiis fuiſſet ornatus, dubium non eſt, quin inter ſumma, quae vnquam inclaruerunt, ingenia innotuiſſet, vt ex iis colligi poteſt, quae tot ſeculi ſui ſordibus impeditus ſobrie tamen ſaepe et non ſine iudicio ſcripſit. Vnde nimis durum et iniquum putamus iudicium OVDINI[ſ] Thomae eruditioni ſic plane derogantis: *Apud viros narium emunctarum vel nullam vel modicam eruditionem ex lectione operum eius hauriri creditur. Nam Scholaſticam trutinam et garrulitatem vnice ſciebat hac aetate omnibus Scholaſticis communem et facilem. Vnde nullum ipſius hac in parte meritum agnoſci poteſt, cum tunc temporis tonſoribus etiam cognita eſſet. Neſciebat hiſtoriam, linguas, quas appellant exoticas, neque artem criticam, quibus eruditi hodie maxime celebres ſunt. In tantum iſtorum ignarus, vt Graeca nec tantiſper intelligeret.* Quae partim falſa ſunt, partim aliena, cum nemo id forte, niſi impudens et imprudens Thomae laudator, affirmet, eius eruditionem cum noſtri ſeculi literatura eſſe comparandam. Nec tamen defuit ei elegantia ingenii, vnde ſcribendi ratio atque dictio minus lutulenta, quam ſui ſeculi homines plerique, ipſeque praeceptor Albertus M. ſequi ſolebant. Ex qua dictionis eius facilitate recte criterium deſumitur, ſuppoſitos Thomae libros a genuinis deſcernendi [t]. Quamuis negandum non eſſe putemus, eſſe in eius dictione multa, quae aures delicatas radant [u]; in quibus tamen longe ceteris eſt tolerabilior. At cum ingenium tardum quidem, at acre et penetrans in ea tempora eosque praeceptores incidiſſet, a quibus prout poterat et debebat, coli comique haud poſſet, multa ei defuerunt, quae illam, quae philoſopho cetera docto et acuto tribuitur, laudem imminuunt. Inter ea potiſſimum locum occupare videtur, quod Graecae linguae ignarus fuerit, et ab artis criticae et humanitatis ſtudiis, hiſtoria quoque philoſophica imparatum habuerit animum. Hoc enim ſtudio eius philoſophico duplici pacto maximae fraudi fuit. Ita enim, cum Ariſtotelem ſibi ducem in philoſophia delegiſſet, intelligere obſcurum et difficilem philoſophum non potuit, quem non niſi Graecae linguae et philoſophiae veteris apprime peritus aſſequi poteſt. Recurrendum itaque ad verſiones erat, quae cum tunc temporis a Saracenis peterentur, factum inde, vt vitia philoſophiae Scholaſticae Saracenorum ſimul diſceret. Nec a praeceptore meliora haurire potuit, quem nouo quidem lumine, ſed fuligine fumoque pleno, Ariſtotelicam philoſophiam illuſtraſſe ſupra monuimus. Ille enim cum ipſe quoque Graeca non intelligeret, et verſionibus tantum ineptis vti cogeretur, in explanando Ariſto-

ſ) l. c. p. 256.
t) Conf. OVDINVS l. c. p. 302.
u) NAVDAEVS Bibliograph. polit. pag. m. 46.

Ariſtotele felici ſucceſſu nec ipſe vti, nec aliis dux eſſe potuit, theologiam autem philoſophiae iſti Scholaſtico-Ariſtotelicae accommodando mire turbauit. Quod malum imitatione a tanto praeceptore haurientes diſcipuli, felicius in iſta via progredi nequiuerunt; idque Thomae quoque contigit, quamuis reliquis meliori iudicio vteretur. Laudanda quidem Thomae induſtria, quod, cum Graeca ipſa intelligere non poſſet, meliorem, quam quae tunc extabat, verſionem Ariſtotelis confici curauerit. Quo in negotio vſum eum eſſe Thomae Cantiprantani opera poſt TRITHEMIVM [v] contendunt viri docti paſſim [w]. Incertus auctor autem *Chronicorum Slauicorum* apud LINDENBROGIVM [x] ad Wilhelmum de Brabantia eum laborem refert [y]; Cel. FABRICIVS quoque recte monet [z], differre illam ab ea, quam confici curauit Fridericus II, ſitque antiquior [a]. Quae ſatis probant, certum huius verſionis auctorem tempusque definiri non poſſe, quamuis veriſimile videatur, Thomae commendatione hunc laborem virum quendam doctum ſuſcepiſſe. Ipſe enim Trithemius ex rumore tantum Thomae de Cantiprato tribuit. Hac vero verſione inſtructus Aquinas dum illi fidit, tanquam Graeco exemplari, et ex ea Peripateticae philoſophiae praecepta haurit, non potuit non ſaepius errare fallique, quamuis mentis εὐστοχία, multa quoque aſſequeretur [b]. Qui ſi ſuo quam alieno iudicio vti maluiſſet, non ineptam forte philoſophiae tractationem exhibuiſſet. Verum dum Ariſtotelem vnice ſequi conſtituit, mancipii inſtar ſeruire Stagiritae coactus eſt, et veritatem quoque illi tyranno ſeruire coegit. Et ne malum hoc ſolum eſſet, immodicus Peripateticae philoſophiae amor virum hunc ſuperſtitioſo obſequio philoſopho addictum ſeduxit, vt theologiae vulneribus, quae praepoſtera philoſophiae commiſtio inflixerat, noua adderet vulnera, ſicque ſacram doctrinam vere faceret philoſophicam, immo gentilem. Qua de re quid conqueſti ſint doctores Pariſienſes ſupra narrauimus, ipſaque lectio ſyſtematis theologici Thomiſtici manifeſte demonſtrat [c]. Operam itaque oleumque perdit THOMAS CAMPANELLA [d], quando honori ordinis ſui conſulturus, cum Ariſtotelem infenſo proſequeretur animo, eique obiiceretur Thomae in eam ſtudium, contendit, *Thomam non fuiſſe Peripateticum, nec putandum eſſe ariſtotelizaſſe, ſed tantum Ariſtotelem expoſuiſſe, vt occurreret malis per Ariſtotelem illatis, et credere ſe, cum licentia*

 ponti-

v) Cat. ſcript. eccl. c. 469. p. 117.

w) AVENTINVS Annal. L. VI. pag. 566. THOMAS. Obſ. Hal. T. VI. p. 160. CONRING. Introd. in polit. Ariſt. c. 9. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 172. NAT. ALEXANDER. H. E. Sec. XIII. et XIV. c. 4. art. 3. T. VII.

x) p. 206.

y) „Anno domini 1279. Wilhelmus de Brabantia ordinis Praedicatorum tranſtulit omnes libros „Ariſtotelis de Graeco in Latinum, verbum e verbo, qua translatione ſcholares adhuc hodierna „die vtuntur in ſcholis, ad inſtantiam S. Thomae „de Aquino doctoris."

z) Ad l. c. Trithemii.

a) Eam enim ineunte ſeculo vulgatam eſſe ex Petro de Vineis ſupra probauimus.

b) „Ipſe Thomas, vt in ceteris operibus Ari„ſtotelis, ſic praeſertim in iſtis more ſuo fecit, et ex „interpretatione neque bona neque vera, bonam „tamen et veram ſententiam elicuit." NAVDAEVS l. c. p. 25.

c) Similia conqueritur VIVES ad AVG. de C. D. L. XI. c. 34. „Thomas nimis eſt Ariſtoteli„cus, et res omnem naturae vim captumque ex„cedentes cogit naturalibus parere legibus."

d) Apud LAVNOIVM de fort. Ariſt. p. 106.

pontificis. Quorum posterius verum esse, ex Ptolomaei Lucensis testimonio supra probauimus; idque perperam in dubium vocauit IOANNES LAVNOIVS [e], prius falsissimum est, ipsaque scriptorum Thomae lectione refutari potest, quae vel nunquam legisse, vel quid Aristotelicum sit, quid non, ignorare oportet eum, quia talia negat. Certe ab eo tempore, quo in Parisiensi academia Aristotelem praelegit Thomas, ille pelli eiicique amplius non potuit, sed imperio potitus omnem philosophantium nationem in seruitutem redegit [f]? Quod quam inconsulto, sinistrisque philosophiae fatis factum sit, ex eo constat, quod Saracenorum potissimum methodum Peripatetice philosophandi secutus est, quam ex versionibus et scriptis illis, quae initio sec. XIII confici curauit Fridericus II, didicerat. Cuius mali originem quidem ad Thomam referri non posse putamus, quamuis id RAPINIO [ff] placuerit; cum hanc philosophandi methodum professoribus iam commendauerit Fridericus imperator; recte tamen illi imputari censemus, quod eam methodum Saracenico-Peripateticam promouerit, et imprimis in academia Parisiensi, vbi semper hactenus fuerant, qui Peripateticismum odio prosequebantur, vulgauerit et introduxerit. Quo factum est, vt in hac quoque Academia Aristoteles Saracenicus triumpharet. Et verum quidem est, quod opponi potest, Thomam Auerroismo passim inualescenti se opposuisse, vt ex libro *de vnitate intellectus aduersus Auerroistas* patet, et ex GVIL. DE THOCO testimonio constat [g], cuius haec verba sunt: *Praeter praedicta magna volumina, quasi fidei Christianae in sanctis montibus posita fundamenta, in quibus antiquas haereses confutauit, suo etiam exortas tempore, diuino spiritu reuelante destruxit. Quarum haeresium prima fuit Auerrois, qui dixit, vnum esse in omnibus hominibus intellectum. Qui error malorum fauebat erroribus, et sanctorum virtutibus detrahebat; dum vno existente in omnibus intellectu nulla esset differentia hominum, nec distantia meritorum.* Verum parum haec dictis officiunt. Quamuis enim hanc Auerrois opinionem recte improbauerit Thomas, qui pro ea, qua pollebat, acie perspexit, quantis absurdis prematur ea opinio, non tamen inde sequitur, philosophiae Arabicae methodum eum euitasse: immo ex hoc ipso loco patere putamus, Thomae tempore illam vbique inualuisse, et peculiarem iam tum Auerroistarum factionem emergere coepisse: cum dum se opponit Thomas, satis prodit in legendis et examinandis Arabicis philosophis eum non indiligenter versatum fuisse. Ex his autem cum de philosophia tum de theologia Thomae sine praeiudicio sententiam ferre facile est, quam totam Scholasticos vultus exprimere, ipsa eius scripta abunde testantur. In quibus cum ea in philosophia ad theologiam applicanda methodo vteretur, vt consensu patrum et Scripturae quidem quaesi-

e) De fort. Arist. loc. cit.
f) Id LAVNOIVS &c. ex actis academiae solide demonstrauit.
ff) Comparaison de Platon et d'Aristote p. 407.
g) Vid. OVDINVS T. III. p. 271. QVETIF Bibl. Script. Dominic. T. I. p. 334.

quaesito, eo vero ex rationibus metaphysicis et testimoniis philosophorum gentilium confirmato, magnum doctrinae sacrae praesidium in philosophia Aristotelica poneret, moreque Arabum subtilissimas quaestiones et ambiguas de diuinis disputationes annecteret, perspicuum inde est, Scholasticae philosophiae vitia eum non sustulisse, sed auxisse. Id quod in clarissima luce ponet lectio scriptorum eius attenta et a praeiudicio auctoritatis libera. Eorum recensionem hoc loco Lector non expectabit, sed quaeret apud historiae literariae scriptorum Ecclesiasticorum enarratores [h]. Inter theologicos libros *Summa theologiae* eminet, summis laudibus celebrata, quae heic ideo notanda est, quod in *Secunda secundae* partis sectione, theologiam moralem, ipsaque virtutis morumque praecepta, immo doctrinam quoque de officiis naturalibus et Christianis explicuit. Qua in parte acumen iudicii et soliditatem eruditionis magis probasse Aquinas, quam in reliquis operibus, viris quibusdam eruditis visus est [i]. Id quod facile quidem concedimus, si respiciatur vel ad reliquas systematis theologici partes, vel ad alios Scholasticos, qui in argumento morali aridas plerumque et exsangues ediderunt tractationes: In se vero consideratus iste labor, vix tantas laudes merere videtur: nam in eo quoque, vt alibi, regnat Aristoteles, cuius principia ethica cum genuina doctrinae moralis fundamenta non exhibeant, palam est, iis solidum Thomam aedificium superstruere non potuisse. Sunt tamen qui huius ethicae gloriam Thomae denegant, et suspectum plagii faciunt; ea potissimum ratione ducti, quod Vincentii Bellouacensis speculum morale cum Secunda secundae Thomae adeo consentiat, vt ouum ouo similius esse vix possit, ille autem ante Thomam fatis concesserit [k]. Vt taceamus eos, qui genuinum Thomae foetum esse negant. Quod vt hoc loco expendi non potest, ita plagii accusationi potissimum opponitur, non modo συγχρονισμὸς Vincentii et Thomae, qui XV tamen annis eodem tempore vna vixerunt, sed et consuetudo Vincentii sua describendi compilandique, cum e contrario Thomas vbique suo arauerit vitulo, adeoque suspicio Bellouacensem magis premat, quam Aquinatem. Inter philosophica scripta eius *Commentarii in Aristotelis libros analyticos, de interpretatione, libros metaphysicos et ethicos* eminent, quemadmodum inter minora eius opuscula multa sunt, quae huc pertinent. In quibus licet falsum sit, quod supra Sixtum Senensem dicere audiuimus, quod primum se Latinis commentatorem Aristotelis praestiterit, cum et Albertus M. et alii ante eum idem fecerint, verum tamen est, subtilem et acutum eum se Aristotelis interpretem demonstrauisse, multaque ingenii acie vidisse, licet Graecae linguae subsidio careret. Ast multa quoque inepta et perperam allata admiscuit philosophiae Scholasti-

co-

h) Diligentem se in hoc argumento, et in discernendis, genuinis, dubiis et suppositiis praestitit C. Ovdinvs, l. c. p. 330. seqq.

i) Rapin. Reflexions, sur la morale §. 9. T. II. Opp. p. 401. H. Lvl. Schevrlivs Bibliograph. morali.

k) Conf. Iac. Thomas. de plagio lit. §. 60. p. 248. seqq. Io. Moller-homonymoscop. p. 641.

co-Saracenicae methodus. Sunt et alia multa, in quibus se ad philosophiam animum attulisse satis aptum demonstrat, praecipue in argumento metaphysico et logico, quod logica illa prodit, quae inter eius opuscula legitur [l], quae Aristotelica quidem est, sed pro temporum tamen istorum conditione satis perspicua; ex qua facies philosophiae rationalis inter Scholasticos cognosci potest. Fuerunt quoque qui libros ad alchemiam et magiam spectantes illi tribuerent; at hos tanti nominis, auctoritate abusos tenebrionum foetus philosopho perperam affinxisse [m] extra dubium positum est. Ceterum πολυϊστορίας et indefessae diligentiae laudem facile Aquinati vindicant Tomi XVII scriptorum eius, quorum tamen editiones [n] inutiles sterilesque commentarii praeter necessitatem augent et pretiosas faciunt. Sunt inter ea quaedam, quae ad alium Thomam, natione Anglicum [o], pertinent, qualis commentarius in Boëthium *de consolatione philosophiae*, frustra id negante ALTAMVRA [p]. Ceterum solent de eo multa narrari [q], ad augendam eius famam, tuendamque sanctitatis laudem excogitata, quae aliis excutienda explodendaque relinquimus.

Bonauentura

§. XX. Thoma Aquinate famae celebritate, eruditionis et pietatis laude, et amplissimis honorum sacrorum titulis non minor fuit, qui eodem tempore vixit BONAVENTVRA, magnus suae aetatis philosophus et theologus. De cuius rebus gestis scriptisque ex medii aeui scriptoribus videndi HENRICVS GANDAVENSIS [r], IO. TRITHEMIVS [s], et ANTONINVS [t], vt recentiores fere omnes taceamus, qui historiam literariam scriptorum Ecclesiasticorum [u], Ordinis Minorum [v] Cardinalium [w], vel Acta Sanctorum [x] scripserunt. Patria is fuit Thuscus Balneoregiensis, patre Ioanne de Fidanza, matre Ritella coniugibus haud obscuro genere natus, a Graecis in concilio Lugdunensi vocatus Eutychius vel Eustadius, quod idem sonat ac Bonauentura. In extremo morbi periculo de sanitate eius desperans mater, si restitueretur, S. Francisci religioni illum addicturam se pollicita est, et conualescentem, aetateque maturum anno XXII, ordini illi, sumto habitu Franciscano, adscri-

l) Opusc. XLVII. p. 14.

m) Conf. CONRING. de Hermet. medicina c. XXVII. p. m. 378. P. FR. ARPE de Talisman. c. 4. p. 115.

n) Romae 1570. Venet. 1594. Antwerp. 1612. Paris 1640.

o) De hoc Thoma vid. TRITHEMIVS c. 694. p. 164. MIRAEVS in Auctar. p. 84. vbi tamen caue, vt in indice factum, Thomam Anglicum a Thoma Gualensi distinguas; erat enim ex prouincia Walliae oriundus.

p) Bibl. Domin. p. 40.

q) Vid. BZOVIVS Ann. 1270. S. 15. Inde verba apparuntis crucifixi ad Thomam, *bene de me scripsisti Thoma*, inserta armis gentilitiis Aquinatum. vid. Act. erud. 1689. p. 176. Alia explodunt VALLA et ERASMVS ad 1 Cor. IX, 13. 26.

r) c. 47. p. 126.

s) c. 464. p. 112. Annal. Hirsaug. T. I. p. 615.

t) Specul. Histor. P. III. Tit. XXIV. c. 8. §. 1.

u) Inter hos videndi imprimis DVPINIVS Bibl. Nou. Script. Eccles. T. IX. et OVDINVS T. III. p. 337.

v) WADDINGVS in Biblioth. Fratr. Ord. Min. v. Bonauentura et in Annal. ad annos 1243. - - 1274.

w) LVD. DONIVS D' ATYCHY in Floribus Histor. S. R. E. Cardinalium T. I. p. 338.

x) Act. SS. 14. Iul. T. III. p. 811. RAYNAVDVS Indicul. SS. Lugdunens. T. VIII. Opp. p. 38. add. DOMINICVS DE COLONIA Hist. literar. Lugd. T. II. p. 307. OCTAV. DE MARTINIS Orat. de vita et meritis S. Bonauenturae Opusc. T. II. p. 812.

adſcribi iuſſit. Quod quanto deuotionis ardore et cupiditate exequutus ſit, biographi eius valde extollunt [y], verumque eſſe ſeculi illius mores facile perſuadent. Sacris itaque atque ſecularibus literis accurate diſcendis ſe totum addixit, moreque ſuae aetatis Pariſios abiit, vt ex praeſtantiſſimis praeceptoribus Scripturae S. atque philoſophiae myſteria diſceret [z]. Habuiſſe ibi Alexandrum Haleſium praeceptorem, hiſtoriae literariae fratrum Minorum ſcriptores tantum non omnes, et biographi quoque Bonauenturae contendunt [a]. Quod tamen dubio haud caret [b]: natus enim anno CIↃCCXXI, vota ſacra perſoluit anno CIↃCCXLIII, et tum demum primis eruditionis elementis imbutus dicitur, mittique ante annum CIↃCCXLV vix Pariſios ad audiendam philoſophiam potuit, quo curriculo more illius temporis aliquot annis abſoluto, ad theologiam tandem conuerſus eſt. Halenſis autem, vt ſupra dictum, anno CIↃCCXLV obiit. Vt taceamus, easdem rationes, quae de Thoma hoc negant, de Bonauentura quoque valere, eo quod commilitium vtriusque in palaeſtra literaria in confeſſo ſit. Vnde veriſimilius eſt, audiuiſſe eum Halenſis ſucceſſorem Ioannem de Rupella. Ex quibus de narratiuncula Trithemii iudicandum, ſcribentis: *Alexandrum Bonauenturae ingenium, dotem naturae, et puritatem vitae contemplantem dicere fuiſſe ſolitum: in fratre Bonauentura Adamus non peccaſſe videtur* [c]. Quam fabellam cudiſſe, conſecrationis Bonauenturae auctores, probabile eſt. Tanta autem in vtroque ſtadio celeritate et felicitate cucurrit, vt ſummis theologiae honoribus, vno, quod nonnulli tradunt, actu cum Thoma Aquinate augeretur. Ita ſacrarum et philoſophicarum diſciplinarum praeſidiis probe inſtructus ad docendas ſacras literas et philoſophiam animum applicuit, teſteque, qui profeſſores theologiae Pariſienſes omnes enarrat, HENRICO GANDAVENSI [d], huic ſcholae theologicae praefuit. In qua cum non tantum academiam literis, ſed et ordinem ſuum pietatis ſanctitatisque laude atque opinione ornaret, tantam ſibi apud ordinis ſui fratres auctoritatem conciliauit, et vix annos XXXIV natus Ioanni Parmenſi fatis concedenti in Generalis Ordinis Minorum munere ſucceſſor daretur. Valde vero eo tempore de ordine ſuo Bonauentura meruit, cum ſe Guilelmo de S. Amore omnibus viribus opponeret. Cum enim ſua potiſſimum auctoritate eo rem deuolueret, vt ſaluo honore muneribusque monachorum mendicantium, Guilelmi librum *de periculis nouiſſimorum temporum*, flammis comburendum traderet Alexander IV [e], gratum animum

[y]) IDEM de vita Bonauenturae p. 873.

[z]) Ibid.

[a]) Praeiuit reliquis TRITHEMIVS l. c.

[b]) Vid. OVDINVS T. III. p. 135.

[c]) Primus hoc tradidit PELWARTHVS OSWALDVS A THEMESWAR, Franciſcanus, in ſermone de Bonauentura, quem reliqui et inter hos SIXTVS IV. in bulla canoniſationis T. II. Opuſc. p. 841. ſecuti ſunt. Idem de Haleſio dictum fuiſſe ſupra monuimus; ex quo fons fabulae patet.

[d]) loc. cit.

[e]) Guilelmus de S. Amore, ex canonico Bellouacenſi doctor Sorbonicus, et Roberti fundatoris familiaris, vir magnae ſcientiae et opinionis, vt audit NAVCLERO Chron. gener. XLII. p. 944. quocum conf. ANTONINVS Summae Hiſt. T. III.

animum omnino meruit. In hoc vero nouo et ampliſſimo munere, modeſtiam eius prorſus ſingularem, humanitatem inſolitam, fraternum in correptionibus amorem et miſericordiam cum prudentia magna coniunctam impenſe extollunt hiſtoriae Franciſcanae ſcriptores, quamuis in emendanda regula S. Franciſci multam poſuiſſet operam. Neque tamen his occupatus diſtractusque laboribus a profeſſoris doctoriſque publici contentione quicquam remiſit, ſed et legendo et ſcribendo iuuentuti Eccleſiaeque prodeſſe ſtuduit, vt vel ex vno *Sententiarum* libro etiam metrice expreſſo [f] liquet, et magnus ſcriptorum euincit numerus. Talis cum eſſet, et ſumma doctrinae eius vbique, maxime in aula Romana, floreret exiſtimatio, dignus potiſſimum et aliis aptior viſus eſt Gregorio X, pontifici Romano, quem ad concilium Lugdunenſe, anno cIↃccLxxIv celebratum mitteret, in quo vnionem Eccleſiae Orientalis ſiue Graecae, cum Occidentali ſiue Latina vehementer pontificem vrſiſſe, eamque tandem obtinuiſſe, reprobantibus poſtea tamen Graecis legatorum ſuorum acta annales narrant Eccleſiaſtici. Vt vero ſplendidiori fulgeret axiomate, inter Romanae Eccleſiae cardinales eum retulit, epiſcopumque Albanenſem conſtituit. Eboracenſi enim Eccleſiae epiſcopum eum praefectum fuiſſe, quod Miraevs [g] tradit, probari non poteſt, fatente eius biographo [h], *pontificem Clementem IV, vt illum in partem ſollicitudinis traheret, opulentae Eboracenſi Eccleſiae praefeciſſe, nec tamen obtinere potuiſſe, vt vir ſanctus eam promotionem acceptaret, qui propoſiti conſtans in religione voluerit permanere.* In hoc ampliſſimo conſeſſu, cui praeter cIↃIↃ epiſcopos, abbates et homines alios Eccleſiaſticos magna interfuit copia regum, principum, ſummorumque in republica virorum, eruditionis, eloquentiae, et ſanctitatis opinione ſe valde Bonauentura commendauit, illi tamen ſuperuiuere non potuit, rebus humanis anno cIↃccLxxIv aetatis LIII, praemature ereptus. Cuius funus eo honore elatum eſt, quo ab hominum memoria

T. III. p. 684. b. ſtrenue pro profeſſorum in Academia Pariſienſi iuribus et priuilegiis decertauit. Ferre enim eo tempore academia non poterat, quod monachi mendicantes S. Franciſci et S. Dominici, ſpretis iuribus ſuis, priuilegiis et conſtitutionibus Eccleſiaſticis, profeſſionem theologiae et curam animarum ſibi vindicaſſent, iactataque paupertate voluntaria aliorum tamen in meſſem falcem ſuam immiſiſſent. Ideo eos excluſit ex albo ſuo numeroque atque grege. Quod cum pati nollent monachi, res ad P. M. delata eſt, qui probata ordinis vtriusque auctoritate, academiam vehementer obiurgauit, repugnantesque profeſſores quatuor, inter quos Guilelmus erat, fulmine percuſſit ſacro, et a munere reiiciendos eſſe ſtatuit. Qua indignitate commotus Guilelmus, librum edidit de periculis nouiſſimorum temporum aduerſus mendicantes omnes, qui cum aliis eius generis extat in Edvardi Brownii Tomo II. Faſcic. rerum expetendarum et fugiendarum Lond. 1690. edito. In eo graues accuſationes contra vtrumque ordinem cumulauit Guilelmus, praecipue, cum famoſi libri, de aeterno Euangelio, auctor diceretur Ioannes de Parma, Generalis ordinis Minorum, de quo in Annalibus Eccleſiaſticis dicendum. Conf. Bvlaevs T. III. Hiſt. Acad. Pariſ. p. 310. Huic itaque libro et ſcriptis ſe oppoſuere Thomas Aquinas et Bonauentura, effeceruntque in curia Romana, vt Guilelmi liber flammis traderetur vltricibus, nec eius quoque noua repaſtinatio Clementi IV. oblata placeret. Vid. qui Guilelmi Opera ſub ficto Ioannis Aletophili nomine edidit Paris 1632. 4. Io. Cordesivs, Nat. Alex. T. VII. H. E. p. 93. Ancilloniana T. I. p. 114.

f) Extat inter Opuſcula Lugd. 1647. fol. edita Vol. I. p. 215. et T. VI. Opp. editionis Romanae. Conf. Leyservs Hiſt. Poetar. medii aeui p. 1003. Abiudicat Bonauenturae propter inconcinnam ruditatem Ovdinvs T. VIII. p. 403.

g) Ad Henric. Gandau. l. c.

h) De Martinis l. c.

moria glorioſius non legitur. Praeſentes enim fuere Gregorius X. P. M. imperator Graecorum per Graecos proceres, ipſeque Balduinus II. Latinus Orientis imperator. Item Iacobus rex Aragoniae, patriarchae Conſtantinopolitanus et Antiochenus, cardinales vniuerſi, archiepiſcopi et epiſcopi quingenti, abbates ſexaginta aliique minorum gentium antiſtites et ſacerdotes ſupra mille: regum ac principum plurimorum oratores, Tartarorum aliorumque populorum legati, et innumerabilis politici ordinis hominum turba, laudationem funebrem dicente Petro de Tarantaſia, poſtea Innocentio V. papa. Multa de eo miracula narrant fratres Ordinis Minorum, quae qui noſſe cupit, omnium optime, ex actis canonizationis eius *i* intelliget. His enim teſtibus honorem inter coelites meruiſſe iudicatus eſt, id quod factum a Sixto IV, anno CIↃCCCCLXXXII. Sixtus V autem, vt ordini, quem ipſe ſuſceperat, velificaret, hicque haberet, quem et ſanctitatis et eruditionis magnitudine Thomae Aquinati Dominicano opponeret, ſextum Eccleſiae doctorem illum renunciauit, dictusque eſt doctor Seraphicus. Quos honores, titulos miraculorumque gloriam hoc loco examinare, praeter inſtitutum noſtrum eſt, iudicabitque ipſe Lector, morum aetatis huius, qua vixit Bonauentura, non ignarus. Nobis in hiſtoria philoſophiae Scholaſticae ideo nominandus eſt, quod eam non tam ſpinoſa, quam reliqui ſolebant tractatione impediuerit, quamuis nec a Peripatetica philoſophia, nec a quaeſtionibus theoreticis et ſubtilibus totus abhorreret. Et hac quoque ratione ad theologiam ſe conuertit, et non ſententias modo more ſeculi ſui enarrauit, ſed myſticam quoque theologiam magna contentione excoluit, et in argumento aſcetico diligentiſſimus fuit. Laudandumque in eo, quod cum ſteriles auenas et infelix lolium, quod in agro Scholaſticorum dominabatur, perſenſiſſet, meliora dare et ſucculentiora laborauerit *k*. Quod ſi ſobria ratione praeſtitiſſet, et impuros myſticae theologiae fontes, maxime vero immenſam Μαριαδελείαν, in quam furore quaſi correptus ruebat *l*, neglexiſſet, inter optimos Scholaſticorum theologos locum meruiſſet: de quo tamen ſtatuent, qui theologiae hiſtoriam deſcribunt criticam. Scripſit plurima, quae octo voluminibus, ſiue Tomis, curante CONSTANTIO SARNANO cardinale, et ANGELO ROCCA ac FRANCISCO LABATA, Sixti V et Clementis VIII auſpiciis Romae

i) Suffixa ſunt Opuſc. Tomo II.

k) „Si quaerat a me, quis inter ceteros doctores videatur idoneus, reſpondeo ſine praeiudicio „quod D. Bonauentura, quia in dicendo ſolidus „eſt, ſecurus, pius, iuſtus, deuotus. Praeterea „recedit a curioſitate, quantum poteſt, non im„miſcens poſitiones extraneas, vel doctrinas ſe„culares, dialecticas aut philoſophicas, terminis „philoſophicis obumbratas more multorum, ſed „dum ſtudet illuminationi intellectus totum re„fert ad pietatem, et religioſitatem affectus, qua„re factum, vt, ab indeuotis Scholaſticis, quorum „proh dolor! maior eſt numerus, ipſe minus „ſit frequentatus." Ita GERSON. App. de examin. doctrinae f. 1. p. 8. In ſeqq. eum Thomae longe praefert.

l) Speculum quidem de laudibus Mariae noſtro abiudicat et BONAVENTVRAE BADVARIO DE PERAGA vindicat OVDINVS l. c. p. 409. quemadmodum eum Pſalterii Mariani auctorem non agnoſcit, conf. THOM. CRENIVS Animadu. phil. T. IX. p. 98. Sunt tamen alia inter eius opuſcula, e. g. de Roſario B. Mariae etc. quae ſatis produnt, quam immenſo zelo ea in re aeſtuauerit.

prodiere [m]. Inter haec ſcripta ei tributa eſſe multa, quae ad eum non pertinent, ideo tantum ad illum relata, vt hoc quoque pacto gloriae Thomae Aquinatis Bonauenturam nihil concedere, pateſceret, veriſimillimum eſt; vtrum autem omnes illi libelli ſpurii ſint, quos ei denegat OVDINVS, duce potiſſimum vſus *ſtilo Bonauenturae atque methodo, neque plane eleganti, neque omnino neglecta, ſed media quadam incedente via, cuius tamen aliquando phraſes ad deiectionem tendant, more Scholaſticorum huius temporis; ingenium autem demonſtrent graue et virile, et nullatenus infans, aut monachale et ſimplex, omnem in expreſſionibus barbariem et nugacitatem vitans*, aliis expendendum relinquimus. Pleraque enim haec momenta ad theologica ſcripta pertinent, quae hoc loco expendere inſtitutum vetat. Inter opuſcula philoſophica vero vnum occurrit *de reductione artium ad theologiam* [n]. In eo cum contineatur breuis Iſagoge ad philoſophiam eiusque partes omnes, illaque luculentiſſime delineet, quo vultu, habituque Seculo XIII philoſophia Scholaſtica, ad theologiam potiſſimum myſticam translata ſit, pace Lectoris, hoc quoque momentum hiſtoriae Scholaſticae philoſophiae non negligemus, ſed breue eius ὡς ἐν παρέργῳ dabimus compendium. Quod qui paulo attentius conſiderabunt, multo in hac noſtra tractatione de rebus philoſophicis ad Scholaſticam periodum pertinentibus perfundentur lumine.

Typus philoſophiae Bonauenturae.

§. XXI. Sequimur autem ſeruatam hactenus methodum et ipſis Bonauenturae verbis has eius aſſertiones apponimus.

I. Omne datum optimum et omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum.

II. Multiplex itaque eſt et liberalis ab illa fontali luce emanatio.

III. Licet illuminatio omnis interne fit cognitione, poteſt tamen diſtingui in lumen exterius, ſiue artis mechanicae; lumen inferius, ſiue cognitionis ſenſitiuae; lumen interius, ſiue cognitionis philoſophicae, et lumen ſuperius, ſiue gratiae et Scripturae ſacrae.

IV. Lumen mechanicae ad ſupplendam corporis indigentiam repertae, ſeruile eſt, et degenerat a cognitione philoſophiae; et comprehendit ſeptem artes mechanicas, lanificium, armaturam, agriculturam, venationem, nauigationem, theatricam, medicinam.

V. Lumen cognitionis ſenſitiuae illuminat ad formas naturales apprehendendas, hucque pertinent quinque ſenſus. Habet enim ſpiritus ſenſibilis naturam luminis, et in neruis viget, quorum natura eſt clara et perua, et in iſtis quinque ſenſibus multiplicatur.

VI. Lumen cognitionis philoſophicae illuminat ad veritates intelligibiles perſcrutandas, et interius dicitur, quia interiores cauſſas et latentes re-

m) 1588. - 1596. fol.

n) Tom. I. Opuſc. p. 1. ſeqq. Edit. Lugdunenſis qua vtimur.

tes requirit, et hoc per principia disciplinarum, et veritatis naturalis, quae homini naturaliter sunt inserta.

VII. Veritas autem est triplex, sermonum, rerum et morum, hinc philosophia diuiditur in rationalem, naturalem et moralem.

VIII. Rationalis philosophia, vel est ad exprimendum, vel ad docendum, vel ad mouendum; indeque diuiditur in grammaticam, logicam et rhetoricam, quarum prima respicit rationem, vt apprehensiuam, secunda vt indicatiuam, tertia vt motiuam.

IX. Quoniam intellectus noster dirigi habet in iudicando secundum rationes formales, et hae tripliciter considerari possunt, vel in comparatione ad materiam, et sic dicuntur rationes formales, vel in comparatione ad animam, et sic dicuntur intellectuales, vel in comparatione ad diuinam sapientiam, et sic dicuntur ideales: ideo naturalis philosophia triplicatur, scilicet, in physicam proprie dictam, in mathematicam et in metaphysicam.

X. Physica consideratio est circa rerum generationem, et corruptionem secundum virtutes naturales, et rationes seminales.

XI. Mathematica est circa considerationem formarum abstractibilium, secundum rationes intelligibiles.

XII. Metaphysica est circa cognitionem omnium entium, quae reducit ad vnum principium primum, a quo exierunt secundum rationes ideales, siue ad Deum, in quantum principium, finis et exemplar.

XIII. Quia regimen virtutis motiuae tripliciter habet attendi, scilicet respectu vitae propriae, respectu familiae, et respectu multitudinis subiectae, ideo moralis philosophia triplicatur, scilicet, in monasticam, oeconomicam et politicam.

XIV. Lumen sacrae Scripturae illuminat ad veritatem salutarem, et est superius, quia ad superiora ducit manifestando ea, quae sunt supra rationem.

XV. Lumen hoc vnum est secundum intellectum literalem, et tamen triplex, secundum sensum mysticum et spiritualem, nempe allegoricum, moralem et anagogicum.

XVI. Totius vero Scripturae S. doctrina potest reuocari ad haec tria: Christi aeternam generationem, et incarnationem, viuendi ordinem, et Dei ac animae vnionem, primum ad doctores, secundum ad praedicatores, tertium ad contemplatiuos pertinet.

XVII. Sex hae illuminationes habent vesperam, et sequetur septima dies requietionis, quae vesperam non habet, scilicet illuminatio gloriae.

XVIII. Vt omnes illae cognitiones ab vna luce habent originem, sic omnes ad cognitionem sacrae Scripturae ordinantur, in ea claudantur, et in illa perficiuntur, et mediante illa ad aeternam illuminationem ordinantur.

XIX. Reducitur cognitio ſenſibilis ad Scripturam ſacram, ſi ex ſimili medii cognoſcendi intelligimus generationem diuinam verbi; ex ſenſuum exercitio ordinem viuendi, prudenter, temperanter et obtemperanter, ex ſenſuum oblectamento, ſi intueamur Dei et animae vnionem.

XX. In Illuminatione mechanicae poſſumus intueri verbi generationem, viuendi ordinem et animae cum Deo foederationem, quoad egreſſum, effectum, fructum.

XXI. Eadem ratio eſt in illuminatione philoſophiae rationalis, vt enim ſermo ſignificat mentis conceptum, et ille interior eſt verbum mentis, et proles eius, induit autem formam vocis, licet non recedat a mente proferentis; ita verbi aeterni generatio et incarnatio facta eſt. Eadem vero oſtendit in viuendi ordine tria, modum, ſpeciem et ordinem.

XXII. Simili modo eſt reperire in illuminatione philoſophiae naturalis, quae rationes formales conſiderat ſecundum habitudinem proportionis, ſecundum effectum cauſſalitatis, et ſecundum medium vnionis. In primo videmus verbum aeternum et incarnatum, vt enim ſe habent rationes ſeminales in materia et intellectuales in anima, ſic idealis ratio, verbum, in Deo, quod praedicat vniuerſa naturalis philoſophia. In ſecundo videmus ordinem videndi, qui lumen, vt in naturalibus non poteſt accipere, niſi e ſupernis, a ſole Chriſto et luna B. Virgine influxum. In ſecundo vnitur anima Deo, vt vnitur anima corpore etc.

XXIII. Eodem ſe modo habet in philoſophia morali, quae verſatur circa rectitudinem. Rectum autem tripliciter dicitur: vnum cuius medium non exit ab extremis, ſi ergo in Deo eſt ſumma rectitudo, et eſt principium omnium et finis, debet eſſe inter extrema media perſona, quae ſit et Deus et homo; ſecundum, quod dirigenti ſe conformatur, ita qui dirigitur ſecundum regulas iuris diuini rectus eſt; tertium cuius ſummitas eſt ſurſum erecta, vt hominis ſtatura recta; ita cum Deus ſit ſurſum, neceſſe eſt, vt apex mentis humanae ſurſum erigatur.

XXIV. Et ſic patet, quomodo multiformis ſapientia Dei, quae lucide tractatur in Scriptura ſacra, occultatur in omni cognitione et in omni natura, et quo modo omnes cognitiones famulantur theologiae; patet etiam, quam ampla ſit via illuminatiua, et quomodo in omni re quae ſentitur, ſiue quae cognoſcitur, interius lateat ipſe Deus. Habes his Lector beneuole luculentum introductionis philoſophicae ad theologiam myſticam exemplum; ex quo non modo circulum illum ſcientiarum philoſophicarum, qui aeuo medio obtinuit, quemque eodem fere modo apud Io. SARISBERIENSEM inuenire licet, diſcimus, ſed clariſſimo quoque ſpecimine videmus, qua ratione philoſophia et ad theologiam Scholaſticam et ad myſticam translata ſit. Ex quibus, quae initio huius capitis de combinatis inter ſe philoſophia, et theologia Scholaſtica atque myſtica diximus, ſua luce radiant, et egregie confirmantur. Quod reliquum eſt, hunc Bonauenturam diſtinguendum eſſe monemus a Bonauen-

tura

tura Baduario de Peraga Ordinis S. Auguſtini, qui ſeculo XIV cardinalitiam dignitatem obtinuit, cui quaedam S. Bonauenturae ſcripta tribuenda ſunt, itemque alios eſſe Bonauenturam Brixianum, Bonauenturam Brocardum [o], aliosque Bonauenturas recentiores.

§. XXII. Sacro inter Scholaſticos philoſophos diademate effulſit PETRVS HISPANVS, poſtea Ioannes XXI, pontifex Romanus, cuius hiſtoriam praeter ſcriptores hiſtoriae pontificalis veteres et recentiores et hiſtoriae literariae eccleſiaſticae auctores tetigere SCHOTTVS [p] et ANTONIVS [q], itemque LVDOVICVS IACOBVS A. S. CAROLO [r] aliique. Olyſſipone Portugalliae natus, a patria Hiſpanus, a patre Petrus Iuliani dictus, et poſt Tuſculanum epiſcopatum et purpuram eccleſiaſticam Romanae ſedi admotus eſt. Is tanta induſtria et ingenii ſubtiliſſimi acumine primo quidem philoſophiae operam dedit, et tum arti ſalutari, vt in vtroque eruditionis genere parem vix agnoſceret, et inter magnos philoſophos numeraretur, id quod PTOLOMAEI LVCENSIS [s], MARTINI POLONI [t], Io. TRITHEMII [u] et LEONIS VRBEVITANI [x] teſtimoniis nouimus; inter quos ille, *virum* vocat *in medicinis valde eruditum et in ſeculari philoſophia magnifice doctum;* hic *magnum in philoſophia.* Quod vero LEO addit: *Parum habuiſſe de experientia naturali*, vix de medico ſuſpicari licet tam inclyto, niſi iſta experientia naturali indicare voluerit prudentiam naturalem ex viuendi vſu enatam. Carpit enim eum in ſequentibus, *quod pontificalem dignitatem morum quadam ſtoliditate deformauerit.* Quod confirmat TRITHEMIVS [*], *hominem*, faſſus, *fuiſſe doctum et eruditionis multae, ſed prudentiorem medicum quam papam.* Quae repetunt Martinus Polonus, Henricus Stero, Ptolomaeus Lucenſis, Bernardus Guidonus, et qui hos ſecuti ſunt Platina, Nauclerus et alii, inque eo culpant, *quod doctrinae ſuae praeſtantiam et pontificalem dignitatem rerum gerendarum ignoratione et morum inaequalitate, ac quadam ſtoliditate deformauerit:* ea vero, quae praeclare in exiguo, quo ſedit, tempore, geſſit, conſilio Ioannis Caietani cardinalis, qui ei in pontificatu ſuffectus eſt, adſcribunt, eo quod eius nutu omnia agerentur. Quae nos hiſtoriae pontificiae ſcriptoribus examinanda relinquimus, fatemur tamen, hos ſcriptores nobis nonnihil ſuſpectos eſſe, eo quod diſerte tradant: *Pontificem religioſos exoſos habuiſſe, curialem fuiſſe, in faciendis gratiis indiſcrete tamen et ſine difficultate omnes ad eum ingreſſos fuiſſe.* Haec enim quae LEONIS verbis retulimus, iuſtam nobis anſam dant ſuſpicandi, religioſos, qui tragicum quoque vitae eius exitum

o) Vid. de his Bonauenturis medii aeui FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. I. p. 700. ſeqq. Franciſcus autem Bonauentura profeſſor theologiae Hiſpanus, et Fridericus Bonauentura philoſophus Italus vixere ſeculo XVI.
p) Bibl. Hiſp. T. I. p. 243.
q) Bibl. Hiſp. Vet. T. II. p. 81.
r) Bibl. pontificia L. I. p. 537.
s) Hiſt. eccleſ. L. XXIII. c. 21.
t) In Chronico circa fin.
u) De S. E. c. 478. p. 179.
x) In Chronico pontif. T. II. Delic. Cl. LAMI p. 330.
*) Annal. Hirſaug. T. II. p. 31.

tum fulminibus in religioſos vibratis adſcripſerunt [y], vt huius inuidiae vindictam ſumerent, talia de eo vulgaſſe, quod multoties factum eſſe, nemini ignotum eſt [z]. Certe animum reipublicae Chriſtianae tranquillitati non imprudenter proſpicientem in exiguo octo menſium tempore demonſtrauit. Quicquid autem eius rei ſit, de quo alibi diſceptandum, illud non negant ſcriptores laudati, hoc eum habuiſſe laudabile, quod literis et literatis ſe beneuolum praeſtaret. *Quia cum ſummus pontifex, et ſua dignitas ſuprema eſſet, cum inferioribus tamen non dedignabatur conuerſari, qualiscunque eſſet ſtatus, dummodo eſſet literatus, ſiue pauper, ſiue diues eſſet: et talibus fuit largus beneficiis et pio amplectebatur affectu*, quae verba ſunt PTOLOMAEI LVCENSIS [a], quae confirmat MARTINVS POLONVS [b], laudans eum, *quod multos egenos ſtudium literarum amplectentes fouerit, et beneficiis eccleſiaſticis promouerit.* Vitae vero exitum triſtem habuit, euentu cum ex μαντικῇ ſibi longam praedixiſſet, artis vaticinium deludente. Ita enim GVILELMVS DE NANGIACO [c]: *Ioannes papa cum ſibi vitae ſpatium per annos plurimos extendi crederet, et hoc etiam coram multis ſaepe aſſereret, ſubito cum noua camera, quam pro ſe Viterbii circa palatium aedificari fecerat, ſolus corruit, et inter ligna et lapides colliſus ſexta die poſt caſum huiusmodi ſacramentis eccleſiaſticis operibus perceptis expirans in Eccleſia S. Laurentii ſepultus eſt.* Factum id anno CIↃCCLXXVII, in feſto Pentecoſtes, XVII Cal. Iunii, vt demonſtratum FRANC. PAGIO [d]. Alii aliter rem narrant, prout nempe vel inuidia, vel rumor vulgi dictabat. Ita enim de ea re TRITHEMIVS [e]: *Coeco aſtrologorum iudicio deceptus vitam ſibi pollicebatur in plurimos annos, de quo ſaepe iactabundus cum apud ſuos gloriaretur familiares, quam eſſet futurorum ignarus, euidenter oſtendit. Nam octauo pontificatus ſui menſe cum Viterbii ſederet in aula magnifica ludens ad tabulam eſſetque iucundus et promiſſione longioris vitae ſuperbus, ſubito ipſa domus corruit, et pontificem miſerabiliter oppreſſit, qui tandem plusquam ſemimortuus inuentus et extractus ſexta poſt die futura neſciens deceſſit.* In qua narratione circumſtantiae vetuſtioribus indictae produnt in enarranda eius morte inuidiam calamum rexiſſe. Clarius id intelligitur, ex relatione SIFRIDI [f], tradentis, *improuiſo caſu obrutum fuiſſe, dum in eo eſſet, vt librum quendam haereticum et peruerſum dictaret, hinc inter lamentantis voces has fere ſolas fuiſſe auditas, quid fiet de libello meo? quis complebit libellum meum?* Ex quo ſcripto-

y) PTOLOMAEVS LVC. l. c. c. 21.

z) Auger ſuſpicionem, quod Ptolomaeus Lucenſis et Martinus Polonus Dominicani fuerint, adeoque ob ſtatuta in ordinem quoque ſuum iniquiora illius inimici: quod coniiciunt quoque Spondanus et FR. PAGI in Breu. pontif. T. III. p. 427. Quid enim monachorum inuidia valeat, Guilelmi de S. Amore exemplo ſupra vidimus.

a) L. XXIII. c. 24.

b) loc. cit.

c) Apud PAGIVM l. c.

d) l. c. pag. 426. Ponendus itaque apud CAVEVM H. L. Scr. Eccleſ. p. 648. annus 1276 pro 1288.

e) Annal. Hirſaug. l. c.

f) Epitom. hiſt. L. II. ad ann. 1276. Collect. Piſtor.

scriptorum dissensu et narratiunculis odiosis facile est colligere, ordinum religiosorum sectatores, quos odio habebat Petrus, in narranda eius morte funesta, ita variasse, prout affectus dictaret infensior. Praeter artis medicae scientiam, cui varia scripta, et inter ea *Bibliothecam pauperum*, debemus, maxime artis rationalis peritia inclaruit, et imprimis notissimus fuit editis *Summulis logicalibus*, quibus diu scholae pro duce in logica vsae sunt, quas tamen Psello surripuisse quidam contendunt[g]. Nec negandum, quod indignatur in Petro BVLLINGERVS [h], infelicem eum et ieiunum dialecticae magistrum fuisse. Meliora enim illa tempora ferre non poterant, quibus inutilibus tricis omnia replebantur. Distinguit tamen auctorem summularum, a Petro Ioanne Vlyssiponensi, illumque fuisse Dominicanum quendam contendit NICOLAVS ANTONIVS [i], Platina potissimum nixus [k], qui Petrum Hispanum a Ioanne pontifice ipse quoque distinguere videtur. Quod tamen sine necessitate fit, cum scriptores omnes testentur, hunc pontificem in logicis excelluisse, ille autem Petrus Ioannes nunquam appellatus sit, sed Petrus Iuliani. Alii quoque libri philosophici de eo feruntur, nempe *parua logicalia*, *dialectica*, *tractatus logicales*, *problemata et in physiognomica Aristotelis*, vt tractationes physico-medicas *de formatione hominis*, *de oculis*, et alia taceamus, enarrata praeter citatos a MERCKLINO [l] et FABRICIO [m].

§. XXIII. Longe profundius in mysteria philosophiae, maxime naturalis, artiumque mathematicarum penetrauit et seculi sui indolem multum superauit ROGERVS BACONVS, vir summus, tantaque occultioris philosophiae cognitione et experientia nobilis, vt merito doctoris mirabilis titulum reportauerit. De cuius rebus philosophicis et literariis praeter scriptores historiae literariae apud Anglos WOODIVM [n], LELANDVM [o], BALEVM [p], PITSEVM [q], aliosque [r], videndi P. BAYLE [s] et OLAVS BORRICHIVS [t], vt eos taceamus, qui naturalis philosophiae et mathematicarum scientiarum historiam enarrarunt. Patria is fuit Somersetensis gente Anglus, Ilcestriae splendida familia genitus [u]. Qui cum mature summo pernoscendorum philosophiae mysteriorum desiderio arderet, indefesso studio in rimandis eruditionis, maxime philosophicae, arcanis versatus est. Cui consilio prouida fauebat natura, quae inter tenebras, quae tunc orbem philosophicum premebant, hanc potissimum stellam produxit, quae illam noctem suae eruditionis radiis illustraret. *Rogerus Baconus.*

g) Conf. HORNIVS hist. phil. L. VI. c. 4. p. 229.
h) Apud TRIBBECHOVIVM de DD. Schol. c. II. p. 49.
i) l. c. T. II. p. 51.
k) fol. 193. a. coll. fol. 251. a.
l) Linden. renou. P. I. p. 893.
m) Biblioth. Graec. Vol. XIII. p. 326. Bibl. Lat. med. T. IV. p. 121. ANTONIVS et LVDOV. IACOBVS ll. cc.
n) Antiqq. Oxon. p. 136.
o) c. 236.
p) Cent. IV. 55.
q) pag. 366.
r) WADDINGVS Ann. Min. ad ann. 1266. 1278. Biblioth. Ord. Minor. p. 309.
s) Dict. T. I. art. Rogerus Bacon p. 416.
t) De orig. et progressu chemiae p. 123.
u) CAVE Hist. lit. S. L. p. 648. OVDINVS T. III. p. 190.

ret. Nam et donis eum inſtruxerat praeclariſſimis, raroque obuiis, et praeceptores ei ſubminiſtrauerat, quibus calcar ſubdentibus, cum ipſe iam ſtrenue curreret, fortiſſime ad ſumma eruditionis cacumina progreſſus eſt. Oxonii enim haerens eximios in grammatica, rhetorica et logica progreſſus fecit, magiſtros nactus Richardum Fiſacrium et Edmundum Richium ſiue Diuitium [x], de philoſophiae incrementis praeclare meritum, quem Baconus, cum is ad Cantuarienſem ſedem eſſet promotus, amicum poſtea habuit. Praeter philoſophiae praecepta, mathematicarum quoque diſciplinarum inſtitutionibus haud leuiter imbutus, more gentis ſuae ad proſequendum ſtudiorum curſum in Galliam abiit, Pariſiisque praeſtantiſſimorum doctorum praeceptis imbuendum ſe dedit. Facile tamen colligere eſt, plus ſuo Marte quam alieno auxilio profeciſſe Baconum in literis. Diſcebat enim hiſtoriam, linguas Orientales et Occidentales, iurisprudentiam et medicinam, quarum ſcientiarum tunc exiguus erat cultus, eo quod a plerisque eo tempore negligeretur. Itaque quod a viuis praeceptoribus diſcere non licebat, ex demortuorum chartis hauriebat, vnde, qui ſcripta eius legerunt [y], teſtantur, eum ex lectione non tantum Ariſtotelis, Plinii, Solini, Ptolomaei Hippocratis, Gellii, Ouidii, Iſaacii medici, Platonis, Ioſephi aliorumque profeciſſe, ſed diligenti quoque manu verſauiſſe Auicennam, Auerroëm, Albumazarem, Gebrum, Abuhali, Alpharabium, ſubtiliſſimos Arabum medicos et philoſophos. His itaque eruditionis ornamentis conſpicuus cum ſummam rerum theologicarum cognitionem adieciſſet, doctoratus inſignia reportauit. Ex Gallia in patriam reuerſus Oxonium vitae ſtudiorumque palaeſtram elegit, et vt tranquilliora ſtudiis ſuis, tempus ſibi et quietem poſtulantibus, otia acquireret, circa annum MCCXL monaſticam vitam ſumto cucullo Franciſcano, elegit [z]. Tempus tamen non otio, more aetatis ſuae, aut nugis logicis et metaphyſicis tribuit, ſed ad rimanda naturae arcana totam induſtriam ſuam adhibuit, et aſtrologiae, chemiae atque matheſi accurate pernoſcendae, et in vſus transferendae gnauiter inuigilauit. Quo factum eſt, vt artis chemicae, opticae, ſtaticae reliquarumque huius generis praeſidiis ea attingeret myſteria, quae et ignorabantur ab omnibus, et in ſtuporem rude et indoctum ſeculum rapiebant. Quae cum noſtra demum aetas detexerit, merito mirandum eſt, Baconem tamen pleraque iam vidiſſe, et obſeruaſſe, eamque rerum naturalium notitiam habuiſſe, quae rerum ignaros

x) Edmundus Rich, ſiue Diues, Anglus, domo Abingtonenſis, Oxonii in literis educatus theologus et philoſophus euaſit celeberrimus, ibique ſcholas propriis ſumtibus inſtituit, in quibus multos theologiam et philoſophiam gratis docuit, et Woodio teſte primus in hac academia Ariſtotelis elenchos explicuit. Factus tandem archiepiſcopus Cantuarienſis anno 1234 ad emendandos cleri mores corruptiſſimos magno acceſſit animo. Quas Eccleſiae corruptelas exoſus dum diſciplinam acrius reſtaurare niteretur Henrici III. regis Angliae, et Othonis legati pontificii odia experitur, cumque Romam ſe conuertiſſet, et ibi quoque cenſoriam exerceret virgulam, ſimili in aula quoque Romana odio laborare coepit, grandique pecunia mulctatus in Angliam remiſſus eſt. Vbi iniuriis tandem victus ſponte exul in Galliam abiit, ibique febri et moerore confectus obiit 1242. a Calliſto III. an. 1456. inter SS. relatus. Conf. CAVE l. c. p. 628. ſeq.

y) BORRICHIVS l. c.

z) WADDINGVS ll. cc.

ros attonitos facere, apta eſt. Adducemus eum ipſum loquentem, in epiſtola *de ſecretis artis et naturae operibus atque nullitate magiae*[a]: eo quod non modo quantus vir ille fuerit, inde intelligatur, ſed hiſtoria quoque inuentionum mathematicarum et phyſicarum, ampliſſimam lucem accipiat. Ita vero doctor ille mirabilis: „Per figurationem ſolius artis inſtrumenta nauigandi poſſunt fieri hominibus remigantibus, vt naues „maxime fluuiales, vel marinae ferantur, vnico homine regente, maiori velocitate, quam ſi plenae eſſent hominibus nauigantibus. Currus „etiam poſſunt fieri, vt ſine animali moueantur cum impetu inaeſtimabili. Poſſunt etiam fieri inſtrumenta volandi, vt homo ſedens in medio inſtrumenti reuoluens aliquod ingenium, per quod alae artificialiter compoſitae aërem verberent, ad modum auis volantis. Fieri etiam „poteſt inſtrumentum paruum in quantitate ad eleuandum et deprimendum pondera quaſi infinita, quo nihil vtilius in caſu; nam per inſtrumentum altitudinis trium digitorum, et latitudinis eorum, et minoris quantitatis poſſet homo ſeipſum et ſocios ab omni periculo carceris eripere, et „eleuare, et deſcendere. Poteſt etiam de facili fieri inſtrumentum, quo „vnus homo traheret ad ſe mille homines per violentiam ipſis inuitis, et „ſic de rebus aliis attrahendis. Poſſunt etiam fieri inſtrumenta ambulandi in mari et in fluuiis ad fundum ſine periculo corporali, et infinita „alia poſſunt fieri: vt pontes vltra flumina ſine columna vel aliquo ſuſtentaculo et machinae et ingenia inaudita. Poſſunt figurari perſpicua „et ſpecula, vt vnum appareat multa, vt vnus homo exercitus, et vt „plures, et quot volumus, ſoles ac lunae appareant. Nam natura, ſic „aliquando figurat vapores, vt duo ſoles, duae lunae, et aliquando tres „ſoles apparuerint ſimul in aëre, vt Plinius recitat *ſecundo N. H.* Et „qua ratione plures et infinitae res poſſint vna apparere, quia poſtquam „excedit ſuam virtutem, nullus eſt ei numerus determinatus, ſicut arguit „Ariſtoteles capite *de vacuo*, et ſic omni ciuitati et exercitui contrario „poſſunt fieri terrores maximi, vt vel propter multitudinem apparitionum ſtellarum, vel hominum ſuper ipſos congregatorum diſpereant, „praecipue ſi ſequens documentum cum illo primo habeatur; poſſunt „enim ſic figurari perſpicua, vt longiſſime poſita appareant propinquiſſima, et e contrario, ita quod ex incredibili diſtantia legeremus literas „minutiſſimas, et numeraremus res quantumcunque paruas. Poſſunt et „ſic figurari corpora, vt maxima appareant minima, et e contrario, vt „alta appareant infima et e contrario; vt occulta videantur manifeſta, vt „quae in ciuitatibus et exercitibus contrariis fiunt, poſſint ab inimicis „deprehendi. Poſſunt et ſic figurari perſpicua, vt homo ingrediens domum videret veraciter aurum et argentum et lapides pretioſos, et quicquid homo vellet; quicunque feſtinaret ad viſionis locum, nihil inueniret.

[a]) Prodiit illa paſſim, Paris 1542. 8. Baſileae 1593. Hamburgi 1618.] et in theatro chemico Arg. 1622. 8. Vol. V.

„niret. Non igitur oportet nos vti magicis illusionibus, cum potestas „philosophiae doceat operari quod sufficit. Sed de sublimioribus pote„statibus figurandum est, quod ducantur et congregentur radii per varias „fractiones et reflexiones, in omni distantia, qua volumus, quatenus com„buratur, quicquid sit obiectum. Haec sufficiant pro exemplo figura„tionum, quamuis infinita alia miranda proponi possent in medium. „His vero sunt quaedam annexa sine figurationibus. Non in omnem di„stantiam, quam volumus, artificialiter componimus ignem comburen„tem, ex sale petrae et aliis, item ex oleo petreolo et aliis. Praeterea „possunt fieri lumina perpetua et balnea ardentia sine fine. Praeter haec „vero sunt alia stupenda naturae. Nam soni velut tonitrus, et corrusca„tiones fieri possunt in aëre, immo maiore horrore, quam illa, quae „fiunt per naturam, nam modica materia adaptata, scilicet ad quantita„tem vnius pollicis sonum facit horribilem, et coruscationem ostendit „vehementem, et hoc fit multis modis, quibus ciuitas aut exercitus de„struatur, ad modum artificii Gedeonis, qui lagunculis fractis et lampa„dibus, igne exsiliente cum fragore inaestimabili infinitum Madianitarum „destruxit exercitum cum trecentis hominibus.“ Haec ipse Baconus, quae ideo licet longiuscula describenda fuerunt, vt pateret, in quae mysteria naturae artisque is penetrauerit, quod, nullo duce vsus merito omnium admirationem meruit. Licet enim inter haec esse multa, quorum experimenta non fecit, sed rationibus tantum mechanicis, staticis, opticis chemicisque ductus fieri posse statuit, sit verisimile: manifestum tamen, non intimas modo naturae leges ei fuisse notas, sed et multa eum iam tum vidisse, quae post aliquot demum secula philosophorum detexit curiositas, qualia sunt naues illae volantes, currus natantes, campanae vrinatoriae, specula optica, telescopia et vitra polyhedra, specula vstoria, et similia. Multorum quoque experimenta et vsum habuisse ex hac ipsa epistola constat, inter quae imprimis puluis pyrius referendus, cuius eum habuisse notitiam, eumque vere composuisse ante Bartholdum Schwarzium, hic locus manifestum facit [b]. Possent his addi alia ad chemicam artem pertinentia, nisi specialem eius artis historiam respicerent, heic non tangenda. Sed astronomiae quoque et geometriae sublimioris gnarissimum fuisse, ex monstratis calendarii emendandi rationibus, et ex explicata quadratura circuli liquet. Nec in sacro theologiae linguarumque sanctarum studio minorem se heroëm praestitit, vir summus, et saeniora, quam illa aetas sapiebat, tenens, vt ostensum doctissimis Angliae duumuiris HVMFREDO HODYO [c] et HENRICO WHARTONO [d], ex epistola *de laude sacrae Scripturae* ad Clementem IV. In qua inter alia haec leguntur; *Certum est mihi, quod infra tres dies quemcunque diligentem et confidentem docerem Hebraeum, vt sciret legere, et intelligere quicquid*

b) Conf. BORRICHIVS l. c. MORHOF. Polyhist. T. II. L. II. c. 38. §. 3. p. 422.

c) De Bibliorum textibus original. p. 419. seqq.

d) In Auctario ad Iacobi Vssenii historiam dogmaticam de Scripturis sacrisque vernaculis. p. 420. seqq.

quid ſancti dicunt, et ſapientes antiqui in expoſitione ſacri textus, et quicquid pertinet ad illius textus correctionem et expoſitionem, ſi vellet ſe exercere ſecundum doctrinam datam. Et per tres dies ſciret de Graeco iterum, vt non ſolum ſciret legere et intelligere quicquid pertinet ad theologiam, ſed et ad philoſophiam et ad linguam Latinam [e] In quibus tamen verbis veremur, ne ſint quaedam paullo liberalius promiſſa. Aduocanda quoque ad haec naturae miracula a Bacono praeſtita eſſet machina illa magica, caput referens, exque certis metallis ſub debita conſtellatione conflata, quae ad propoſitas quaeſtiones reſponderit, niſi apertum eſſet, eſſe eam fabulam nugacis et otioſi vulgi ambulantem, ab Alberto M. ad Baconum, ob mechanicae peritiam translatam. Id quod recte obſeruatum Io: SELDENO [f], ſcribenti: *Iſtiusmodi caput ex aere conflatum ab eruditiſſimo Rogero Bacone eſt in ore noſtratis vulgi, ſed non ſine iniuria in eius matheſin, quam ſummam et a daemonum praeſtigiis puram monſtrant ſatis illius opera, quotquot nos legiſſe contigit - - Nec quod hanc vulgi famam adſtruat, habent annales noſtri. Ex luto eiusmodi quid Oxoniae fictum, et quaedam, quae etiamnum memorantur fuiſſe loquutum ſub Richardo ſecundo tradunt. Et Ioannes Gowerus poëta noſtras Cl. in confeſſione amantis Robertum Lincolnienſem antiſtitem ſub Henrico III magicum opus ſimile adgreſſum, haut accurate ſatis momento temporis obſeruato fruſtra fuiſſe, ſcriptum reliquit.* Alias huius generis fabellas vulgi recte exploſas ab eruditiſſimo NAVDAEO [g] tacemus. His vero eruditionis rariſſimae, vulgique captum, iſto praecipue tempore, longe ſuperantis ſpeciminibus factum eſt, vt, cum ſummam laudem meruiſſet, quod relictis nugis tricisque inutilibus, quibus ingenia eo tempore torquebant et cruciabant philoſophi, ad naturae miracula explicanda ſe conuertiſſet, ſumma tamen inuidiae et calumniae audacia, ignorantia rerum naturalium craſſiſſima ſuffulta inter magos referretur, haecque cum infernali principe inito foedere, cognouiſſe et praeſtitiſſe accuſaretur. Quae calumnia non a vulgo modo ſparſa, ſed a clero quoque, ipſisque ordinis ſui fratribus diuulgata et ad aures Romani pontificis delata eſt. Id quod coëgit Baconum, anno CIↃCCLXVI Ioannem Londinenſem diſcipulum ſuum, cum libellis apologeticis et inſtrumentis mathematicis a ſe compoſitis Romam mittere, demonſtrareque nihil ſibi commercii cum impuris ſpiritibus eſſe, ſed artis ſe praeſidiis in reconditos naturae receſſus penetrauiſſe, latentibusque rerum cauſſis detectis mirabiles quosdam effectus ſupra vulgi captum et opinionem oſtendiſſe. Qua apologia, quam poſtea quoque certatim viri docti [h], et inter hos IOANNES DEE [i], et GABRIEL NAV-

e) Conf. A. E. 1691. p. 279. BAYLE l. c. not. E.
f) De diis Syriis ſyntagm. I. c. 2. p. m. 112.
g) Apologia magiae accuſatorum c. 17. p. m. 352. ſeq.
h) SELDENVS, BORRICHIVS, BAYLE ll. cc. GALE ad Iamblichum de myſt. Aegypt. p. 234.
i) Ea non prodiit. Vid. P. FR. ARPE de talismanibus c. IV. p. 116.

DAEVS [k] fecerunt, iſto quidem tempore imminentem tempeſtatem repreſſit, non tamen diſpulit. Anno enim CIↃCCLXXVIII renouata eſt criminatio apud Hieronymum de Eſculo Ordinis Minorum generalem, in Gallia tunc verſantem [l], qui cum fratribus ſuis ignorantiae eſſet ſimilis, Baconi doctrinam condemnauit, ſuisque, ne libros illius legerent, interdixit, ipſum autem auctorem carceri mancipari iuſſit. Quam eius ſententiam confirmauit Nicolaus IV. In eo an ad mortem vsque durauerit, planè ſibi ignotum eſſe fatetur CAVEVS [m]; veriſimile tamen eſt, liberatum ex vinculis ſibi Muſisque ſuis vixiſſe, ſi verum eſt, quod refert BORRICHIVS [n]: *Extare hodieque Oxonii domum Rogerii Baconis, incolis the houſe of frayer Bacon appellatam, quam cum ab altera Tameſis vrbem lambentis ripa oſtenderet ſibi Emundus Dickinſonus medicus inſignis, adieciſſe: Rogerium monachorum quorundam obtrectationibus quotidie proſciſſum in vlteriori ripa fixiſſe ſibi aedes, tum ne in citeriori, adeoque in vrbe viuens, iurisdictioni eorum foret obnoxius, tum vt oſtenderet, ſe tamen oculos aduerſariorum non defugere, ſed vitae reliquo de ignorantia inuiſae cohortis triumphare.* Obiit tandem profundiſſimi ingenii philoſophus anno CIↃCCXCIV, aetatis circiter LXXVIII, multosque reliquit rariſſimae eruditionis teſtes, libros ſubtiliſſima eruditione miroque iudicii acumine conſcriptos. Ex quibus multos quidem in bibliotheca Franciſcanorum in plebis tumultu ſub initia reformationis flammis combuſta igne conſumtos fuiſſe, WOODIVS [o] teſtatur, ſupereſſe tamen complures in bibliothecis Angliae ex OVDINI [p] recenſione patet, qui diligenter forulos bibliothecarum Angliae excuſſit. Inter ea ſcripta non modo plurima ſunt, quae ad naturalem philoſophiam, ad chemiam, ad aſtrologiam et ad medicinam pertinent, ſed et quae argumentum metaphyſicum et morale exhibent, *de quatuor vniuerſalibus cauſſis totius ignorantiae humanae, de ſapientia perfecta, de morali philoſophia, tractatus varii de ſapientia diuina, oſtendentes quomodo matheſis etc. theologiae inſeruiant: ſyncategoremata, de ente et eſſentia, de ſignis et fallaciis, de impedimentis ſapientiae* etc. ex quibus patet, non more ſeculi ſui philoſophiam in inutilibus ſpeculationibus Baconum quaeſiuiſſe, ſed praeter naturae artisque culturam, animo quoque emendando conſilium adhibuiſſe. In quibus Graecos Latinos, et Arabes philoſophos eum conſuluiſſe, ex iis, quae edita ſunt, veriſimili coniectura ſtatui poteſt.

Aegidius de Columna.

§. XXIV. Magnum quoque nomen inter philoſophos et theologos Scholaſticos ſecundae aetatis obtinuit AEGIDIVS DE COLVMNA, Eremita Auguſtinianus, cuius ordinis hiſtoriae ſcriptores eum

k) l. c. Eſt tamen, quod merito in Bacono culpes, nempe ſuperſtitionem in amore aſtrologiae demonſtratam, conf. BOYLE l. c. not. D.

l) WADDINGVS l. c. ad h. a. num. 26.

m) p. 648.

n) l. c. p. 128.

o) l. c. conf. MORHOF. l. c. T. I. L. I. c. 5. §. 26. p. 39.

p) l. c. Obſeruandae tamen cautelae a CAVEO l. c. datae de incertitudine ſcriptorum Baconi.

eum indictum non praetermiſerunt [q]. Is Romae genitus eſt ex ſplendida et illuſtri Columnenſium ſtirpe. In ipſa iuuentute Eremitarum S. Auguſtini ordinem ſuſcepit, poſtquam in vrbe patria prima literarum tyrocinia poſuiſſet. Tum, more ſeculi Pariſios miſſus Thomam Aquinatem et Auguſtinum Triumphum, ſui ordinis virum tunc celeberrimum [r] praeceptorem habuit; illumque tanto cum Bonauentura amore complexus eſt, vt eius quoque defenſionem contra Guilelmum Lamarenſem Oxonienſem theologum [s] ſuſciperet, edito *Defenſorio ſeu correctorio librorum S. Thomae, contra Guilelmi Lamarenſis Thomamaſtigis corruptorium.* Horum vero praeceptorum inſtitutione ordinisque, quem ſuſceperat, veneratione, quam ſibi quoque morum grauitate vindicabat, mature ſummam auctoritatem famamque inſignem conſequutus eſt, adeo vt a variis academiis et principibus eius copia expeteretur. Rogatus tamen a Philippo III audace, Galliae rege, vt filii Philippi pulchri educationem literariam ſuſciperet, in Galliam conceſſit, grauiſſimoque muneri humeros ſuppoſuit, et regii iuuenis animum formandum accepit. Quo in negotio quomodo verſatus ſit, ex libro quem tum ſcripſit *de regimine principum* [t], diſci poteſt; quem valde laudat MORLIERIVS [u], teſtatus magnum in eo iudicii in arcana imperii penetrantis acumen deprehendi, ſcatereque monitis et praeceptis vtiliſſimis de prudentia regnandi. Quod quidem facile credimus, fatemur tamen, aurem nobis vellicare, quod laudatus vir doctus addit, nunquam eum obliuiſci ita loqui, vt et Chriſtianum, et hominem ſui ordinis et conditionis deceat. Ex hoc enim non inepta coniectura colligimus, ita eum imperandi axiomata formaſſe et inſtillaſſe principi regio, vt ſalua inde emergeret creſceretque cleri Eccleſiaſtici auctoritas. Qua de re tamen certum quid ſtatuent, qui libellum longe rariſſimum [x] ipſi legerunt. Sane magnam eius famam fuiſſe, ex eo conſpicimus, quia meruit in Hebraeam linguam transferri [y]. Hac vero occaſione literas quoque ſacras et philoſophiam diu magna cum laude docuit in academia Pariſienſi, tanti habitus, vt doctoris fundatiſſimi appellatione honoraretur [z], et in capitulo Auguſtinianorum generali decerneretur, vbique doctrinam eius methodumque ſequendam et recipiendam eſſe. Nec diminutus hic ordinis ſui erga illum beneuo-

q) THOMAS GRATIANVS de ſcript. Ord. Eremit. CORNELIVS CVRTIVS in Elogiis virorum illuſtrium Ordinis Eremit. S. Auguſtini, p. 61. IOSEPH. PAMPHILVS in Chronico Ordinis Eremitarum Auguſtini, PHILIPPVS ELSSIVS in Encomiaſtico Auguſtiniano p. 15. addi poſſunt PROSP. MANDOSIVS Bibl. Rom. Cent. III. p. 145. ANGELVS ROCCA Comm. ad Aegidii Qq. in L. II. Sententiarum, et ſcriptores Hiſt. Literariae Eccleſiaſticae ad annum 1316. BVLAEVS Hiſt. Acad. Pariſ. T. III. p. 671. multique alii.

r) Auguſtinus Triumphus, Anconitanus Ord. Auguſtin. legationibus variis et officiis Carolo et Roberto regibus Siciliae praeſtitis inſignis obiit archiepiſcopus Nazarenus Neapoli 1328. vid. CVRTIVS l. c. p. 129. ELSSIVS l. c. p. 89. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. I. p. 403. ſq.

s) Fuit Ord. Minorum, vid. TRITHEM. c. 487. OVDINVS T. III. p. 618. FABRIC. T. III. p. 445.

t) Prodiit Romae 1482. Venet. 1498. non vero 1598. vt habet CAVEVS l. c.

u) Eſſais de literature T. II. p. 189.

x) Vid. Cl. VOGTIVS Cat. libr. rar. p. 9.

y) Conf. B. Io. CHR. WOLF. Bibl. Hebr. T. III. p. 1206.

z) Dictus etiam theologorum princeps. MIRAEVS in Auctar. p. 73.

beneuolentiae atque fiduciae affectus est, vnde factum, vt an. CIↃCCXCII, in comitiis Ordinis generalibus communi eligentium suffragio Prior Generalis Ordinis illius renuntiaretur: qua tamen dignitate post triennium se iterum abdicauit, vt eo liberius philosophiae et theologiae vacare posset. Quod tanta felicitate praestitit, vt si fides MIRAEO [a], *Regem Angliae sibi deuinciret commentario* [b] *illo, quem in libros Aristotelis scripsit, vt huic vni lucubrationi debeantur quodammodo monasteria quae in Britannia olim plurima Augustiniani possiderunt.* Sic Guidonem quoque Flandriae comitem sibi conciliauit, cum filio eius roganti *Libros elenchorum sophisticorum* explicaret, *vt*, quod ille addit, *huic etiam scripto acceptum referri possit monasterium Gandauense, quod Borlutii illa aetate suo in fundo erexerunt.* Quam regum principumque liberalitatem summamque erga Aristotelis philosophiam, et imprimis logicam, beneuolentiam merito quidem mirandam, et stupendam esse putamus, quod his tricis et speculationibus detenta fuerint regia ingenia: ita vero omnino euenire debuisse statuendum est, cum omnis eruditionis tinctura, quam principes affectabant, ab hominibus Ecclesiasticis et ex eorum iudicio hauriri deberet, qui in illis nugis consenuerunt, aliosque ad modulum suum formarunt. Sed et apud Bonifacium VIII gratiosus fuit, eo quod illius electionem post Coelestini resignationem, contra quosdam principes, vtramque improbantes edito tractatu *de renuntiatione papae*, confirmasset [c]. Quod insigne beneficium beneficio redimendum esse ratus papa eum Bituricensem archiepiscopum anno CIↃCCXCVI constituit [d]; Philippo Pulchro probante et cooperante. Et cardinalem quoque enunciasset pontifex Romanus, nisi interceſſisset mors eius, successor vero eius Clemens V, adeo tardaret, quod Galliae proceres Aegidii apologia pro Bonifacio offensi, et in curia Romana valde aduersarentur [e]. Tandem studiis ac laboribus exhaustus Auenione anno CIↃCCCXVI, decessit, Lutetiamque, vt in testamenti tabulis mandauerat, in aede Augustiniana conditus est, addito tumulo hoc elogio [f]: *Hic iacet aula morum, vitae munditia, archiphilosophiae Aristotelis perspicacissimus commentator, clauis et doctor theologiae, lux in lucem reducens dubia Fr. Aegidius de Roma, Ordinis F. F. Eremitarum S. Augustini Archiepiscopus Bituricensis, qui obiit anno domini* CIↃCCCXVI, *die XXII mensis Decembris;* Bibliothecam autem suam monasterio huic reliquit. Ex hoc vero eius epitaphio, quod illis, qui nasum habent,

a) In Auctar. p. 73.

b) Prodiit sub tit. Comm. in Aristotelis libros de anima ad Eduardum Angliae regem Venet. 1501.

c) Historiam totius rei narrat FR. PAGIVS Breuiar. chronol. hist. pontif. Rom. Tom. III. p. 495. seqq.

d) SAMMARTHANI Gall. Christ. T. I. p. 179. seqq.

e) Longas istas lites vide enarratas apud EVNDEM l. c. T. IV. p. 20. seqq. receptum esse in cardinalium numerum, sed non renunciatum quibusdam visum; vid. LVDOV. DATICHIVS Hist. Cardin. T. I. p. 372.

f) Commentatus quoque est in Alpharabium. Proprie itaque non pertinet in catalogum Peripateticorum apud IONSIVM de Hist. phil. script. L. IV. p. 340. et FABRICIVM Bibl. Graec. Vol. II. 300. alias reliqui quoque Scholastici commentatores eundem locum meruerunt.

bent, faciem philoſophiae hoc tempore prodere poteſt, conſtat, eum in philoſophia Ariſtotelico-Scholaſtica ſuo tempore parem vix habuiſſe. Caue tamen, putes, eum genuini Peripateticiſmi fautorem fuiſſe: ex ſcriptis enim eius metaphyſicis et quaeſtionibus quodlibeticis liquet, methodum Arabico-Scholaſticam eum vbique fuiſſe ſequutum. Hinc videas magno quidem acumine et ſubtilitate quaeſtiones inutiles miſcuiſſe, et obſcuriſſimis diſputationibus ingenium demonſtrare voluiſſe. His acceſſit ſtilus inelegans, rudis et ſqualidus, qualem tunc decere Scholam inepti philoſophi putabant, credentes res ornari non poſſe, contentas doceri. Ex his vero de meritis eius in philoſophiam iudicari poteſt, de quibus haec nobis narrat MORHOFIVS [g]: *Non potui ſaepe ſine riſu legere, quae Aegidius Romanus, inter Scholaſticos illos non e poſtremis, in doctrina phyſica ſua molitur. Deus bone, quot hic de materia prima, formis et priuatione futiles et inanes leguntur controuerſiae, in quibus adeo ſudat homo ille, diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis, vt in iſta rerum et cogitationum perplexitate, quid ſibi velit, non capiat.* Tacendum vero hoc loco quoque non eſt, ſcripſiſſe Aegidium in GVIDONIS DE CAVALCANTE [h], philoſophi Hetruſci Odam Italicam de *amore terreſtri* commentarium Itálica lingua, quem in hoc genere primum fuiſſe viri docti contendunt.

§. XXV. Omnium tamen famam ſubtilitate et acumine quibusdam Scholaſticae philoſophiae ſectatoribus ſuperaſſe viſus eſt IOANNES DVNS SCOTVS [i], qui in harum tricarum *περιεργίας* culturaque ſpinetorum, licet aculeatorum, ſupra modum diligenti ſimilem non habuit [k], in Scholaſticae philoſophiae hiſtoria vel ideo diligenter notandus, quia peculiarem ſectam genuit, quae ab eo Scotiſtica nominata eſt. De patria eius incerta eſt virorum doctorum ſententia. Illum eum ſibi praeter Anglos et Scoti et Hiberni vindicant. Labbeo Scotus dicitur ex vico Duns octo mille paſſibus ab Anglia diſtante oriundus. WADDINGO [l], Cauello, Arturo aliisque Hibernus eſt, Duni in Vltonia natus. Melioribus tamen coaetaneorum ſcriptorum teſtimoniis edocti nouimus, immo ipſa inſcriptione librorum nonnullorum inter mſc. quae nomen et patriam et locum natalem exhibent, conuincimur, fuiſſe natione Anglum Dunſtonae in parochia Emildonenſi prope Alnwicum in Northumbria natum. Quam opinionem cum Baleo, Cambdeno, WHARTONO

Ioannes Duns Scotus.

g) Polyhiſt. Lit. T. II. L. II. P. I. c. 13. §. 1. p. 230.

h) Eminuit in dialectica, ſed impietatis ſuſpectus fuit. Floruit Sec. XIII. Videndus de eo P. BAYLE Dict. T. II. Art. Caualcante not. D. p. 109.

i) Videndi de eo praeter TRITHEMIVM de S. E. c. 416. p. 126. ſcriptores hiſtoriae literariae Anglicae LELANDVS c. 315. BALEVS Cent. IV. c. 82. PITSEVS p. 390. MACKENZIE de vitis Scotorum ſcript. T. I. p. 215. et ſcriptores H. L. E. ad ann. 1301.

k) Hinc dictus doctor ſubtilis.

l) Biblioth. Ord. Minor. p. 203. Annal. Ord. Min. T. III. ad ann. 1308. et in vita Operibus eius praemiſſa.

TONO [m], FABRICIO [n] aliisque reliquis praeferendam esse censemus. Iuuenis adhuc Minoritarum Nouocastrensium familiae adscriptus est, et ab iis ad hauriendā literarum et praecipue philosophiae praecepta Oxonium missus [o]. Ibi in collegio Mertonensi eruditionis semina concepit, omnesque eius partes peruagatus, non philosophiam modo Scholasticam, sed ius quoque vtrumque, et mathematicas disciplinas tanta felicitate didicit, vt condiscipulos omnes longe post se relinqueret, et eruditio eius vbique maximis laudibus celebraretur. Quae doctrinae excellentia tantopere eum in aula regis Angliae commendauit, vt euocato ex Oxoniensi Schola ad Parisiensem Cathedram Guilelmo Varrone vel Guarrone, viro in theologia et philosophia Scholastica celebratissimo [p], cui ideo fundati doctoris nomen haesit, quemque noster cum Alexandro Halensi Anglico, vt volunt nonnulli [q], aliis negantibus [r] praeceptorem habuit, in theologiae docendae munere ipsi sufficeretur. Ibi ingenii subtilitate, qua mirum in modum excellebat, tantam sibi eruditionis opinionem comparauit, vt innumera fere auditorum turba ad eum conflueret: suntque, qui triginta plusquam scholarium millia ad eum audiendum Oxonium conuolasse perhibent [s]. Ita explicatis sententiis a superioribus Lutetiam missus est ad capiendos summos in theologia honores, anno CIↃCCCIV, et triennio post in comitiis Tolosanis a suo ordine Regens creatus, et Parisiensi simul Scholae sacrarum literarum doctor datus est. In qua cum hactenus Bonauentura et Thomas Aquinas post Lombardum, suis commentationibus iuuentuti viam in sacrae doctrinae studio ostendissent, horumque libri fuissent explicati, eorum gloriam ingenii subtilissimi praestantia superandam, sicque nouam sibi celebritatem acquirendam ratus, adhibitis praecisionum, distinctionum, terminorumque nouorum inauditis commentis, variare doctrinae τύπον, et accuratius atque diligentius de dogmatibus theologicis et philosophicis disputare coepit. Id quod praecipue in articulo de efficacia gratiae, concursuque liberi arbitrii eiusque viribus factum, in quo cum pressius Augustinum, more tunc in Ecclesia recepto, secutus esset Thomas, Scotus Aristotelicae philosophiae insistendum ratus, quae viribus humanis valde fauet, a Thomae doctrina discessum fecit, sicque duas illas Thomistarum et Scotistarum [t] factiones genuit, quarum nomina hodiernum inter theologiae Scholasticae fautores in nonnullis Romanae Ecclesiae Scholis personant. Ita vero, qui fructus fuit scholasticae philosophiae pessimus, Pelagianismo, iam ab ipsis huius philosophiae natalibus in Ecclesia serpenti porta aperta est patentissi-

m) App. ad CAVEVM Hist. Lit. Script. Eccl. p. 2.

n) Biblioth. Lat. med. T. IV. p. 407.

o) WADDINGVS ll. cc.

p) Vocatur etiam Verus, Varrilio, Varro de Anglia. Vid. TRITHEMIVS de S. E. c. 488. p. 129. WADDINGVS p. 157. OVDINVS T. III. p. 567. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. III. p. 509.

q) TRITHEMIVS l. c.

r) Qui nempe Scotum aet. 34 vel 43 obiisse dicunt, Halensem 1245 mortuum eius praeceptorem dicere non possunt. Sed incertus est annus natalis Scoti.

s) Vid. WHARTON. l. c.

t) Vid. PAGI Crit. Anti-Baron. ad ann. 1290. n. II.

tentiſſima: id quod viderunt deteſtatique ſunt viri quidam cordati et perſpicaces, inter quos imprimis THOMAS BRADWARDINVS, theologus et philoſophus Angliae profundus ſcriptis libris tribus *de cauſſa Dei et de veritate cauſſarum contra Pelagianos*, vigenti Pelagianiſmo ſe oppoſuit [a]. Sunt quoque, qui opinantur, Scoto obſtetricante inauditum antea in Eccleſia dogma de immaculata B. Virginis conceptione primum propalari coepiſſe, publiceque fuiſſe ex cathedra traditum, idque ſolenni habita diſputatione, ducentis ordine prolatis argumentis Ioannem probatum iuiſſe: tantumque potuiſſe viri doctiſſimi famam apud academicos Pariſienſes, vt in ſententiam eius pedibus manibusque tranſirent, feſtumque diem immaculatae B. V. conceptioni ſacrum inſtituerent, neue quis, niſi eiusdem opinionis ſectarius ad gradus Scholaſticos admitteretur edicto cauerent [x]. Id quod tamen negant alii, Scotum contendentes, hoc dogma problematice tantum propoſuiſſe, decretumque hoc academiae, demum poſt Concilium Baſileenſe anno cIↃcccxcIV vulgatum eſſe [y]. Qua de re cum hoc loco diſquiri inſtitutum prohibeat, in annalibus Eccleſiaſticis diſpiciendum eſt, videndique poſt PAVLVM SARPIVM [z], FRID. VLRIC. CALIXTVS [a] et NATALIS ALEXANDER [b]. Anno cIↃcccVIII a Gondiſaluo Minoritarum Generali Coloniam ad docendam theologiam miſſus eſt. Vbi cum ſumma eius eſſet expectatio, ſolenni pompa ei obuiam procedente magnifice exceptus eſt. Diu tamen Colonienſi Scholae hoc doctore frui non licuit, mature enim apoplexia, vel vt alii volunt epilepſia vel lethargo correptus, et feſtinato nimis funere elatus vicus ſepultus eſſe dicitur. Id quod tamen pro fabula habent poſt A. MIRAEVM [c], L. WADDINGVS [d], L. ELL. DVPINIVS [e] aliique [f], qui hoc fabuloſum mortis genus ei affinxiſſe volunt Paulum Iouium; non enim vllam eſſe

a) De Thoma Bradwardino, viro in theologia, philoſophia et matheſi exercitatiſſimo, quem Dominicanis adſcribit ALTAMVRA Bibl. Praed. p. 133. Franciſcanis DVPINIVS et OVDINVS T. III. p. 333. qui tamen ipſe retractat: neutri forte Ordini adſcribendus quique doctoris profundi titulum meruit. Vid. WHARTON. ad CAVEVM p. 32. Archiepiſcopus Cantuarienſis conſecratus paulo poſt anno 1349. obiit, vid. IDEM Angl. ſacr. T. I. p. 119. Valde is inualeſcenti Pelagianiſmo ingemuit, conqueſtus totum mundum poſt Pelagium abiiſſe; ita vero contra eum diſputat, vt tantum non in alterum extremum delabatur. Id quod ex ſententiis XXXVI, ad calcem operis ab HENRICO SAVILIO Londini 1618. fol. editi patet, ex quo repetiit FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. I. p. 732. Ibi enim inter alia ſtatuit. „Nullam rem exiſtere, niſi Deo ipſam im„mediate per ſe et proprie conſeruante ineſſe, „omnem rem factam ſecundum ſubſtantiam ſuam „fieri immediate a Deo, nullam voluntatem Dei „a poſterioribus voluntis ſuis cauſſari; omnem „actionem voluntatis creatae ſecundum eſſentiam „ipſam actus fieri ab ipſa et a Deo eundem pari„ter coagente voluntatem diuinam praecedere na„turaliter in agendo vt dominam, creatam ſub„ſequi naturali ordine vt ancillam Deum prae„uelle, id eſt, prius naturaliter velle, ſeu prius „voluiſſe hoc vel illud praeſens vel futurum, nec „eſſe, nec fuiſſe in libera contradictionis hominis „poteſtate etc." Ceterum ex eius diſputatione patet, legiſſe eum Graecorum et Arabum ſcripta, ſed in verſionibus, criticae autem artis ignarum fuiſſe. Saepe enim prouocat ad opera veterum ſuppoſititia, e. g. Ariſtotelem de ſecretis ſecretorum.

x) WHARTON. l. c.

y) DVPIN. Nou. Bibl. Script. Eccleſ. T. XI. pag. 3.

z) Hiſt. concil. Trident. L. II. p. m. 122.

a) Hiſt. dogm. de immac. conceptione B. Virginis p. 90. ſeqq.

b) H. E. T. VII. p. 150. ſeqq.

c) In Auctar. p. 75.

d) loc. cit.

e) loc. cit.

f) Conf. CRENIVS Animadu. philol. et hiſt. P. III. c. 3. §. 10. p. 134. ſeqq.

eius Coloniae memoriam in archiuis monaſterii, aut in epitaphiis variis monumento appenſis [f]. Quidam annum aetatis XXXIV non ſuperaſſe, alii XLIII deceſſiſſe contendunt, nonnulli LXIII attigiſſe ſtatuunt, natalis enim incertus eſt. Scripſit plurima vir diligentiſſimus, non theologica modo, ſed et philoſophica, et imprimis logicam, phyſicam et metaphyſicam Ariſtotelis illuſtrare conatus eſt, quae eius ſcripta Tomis XII comprehenſa auſpiciis Miniſtri generalis Ordinis Io. Baptiſtae a Campanea edidit LVCAS WADDINGVS [h]. In eis tamen ingenii ſubtilitatem, et praeciſionum atque diſtinctionum humani intellectus aciem tantum non effugientium fertilitatem oſtendit, vt dignus viſus ſit multis, qui omnibus philoſophis praeferretur, et inter argutos philoſophos quidam Deus dici videretur [i], qualia elogia videſis apud THOMAM POPE-BLOVNT [k]. Quam obſcuriſſimi et vaniſſimi philoſophi admirationem in ipſa quoque Anglia, poſt Bacones et Hobbeſios adhuc viguiſſe, ex exemplo in fine paginae adiecto [l], diſce Lector et obſtupeſce. Nihil enim praeſtitiſſe philoſophum reuera quidem ſupra modum acutum et infinitis diſputationibus portam aperientem, ſed nugis tricisque totum detentum, quo vel mediocriter philoſophia iuuari queat, infelici vero quaeſtionum infinitarum farragine, conceptuum abſtractiſſimorum fictionibus, diſtinctionum ſine fundamento excogitatarum cumulo, ancipitique diſputandi genere Scepticiſmum, iam in orbe philoſophico inualeſcentem in ſede regia collocaſſe, ac inaniſſimarum liticularum, ſectarumque vaniſſimarum fontes aperuiſſe, librorum eius teſtatur inſpectio, et experientia teſtis eſt omni exceptione maior. Vnde non inuiti BALEI [m] ſubſcribimus iudicio, cui audit *portentoſus artifex ac litigiorum patriarcha, qui impoſturarum labyrinthos ingenio*

f) Iani Vitalis Panormitani epitaphium Scoto poſitum exhibet LABBEVS Theſ. epitaph. P. VII. pag. 285. Elegans eſt l. DVPORTII Stromat. poëtic. p. 203.

Hic iacet ambigua et ſubtili morte peremtus
Doctor ſubtilis, qui prob dolor! ante ſepultus
Quam defunctus erat, triſte et miſerabile dictu:
Quas, quot et ille ſcholas rexit! dubiumque reliquit,
Prima an Aquinati iam concedenda cathedra,
Laurea et Angelico ſit debita ſumma magiſtro,
Cadere quas formas ſollers! quas haecceitates:
Inter vesque modosque o quam diſtinxit acute!
Qui tamen ipſe adeo diſtinguere nouit, amici
Morbum a morte eius nondum diſtinguere norant.

g) Lugdun. 1639. fol.

h) Ita PITSEVS l. c.

i) Cenſ. celebr. auctor. p. 418.

k) Edidit IOANNES SANCRVCIVS Nordouocenſis Londini 1672. 8. dialecticam ad mentem eximii magiſtri Ioannis Scoti doctoris ſubtilis Angli ex vniuerſis eius operibus genuinis fideliter erutam et elucidatam. Is in praefatione de Scoto inter alia multa ita: „Philoſophiam ſic excoluit, vt „eius inuentor eſſe poſſet, niſi natam inueniſſet, „myſteria fidei ita ſciuit, vt pene non crediderit: „Natura Dei ita deſcripſit, quaſi aſpexiſſet, ar„cana prouidentiae. quaſi penetraſſet, angelorum „attributa, quaſi angelus eſſet, delicias alterius „vitae, quaſi praeguſtaſſet, paucis annis tam „multa ſcripſit, vt iis legendis vix vnus; intel„ligendis vix vllus ſufficiat, ſcripturus plura, ſi „ſcripſiſſet minus ſubtiliter. Tantus fuit Scotus „veſter ſubtiliſſimus. Eius proinde altiſſimarum „ſpeculationum lectione aſſidue aſſueſcens, ſatur „nunquam, tum ob expertam philoſophiae abdi„tiſſimae claritatem, tum ob inſignem in refel„lendis aduerſariorum dogmatibus modeſtiam, „tum ob vehemens, quo ardebam, deſiderium, „Scotum veſtrum immortalem, ſubtilium indi„cem Angliae ſuae ſuoque Oxonio vindicandi, „fieri tandem poſſe exiſtimaui, vt huius veſtri „Solis auguſtiſſimi colluſtratus radiis veritatis me„tam ſecutus pertingerem." Haec ille, in Academia Proteſtantium celeberrima, in qua, quicquid elegantiae veteris et recentioris florebat, tunc viguit. Et tamen cenſoriam ſcepticorum et cynicorum ſciolorum ſeueritatem exagitat. Ita difficile eſt nugas vbique expellere omnes.

m) loc. cit.

genio Daedalino excogitauit, contendendi formulas nouas verbis intricatis subtiliter adinuenit, et monstrifica conflictationum vocabula formauit, de suppositionibus, obligatoriis, insolubilibus, haecceitatibus, formalitatibus, modis intrinsecis, atque aliis sophistarum chimaeris. Quod qui negat, eum vel vnum *Quaestionum miscellanearum de formalitatibus* librum [n] intueri oportet, vt conuincatur. Mirum itaque non est, ineluctabilem ei obiici obscuritatem, quam illi Scoti, siue tenebrarum nomen peperisse, Sixtus Senensis perperam suspicatur, patria enim nostri Duns Graecis σκότος est [o]. Σκοτεινὸς tamen nomen olim Heraclito datum meliori illi iure conuenire, in confesso est. Ioannem Scotum, Erigenam, de quo supra dictum, aliumque Ioannem Scotum SIGEBERTO GEMBLACENSI [p] memoratum cum Ioanne Dunstano siue Scoto, caue ne confundas [q].

§. XXVI. Praeter hos summos inter Scholasticos secundae aetatis philosophos, quos non immerito eorum patriarchas vocaueris, alii quoque vixere quam plurimi, nec ingenii acumine, nec philosophiae laude destituti, et in historia Scholasticae philosophiae non negligendi. Hos autem recensere omnes nec ob instituti nostri limites licet, nec ob ingratum laborem, ipsique Lectori taedio futurum lubet. Sunt tamen inter eos nonnulli, quos enarrare, ea, qua fieri potest breuitate, et quasi per lancem saturam, nostrae tractationis interest, ne horum virorum in historia philosophica aeui medii celebrium nomina quaerentibus hiulca atque manca appareat. Prae reliquis autem memorari merentur Simon Tornacensis, Petrus Aponensis, Robertus de Sorbona, Petrus de Tarantaria, Guilelmus de Petra Alta, Guilelmus Durantes, Iacobus de Rauenna, Alexander ab Alexandria, Dinus de Garbo, Ioannes Parisiensis, Ioannes de Neapoli, Franciscus Mayro, Robertus Perscrutator, Arnoldus de Villa Noua, Ioannes Bassolis, aliique in Germania quoque nostra inter Scholasticos eminentes.

Alii secundae aetatis Scholastici.

§. XXVII. SIMONIS TORNACENSIS supra iam facta est mentio [r], cum fortunam Aristotelis in academia Parisiensi describeremus, monentes, vehementer illum ob philosophicas subtilitates doctoribus Parisiensibus modernis fuisse inuisum, et impietatis suspicionem ita incurrisse, vt fabula tandem fieret. Haec cum ex philosophica historia eiicienda sit, paulo plenius eius historiam exponemus. Tornacensem eum dictum fuisse nonnulli volunt a patria, alii a munere canonici in Ecclesia Tornacensi, cum Thuruaio-Anglum faciant. In dialecticis artibusque liberalibus peritissimum fuisse, plurimosque in academia Parisiensi audltores habuisse, quod autem nimis Aristotelem sequeretur, a

Simon Tornacensis.

n) Tomo III. Opp.
o) FABRICIVS l. c.
p) De S. E. c. 65.
q) Conf. THOMASIVS Orig. hist. philos. et eccles. p. 115. HANSCH. de Enthus. Platonico Sect. I. §. 8. p. 16. qui Crenium ideo notat, et Kirchmannum, hunc vero praeter rem.
r) Sect. I. §. 6.

nonnullis haereſeos accuſatum fuiſſe, HENRICVS GANDAVENSIS[s] teſtatur, cuius verba ſupra attulimus. Nec haec veriſimilitudine carent, et cum circumſtantiis rerum in academia Pariſienſi eo tempore geſtarum omnino conueniunt. Quae vero a ſcriptoribus addi ſolent: adeo eum argutiis dialecticis confiſum inſaniuiſſe, vt quaecunque de myſteriis diuinis tradidiſſet vna die, altera ſe euerſurum promitteret, ſubito autem elinguem factum nominis ſui oblitum fuiſſe, manifeſtasque impietatis poenas tuliſſe, ea ita comparata ſunt, vt luculentum ſpecimen ſint, qua inuidia eo tempore atque calumniis a philoſophorum vulgo viri docti ſupra reliquos eminentes onerati fuerint. Dabimus et MATTHAEI PARISIENSIS et THOMAE CANTIPRATANI narrationes, vt ipſe iudicium adhibere Lector queat. Prior haec narrat[t]: „Ipſis quoque „diebus quidam magiſter Pariſienſis natione Francus nomine Simon, „cognomento Churnai, ingenio capaciſſimus et memoria tenaciſſimus, „cum per decennium ſcholas artium nobiliſſime rexiſſet, vtpote in tri„uio et quadriuio, in ſeptem liberalibus artibus peritiſſimus, ſe contulit „ad theologiam. In qua cum paucos annos deſudaſſet, adeo profecit, „quod digniſſime cathedram aſcendit magiſtralem. Legit igitur ſubtiliter „valde et ſubtilius diſputauit, quaeſtiones difficillimas et inauditas ſoluen„do et eleganter dilucidando. Tot habuit auditores, quot ampliſſimum „palatium potuit continere. Vna igitur dierum, cum nimis profundis „rationibus in medium productis de Trinitate ſubtiliſſime diſputaſſet, et „dilata fuiſſet determinatio vsque in craſtinum: omnes theologi Scho„lares in ciuitate praemuniti ad audiendum tot quaeſtionum inextrica„bilium ſolutiones ad ipſius famoſam ſcholam certatim et cateruatim „confluxerunt. Determinauit igitur magiſter omnes praetactas quae„ſtiones, et quae videbantur omnibus inenodabiles, tam dilucide, tam „eleganter, tam catholice, vt omnes auditores redderet ſtupefactos. „Et poſt determinationem acceſſerunt quidam ipſius familiariores, et „ad diſcendum auidiores, poſtulantes a magiſtro, vt eo dictante „quaeſtiones literis commendarent. Dixerunt namque, indignum „eſſe, et iacturam irreſtaurabilem, ſi memoria tantae ſcientiae periret. „Quibus ipſe elatus, et maior ſe, ſibi ait, oculis ſubleuatis: *O Ieſule, „Ieſule, quantum in hac quaeſtione confirmaui legem tuam et exaltaui! Profe„cto ſi malignando et aduerſando vellem, fortioribus rationibus et argumentis „ſcirem illam infirmare, et deprimendo improbare.* Et hoc dicto elinguis pe„nitus obmutuit non tantum mutus, ſed idiota et ridiculoſe infatuatus, nec „poſtea legit, vel determinauit, et factus eſt in ſibilum et deriſum omnibus, „qui hoc audiebant. Vir igitur intra biennium literas didicit cognoſcere, „ab vltione aliquantulum mitigata a filio ſuo quodam diligenter edocente, „vix potuit, pater noſter et ſymbolum diſcere, retinere, et balbutiendo „pro-

s) De S. E. c. 24. p. 121.
t) Ad ann. 1201. p. 198. ex hoc recentiores plerique repetunt laudati REIMMANNO Hiſt. Atheiſmi S. III, c. 3. §. 9. p. 342. ſeqq.

„pronuntiare. Hoc igitur miraculum multorum scholarium depressit arro-
„gantiam, et iactantiam refraenauit. Haec vidit magister Nicolaus de
„Fulii, vir magnae auctoritatis, qui postea episcopus Dunelmensis fa-
„ctus fuit: ex cuius relatu et certo testimonio haec literis commendaui,
„eodem episcopo suadente, ne vetustas tantum miraculum aboleret. Et
„est sermo omni acceptione dignissimus." Longe aliter rem narrat CANTIPRATANVS", his verbis: „Magister Simon de Tornaco in theolo-
„gia regebat, et erat excellens ille suo tempore: sed contra decentiam
„talis officii, supra modum incontinens et superbus. Hic cum super
„omnes doctores ciuitatis auditores haberet, et in schola coram omni-
„bus de humilitate altissima doctrinae Christi quaestionem disputatione
„praehabita determinaret, in fine tandem datus in reprobum sensum,
„in execranda contra Christum blasphemiae verba prorupit: *Tres sunt,*
„inquit, *qui mundum sectis suis et dogmatibus subiugarunt, Moises, Iesus,*
„*et Mahometus: Moises primo Iudaicum populum infatuauit, secundo Ie-*
„*sus Christus a suo nomine Christianos, tertio gentilem populum Mahome-*
„*tus.* Nec mora, euersis oculis, pro humana voce mugitum emisit,
„et epilepsia statim elisus in terram, die tertio eiusdem morbi vindictam
„accepit. Plaga ergo insanabili percussit eum omnipotens, et omni
„scientia vsque ad prima literarum elementa priuauit. Et grauiori qui-
„dem in anima cum hac plaga percussus est, cum vsque in diem mor-
„tis suae quasi mutus comparatus est iumentis insipientibus, et in luxu-
„riae foeditate permansit. Et vide supremae admirationis miraculum;
„Alcidem fornicariam concubinam suam nominare poterat et sciebat,
„Boëtium vero de trinitate, qui iuxta eum ad spectaculum ponebatur,
„quem olim cordetenus sciuerat, post inditam plagam, nec nominare
„poterat, nec volebat." Habes Lector rei miraculosae summumque monumentum prae se ferentis testes. Quos si recte examines, neutrum fide dignum deprehendes, sed fabulam hanc esse, a monachis inuidia plenis odioque contra professores ordinarios exardescentibus otioque suo abutentibus, excogitatam, manibus palpabis. Nam inter se commissos adeo discrepantes videmus, vt vnum eorum falsum scripsisse sit manifestum. Nolumus in praesentia vtrumque conferre sigillatim cum altero *), breuitati studentes; facili labore id suscipiet Lector conuincendus, quam mire sibi contradicant, leuique narratione prodant, ex incerto rumore hanc fabulam se accepisse. Recte vero vtrique opponitur Henricus Gandauensis, qui cum Simonis Tornacensis inter reliquos theologiae professores mentionem feciſſet, eumque haereseos accusatum fuisse dixisset, nihil horum meminit, rem tam memorabilem more suo, quo leuiora non intacta praetermisit, non taciturus, si reuera obtigisset, cum ad hoc argumentum suum omnino pertinuisset. Idem de Trithemio iudicandum, qui cum facilis alias fuerit in eiusmodi narratiunculis colligendis recipiendisque,

*) De Apibus L. II. c. 48. n. 5. *) Praestitit id diligenter OVDINVS T. III. p. 26.

disque, nihil de tam mirabili casu scriptum reliquit, cum tamen ipse quoque Simonem hunc ex nimio Aristotelis amore erraſſe diceret. Vtriusque vero scriptores, Henrici Gandauensis et Trithemii [y], testimonio constat, eum ob errores ex philosophia gentili in sacra dogmata illatos vapulasse: ast nec Matthaeus Parisiensis, nec Cantipratanus, eorum mentionem faciunt, sed ille disceptatae in vtramque partem veritatis diuinae, hic accusati fraudis et impostvrae Iesu Christi reum agit, ille superbiam, hic lasciuiam exprobrat, sic vt nulla in re eorum narratio vel inter se, vel cum aliis conspiret. Neque testes omni exceptione maiores sunt. Cantipratanus enim, vt innumeris nugis, fabulis et mendaciis librum suum repleuit, ita tam inconditum fabulae vultum confinxit, vt vel leuissima verisimilitudine careat. Quis enim, vt ceteras mendacis monachi ineptias taceamus, credet, professorem quendam theologiae publicum ausum fuisse in tanta discentium frequentia blasphemiam hanc eructare? Et quis non manibus palpat, impudentissimum apophthegma, quod monachorum audacia Friderico secundo iam perperam et per calumniam tribuit, quodque variis viris doctis, qui sudes erant in oculis monachorum, ad affricandam iniuriam imputatum est [z], occasionem illepidi mendacii exhibuisse? Quod vero ad Matthaeum Parisiensem attinet, il| quidem testem producit grauem, oculatum et auritum: verum nec hic quoque omni exceptione maior est, cum inter ceteros eius temporis omnes, eos praecipue, qui Simonem commemorarunt, vnus tam miraculosae vindictae diuinae exemplum attulerit; quod tamen alios omnes silentio data opera praetermisisse, vel ignorauisse, cum in tanta auditorum frequentia acciderit, verisimile haud est. Fieri autem potuit, vt, quod non inepte Ovdinvs [a] coniicit, Nicolaus fuerit deceptus a mendace quodam nugatore, qui eum eum ad stupenda eiusmodi credenda facilem et promtum videret, hanc ipsi fabulam in prandii fortasse ab illo accepti solutionem porrexerit et narrauerit. Quocunque vero pacto hoc se habeat, sane vnius in re tam famosa et publica testimonium reliquis tacentibus ad faciendam fidem non sufficit. Longe vero verisimilior erit fabulae totius origo, si ad circumstantias temporum attendamus, quibus vixit Simon, et haereseos accusatus est, obseruemusque vtrumque testem Nicolaum de Fulii et Thomam Cantipratanum fuisse ex clericorum grege, et hunc quidem monachum mendicantem. Ex supra narratis autem memoria repetendum est, mox a conditorum mendicantium Dominici et Francisci Ordinum tempore cum monachi in publica parochorum professorumque munera auidius inuolassent, graues inter illos atque hos inimicitias et odia interceſſisse, et imprimis facultatem theologicam manibus pedibusque recalcitrasse; mendicantes fratres autem et suorum, maxime Thomae Aquinatis et Bonauenturae auctoritate, et libris editis, et accusationibus

y) c. 467. p. 116.
z) Vid. de la Monnoye Diss. de tribus impostoribus Menagian. T. IV. p. 379.
a) loc. cit.

nibus atque haeretificiis illis se opposuisse, vt Guilelmi de S. Amore et collegarum exemplo supra demonstratum est, et manifesto testimonio loquitur academiae Parisiensis historia. Circa haec autem tempora vixisse Simonem Tornacensem, et summa auctoritate cathedram Parisiensem theologicam obtinuisse, tum ex Trithemio colligimus, qui eum inter Albertum M. et Thomam Aquinatem collocat; tum ex Matthaeo Parisiensi, et Bulaeo discimus, qui ad annum CIↃCCI Simonem Tornacensem referunt, qui cum multos annos Parisiis ante haec fata funesta docuerit, incidit tempus eorum in eos annos, quibus magno strepitu surrexere Dominicus et Franciscus Assisius. Id quod longe verisimillimum facit, hanc calumniae notam Simoni a fratribus mendicantibus, quorum falcem in alienam messem immissam detestabatur et refrenari cupiebat, fuisse inustam. In qua coniectura valde confirmamur, ab Henrico Gandauensi, qui Simonem ait a modernis nonnullis haereseos argui. Modernos autem hos homines nouosque theologiae doctores monachos esse, veteranis professoribus oppositos constat. Haeresin itaque qui obiicere Simoni ausi sunt, talia quoque ei imputare crimina, hasque mendaces fabulas cudere sustinuisse, quis non credat, infrenis licentiae et impudentiae huius hominum generis ea aetate non ignarus? Ast ex hoc grege illi testes quoque sunt, qui inuidiam et calumniam a suis traditam in suis scriptis propagauerunt. Id quod eo facilius fieri potuit, quo magis aeuo medio solenne fuit confictis miraculis τὸ θαυμαστὸν affectare, hisque et similibus mendaciis Ordinum Sacrorum, tum non sine magna ceterorum indignatione et inuidia exortorum auctoritati succurrere, sicque plebis venerationem aucupari. Neque tamen omnem hanc narrationem meram fabulam esse putamus, sed quasdam, quae acciderunt, circumstantias veras occasionem lepidi commenti confingendi dedisse coniicimus. Nempe fieri omnino potuit, vt theologus hic post lectionem in frequenti auditorum conspectu ἀποπλεξίᾳ correptus corruerit, diuque memoria vel prorsus caruerit, vel obliuionem tamen plerorumque contraxerit. Quod cum naturali morbi effectu euenisset, vt multis viris piis doctisque accidit, fauentissimam occasionem arripuerunt aduersarii professorum, mendicantes fratres, qui eos haereseos accusabant, et de aliis et melioribus doctoribus dispiciendum esse clamabant, statuendi, iusta Dei vindicta ob eructatas impietates Simonem hanc plagam tetigisse. In qua tamen calumnia cum veritas nulla esset, variari quoque insigniter mendacium oportuit: Quod eo minus curabant homines impudentissimi, quo magis ad id modo respiciebant, vt conculcata professorum ordinariorum auctoritate et fama prorsus prostrata populo persuaderent, meliores doctores atque ὀρθοδοξοτέρους quaerendos esse, quos non nisi in tam piis sodalitiis inueniri posse statuebant. Quod vt magna probabilitate se commendat, ita rationem quoque pandit, qui fieri potuerit, vt ipse forte Nicolaus de Fulii praesens subitaneam Simonis correptionem vulgari

audiuerit [b]. Rumori enim de tam repentino casu per vrbem disseminato, quem diuinae vindictae in hominem haereticum adscribebant pii monachi, iuuenem studiorum caussa in vrbe versantem fidem non examinatis rerum circumstantiis adhibuisse, omnino probabile; adeoque testimonium eius nihil probat, vbi etiam non statuimus, ab alio narrante deceptum fuisse. Hanc itaque fabulam, quae luculentum inuidiae theologicae, et praecipue monachalis exemplum exhibet, merito ex ecclesiastica et philosophica historia expungimus. Idem post alios fecit OVDINVS.

Petrus de Apono.

§. XXVIII. Medicinae pariter atque philosophiae laude commendatissimum se seculo XIII fecit PETRVS DE APONO, siue ABANO, cuius literariam historiam prius valde neglectam solaque magiae accusatione infamatam diligenter illustrauit cel. HEVMANNVS [c]. Natus est Abani, vico agri Patauini anno CIↃCCLIII [d], patrem habuit notarium, qui filium studiis addixit eorumque excolendorum gratia Parisios misit, vt philosophiae artisque salutaris mysteria pernosceret. Id quod tanta felicitate ab eo factum est, vt in vtraque facultate lauream consequeretur [e]. Quo axiomate decoratus primo quidem Parisiis et tum in Italiam reuersus Patauii philosophiam docuit et medicinam, ducibus potissimum in naturali salutarique scientia vsus Aristotele, Hippocrate et Galeno. Quas cum Graece loquentes non intelligeret, animum Graecae linguae addiscendae adiecit, et ad felicius assequendam Graecam literaturam iter Constantinopolin ingressus est [f]. Redux vero his quoque praesidiis instructus ad continuandum docendi munus summa felicitate accessit, discipulosque plurimos habuit. Valde vero huius viri historia fabulis commaculata est. Sunt, qui tradant, nunquam vocatum valetudinis curandae gratia ad aegros extra vrbem prodiisse, nisi constituto in diem stipendio L. coronatorum, et cum ad Honorium IV P. M. aliquando aegrotantem accerseretur, pactum prius esse singulis diebus sostri loco CCCC coronatos [g]. Ast hi Thaddaeum Florentinum tantum arti suae apud Honorium papam pretium statuentem cum Petro Aponensi confundunt. Plerique autem inter superstitionis patronos et magiae impurae cultores eum referunt, et mira artis magicae specimina de eo narrant, e. g. habuisse septem spiritus familiares in vitro conclusos, a quibus septem artes liberales didicerit, potuisse pecuniam erogatam reuocare in marsu-

b) Ait quidem Parisiensis, Nicolaum fuisse testem oculatum, sed ipsius narratio nihil aliud euincit, nisi, vidisse se eum lingua et memoria destitutum; nam ipsum apoplexiae insultum factum esse coram familiarioribus tantum, et intimae admissionis discipulis, nec totam auditorum frequentiam eum vidisse, ipse non negat. Potuit itaque effectum quidem intueri, caussam autem per calumniam, et rumorem tantum cognoscere Nicolaus.

c) Act. philos. Vol. II. p. 69. conferendi tamen praeter Bibliothecarum medicarum scriptores Ill.c. PHIL. TOMASINVS in Elogiis p. 21. vbi eius imago occurrit; SCARDEONIVS de clar. Patau. L. II. c. 9. p. 200. NIC. COMNENVS PAPADOPOLI Hist. gymnas. Patau. T. I. p. 278. NICERON. Memor. literar. T. XXVI. p. 313.

d) Ita ipse Concil. differens. XLIX. conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. V. p. 715.

e) SCHEDELIVS Chron. Norimb. p. 224. NAVDAEVS Antiq. Scholae med. Paris. p. 44. BAYLE Dict. T. I. Art. Apone not. A. p. 869.

f) Ipse in praef. comm. in Aristor.

g) MERCKLIN. Linden. renoū. p. 878.

marſupium; ſcripſiſſeque libros tres de arte magica. His adiiciunt, qui peſſimarum artium magiſtrum Aponenſem fuiſſe volunt: anno aetatis octogeſimo magiae, faſcinorumque accuſatum, lite quidem pendente deceſſiſſe ex vita, neque tamen ſic iudicum manibus elapſum eſſe, qui effigiei ſupplicium decreuerint, vt in foro Patauino flammis vltricibus traderetur; ipſum quoque corpus ex inquiſitionis mandato exhumandum igneque delendum fuiſſe, ſed furripuiſſe cadauer huic ſeueritati furtiuam amicorum pietatem et induſtriam [h]. Eſſe vero has narratiunculas referendas inter fabellas aeui medii, ad cudendum impingendumque viris doctis et naturae arcanorum ſupra vulgi captum gnaris magiae crimen tam proni, vt aliquot iam exemplis vidimus, facile credi poteſt NAVDAEO [i], docte et operoſe id probanti quoque Petro apologiam dicenti: nam ſi fallacem et nugacem ſeculi ineptientis et in naturalibus coecutientis famam excipias, nihil ad probandam tanti viri infamiam afferri ſolidum poteſt. Sufficit publicum Patauinorum procerum teſtimonium, defuncti ſtatuae lapideae in vna portarum praetorii Patauini ſubſcriptum, quod et accuſationis occaſionem, et accuſati innocentiam his verbis in clariſſima luce ponit: *Petrus Aponus Patauinus, philoſophiae medicinaeque ſcientiſſimus, ob idque conciliatoris cognomen adeptus: aſtrologiae vero ita peritus, vt in magiae ſuſpicionem inciderit, falſoque de haereſi poſtulatus abſolutus fuerit.* Ex quibus de TRITHEMII [k] iudicio ſententia ferenda, cui audit *vir in ſecularibus literis ſtudioſus et eruditus, philoſophus inſignis, et medicus celeberrimae opinionis, ingenio ſubtilis, et multarum linguarum notitia clarus, qui multa fertur tam in philoſophia quam in medicinis opuſcula lucubraſſe, quibus memoriam ſui nominis ad poſteros transmiſit. Sunt autem, qui ſcribant, eum magum fuiſſe, et multa per eam ſuperſtitioſam artem mira oſtendiſſe, quod an verum ſit, affirmare non auſim, quippe qui nihil certi ſuper eo nouerim. Nihil enim de illius opuſculis me vel legiſſe recolo, vel vsquam vidiſſe.* Anſam vero ſuſpicioni, vt eſt in inſcriptione, dedit ineptus aſtrologiae iudiciariae amor, qui in plerisque regnauit, qui hoc tempore philoſophiam Lycei naturalem excoluerunt. Id quod mirandum non eſt, cum et ipſum ſyſtema phyſiologicum Ariſtotelis huic arti vaniſſimae faueat, in quo omnia ad intelligentias ſphaerarum praeſides et moderatores reuocantur; et hi viri docti, praecipue Aponenſis, phyſicam, quam a ſuae nationis hominibus diſcere non poterant, a Saracenis plerumque hauſerint, quos in hoc pſeudo-philoſophiae genere inſaniuiſſe ſuo loco oſtendimus. Talem autem Aponenſem fuiſſe, et laudata teſtatur inſcriptio, et libri loquuntur, interque eos *Aſtrolabium planum* [l], et alia docent monumenta, hodienum obuia. Narrat enim Cl. NICOLAVS COMNENVS PAPADOPOLI [m], effinxiſſe eum plusquam quadringentas

h) Vid. NAVDAEVS Apolog. Magiae accuſat. c. 14. p. m. 274. ſeqq.
i) l. c. p. 274. ſeq.
k) c. 556. p. 135.
l) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. V. p. 717.
m) l. c. Tom. I. p. 279.

imagines diuerſarum rerum, artium operarumque, ſitas ſub duodecim ſignis Zodiaci et planetis ſeptem ac duodecim menſibus, easque omnes pingendas curauiſſe in foro ſeu aula maxima iuris, aedificio Patauii celeberrimo, quo nihil tota Italia magnificentius extet. Sed locupletiſſimus teſtis eſt *Conciliator* eius, hypotheſesque aſtrologicae in eo contentae, quas MANTVANVS [n] quoque ex eo notat: *Vitam humanam modo breuiari, modo produci, pro vario curſu et diſpoſitione coelorum:* itemque [o] *tempore diluuii generalis planetas omnes ſub aquatico piſcium ſigno conueniſſe, et conſpirantibus aſtris in animalium perniciem coelum coniuraſſe.* Alia huius generis ſpecimina ex laudato libro rariſſime hodie occurrente adduxit vir celeberrimus, nobisque veteri amicitia coniunctiſſimus IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS, cui luculentam atque copioſam eius recenſionem debemus [p], quae cum obſcuro et confuſo ſcribendi genere ineptiſſimas hypotheſes exhibeant, e. g. ob ſiderum rationes et conſtellationem coeli homines antediluuianos circa diluuii tempora inſignem mutationem et debilitationem pati debuiſſe, etc. heic cum ſummo Lectoris taedio repetere nolumus, facile in iucundiſſimo *Actorum philoſophicorum* opere legenda. Quae omnia ſyſtemati Peripatetico-Saracenico conformia ſunt, et hoc aeuo vsque ad philoſophiae reformationem, immo ſub ea adhuc, fuere magnis quoque viris grata et acceptiſſima, vt *ſequenti Tomo* Henrici Cornelii Agrippae, Petri Pomponatii, Hieronymi Cardani, Thomae Campanellae aliorumque exemplis conſtabit. Quamuis itaque eruditio Aponenſis negari nequeat, quum linguas Latinam, Graecam, Hebraicam et Arabicam nouerit, vnde Abrahami Iudaei et Aben-Eſrae opuſcula *de aſtrologia*, ex Hebraico [q]; Hippocratis quoque libellum *de aſtrologia* ex Arabico, Galeni et Ariſtotelis nonnulla ex Graeco in Latinum ſermonem tranſtuliſſe dicitur, quamuis etiam multiiugam lectionis copiam in Conciliatore oſtenderit. Fatendum tamen eſt, exiguo iudicio ineptae eum ſuperſtitionis fermento totum corruptum ad philoſophiam naturalem acceſſiſſe: vnde non potuere non abſurdae opiniones enaſci, quarum nonnullas recitat NAVDAEVS [r], e. c. preces ad Deum in certa conſtellatione fuſas pro ſapientia certo exaudiri; ex quibus de totius ſyſtematis eius naturalis indole iudicandum eſt. Dictionem vero et ſcribendi genus ſectatur Scholaſticum, obſcurum, inſubidum, methodum multis quaeſtionum et diſputationum anfractibus ambiguam, dumque conciliatorem agit more horum hominum, multa inter ſe diſtinguenda miſcet. In hiſtoria autem philoſophica adeo ineptit, vt Hippocratem quinque ante Ariſtotelem ſeculis vixiſſe ſtatuat: quod tamen in aeui ſui tenebris illi condonandum eſt. Et ex his ſententia quoque ferenda de diuerſis de Aponenſi

n) De Patient. L. II. c. 39. Tom. I. Opp. pag. 112. b.

o) L. III. c. 30. l. c. p. 168. b.

p) Act. philoſ. Vol. III. p. 374. ſeqq. conf. Obſ. Halenſ. T. III. obſ. 12. §. 13. p. 230.

q) Vid. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 99.

r) loc. cit.

nenſi eruditorum iudiciis cenſurisque, quorum alii eum laudant, alii vituperant, quas cum laudati viri celeberrimi HEVMANNVS et SCHELHORNIVS attulerint, heic cumulare nolumus; probamus autem eam, quam a nonnullis de Petro latam eſſe teſtatur PAVLVS LANGIVS [t], ſententiam: *fuiſſe hominem congerere plura natum, quam digerere, quem quidem indoctiores vbi nugatur magis, ibi ſoliti ſint impenſius admirari*, quod ad aſtrologicas eius ineptias pertinere recte monuit monachus Cizenſis. Quem tamen referre potuiſſe miramur: *Trithemium ſui ordinis abbatem virum ſua aetate mirificum et eruditiſſimum doctrinae et ingenio eius multum tribuiſſe, ipſumque in multis ſecutum fuiſſe, quod ipſe auditu et viſu percipiens ſciat;* cum Trithemius in verbis ſupra adductis teſtetur, ſe nihil eius ſcriptorum vidiſſe vel legiſſe: in Annalibus quoque Hirſaugienſibus, circa vitae finem demum recognitis nihil, contra morem ſuum, de eo habeat. Certe, quem ad Ioannem papam XXII librum allegat Trithemius non vidit, et titulum verum ignorauit, qui eſt *de veneno* [u]. *Elucidarium* vero *necromanticum* et *elementa magica* cum libro *experimentorum mirabilium de annulis ſecundum XXVIII manſiones Lunae*, et quae aliae ineptiſſimarum et malarum artium inſtitutiones ei tribui ſolent, et ſub eius nomine ambulant, ei fuiſſe ſuppoſita eſt veriſimillimum. Annum eius emortualem in cIↃCCCV ponunt nonnulli, BZOVIVS [x] et FABRICIVS [y] in annum cIↃCCCXVI, natum enim cIↃCCCLIII, ſexageſimo ſexto aetatis obiiſſe anno contendunt. His tamen Cl. HEVMANNVS [z] opponit: inſcripſiſſe Aponenſem librum *de omnimoda medicina* papae Ioanni XXII, an. cIↃCCCXVI, adeoque hoc anno adhuc vixiſſe: ad quod tamen dubium reſponderi poteſt; eo videri anno obiiſſe, quo iſtam dedicationem ſcripſerat. Trithemium autem ad annum cIↃCCCXX eum referentem non morandum eſſe, ad eum recte notauit FABRICIVS [z]: ſolet enim in notis temporum haud raro errare, et in Aponenſis hiſtoria literaria ſolum rumorem ſecutus eſt [a].

§. XXIX. ROBERTVM DE SORBONA, a vico natali ita dictum, S. Ludouici Galliae regis Poenitentiarium, vel, quod alii volunt Sacellarium, et Canonicum S. Mariae Pariſienſem, non tam philoſophia nobilitauit, quam fundatum ab eo medio ſeculo decimo tertio Collegium theologicum, quod ab eo Sorbonicum dici ſolet. Ex quo velut ex equo Troiano innumeri viri docti egreſſi ſunt, quorum magna pars philoſophiam et theologiam Scholaſticam ab eo tempore propagauit. Purpuratorum philoſophorum albo inſcribendus eſt PETRVS DE TARANTASIA, vel quo nomine, pontificali diademate ornatus comparuit Innocen-

Robertus de Sorbona.

Petrus de Tarantaſia.

t) Chron. Cizenſ. T. I. p. 829. Coll. Piſtorii. Idem iudicium FREINDII Hiſt. medic. P. III. p. 23.

u) Vid. Io. PHIL. BERGOMATIS Suppl. chron. p. 55. SCHELHORN. l. c. p. 1393.

x) Ad. an. 1316. n. 14.

y) loc. cit.

z) Act. phil. Vol. I. pag. 96. FREIND. l. c. pag. 24.

a) loc. cit.

a) AQVILIN. Chirom. c. 5. floruiſſe adhuc 1319. ait.

nocentius V, natione Burgundus, Tarentasiae prope vallem Moriennam editus in lucem, a qua patria nomen quoque ex seculi sui consuetudine accepit. Ordinem Dominicanum anno cIↃCCXXV decennis puer ingressus est [b], et a superioribus Parisios missus philosophiae et theologiae totum se tradidit, quo effectu, ex TRITHEMIO [c] patet, cui audit, *vir in diuinis scripturis eruditissimus et in philosophia Aristotelica nobiliter doctus, qui theologiam multos annos egregie docuit, et magnam eruditionis suae laudem acquisiuit.* Hac nominis celebritate non modo professionem theologicam Parisiis, non obstantibus aduersantium professorum, qui mendicantibus fratribus has dignitates concedere nolebant, conatibus obtinuit, sed quoque anno cIↃCCLXIII, in capitulo suo ordinis generali Lugduni habito vicarius ordinis generalis et Galliae prouincialis renunciatus est. Tum anno cIↃCCLXXIII Lugdunensi Ecclesiae archiepiscopus datus anno sequente cardinalitia purpura vestitus, et ad episcopatum Tarentasiensem et Ostiensem ac Veliternum promotus est. Tandem eruditionis meritorumque decoribus anno cIↃCCLXXVI, XXI Ian. pontifex Romanus electus ad XXII Iunii diem tantum sedit, quo rebus terrenis exemtus est [d]. Praeter libros theologicos indolem Scholasticam referentes, nempe libros sententiarum, quodlibeta et postillas, scripsit etiam philosophica varia *de vnitate formae, de materia coeli, de aeternitate mundi; de intellectu et voluntate.* Inter alia *Decretorum* quoque *abbreuiationem* edidit, siue introductionem in iurisprudentiam sacram iusue canonicum, vbi, teste OVDINO [e] capite primo tractat de iure naturali, gentium et ciuili, ex quo suspicamur, primum fuisse Petrum, qui tria haec iuris genera distinxerit: quo tamen pacto id fecerit, dicere non possumus, cum tractatio adhuc inter msc. delitescat. Plura de eo dabit praeter scriptores historiae Pontificiae [f] aliosque IAC. QVETIF [g].

Guilelmus Durandus.

§. XXX. GVILELMVM DVRANDVM siue DVRANTES, Ordinis Praedicatorum nobilem ex Narbonensi familia Gallum Henrici Hostiensis discipulum, et tandem Mimatensem in Gallia Aquitanica episcopum [h], cuius vitam scripsit SIMON. MAIOLVS [i], celebrem fecit iurisprudentia cum philosophia sociata. Tanta enim iuris ciuilis et canonici peritia inclaruit, vt nomen patris practicae meruerit [k]. Notum est eius *speculum iuris* multoties editum, quod Speculatoris ei appellationem peperit. Nec minorem celebritatem consecutum est eius *Rationale diuinorum officiorum*, vt alia eius scripta, IACOBO ECHARDO [l], GVIL. CAVEO [m], I. A. FA-

b) QVETIF Script. Dominic. T. I. pag. 350. seqq.
c) De S. E. c. 472. p. 118.
d) PAGI Breuiar. gest. P. R. T. III. p. 416.
e) T. III. p. 502. 503.
f) LVDOV. IACOBVS Biblioth. Pontific. p. 123.
g) l. c. ALTAMVRA Bibl. Praedic. p. 42.
b) SAMMARTHANI Gall. Christ. T. III. p. 730. BVLAEVS T. III. Hist. Acad. Paris. p. 473.
i) Praemissa est commentario in concil. Lugdun.
k) PANCIROLLVS Vit. Iurisconsult. L. III. c. 14.
l) De Script. Praedic. T. I. p. 480.
m) Hist. Lit. S. E. p. 652.

I. A. FABRICIO [n] aliisque memorata taceamus. Non confundendus autem est cum fratris filio cognomine, itemque cum Guilelmo de S. Porciano, de quo infra dicemus, nec cum Durando de Aureliaco, siue Durandello, qui pro Thoma Aquinate contra Durandum de S. Porciano acriter dimicauit. Tacemus tres alios Durandos minus notos, de quibus videsis FABRICIVM [o]. Eandem iurisprudentiae notitiam cum dialectica coniunxit IACOBVS DE RAVENNA, siue, a Rauannis [p], Lotharingiae prouincia. Hunc enim si non primum, certe inter primos fuisse ait TRITHEMIVS [q], *qui simplici sensu a maioribus tradita ad dialecticum arguendi modum conuerterit.* Cui scabiei fortiter quidem se opposuit Rizardus Malumbra, impedire tamen non potuit, quo minus infelici Scholasticae philosophiae applicatione ad ius ciuile et canonicum, sophisticis litigationibus, et incertis ambiguisque disputationibus feneſtra aperiretur patentissima, sicque infausto huius Pseudo-philosophiae sidere ipsa quoque iuris dicendi ratio afflaretur, vt a veteri consuetudine deflecteret. Quamobrem passim viris doctis [r] male audit. *Iacobus de Rauenna.*

Initia Seculi XIV tulere ALEXANDRVM DE ALEXANDRIA, Ordinis Minorum generalem; hunc in philosophia Aristotelica nulli suo tempore secundum fuisse ait TRITHEMIVS [s], et commentatum esse in Aristotelis *Metaphysicam* et libros *de anima* etc. tradit LVC. WADDINGVS [t], qui videndus. Ex medicorum sodalitio philosophiae laude seculo hoc XIV innotuit DINVS DE GARBO Chirurgi Florentini filius, discipulus Thadaei medici, qui primum Bononiae deinde Senis artem salutarem docuit, obiitque anno cIↃcccxxvii. Hunc enim *in secularis quoque philosophiae institutionibus nobiliter eruditum fuisse* testatur TRITHEMIVS [u]; qui et filii eius Thomae *Summam medicinae* laudat [x]. More tamen sui temporis Arabes potissimum consuluit, et in Auicennam commentatus est, ex quo de systemate eius physiologico iudicari potest. *Alexander de Alexandria.* *Dinus de Garbo.*

§. XXXI. Sustulerunt extrema fata circa initia Seculi XIV IOANNEM PARISIENSEM, Ordinis Praedicatorum, cum Ioanne Parisiensi canonico de S. Victore, qui Launoio Victorinus audit, non confundendum. Cognomentum is habuit surdi, siue, QVIDORT, et argutiis Scholasticis, ad theologiam nouitatibus obrutam applicatis innotuit. Cum enim ingenio ferueret, ardentique ad disputandum contentione accederet, omnibus sui temporis contestationibus ac discordiis se immiscens, philosophiae contentiosae et luxuriantis inuidia laborare coepit. Cumque nouam de S. coena opinionem commentus fuisset, edita *deter-* *Ioannes Parisiensis.*

n) Bibl. Lat. med. T. II. p. 206.
o) p. 207. 208.
p) Reuigniaco, vid. SAMMARTHANI T. III. p. 1169. fuit enim episcopus Virdunensis ab anno 1292.
q) c. 526. p. 128. conf. PANCIROLLVS de interpret. iuris L. II. c. 34.
r) Conf. GVNDLINGII Hist. liter. Tom. II. p. 1828.
s) c. 536. p. 130.
t) Annal. an. 1313. Bibl. O. M. p. 7.
u) c. 532. p. 129.
x) c. 613. p. 143.

determinatione de modo exiſtendi corpus Chriſti in ſacramento altaris alio, quam ſit ille, quem tenet Eccleſia, Romam ad cauſſam dicendam vocatus obiit anno cIↃcccIV, huic *Correctorium corruptorii S. Thomae* Guilelmo Lamarenſi oppoſitum, de quo ſupra dictum, quod Aegidio Romano adſcribi ſolet, nonnullos tribuere, iam notauimus [y]. Sunt, qui *pique l'ane*, (punge aſinum) dictum eſſe volunt. Sed hunc Ioannem Pariſienſem cum Surdo non confundendum, paulo maturius vixiſſe, librumque *de vnitate formae* aliumque *de principio indiuiduationis* reliquiſſe, recte obſeruatum IACOBO QVETIF [z] et NATALI ALEXANDRO [a].

Ioannes de Neapoli.

IOANNES DE NEAPOLI, nobili familia Neapolitana natus, Ordinis Praedicatorum Pariſiis primo docuit, et deinde in patria. Philoſophiae Scholaſticae peritiſſimum fuiſſe ex ſcriptis eius intelligitur, quorum recenſionem dant AMBROSIVS ALTAMVRA [b], IACOBVS QVETIF [c] et HENR. WHARTONVS [d]. Sed et eo nomine notandus eſt, quod inter primos Thomae Aquinatis propugnatores eminuerit. Inter Scotiſtas magiſtri ſui Scoti ſubtilitates aſſecutus eſt, et celeberrimum ſibi Scotiſtico acumine nomen fecit ſeculo decimo quarto FRANCISCVS DE MAYRONIS, Gallus, ex oppido Vallis Barcinonenſis, dioeceſis Ebrodunenſis, Ordinis Minorum. Is tanta inutilium diſtinctionum, notionumque et vocum nihili ſcientia et applicatione in relitationibus philoſophicis innotuit, vt non modo doctoris illuminati, ed et magiſtri abſtractionum et doctoris acuti nomen conſequeretur. Id uod vel ſoli ſcriptorum tituli a LVC. WADDINGO [e] et HENR. WHARTONO [f], recenſiti euincunt. Scripſit enim inter alia tractatum *le formalitatibus, de primo principio, de vniuocatione entis*, et opus, cui nomen fecit, *Conflatile*, id eſt, *varias quaeſtiones de diſtinctionibus, relationibus, ſignis naturae et formalitatibus.* Rogante vero Roberto Siciliae rege, apud quem gratioſus erat, *commentarios* quoque *breues in Dionyſii Areopagitae librum de myſtica theologia*, edidit, nouo ſpecimine, myſticam theologiam cum Scholaſtica vno ſub iugo ire fuiſſe coactam. Moralem quoque philoſophiam eum attigiſſe, ex libello *de virtutibus et vitiis capitalibus* patet, ſoletque illi liber quoque tribui *de vitiis ſe occultantibus ſub ſpecie ficta virtutum.* De quo licet ambigat Waddingus, vtrum ad eum pertineat, ſpecimen tamen eſſe poteſt, in philoſophia quoque morali quaedam Ariſtoteli ignota Scholaſticos fuiſſe auſos. Cum autem more ſeculi ſui contentionibus et velitationibus philoſophicis delectaretur, anno cIↃcccXV diſputationes Sorbonicas introduxit, ſingulis Veneris diebus aeſtate habendas, de quibus videndus GENEBRARDVS [g]. Obiit philoſophus ex abſtractionibus totus

Franciſcus de Mayronis.

y) Vid. QVETIF T. I. p. 500. OVDINVS T. III. p. 635.
z) T. I. p. 119.
a) T. VII. p. 159.
b) Bibl. Dom. p. 105.
c) T. I. p. 567.
d) App. ad Caue p. 12.
e) Annal. ad 1325. et Bibl. O. M. p. 124. OVDINVS T. III. p. 745.
f) loc. cit. p. 11.
g) pag. 693.

totus compositus Placentiae anno cIↃcccxxv. Ex eadem Scoti Schola prodiit circa eadem tempora IOANNES BASSOLIS, Ordinis Minorum, ideo laudandus, quod philosophiam cum medicina coniunxerit [b], et ordinem atque perspicuitatem sectatus sit, quod ei ordinatissimi doctoris elogium nomenque peperit. *Ioannes Bassolis.*

§. XXXII. Non omittendi in seculi XIV historia philosophica, ROBERTVS, dictus PERSCRVTATOR, et Arnoldus de Villa Noua. Illum Anglia genuit, Eboraci editum, ordinique Dominicanorum adscriptum. Is tanto studio atque sedulitate in rimandis naturae arcanis versatus est, vt nomen Perscrutatoris acciperet. Id quod tamen valde ei fraudi fuit, et in suspicionem magiae illum, more inficeti seculi, adduxit. ARNOLDVS vel ARNALDVS quibusdam Hispanus ex Catalonia dicitur [i], plerisque Gallus est ex oppido Villanouano in Gallia Narbonensi, quem Catalanum tantum dici contendunt, quod Barcinone aliquandiu medicinam fecisset [k]. Parentibus ortus humilibus natiuitatis obscuritatem ingenii claritate et eruditionis nobilitate illustrauit. Natum esse anno cIↃccc scribit P. COLOMESIVS [l], prius autem vixisse CAS. OVDINVS [m] inde probat, quod ad Bonifacium VIII quaestiones ediderit, quem ab anno cIↃccxcv, ad annum cIↃcccvi, sedem Romanam vsurpauisse, notum est. Naturae impetu ad arcana rimanda procliui artis salutaris et philosophiae naturalis studio totum se tradidit. Anno aetatis vigesimo [n] ad Parisiensem academiam profectus philosophiae mysteria pernoscere perrexit, hinc ad scholam medicam Montispessulanam profectus medicos audiuit. Inde in Italiam eum abiisse, ad philosophos Pythagoreos auctor est COLOMESIVS [o], qui tamen nec testem producit, nec qui isti Pythagorei sint, explicat. Ex Italia in Hispaniam [p], et ad Arabes concessit, decreueratque in Graeciam abire, sed consilio obstitere bella, quae tum Graeciam misere infestabant. Didicit in his itineribus eruditorum linguas Arabicam, Hebraicam, Graecam, iisque adiutus, Graecorum et Arabum philosophorum libros diligenter legit et excussit. Animum autem ad Chemiae arcana adiiciens, tanta felicitate naturae secreta rimatus est, vt mutandorum in melius metallorum mysterium tenere crederetur [q]. Cui cum iungeret more medicorum *Robertus Perscrutator.* *Arnoldus Villanouanus.*

[b]) LABBEVS De S. E. T. I. p. 516.

[i]) Conf. NIC. ANTON. Bibl. Hisp. Vet. T. II. p. 74.

[k]) Mediolanensem se ipsum dicere ait FREINDIVS Hist. med. P. III. p. 19.

[l]) Gall. Orient. p. 9. ed. Fabric. Idem CHAMPERIVS in eius vita asserit, accurate refutatus a FREINDIO l. c. Barcinone vixisse 1480. sphalma typographicum est apud FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p. 358. et ponendum 1280.

[m]) T. III. p. 616. conf. BVLAEVS T. IV. p. 42.

[n]) Perperam apud FREINDIVM l. c. dicitur 20 annos studiis inuigilasse Parisiis.

[o]) loc. cit.

[p]) Eo tempore valde gratiosus fuit apud Iacobum II, Aragoniae regem, et cum Raymundo Lullio amicitiam iniit. CHAMPER. l. c.

[q]) Vid. BORRICH. de orig. et progressu chemiae p. 128. 129. NAVDAEVS Apolog. magiae accusat. p. 268. LE CLERC. Hist. de la medicine P. III. p. 784. FREIND. l. c.

rum ex Arabum disciplina proficientium, astrologiam, et siderum influxui certis ceremoniis ad inferas res euocato plurimum tribueret, artis autem medicae, et imprimis chemicae, praestantia miras curationes susciperet, Parisiis et Montispessulani, vbi medicinam faciebat, magiae factus est valde suspectus[r]. Quam calumniae notam medico praestantissimo, et rarissima naturalium mysteriorum cognitione clarissimo inussit partim ignorantia, chemicarum operationum miracula non assecuta, partim monachorum mendicantium malignitas. Hos enim nouos homines Ecclesiae valde esse nociuos, et superstitioni tantum alendae augendaeque idoneos putabat, ideoque vehementi inuectiua eos perstringebat, vnde enati libelli aliquot, inter msc. Cottonianae bibliothecae delitescentes[s], *de versutiis et peruersitatibus Pseudotheologorum et religiosorum, contra religiones nocentes ordinum Mendicantium, de pseudo-ministris antichristi cognoscendis* etc. Ita exacerbato irritabili monachorum genere arteque occasionem materiemque calumniae suppeditante, et heterodoxiae accusatus[t], et inter magos relatus est, totaque in eum insurrexit academia Parisiensis. Quamuis autem principum procerumque fauore, quem medicinae felicitate sibi comparauerat, tutus insultus aduersariorum rideret, audiens tamen Petrum Aponensem, Bononiae de fide inquisitoribus suspectum, et in ius vocatum esse ob magiae accusationem, in Siciliam aufugit, vbi Fridericum regem sibi fauentissimum expertus est [u]. Is cum ad pontificem sanandum (Clementem V fuisse volunt, qui Arnoldum Sec. XIII vixisse contendunt) tantae experientiae medicum misisset, naufragium passus Arnaldus diem obiit, Genuae sepultus. Quo vero id anno acciderit, valde dissentiunt scriptores: quidam annum CIↃCCCIII, alii CIↃCCCX, vel CIↃCCCXIII [x], COLOMESIVS CIↃCCCXL ponit; suntque qui dicant, natum anno CIↃCCXXXV, lapideque philosophico potitum anno CIↃCCCXXX, eius beneficio vitae annos ad CXLV prorogasse; qui cum fabulis delectentur, sibi relinquendi sunt. Tota vero magni viri historia incertitudine quadam adhuc laborat, vnde optamus, vt qui artis naturalis et chemiae historiam accurate teneat vir aliquis doctus ampliora tanti viri rebus gestis accendat lumina. Nobis enim in his esse prolixis non licet. Ex dictis vero intelligendum Io. MARIANAE [y] de eo iudicium: *Arnoldus de Villanoua, vt regi decumbenti adesset Barcinone venerat, rei medicae ea tempestate peritissimus, maiori tamen fama quam laude, quod nobile ingenium, eruditionem maximam, prauis superstitionibus, prauisque de*

r) Conf. P. F. ARPE de Talisman. p. 119.

s) Vid. OVDIN. T. III. p. 616.

t) Acerrime disputabat, imprimis contra Mendicantes, et Dominicanum quendam Martinum de Athera coram Clemente V fortiter aggressus 1303. victoriam reportabat. Vid. BVLAEVS T. IV. p. 121. Hi itaque homines facultatem theologicam Parisiensem ita irritauerunt, vt anno 1309. quindecim eius propositiones damnaret, vid. NAT. ALEXANDER H. E. T. VII. p. 102.

u) Ibi comm. in Scholam Salernitanam, et de tuenda sanitate scripsit. FREIND. l. c.

x) Hunc annum recte tuentur BVLAEVS p. 166. et FREINDIVS p. 21.

y) Hist. Hisp. L. XIV. c. 9.

de religione opinionibus foedare visus sit. Quo nomine aliquanto post ab inquisitoribus ignominia notatus est, librique quos magno numero ediderat, reprobati. Ex humano semine quibusdam in vase medicamentis hominis corpus efformasse, qui affirmet, auctorem habeo.

§. XXXIII. Non defuisse Germaniae nostrae Scholasticos philosophos, ex Ottonis Frisingensis studio, Aristotelicam philosophiam propagandi inter Germanos, satis intelligitur, et exempla docent luculenta. Et afferri quoque possent complura, si id ageremus, vt scholasticae philosophiae historiam, specialiorem et ad singula eius membra extensam scriberemus. Sed haec nostro instituto repugnare quilibet videt. Vnum tamen alterumque nominare non abs re erit, ne inuidisse patriae nostrae, hanc, si superis placet! gloriam videamur. Inter eos nominandus CONRADVS DE MEDIA CIVITATE, siue HALBERSTADIENSIS, Ordinis Praedicatorum, qui teste TRITHEMIO [z], *in secularibus quoque literis fuit nobiliter doctus, philosophus et theologus non futilis, quippe qui in ea facultate publice legens multos docuerit, et doctrinae suae laudem ingentem acquisiuerit.* Laudandus is est, quod ad argumentum morale, plerisque Scholasticis intactum, descenderit, idque non ex solo Aristotele, sed ex humanae quoque naturae consideratione deriuauerit, vt ex speciminibus illis, quae ex libris eius msc. exhibuit B. Io. ANDR. SCHMIDIVS [a], patet. Quo narrante ad physicum argumentum quoque diuertit, libellumque responsionibus ad varias quaestiones physicas plenum conscripsit, qui hodie msc. in bibliotheca Guelpherbytana titulo: *Tractatus mensae philosophicae*, extat. Argumentum eius ita ipse enarrauit, referente doctissimo viro, cuius verba exscribemus, cum libelli hi Academici cito disparere soleant. *Quia multi homines libenter de raris et curiosis quaerunt, et de talibus delectabiliter audiunt et loquuntur, ideo vt fratres nostri praedicatores quos frequenter apud homines diuersorum statuum et conditionum esse videmus, etiam inter eos gratius conuersentur, quod ad talia aptius valent respondere, et de talibus sciant etiam conuenientius proferre, praesens opusculum, quod de raris et curiosis quaestionibus ex diuersis breuiter compilaui, responsorium curiosorum nominaui, quia breues in eo responsiones ad huiusmodi quaestiones ordinaui, sicut ex auctoritatibus authenticis melius et aptius potui inuenire. Et istum librum in quatuor libros partiales distinxi. Primus est de corporibus supracoelestibus, siue elementis simplicibus, et aliquibus mixtis, scilicet mineralibus et vegetabilibus; II. de animalibus in generali et eorum membris et partibus; III. de homine speciali. Ponam autem in singulis quaestiones breues, sine rationibus pro et contra, quia non ad disputandum, sed ad breuiter respondendum et familiariter conferendum illud*

Scholastici ex Germanis.

Conradus de media ciuitate.

z) De Script. Eccles. c. 502. p. 124.

a) Diss. de triumuiris Halberstadiensibus Helmst. 1715. habita.

opuſculum ordinaui. De concordantiarum autem opere, ſiue *Repertorio in vtrumque teſtamentum*, a noſtro confecto, quod communiter receptum fuit poſt iſta tempora, heic loci nihil dicendum. Dabit, quantum ſatis eſt, FABRICIVS [b]. Erfordienſem ſcholam circa finem ſeculi XIII ornauit *Nicolaus de Bibra.* NICOLAVS DE BIBRA, ſiue BIBRACH, Thuringiae oppido, vir, ſi TRITHEMIO [c] fides, philoſophus et poëta inſignis, quem in libro *de cauendo malo* vulnera Eccleſiae tetigiſſe oſtendit FLACIVS [d]. Maxime vero notabilis eſt ſeculo XIV ECCARDVS Saxo-Teutonicus, *Eccardus Teutonicus.* Ordinis Praedicatorum. Ita enim de eo TRITHEMIVS [e]: *Vir in diuinis ſcripturis eruditus et in philoſophia Ariſtotelica omnium ſuo tempore doctiſſimus, ingenio ſubtilis et clarus eloquio, ſed dum nimis philoſophiam inſequens nouitatem terminorum contra theologorum conſuetudinem vbique curioſe immiſcuit, varios errores inducit, inter quos extant decem et ſeptem articuli a ſummo pontifice* (Ioanne XXII) *damnati* etc. De quibus articulis videndi RAYNALDVS [f] et NATALIS ALEXANDER [g]. Eundem autem, quem Peripateticam philoſophiam ad errores ſeduxiſſe, conqueſti ſunt an. CIↃCCCXXX theologi Heidelbergenſes, in aſcetico quoque myſticoque argumento calamum exercuiſſe, obſeruat IACOBVS QVETIF [h], qui monet, quaedam eius opuſcula aſcetica inter Ioannis Tauleri opera lucem vidiſſe.

Scholaſtici ex Septentrione, aliisque regionibus. §. XXXIV. In ſeptentrione quoque aliisque regionibus Europae ſimiles philoſophiae Scholaſticae cultores inuentos fuiſſe ex TRITHEMII catalogis virorum doctrina illuſtrium multis exemplis colligi poteſt. Quod vero cum nimis prolixum ſit, nos omittere Lectorisque induſtriae relinquere cogit tractationis noſtrae ratio. Non praetereundus *Petrus de Dacia.* tamen ſilentio PETRVS DE DACIA, ſiue melius, de Dania, cuius vitam perſequitur, IAC. QVETIF [i]. Nos vnum TRITHEMII [k] locum adducimus: *Petrus de Dacia* (ita enim plerique ſcriptores ex aetate, pro Dania ſcribunt) *philoſophus calculator et aſtronomus, inter omnes ſui temporis excellentiſſimus atque celeberrimus, ingenio ſubtilis et clarus eloquio, diuinarum ſcripturarum et Graeci ſermonis non ignarus. Fertur multa in aſtronomia et arte calculatoria ſcripſiſſe opuſcula, quae ad compatum Eccleſiaſticum non inutilia iudicantur, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis* *Alphonſus X.* *computduit.* Addi his ſuo iure deberet ALPHONSVS X, Caſtellae et Legionis ab an. CIↃCCCLII rex, electus etiam an. CIↃCCLVII imperator, qui poſt varia fata regno ſpoliatus a filio Sanctio, an. CIↃCCLXXXIV obiit. Hic enim inſigni beneuolentia literarum et philoſophiae ſtudia complexus, et imprimis conditis ſuis auſpiciis ſumtuque vere regio quadringenties mille aureorum tabulis aſtronomicis, quae coeleſtium motuum rationes

b) T. I. p. 1161. ſeqq.
c) c. 502. p. 124. Annal. Hirſaug. T. II. p. 65.
d) Cat. teſt. verit. p. 865.
e) c. 537. p. 130.
f) Ad an. 1429. n. 70. T. XV. p. 389.
g) H. E. T. VII. p. 103.
h) T. I. p. 507.
i) T. I. p. 408.
k) c. 523. p. 127.

tiones et momenta explicant, et ab eo Alphonſinae dici ſolent, immortalier de aſtronomia meritus eſt; niſi ad ſpecialem aſtronomiae hiſtoriam magis eſſet referendus [l].

§. XXXV. Succeſſit tertia Scholaſticorum aetas, a Durando vsque ad finem ſeculi XV decurrens, in qua Scholaſtica philoſophia numero docentium et diſcentium, itemque ſubtilitatum affectatione, et nugarum atque tricarum multitudine creuit, ingeniis vero philoſophicis et aliquam magnitudinem prae ſe ferentibus decreuit. Cum enim Scoti Schola infandis nugis ſuis omnem docendi et philoſophandi rationem prorſus contaminaſſet, et haecceitatibus, entitatibus et ſimilibus vocibus nihili omnia repleuiſſet, commentationibus diſcipulorum eius et velitationibus contra Thomiſtas factum eſt, vt Scholaſtica philoſophia labyrintho ſimilis euaderet, et inani obſcuraque ſubtilitate peruerſoque diſputandi modo omnis veritas euerteretur, et ad quisquilias et naenias haud raro praeſtantiſſimum philoſophiae donum detruderetur. Quo euenit, vt et ingeniorum acumen hebetaretur, et magni viri deterrerentur a philoſophiae nomine et ſtudio, et ipſa eius ſemina inter haec vepreta et ſenticeta ſuffocarentur. Sunt tamen nonnulli, quos fama ſuper alios extulit, et inter hos Durandus a S. Porciano, Guilelmus Occam, Richardus Suiſſet, Ioannes Buridanus, Marſilius ab Inghen, Gualterus Burlaeus, Petrus de Alliaco, Ioannes Weſſelus Gansfortius, et Gabriel Biel. Qui cum memoriam ſuam in hiſtoria philoſophica certo modo commendauerint, paulo curatius conſiderandi ſunt.

Tertia Scholaſticorum aetas.

§. XXXVI. GVILELMVS DVRANDVS, a natali loco, in Auernorum proximo Boiis oppido, quod a S. Portiano nomen habet, (S. Pourcain en Clermont) appellatus eſt [m]. Claromontii iuuenis Praedicatorum Ordini nomen dedit [n], et philoſophiae atque theologiae ſtudiis totum ſe tradidit, eo ſucceſſu, vt vtrique docendae vtiliſſime adhiberi poſſet, quem in finem lauream quoque a facultate theologica Pariſienſi reportauit, id quod factum anno CIↃCCCXIII [o]. In Italiam poſtea profectus S. Palatii Apoſtolici magiſter a Ioanne XXII, anno CIↃCCCXXIII conſtitutus eſt, ſacrasque eo in loco literas magno applauſu docuit, et ita in ſe pontifici commendauit, vt epiſcopus, primo quidem Anicienſis, mox Meldenſis conſtitueretur [p]. Tanta vero difficillimarum quaeſtionum, dubiorumque, quae tum innumerum in modum augebantur, reſolutione ingenii acumen et philoſophiae Scholaſticae praeſtantiam demonſtrauit, vt doctor reſolutiſſimus dici mereretur. *Sequebatur autem*, vt TRITHEMIO [q] obſeruatum, *primo Thomam*

Guilelmus Durandus.

l) Conf. VOSSIVS de Scient. math. c. XXXV. §. 31. p. 180. FABRICIVS T. I. p. 190. NIC. ANTONIVS Bibl. Hiſp. vet. T. II. p. 55. WOLF. Bibl. Hebr. P. I. p. 192.

m) LABBEVS de S. E. T. I. p. 269.

n) QVETIF T. I. p. 586.

o) BVLAEVS Hiſt. vniuerſ. Pariſ. T. IV. p. 954.

p) SAMMARTHANI T. III. Galliae Chriſt.

q) c. 567. p. 137. add. ANTONIN. Summ. hiſtor. tit. 23. c. 11. §. 2. T. III. p. 681.

Aquinatem, scriptorumque eius defensor erat, postea vero acerrimus impugnator factus est, cuius mutationis causſam quandam, ait, *fluctiuagam ferri, cui fidem nec facile tribuere debeat, nec temere denegare.* Quem eius dissensum tum in dogmate de statu animarum, postquam resolutae sunt a corpore, constitisse, in qua a communi sententia abiit, valdeque ideo displicuit Ioanni XXII [r], tum in doctrina de concursu Dei ad actiones hominum generali tantum, non speciali et immediato versatum fuisse [s], ex scriptis eius intelligitur, et a Io. LAVNOIO in peculiari dissertatione [t] est demonstratum. Praeter consuetudinem enim Scholasticorum liberius philosophando statuere ausus est. Ita e. c. docuit [u]: *Angelum esse in loco, non tamen certo, et determinato, sed vbique: conuenire enim spirituali naturae esse vbique; angelumque secundum situm esse nusquam, omni autem corpori praesentem esse, ratione habitudinis ad quodlibet corpus mouendum, ad hanc enim non requiri praesentiam realem secundum essentiam, sed sufficere praesentiam virtutis ab intellectu et voluntate ad effectus extra se producendos.* Vt alia similia his taceamus, videnda in *Commentario eius in libros magistri sententiarum.* Scripsit etiam philosophica nonnulla et iuridica, enarrata OVDINO [x] et FABRICIO [y]. Obiit anno cIↃcccxxxii, sepultus in ecclesia cathedrali Meldensi, ferturque hoc de eo epitaphium:

Durus Durandus iacet hic sub marmore duro,
An sit saluandus ego nescio, nec quoque curo.

Ast hoc epitaphium a quodam Durandi aduersario, Thomae affecla, ideoque de Durandi salute, ob negatum concursum gratiae diuinae specialem, dubitante compositum fuisse, verisimillimum est. Surrexerunt enim nonnulli contra Durandum pro Thoma, et inter hos Durandus de Aureliaco siue Durandellus, quem contra eum libellum scripsisse, inque eo refutasse impugnationes, quas ille fecerit contra dicta Thomae efficacibus rationibus, testatur ANTONINVS FLORENTINVS [z]. Alios Durandos [a] cum eo non confundendos esse, supra iam monuimus.

Guilelmus Occam.

§. XXXVII. Magnum quoque non sibi modo nomen acquisiuit, sed et peculiari sectae Scholasticae dedit GVILELMVS OCCAMVS siue Ochamus, gente Anglus, a patria, vico Occam prouinciae Surreiensis cognominatus [b]. Iuuenis Scoti institutioni se tradidit, et ad sub-

r) RAYNALDVS ad an. 1333. n. 8. BALVZIVS in Vitis Pap. Auenionens. p. 194.

s) Vid. quos nominauimus Amoenit. liter. T. XIII. p. 318. PAVL. SLEVOGT. Dissertt. acad. p. 361.

t) In Syllabo rationum, quibus causſa Durandi de modo coniunctionis concursuum Dei et creaturae defenditur et inofficiosa quorundam recentiorum censura repellitur, Paris. 1636. 8.

u) Sentent. L. I. dist. 37. q. 1. conf. VOSSIVS de Orig. idololatr. L. I. c. 42. p. m. 299.

x) T. III. p. 793.

y) T. III. p. 204.

z) l. c. De Durandello vid. QVETIF et FABRICIVS ll. cc.

a) Vid. MOLLER. Homonymoscop. P. II. c. 6. §. 3. p. 556. OVDINVS post BVLAEVM ll. cc. duos ex vno Meldensi faciunt.

b) LELANDVS c. 326. BALEVS Cent. V. c. 18. PITSEVS p. 457.

ad ſubtiliſſimi magiſtri praecepta ingenium attulit non minore ſubtilitate acutum. Quod tantopere in haec myſteria penetrauit, vt et omnia ſimul comprehenderet, et nouis tentaminibus emendare aggrederetur. Cum itaque Scoti ſchola hactenus Realium et Formalium opinionem cum plerisque ſecuta eſſet, Occamus ex ea progreſſus, vt diuortium ab illa faceret, pene ſepultam Nominalium ſectam reſuſcitauit, et non minori ingenii acerrimi gloria contra Scotiſtas propugnauit. Vnde factum, vt, qui eius partes tuerentur, Occamiſtae dicerenter, tantumque inter vtramque ſectam odium et contentionis acerbitas oriretur, vt non modo ad rauim vsque digladiarentur, ſed et cruentis interdum manibus ex arena literaria diſcederent, vt infra in hiſtoria harum Sectarum narrabitur. Qui itaque Nominalium parentem vocant [c], vel eorum principem ſalutant, non de primo auctore intelligendi ſunt, is enim fuit Roſcelinus, vt ſupra dictum, ſed de reſtauratore, et Nominalium ſupremo in hac tertia aetate duce. Inde vero venerabilis Inceptoris nomen, itemque doctoris ſingularis et inuincibilis appellationem meruit. Mature vero Ordini Minorum nomen dedit [d], et ineunte ſeculo XIV cathedram in facultate theologica Pariſiis tenuit. Cumque magno animo auctoritati Romani pontificis, ſuper principum ſecularium maieſtatem ſe attollere cupientis ſe opponeret, et ſaniora de poteſtate ciuili et eccleſiaſtica principia detexiſſet, pro Philippi pulchri Galliae regis iure patribusque contra Bonifacium papam, edito *de poteſtate eccleſiaſtica et ſeculari*, libro [e], ſiue dialogo, ſtrenue dimicauit, quod eius opus SELDENO [f] audit, *ingenioſiſſimum et doctiſſimum, nec vnquam ſatis laudatum, quod et forſan inter ea, quae de poteſtate eccleſiaſtica ſeculis ſuperioribus conſcripta ſunt, primas tenet.* Minoritarum prouincialis per Angliam conſtitutus in conuentu Ordinis ſui generali Peruſii habito anno CIↃCCCXXII contra papam Ioannem XXII, Chriſto et apoſtolis poſſeſſiones proprias vindicantem, contrariam ſententiam de eius paupertate magno animo defendit, ſolutoque conuentu vbique locorum et inprimis Bononiae propugnauit, ſicque fratricellorum, ambitionem, luxum, diuitias pontificis graui querela condemnantium ſignifer factus eſt [g]. Id quod tantam Romani praeſulis iram in eum concitauit, vt anathemate eum percuteret, et ad ſilentium redigeret. Vt itaque ſecurus deliteſceret, in Galliam ſeceſſit, tutusque ibi vsque ad annum CIↃCCCXXVIII latuit, quo noua ei emergendi prodeundique in ſcenam occaſio ſe obtulit. Arreptis enim partibus Ludouici Bauari imperatoris, qui Petri de Corberia anti-papae res tuebatur, contra Papam Ioannem magna animi fiducia et fortitudine, nec minori eruditione iterum in arenam deſcendit, illimitatam ſummi pontificis auctoritatem et potentiam deteſtatus

c) WHARTON. ad Caue p. 19. RAPIN. Reflex. p. 341.
d) WADDING. Annal. Ord. Minor. T. III. ad ann. 1322. 1347.
e) Extat etiam in GOLDASTI Monarchia T. I. p. 13.
f) De Synedriis L. I. c. 10. p. 228.
g) WADDING. l. c. BZOVIVS ad ann. 1323. n. 10.

tus est, definitisque maiestatis secularis iuribus, illis subesse episcopum Romanum demonstrauit. Quod quamuis renouata fulmina ecclesiastica ei acceleraret, minime tamen deterreri se passus est, quo minus statueret, imperatorem nulli, nisi Deo, in temporalibus subesse. Vt vero securus esset anno CIↃCCCXXX ad Ludouicum imperatorem secessit, et ab eo clementer exceptus habitusque secretioribus haud raro consiliis adhibitus est, et in aula imperatoris tutum inuenit latibulum, caussamque domini sui, non obstante excommunicatione, magno animo egit, dicere ad imperatorem solitus: *Tu me defendas gladio, et ego te defendam calamo:* multosque ea in re habuisse sectatores testis est TRITHEMIVS [h]. Obiit vt plerique volunt anno CIↃCCCXLIII, die X Aprilis, Monachii in conuentu Franciscanorum sepultus, quem tamen anno demum CIↃCCCL, et quidem Capuae obiisse, magna respicientia rebellionis contra curiam Romanam demonstrata ibique tumulatum fuisse contendit LVC. WADDINGVS [i], id quod fratribus Franciscanis demonstrandum relinquimus. Praeter scripta pro monarchia ciuili edita, quorum complura edidit MELCHIOR GOLDASTVS [k], multa quoque philosophica elucubrauit, imprimis logica, inter quae est *Expositio aurea super totam artem veterem, id est, Porphyrii Praedicabilia, Aristotelis Praedicamenta et libros duos de interpretatione.* Sed theologica quoque, et commentationes in sententias edidit, quaestionibusque eos illustrauit [l]. In iis magnum quidem ingenium ad subtilitates humano intellectui tantum non imperuias pronum iisque aptissimum demonstrauit, ast seculi sui nugis, ineptaque Scotisticae scholae methodo totum corrupit, vnde quod de omnibus Nominalibus pronuntiauit SCALIGER [m], *se eorum ingenia cogi admirari, atque etiam laudare, vt acuta, fugere vt nimis acuta,* de Occamo quoque eorum duce pronuntiandum est. Vnde miramur, virum summum alio loco Cardanum reprehendisse, quod inter maxima ingenia Occamum praeterierit [n], *cuius ingenium ingenia omnia veterum subuerterit, noua ad inuictas insanias, ob incomprehensibiles subtilitates fabricauerit atque conformauerit.* Hos enim artifices, in texendis aranearum telis adeo subtiles inter magna ingenia numeranda non esse, eo quod ad insaniam erudita sint, nemo non intelligit. Sane, vbi quis Occamum in hoc virorum magnorum album referre velit, fatendum tamen est, cum GADDIO [o], numerandum eum esse inter ingenia portentosa. Eandem viam in theologia quoque tenuit, de qua Occami doctrina sacra olim iam sobrie iudicauit PAVLVS LANGIVS [p]: *Occamus*, inquit, *Scholastici certaminis agonotheta excellentissimus, agmen peregrini exercitus, id est philosophicum.*

h) c. 563. p. 137. Annal. Hirsaug. T. II. p. 158.
i) loc. cit.
k) loc. cit.
l) WHARTON. l. c. FABRIC. T. III. p. 466. GADDIVS T. II. p. 122.
m) De subtilit. adu. Cardan. ex. LXV. p. m. 248.
n) Exerc. CCCXXIV. p. 1028.
o) loc. cit.
p) In Chronico Cizensi T. I. Pistor. p. 833.

loſophicum, contra hoſtes Iſraël pugnans, in ſcripturarum campum adducit ſacrisque theologorum copiis aſſociat, ſacra prophanis, diuinis humana, domeſticis exotica, orthodoxis ethnica, coeca praeſumtione commiſcens et copulans, et adeo vsque quidem, vt auxiliares domeſticas pene excedant ſuperentque copias, multo plures videlicet philoſophorum, quam diuinae paginae in ſuis ſyntagmatibus authoritates producendo: quaſi arma lucis, vtpote ſcutum fidei, galea ſalutis, et gladius Spiritus S. vtriusque inſtrumenti aurea teſtimonia, ad reſiſtendum diabolo et ſatellitibus eius, haereticis, minime ſufficerent. Vtrum fauſte et prudenter id fecerit, ipſe viderit. Nec in iis, quae de iurisdictione ſeculari et eccleſiaſtica diſputauit, meliorem ſe praeſtitit: in quibus Scholaſticorum eum armis et ſophiſtica Scholarum methodo pugnauiſſe remque optimam non optime defendiſſe, pulchre obſeruatum τῷ πάνυ CHRISTIANO THOMASIO [q]. Nugari itaque cenſendus eſt, qui eius opera edidit MARCVS DE BENEVENTO, qui, referente MORHOFIO [r], in *praefatione* teſtatur, *quod ſi apud Deos nexus logicae inuenirentur, nullius, niſi Occami, viri doctiſſimi ſolutione vti dignarentur.* Qua de re vt Lector certior fiat, eum *ſummam totius logicae Guilelmi Occami*, quae Oxonii recuſa eſt [s] inſpicere iubemus.

§. XXXVIII. Similia ſubtilitatis ſupra modum acutae laude circa medium ſeculum XIV floruit RICHARDVS SVISSETVS. Hunc alii [t] Rogerum vel Rogerium, quidam [u] Ioannem vocant, vtrumque perperam, verum enim eius nomen eſſe Richardi, ex libri eius infra allegandi titulo eſt clariſſimum. Cognomentum Suiſſet, vel Suinshed, more eius temporis accepit a monaſterio Suinshed ſeu Vinshed Ciſtercienſis Ordinis in Hoylandia Angliae inſula, in quo ſenex vixit. Ingenium nactus acumine alios longe vincens, et in relationes modosque rerum profunde penetrans, in matheſeos ſtudium omnes vires impendit, eius vero principiis naturalem quoque philoſophiam illuſtrare aggreſſus eſt, tanta felicitate, vt mathematicas ſcientias magno applauſu nominisque celebritate in academia Oxonienſi docere poſſet. Neque tamen theologiam neglexit, ſed eius praecepta accurate ſecundum conſuetudinem ſcholae tenuit. Hinc ſacrarum literarum amore ductus anno CIↃCCCL Ciſtercienſium religionem amplexus eſt, et paulo maiori contentione in ſententiarum explicationem, ſiue theologiam ſyſtematicam incubuit, mathematica vero adeo non neglexit, vt potius noua iis accendere lumina aliis hactenus nec viſa nec audita pergeret. Quod cum bonorum omnium

Richardus Suiſſetus.

q) Hiſtor. content. inter ſacerdotium et imperium p. 99.
r) Polyhiſt. T. II. L. I. c. 13. §. 3.
s) 1675. 8.
t) VIVES l. citando, NAVDAEVS add. ad hiſtor. Ludou. XI. p. 214. VISCH. Bibl. Ciſterc. p. 292.
u) VOSSIVS de Scient. mathem. c. 18. p. 78. GADDIVS de Script. non-eccleſ. T. II. p. 326.

omnium calculum mereretur, ignauorum, qui, quae ignorabant, ſuſpecta habebant, cenſuram et reprehenſionem incurrit, et conuiciis atque calumniis, communi mathematicorum et phyſicorum fato, impetitus eſt. Quo vero anno obierit, nobis incertum eſt, rarae enim et incertae ſunt de magno hoc viro memoriae, cum a plerisque non legeretur, eo quod eum ſubtiliſſime argutantem rationesque algebraicas elementis phyſicis adaptantem non intelligebant. In philoſophia quidem Ariſtotelem ſecutus, inque phyſicos et ethicos libros commentatus eſt, logicam etiam illuſtrauit, de quibus eius ſcriptis PITSEVS videndus. Maxime vero in examinandis rerum naturalium affectionibus modisque earum per rationes numerorum calculique mathematici exprimendis ſummam induſtriam poſuit. Quae differendi ratio cum eo tempore a plerisque ignoraretur, factum inde, vt et negligeretur, et male audiret, quod inutiles tricas, et ſenticeta exhibuiſſet, ſolo acumine pungente conſpicua, ſcripſit praeter *Calculationum aſtronomicarum* librum vnum, *Introductorium ad calculationes*, cui *Calculatoris* nomen praefixit; vnde ei hoc quoque nomen, ex conſuetudine iſtius aetatis a librorum titulis auctores deſignandi, haeſit. Errat itaque GERARDVS IO. VOSSIVS[x], qui *Ioannem*, ait, *Suiſſet, Scotum agrum logiſticum Latine excoluiſſe, et ab eximia huius artis peritia miraque ſubtilitate vulgo Calculatorem dictum fuiſſe.* Nam nec Scotus fuit, nec a calculandi peritia ſed a Calculatore libro nomen accepit. Nec accuratum ſatis eſt, quod magnus LEIBNIZIVS in epiſtola ad IO. WALLISIVM data[y], obſeruat, *Suiſſetum κατ' ἐξοχὴν calculatorem dictum eſſe, quod gradus qualitatum ſiue formarum calculo ſubiecerit.* Multo minus audiendus eſt MORHOFIVS[z], valde inaccuratus in hiſtoria huius philoſophi, qui nec verum nomen, nec tempus, nec rationem eius philoſophandi, nec calculatoris ſignificationem aſſecutus eſt, ratus, ita dici, ob ſubtilitates ſuas. Quod tamen viris his doctiſſimis facile condonandum eſt, cum adeo rarus liber hic ſit, vt NAVDEVS[a] teſtetur, in nulla bibliotheca ſibi viſa eſſe eius opera, quae tamen adeo commendet Scaliger. Mirum itaque non eſt, nec Caueum et Whartonum in patriae ſuae hiſtoria literaria alias lynceos, nec Oudinum, qui tot bibliothecarum forulos perreptauit, nec magnum Britanniae mathematicum IO. WALLISIVM in hiſtoria algebrae eius meminiſſe[b]; vt alios taceamus, ex quorum relationibus et iudiciis de Suiſſeto conſtat, eos librum hunc non vidiſſe. Cuius raritatis cauſſam non aliam putamus eſſe, quam neglectum et contemtum libri, qui multos nobis libros doctiſſimos, ſed pauciſſimis intellectos ſubduxit. Ex hac vero ſubtilitate et difficultate, vel ſi mauis, obſcuritate, quae acuta nimis ingenia plerumque comitari ſolent, diuerſa quoque

x) De Scient. mathem. loc. cit.
y) T. III. Opp. Wallisii p. 673.
z) loc. cit.
a) De ordin. Biblioth. T. II. coll. Schmid. p. 106.
b) Extare tamen eius libros in Anglia teſtis αὐτόπτης eſt Caſaubonus, cuius verba exhibet WOLFIVS Caſaubonian. p. 24. conf. p. 233.

que et diſſona eruditorum de calculationibus Suiſſeti, etiam eorum, qui librum legerunt, iudicia orta ſunt. Hieronymus enim Cardanus, et Iulius Caeſar Scaliger ſummis eum laudibus in coelum propemodum extollunt. Et CARDANVS [c] quidem ita de illo: *Ex quo haud dubium eſſe reor, barbaros* (ita Italus tranſmarinos vocat) *ingenio nobis haud eſſe inferiores, quandoquidem ſub bruma coelo diuiſa toto orbe Britannia, duos tam clari ingenii viros* (Io. Duns Scotum et Rich. Suiſſet) *emiſerit.* SCALIGER [d] autem *eum pene modum exceſſiſſe*, ait, *ingenii humani*, et alio loco [e], *hunc virum tam acute ſcripſiſſe*, fatetur, *vt a paucis plene ac pro meritis intelligeretur; tam docte ſibi viſum eſſe, vt cum ſenex legeret, quae iuuenis in literas retuliſſet, vbertim fleuiſſe dicatur, ſiue, quod ipſe quidem putet, quia quaſi recenter frueretur veteri diligentia, ſiue, quod paulo iniquius ſint alii interpretati, quia quae olim ſcripſiſſet aetate florenti, in effoeta minus aſſequi poſſet intelligendo.* Addidit his vir ſummus: *Dignus profecto, quem neque ſenium ſenem faceret, neque naturae lex vita priuaret; niſi meliorem vitam apparaſſet. Haec libentius ſcribo, quio illi viro maximo multa debeo, plura debiturus, ſi per ingenii mei debilitatem licuiſſet. Non enim leuiter in eius campo nos exercuimus.* Addi his poteſt CASAVBONI [f] iudicium, qui *ſe ſubtiliſſimi Rich. Suiſſet Anglici calculationes nouiter emendatas atque reuiſas, opus diu optatum legiſſe in bibliotheca Oxonienſi* ſibi gratulatur. Vnde illuſtris quoque LEIBNIZIVS [g], quo non peritiorem nouimus ea in re iudicem, optauit, vt denuo haec ſcripta Suiſſeti, quae in itineribus ſuis inſpexerat, ederentur. Longe vero aliter Io. PICVS et LVDOVICVS VIVES; ille enim *ſubtilitates eius quisquilias* vocat *Suiſſeticas, quae nihil ad ſciendum vel ad vſum conferunt*, hic acerbe in eum inuehitur, ita conqueſtus [h]: *Inuectae ſunt cauillationes ſtultarum ſubtilitatum, quas ipſi calculationes vocant, quibus maximum dedit incrementum Rugerus Suicetus Anglus - - De vſu neminem video dubitare, ne ipſos etiam maximos earum profeſſores, et quorum exiſtimatio in vna illarum cognitione eſt poſita. Porro ſcientia quae poteſt eſſe in rebus adeo a ſenſu et mente omni remotis ac ſegregatis? et de quibus exinani aliquo fundamento vaſtum aedificium aſſertionum ac diſſidentium ſententiarum conſurgit, vt de intenſione et remiſſione, de raro ac denſo, de motu vniformi ac difformi, vniformiter difformi, difformiter difformi. Quid quod in his, quae nunquam contingunt, ac ne poſſint quidem in natura, multi ſunt atque immodici: vt de infinite raris ac denſis, de hora ſecta in partes proportionales, hoc aut illo proportionis genere, in vnaquaque vt aliqua ſit motus ratio vel alterationis vel rarefactionis.* Sed et reliqua

c) De Subtil. L. XVI.
d) Ex. CCCXXIV. p. 1028.
e) Ex. CCCXL. p. 1068.
f) loc. cit.
g) Leibniziana p. 42.
h) De corr. art. L. V. p. m. 91.

legenda ſunt, quibus inanes et inutiles ſubtilitates vehementer exagitat, quae hoc epiphonemate claudit: *Inuenta ſunt haec ab otioſis hominibus, aliarum rerum omnium inſcientibus, ad exercendum in ſcholis guttur, ne tacendo abduceretur ſitu. Recepta ſunt ab iis, qui omnis cognitionis et peritiae rerum rudes, facile otioſa haec quadam mentis agitatione tuebantur etc.* Alibi autem [i] inter vitia Scholaſticorum reprehendit, quod, *quo indignitate nihil fieret reliqui, etiam Suiceti ſpinas et aculeata ſophiſmata in doctrinam morum inuexerint, de intentione et remiſſione vitiorum et virtutum:* monet quoque [k], *illa fortiter eſſe ſpernenda, quae ad inanem oſtentationem conficta nihil in ſe continent ſolidi et profuturi, de quo genere ſint Suicetica, quae detinent abducuntque a cura meliorum, quodque eſt grauius, reddunt eis ineptos. Neque enim eſſe philoſophum, qui de inſtantibus et de motu enormi aut conformi nugetur ſubtiliter, ſed qui generationes et naturas nouerit plantarum atque animantium, qui cauſſas, cur quicque fiat et quomodo.* Difficile eſt in tantorum virorum diſſenſu arbitrium interponere, id quod nobis non arrogamus. Quoniam tamen leges, quas inſtituto noſtro ſcripſimus, poſtulant, vt modeſte ſententiam quoque noſtram dicamus, nobisque tandem libri longe rariſſimi et diu anxie quaeſiti copia facta fuerit, hinc paucis Lector, quid nobis videatur, monendus eſt. Nempe cum ſummo ingenii acumine vteretur Richardus, et calculationis ſublimioris eſſet peritiſſimus, qualitates, modos, menſuras, gradus et affectiones rerum earumque proportiones et proprietates generaliſſimas logiſticae artis beneficio calculo ſubiicere aggreſſus eſt. Qua in re operam tam inutilem eum praeſtitiſſe ac volunt Picus et Viues, rerum intelligentibus perſuadere erit difficile: recteque vel ex ſolo titulo iudicauit MORHOFIVS [l], *rem hanc non contemni debere: motus enim doctrinam infinitis modificationibus conſtare, in quibus ſi idonee ingenium exercuerit Suiſſetus, profecto contemnendum non eſſe;* recteque ad exempla magnorum noſtrae aetatis virorum prouocat, in motus regulis calculo vtentium. Aſt in eo peccaſſe videtur Suiſſetus, tum quod obſcuritatem, dictionisque barbariem more ſeculi ſui attulerit fere inſuperabilem, tum quod matheſin in philoſophiam Scholaſticam induxerit, vt eleganter magno LEIBNIZIO * obſeruatum. Ita vero dum rem in ſe nec inutilem, nec incertam, et nullo fundamento nixam exequendo, ad vana, inutilia et obſcura phyſicae Scholaſticae principia applicat, fructu ſuo haud raro deſtituitur. Quamuis autem ſimus perſuaſiſſimi, et αὐτοψίᾳ edocti, eſſe calculatorem hunc exemplum, qua ratione Scholaſtica philoſophia etiam ad matheſin traducta rem in ſe laudabilem et optimam corruperit, idem tamen de eo, quod de aliis quoque Scholaſticorum paulo magis ſobriorum φιλοσοφουμένοις

i) De corr. art. pag. 191.
k) pag. 311.
l) loc. cit.
m) loc. cit.

μένοις dici debet, ſtatuendum eſſe putamus: nempe calculi mathematici accurate gnarum ex hoc ſtercore Scholaſtico multum auri colligere poſſe, ſi recte pretioſum a vili diſtinguere norit. Cuius noſtri iudicii rationem vt Lectori explicemus, optime nos acturos credimus, ſi particulam quandam breuem libri albis coruis rarioris in fine paginae * adiiciamus, vt ex eo ipſe iudicium ferre queat.

*) Libri titulus hic eſt: Calculator, ſubtiliſſimi Ricardi Suiſeth Anglici calculationes nouiter emendatae atque reuiſae. Quaeſtio inſuper de reactione iuxta Ariſtotelis ſententiam et commentarios. In fine adiicitur, magiſtri Raymundi Suiſeth nouiter impreſſus Venetiis aere ac ſollerti cura haeredum Octauiani Scoti et ſociorum 1520. fol. literis Longobardicis. Cum autem in titulo libri Suiſſetus dicatur Richardus, quod nomen etiam in aliis libris gerit, in fine vero Raymundus, hinc coniicimus, poſterius eum accepiſſe, cum Ciſtercienſium religionem ſuſciperet. Praefationem praemiſit VICTOR TRINCAVELLVS, Venetus phyſicus ad Chriſtophorum Aretinum facultatis medicae prof. primarium, quem, ait, hoc opus diſcipulis ſuis valde commendauiſſe. Capita autem ſiue tractatus continet ſedecim: 1. de intenſione et remiſſione, 2. de difformibus, 3. de intenſione elementi habentis duas qualitates inaeque extenſas, 4. de intenſione mixtorum, 5. de raritate et denſitate, 6. de augmentatione, 7. de reactione, 8. de potentia rei, 9. de difficultate actionis, 10. de maximo et minimo, 11. de loco elementi, 12. de luminoſis, 13. de actione luminoſi, 14. de motu locali, 15. de medio non reſiſtente, 16. de inductione gradus ſummi. His capitibus metaphyſicam magis, quam phyſicam rationibus algebraicis explicat, et vbique farragi-nem Scholaſticam admiſcet. Cuius ecce luculentum exemplum, nempe Caput de Difformibus: „Ex iſta propoſitione ſequitur, quod ſolum mediante latitudine eadem vel conſimilis intenſionis vniformiter extenſa per partes aequales mediorum aequalium vniformium vel non qualificatorum, vnum alio velocius intenderetur, vt „capiatur *a* et *b* media non qualificata aequalia, „et ponatur, quod in *a* inducatur certa latitudo „intenſionis perceptibiliter ſecundum ſubiectum „extremo intenſiori procedente; quae latitudo „maneat continue vniformiter extenſa per partem alteratam, et inducatur in *b* aeque velociter conſimilis latitudo manens vniformiter extenſa per partem alteratam, extremo tamen remiſſiori procedente; et ponatur, quod extremo *a*, a quo incipit eſſe progreſſio latitudinis, „continue reſpondeat gradus intenſiſſimus caliditatis, qui erit in *a*, ſicut patet eſſe poſſibile, „vbi tractatur de inductione gradus ſummi: et „ſequitur, quod *b* continuo erit intenſius *a* „quam vtrique extremorum illorum, a quo incipit alteratio progredi continue, correſpondebit caliditas intenſior, quam illi extremo in *a*, „eo quod illi in *b* continue correſpondebit alteratio velocior, quam illi in *a*, quo ſequenter „concludo, eo quod vtrumque manebit continue „aeque intenſum cum extremo ſuo extenſiori.



„Idem eſt argumentum poſito, quod in propoſitione *a* et *b* forent vniformi.“ Haec ſpecimiſ loco ſufficiant. Ceterum adeo compendiis literarum deformis eſt liber, vt non niſi ſummo impedimento legi poſſit, et interdum Oedipo opus ſit.

Ioannes Buridanus.

§. XXXIX. IOANNES BVRIDANVS Bethunienſis Arleſius fuit, et ex diſciplina Guilelmi Occami prodiit, vnde Nominalium quoque partibus adhaeſit [o]. Pariſienſi in academia cum ſtudiorum cauſſa haereret, vitae periculum ob laſciuos Ioannae, Philippi Pulchri Galliarum regis vxoris amores, feliciter euitaſſe, inque eius memoriam ſophiſma inueniſſe dicitur. Nempe fama eſt, reginam Scholaſticorum Pariſienſium concubitu gauiſam, eos, ne pateret ſcelus in Sequanam amnem e feneſtra praecipites dediſſe, atque extinxiſſe: ipſum quoque Buridanum in regium thorum clam admiſſum eſſe, tantam autem cladem prudentia ſua declinauiſſe, liberatumque hoc periculo ſophiſma hoc edidiſſe: *Reginam interficere nolite, timere bonum eſt.* Qua ſententia vnius commatis diuerſa poſitione ambigua indicatum eſſe volunt, non timendam eſſe caedem reginae, plurimis proficuam futuram. Sed fabulam eſſe, memoria reginae, ipſiusque Buridani prorſus indignam poſt ROBERTVM GAGVINVM [p], IO. LAVNOIVS [q] et MORLIERIVS [r] ſatis luculenter demonſtrarunt. Vt enim taceamus, vagum rumuſculum non ſufficere ad faciendam tantae calumniae famam, ipſa Buridani tempora non concordant. Ioanna enim ineunte ſeculo XIV floruit, et anno CIↃCCCIV collegium ſiue Gymnaſium Nauarreum erexit, Buridanus, eo tempore, aut plane non vixit, aut pueriles annos vix egreſſus eſt. Cum enim ex diſcipulis Occami fuiſſe dicatur, et Marſilium ab Inghen contemporaneum habuerit, vt ipſe Marſilius prodit, ineunte ſeculo, quo Occamus Pariſiis docuit, eius diſcipulus fuiſſe non potuit, ſed circa annum demum CIↃCCCXXV, et ſequentes, quo tempore clam aufugere Occamus ex Gallia coactus eſt, ab eius ore pependit. Profeſſionem autem publicam Pariſiis ſerius Buridanus nactus eſt, quae omnia in dicta reginae Ioannae, tempora non quadrant. Sunt quidem qui narrent, Buridanum, profeſſorio axiomate iam inſignitum ſtudioſos iuuenes ab illicitis his et periculoſis amoribus facta exhortatione retraxiſſe, et ita iram inſidiasque reginae meruiſſe; cui traditioni ſophiſma illud a Gaguino relatum fauet, quod ita comparatum eſt, vt tacita ratione ſtudioſos in reginae caedem armauerit: aſt ne ſic quidem tempora concordant, et omnis illa narratiuncula de laſciuia et impudicitia vxorum, quae tribus Philippi Pulchri filiis nupſerant, nullo idoneo nititur fundamento. Veriſimillimum vero eſt, fabellam cudiſſe in Buridani ignominiam Reales, quos Nominales magna inuidia preſſiſſe, nec a calumniis contra eos abſtinuiſſe notum eſt. Horum enim perſecutionibus Nominales, et cum his Buridanum quoque e Pariſienſi academia eiectos fuiſſe, teſtis eſt Auentinus. Errant autem, qui rectorem academiae fuiſſe Buridanum anno CIↃCCCXX dicunt, ex Marſilii enim tempore, qui vsque ad finem ſeculi vixit, et Buridanum contemporaneum habuit, intelligitur, ſerius eum doctoris munus Pariſiis obtinuiſſe.

o) Conf. BAYLE Dict. T. I. Art. Buridan. p. 709.

p) L. VII. Hiſt. Gal. verba ipſa affert BAYLE l. c.

q) Hiſt. Gymnaſ. Nauarrei T. I. p. 15.

r) Eſſais de literature T. II. p. 183. ſeqq.

obtinuiſſe. Accidit autem fuga eius ex Gallia medio ſeculo XIV, quo ad Germanos ſeceſſit, auctorque fuit requirendi ab Vrbano V diplomatis, quo anno cIↃCCCLVI Viennae Auſtriae conceſſum generale ſtudium omnium facultatum, excepta theologica, quae demum anno cIↃCCCLXXXIV Vrbani VI conceſſione acceſſit. Scripſit *quaeſtiones in libros politicorum, ethicorumque; quaeſtiones metaphyſicales, in Ariſtotelis logicam, in libros phyſicorum, et de anima, de memoria et reminiſcentia, et in parua naturalia*, quorum editiones recenſet FABRICIVS [s]. In logicis nomen ſibi fecit certa regula inueniendi medium terminum, qui pons aſinorum dicitur, et definiente nonnemine [t] ex Scholaſticorum recentiorum numero eſt *ars inueniendi medium ſyllogiſticum, ſiue modus idealiter oſtendens, quo pacto extrema per negationem diſiuncta copulentur, dicitur-que pons, quod ſicut ponte ripae fluminis, ſic medio extrema per negationem interciſa uniantur, diciturque aſinorum, quia ex I. Poſt. 27. ea arte ſolertes a tardis diſcernuntur.* Ab hoc aſinorum ponte Buridani aſinus diſtinguendus eſſe videtur, quem inter duos vel plures aeque diſtantes et ſimiles per omnia aceruos foeni propter arbitrii defectum vel aequilibrium fame periturum finxit, ad quem eleganter alludit Merlinus Coccaius, vel qui ſub hac larua latet, THEOPHILVS FOLENGIVS [u]. Niſi velis, pontem aſinorum eſſe inuentionem eiusmodi medii termini, quo in ancipiti dubioque rationum conflictu ea tandem, quae ineunda ſit via inuenitur atque diſcernitur, quod logicae aſininae cultoribus examinandum relinquimus.

§. XL. Condiſcipulum habuit Buridanus MARSILIVM AB INGHEN, quem Anglum faciunt TRITHEMIVS [x] et BALEVS [y], licet prior non taceat, a quibusdam Germanum haberi, quibus ſe liberum, ait, relinquere iudicium. Cognomentum autem ſatis prodit, Germanum eum fuiſſe, nempe ab Ingen Traiectenſis dioeceſis. Prodiit hic quoque ex diſciplina Occami [z], hincque Nominalium ſe ſectae addixit, eamque ſtrenue defendit, magnoque applauſu circa annum cIↃCCCLXX Pariſiis docuit. Pulſum Marſilium cum Buridano a Realium ſecta in Germaniam conceſſiſſe, ibique occaſionem excitandae academiae Heidelbergenſis dediſſe ex AVENTINO contendit IACOBVS THOMASIVS [a]. Aliter autem TRITHEMIVS rem narrat, et euocatum fuiſſe Pariſiis tradit [b] his verbis: *Idem rex memoratus Rupertus antequam ſublimaretur in regnum, anno Godfridi abbatis Hirſaugiae ſexto, qui fuit dominicae natiuitatis* cIↃCCCLXXXVI, *gymnaſium vniuerſale in oppido praeſcripto Heidelberg inſtituit, et copioſe prouidit*

Marſilius ab Ingben.

s) T. I. p. 838.
t) SANCRVCIVS dialect. Scoti L. I. c. 3. §. 11. n. 94.
u) Macaronica XXV. p. m. 480. in ea iucundiſſima ſatyra Scholaſticos philoſophos ridet, dignus qui legatur.
x) De S. E. c. 668. p. 156.
y) Cent. V. c. 5.
z) Conf. I. THOMAS. Orat. XII. p. 274.
a) loc. cit.
b) Annal. Hirſaug. T. II. p. 331.

dit, quod Vrbanus papa sextus conceſſis priuilegiis conſuetis approbauit. Cuius gymnaſii rector primus, et literarii certaminis inſtitutor fuit a Schola Pariſiorum rogatu principis euocatus, Marſilius de Ingen, doctor in diuinis ſuo tempore multum eruditus. In hoc munere conſtitutus canonicus quoque et theſaurarius eccleſiae S. Andreae Colonienſis, teſte EODEM [c] factus eſt, qui obiiſſe eum dicit die X Aug. anno cIↃcccxciv. P. BAYLE [d] autem ex quadam Marſilii oratione obſeruat anno cIↃcccxcvi fatis eum conceſſiſſe. Scripſit praeter *quaeſtiones in libros ſententiarum, commentarios in Ariſtotelem et dialecticam* notabilem, de quibus videndus poſt Miraeum, Labbeum aliosque FABRICIVS [e].

Gualterus Burlaeus.

§. XLI. Ex Scotiſtarum familia fuit GVALTERVS BVRLEY, ſiue BVRLAEVS, natione Anglus, quem nonnulli Gallum ſine ratione ſufficienti faciunt [f]. Habuit vero in ſchola Scoti condiſcipulum Occamum, cuius opinionem poſtea amplexus eſt. Hauſtis philoſophiae et ſacrarum doctrinarum praeceptis, cum ſummos in academia Pariſienſi honores accepiſſet, in patriam rediit circa annum cIↃcccxxxvii, magiſter Oxonienſis factus. In qua cathedra ad Nominalium factionem transgreſſus Scoto et Realium parti maſcule ſe oppoſuit, illorum, qui repugnabant Scoto, hyperaſpiſta factus. Tanta autem eruditionis copia et perſpicuitate docuit, vt et doctoris plani et perſpicui nomen obtineret, et apud Eduardum III praeceptoris munus ſuſciperet. Multa ſcripſit, tum in ſententias, tum maxime in Ariſtotelis libros logicos, metaphyſicos, phyſicos, morales, politicos et oeconomicos: itemque metaphyſici et phyſici argumenti complura, enarrata poſt hiſtoriae literariae ſcriptores LELANDVM [g], PITSEVM [h] et BALEVM [i] a FABRICIO [k]. Praecipue autem nobis hoc loco commemorandus eſt, quod hiſtoriam philoſophicam, edito libello *de vita et moribus philoſophorum* ſcribere aggreſſus eſt. In quo a Thalete vsque ad Senecam Capitibus CCCXXXI decurrit. In eo quidem, et Graecae ſe linguae parum gnarum demonſtrauit, et veteris philoſophiae non ſatis peritum oſtendit, iocularesque errores complures admiſit, condonandum tamen id in eius aetatis ignorantia, laudandusque quod neceſſarium ad philoſophiam ſtudium ſui temporis hominibus, ne quidem in hiſtoria philoſophiae luſcis, ſed prorſus coecutientibus commendauerit [l].

Petrus de Alliaco.

§. XLII. Purpura pariter Eccleſiaſtica atque eruditionis ſplendore Seculo XIV effulſit PETRVS DE ALLIACO, magni nominis philoſophus, ſed maioris quoque famae theologus, cuius res et hiſtoriam litera-

c) De S. E. I. c. ex Wimphelingio.
d) loc. cit.
e) T. V. p. 101.
f) Natum eſſe dicit VOSSIVS de Hiſt. Lat. L. II. p. 515. anno 1275.
g) c. 378.
h) pag. 435.
i) Cent. V. 42.
k) T. I. p. 839.
l) Conf. Act. philoſ. Vol. III. p. 283.

literariam praeter eos, qui eruditos purpuratos cardinalesque, itemque scriptores Ecclesiasticos recensuerunt, illustrauere Io. LAVNOIVS [m] et LVDOVICVS ELLIES DVPINIVS [n]. Cumque concilii Constantiensis magna pars fuerit, res quoque eius fuse tetigerunt duumuiri praestantissimi HERMANNVS VON DER HARDT [o] et IACOBVS LENFANT [p], vt alios literariae historiae scriptores satis notos [q] praetereamus. Fuit natione Gallus, Compendii ad Isaram fluuium in Picardia Galliae obscuris infimaeque fortis parentibus anno cIↃcccL natus. Adolescens liberalium artium studiis probe innutritus collegium Nauarreum apud Parisienses ingressus est, circa annum cIↃcccLXXII, inter bursarios, quod paupertas ei suadebat receptus [r]. Qua occasione studiorum suppeditata, in eorum cursu tam impigre porrexit, vt et philosophiae cognitione et eloquentia Ecclesiastica excelleret. Dignus itaque habitus est anno cIↃcccLXXX, qui summis in theologia honoribus et canonicatu in Ecclesia cathedrali Nouioduni augeretur. Post quadriennium inde reuocatus collegio Nauarreo Parisiensi archididascalus praefectus est, et simul cathedram theologicam obtinuit. Quam cum iudicii acrimonia, eloquentiae vigore, magnaque docendi peritia et dexteritate ornaret, magnum iuuentutis studiosae applausum meruit, discipulosque nactus est optimos et eruditissimos, qui ingenii sui claritate praeceptoris famam valde auxerunt, inter quos Ioannes Gerson [s] et Nicolaus de Clemangis [t] reliquos omnes nominis celebritate superauerunt. Diligens quoque fuit in rebus academiae tuendis, cuius sententiam de immaculata conceptione B. Virginis contra monachum quendam eam impugnantem voce scriptisque defendit, et coram Clemente VII pontifice, Auenione sedente causam perorauit. Id quod tantopere eum commendauit, vt anno cIↃcccLXXXIX vniuersitatis Parisiensis cancellarius renunciaretur, et Carolo VI a domesticis sacris et largitionibus piis esse iuberetur [u]. Accessit quinquennio post munus thesaurarii capellae regiae Parisiensis. Tanta autem auctoritate et eruditionis pariter atque prudentiae opinione apud Carolum VI, regem Galliae floruit, vt eius nomine ad Benedictum XIII, qui Clementi successerat, legatus mitteretur, de schismate tollendo consultaturus. Cuius laboris fideique praemia tulit, anno cIↃcccXCV quidem episcopatum Anicienſem seu Velauenſem, et anno sequente Cameracenſem. His dignitatibus

m) In historia gymnasii Nauarrei p. 467.

n) In Gersonianis, Operibus Io. Gersonis praefixis L. II. c. 2. p. 37. sqq.

o) Histor. Concil. Constant. T. I. p. 450.

p) Hist. Concil. Pisani T. II. p. 56.

q) BAYLE T. I. art. d'Ailli p. 119. CROIX DV MAINE Bibl. Franc. p. 381.

r) LAVNOIVS l. c.

s) DVPIN. l. c. vbi et Gersonis, et Alliaci, et de Clemangis aliorumque coaeuorum virorum doctorum historiam erudite complexus est. Addendus LAVNOIVS l. c. p. 509. sqq. HARDTIVS T. I. Hist. Conc. Const. P. IV. De editione operum Gersonis Dupiniana videndus OVDINVS T. III. p. 2269. seq.

t) De docto cordatoque hoc viro videndus LAVNOIVS l. c. p. 558. HARDT. l. c. P. II. p. 71. De scriptis eius OVDINVS T. III. p. 2322. et FABRICIVS T. I. p. 1093.

u) Conf. tamen BAYLE l. c.

bus auctus prudentiae et eruditionis nomine magni habitus est non solum apud Bonifacium IX, et Benedictum XIII, verum etiam in concilio Pisano anno cIↃcccciX habito, vbi eius dexteritas et prudentia valde enituit. Biennio post cardinalitia purpura titulo S. Chrysogoni a Ioanne XXIII ornatus est, exeunteque anno cIↃccccxIV ad Concilium Constantiense abiit, cuius magna pars fuit, tertiaeque sessioni praefuit, et per triennium plerasque eius res est moderatus. Qua de re tamen, licet ea magnum in historia eius momentum habeat, in historia concilii huius annalibusque Ecclesiasticis agendum est. Quo vero anno obierit, inter scriptores non conuenit, quidam annum cIↃccccxVI, alii cIↃcccxxV, vel sequentem ponunt, qui illis praeferendi sunt[x]. Plerorumque enim ex testimonio Cameraci anno cIↃcccxxV diem obiit. Quanta eius fama et existimatio fuerit, inde intelligitur, quod aquila Franciae et malleus a veritate aberrantium indefessus dici meruerit. Strenuum vero potestatis Ecclesiasticae defensorem se praestitit, et sceptra atque coronas diademati sacro subiicere et voce et scriptis contendit, quae eius dictata, Gallorum libertati aduersantia vtrum temporis iniuriae dandae sint, quod contendit LAVNOIVS[y], Lectoris esto iudicium; qui in Ecclesiasticae reipublicae historia plura et prolixiora tum de his, tum de aliis eius opinionibus, praesertim de emendatione atque reformatione Ecclesiae facile inueniet. In philosophiae vero historia non omittendus est, tum ob logices peritiam prorsus singularem, tum ob astrologiae iudiciariae amorem, tum ob commentarios in Aristotelis libros *de natura animae* aliaque eius scripta editos, tum ob singularem mathematicarum scientiarum cognitionem. Et de logicae quidem subtilitatis laude memorabilis est locus WESSELI allatus a LAVNOIO[z]: *Quis vnquam ad illum apicem theologiae, quo Petrus de Alliaco conscendit, absque definitionibus, diuisionibus, argumentationibus, instantiis logicalibus peruenisset? In disputationibus dico, vbi discussione diserta opus est. Quomodo Petrus Ioannem de Montesono in rota de errore quatuordecim illarum conclusionum concussisset, nisi distinctione multiplici aut elenchi ignorantia antecedente vel consequente delusum docuisset? opus igitur theologicis logica inferre.* Astrologiae autem genethliacaeque arti tantopere addictus fuit[a], vt non erubesceret asserere, non modo rerum publicarum et regnorum ruinas et conuersiones, sed et diluuium Noachiticum, natiuitatem Domini aliaque miracula siderum cursu et constellatione coeli fuisse determinata, quam ob rem passim vapulat. Inter *ἀνέκδοτα* eius scripta tractatus quoque est in Boëthium *de consolatione philosophiae*. In theologia non modo Scholasticum sed etiam mysticum differendi genus attigit.

x) Conf. LABBEVS T. II. p. 179. BAYLE l. c. not. D.
y) loc. cit.
z) l. c. p. 469.
a) Scripta eius huc pertinentia indicat FABRICIVS T. V. p. 705. Conf. BAYLE l. c. not F. p. 117. VOSSIVS de Scient. math. c. XXXVIII. §. 14. p. 215.

attigit. In chronologiam autem valde eum impegisse, viris doctis passim est obseruatum [b].

§. XLIII. Inter Germaniae inferioris eruditos Seculo XV magnum philosophiae et theologiae ornamentum fuit [c] IOANNES HERMANNI WESSELVS, qui Basilius quoque vocatur, et GANSFORTIVS a vico Westphaliae, vnde familia eius originem duxit. Natus is est Groeningae anno cIↃcccclx, parentibus honestis; quos cum praemature amisisset, a pia quadam foemina educatus et cum filio canonicis regularibus ordinis S. Hieronymi Zwollae erudiendus traditus est. Ibi humanitatis studiis initiatus cum ingenio esset praestantissimus, et incredibili diligentia literis operam daret, non modo philosophiae et theologiae praecepta feliciter hausit, sed Graecam quoque linguam a fratribus Dominicanis Constantinopoli reducibus didicit, occasionem quoque nactus, Hebraicae, Chaldaicae et Arabicae linguae elementa a Iudaeis discendi. Inde, inuidia pressus, Zwollensem scholam eo tempore satis celebrem reliquit, et ad Colonienſem bonarum artium et literarum mercatum aduolauit; in quo cum Scholasticae philosophiae barbariem ferre non posset, grauissimis inuectiuis eius praecipuos doctores exagitauit [d]. Vt vero meliora disceret, Platonicae philosophiae mysteria rimari coepit [e], libros vero theologorum veterum, et imprimis Ruperti Tuitiensis abbatis scripta diligenter legit, quae in supellectile libraria Benedictinorum Coloniae neglecta inuenerat. Tum ad Heidelbergensem Academiam abiit, quo eum ad theologiam docendam inuitasse comitem Palatinum Rheni Philippum sine teste laudato tradit BENTHEMIVS [f]. Quia vero sacros ordines non susceperat, honores theologici ei denegati sunt, sine quibus theologiam docere non licebat. Philosophicis itaque intentus magno acumine ipsas Scholasticorum arces nempe Nominalium atque Realium sectas, quarum tunc disputationes vehementer feruebant, adortus est, post Reales ad Formales, et ab his ad Nominales transgressus, qua occasione Nominalium opinionem ad Germanos primo peruenisse, cum ab Ottonis Frisingensis aetate Realium partes secuti fuissent, nescio quo fundamento coniicit IACOBVS THOMASIVS [g]. Mirandum autem Wesselum, qui philosophiae Scholasticae barbariem cum nausea obseruauerat, et ad Platonis castra secessserat, potuisse his se immiscere controuersiis, quibus nihil futilius et ineptius vnquam in tota philosophia excogitatum est: potuisse quoque, cum Platonis tamen philosophiam adamasset, a Realibus, quorum partibus fauent ideae Platonicae ad Formales deficere, qui Aristotelem magis sequebantur, et ab his ad

Ioannes Wes. *selus Gansfortius.*

b) IDEM loco citato.

c) VBBO EMMIVS effig. et vit. profess. Groning. p. 12. SVFFRID. PETRI de Script. Fris. Dec. VIII. p. 46. FR. SWERTII Athenae Belgicae p. 699. G. HENRIC. GOEZIVS pec. diss. Lub. 1719.

d) Citati.

e) ADAMI Vit. philos. p. m. 21. credebat eam Christianae religioni esse viciniorem.

f) In Statu Eccles. et Scholastico Batau. P. II. c. 4. §. 9. p. 175.

g) Orat. XII. p. 273.

his ad Nominales, quos in Stoicorum caſtris militauiſſe infra dicemus. Coniicimus autem, vel tum demum Weſſelum Platonicam philoſophiam deamare coepiſſe, cum ex itineribus in patriam rediiſſet, fallique ſcriptores, qui iuueni iam Scholaſticam philoſophiam fordere coepiſſe referunt; vel his eum Scholaſticorum contentionibus ſe ideo immiſcuiſſe, vt ſibi nomen et applauſum conciliaret, facilemque atque pronam ad audiendum iuuentutem nanciſceretur, quae harum nugarum admiratione tota occupata tum erat, vt ex infra dicendis conſtabit. Quaecunque autem eius cauſſa fuit, illud certum eſt, eum in hac arena ſtrenue decertauiſſe, cum ipſe id fateatur in *epiſtola* quadam *ad Iacobum Hoek* [b]. Hac vero ratione non Coloniam modo eruditione ſua philoſophica illuſtrauit, ſed Louanienſem quoque et Pariſienſem academiam. Sunt, qui contendant [i], perluſtratis illum academiis Germanicis, Italicis, Gallicis ad Graecos abiiſſe, ibique cum Graeciae philoſophis conuerſatum, omnem Graeciae diſciplinam accurate tenuiſſe. Verum his rationes temporum valde obſtant; quae neque patiuntur vt dicamus, eum ad Graecos poſt tam longam in ſcholis Occidentalibus moram fuiſſe profectum, neque ea nobis Graeci imperii fata deſcribunt, quibus ad Graecos abire Weſſelus potuit. Eo enim tempore, quo is philoſophiae operam dabat, Turcarum armis omnia erant infeſta, et ipſa CPolitana vrbe occupata Graeci philoſophi in Occidentales regiones diſpergebantur. OVDINVM [k] autem, negantem, Weſſelum vnquam vel Heidelbergae vel Baſileae docuiſſe (quo loco Reuchlinum ab eo elementa linguae Hebraicae docuiſſe nonnulli volunt, teſtimonio idoneo deſtituti) ſed Groningae diu perſeuerantem, ſumto tandem Coloniae doctoris theologiae titulo, in ſuggeſtu ſacro et cathedra Scholaſtica ad obitum perſeueraſſe, non audiendum eſſe putamus, niſi melioribus teſtibus inſtructum. Veriſimilius autem diſputat contra VBBONEM EMMIVM [l], aſſerentem, ipſum in familiam Sixti IV, (qui cum eo adhuc tempore Franciſcanorum generalis eſſet, Franciſcus Rouerius appellatus eſt) admiſſum cum eo ad concilium Baſileenſe anno cIↃCCCCXXXIII acceſſiſſe. Nam cum anno cIↃCCCCXIX Weſſelus natus eſſet, eo anno vix XV annum attigerat, nec cum viris orbis primariis congredi potuit, praeſertim cum id accidiſſe Emmius velit poſt itinera eius literaria. Nec Sixti IV aetas conſpirat, qui anno cIↃCCCCXIV natus eo tempore XVII demum aetatis annum attigerat: quo miniſtri generalis munus grauiſſimum nondum geſſit, ſed Bononiae philoſophiam et theologiam didicit, et Patauii magiſtri honore auctus in diuerſis Italiae academiis philoſophiam praelegit: primoque a familia ordinis ſui magiſtro generali adiutor datus, dein Liguriae prouinciae praefectus, tum ordinis ſui vicarius generalis Romae tandemque in capitulo ordinis Peruſino generali conſtitutus eſt: purpura cardinalitia et anno cIↃCCCCLXXI diade-

b) Opp. p. 877.

i) ADAMI l. c. qui in tribus quoque facultatibus doctoris eum inſignia retuliſſe ſcribit, valde vero in hac biographia confuſus et incertus eſt.

k) T. III. p. 2707.

l) loc. cit.

diademate pontificali ornatus *). Ex qua ſerie vitae Sixti IV conſtat, nec eo tempore illum concilio Baſileenſi interfuiſſe, nec Weſſelum cum eo fuiſſe, multo vero minus apud eum, quod Emmius dicit, adeo gratioſum fuiſſe, vt opimis beneficiis a pontifice mactari potuiſſet, ſi modo voluiſſet. Nec circa finem concilii Baſileenſis, qui in annum CIↃCCCCXLVII, et ſeq. incidit, adfuiſſe dici poteſt, cum nec iſto tempore praeſentem fuiſſe hunc generalem Franciſcanorum probari poſſit. Ea autem aetate, qua ad Romanam ſedem promotus fuit Sixtus, diu iam in patriam redux apud ſuos Weſſelus haeſit, nec apud eum Romae verſari, et pro oblatis muneribus, ſola ſibi biblia Hebraica ex bibliotheca Vaticana petere potuit. Vt taceamus, tantopere in monachorum gregem inuectum eſſe Weſſelum, et grauiſſima eorum odia mature incurrerit, quae eum papae ex mendicantium ordine commendare non potuerunt. Nulli itaque dubitamus, hanc narrationem cum Oudino inter fabulas reiicere. Illud certum eſt, Weſſelum Groeningam reuerſum diu ibi ſacras literas, philoſophiam et philologiam docuiſſe, magnoque et imperterrito animo Scholaſticae theologiae et philoſophiae abominationes deteſtatum iuuentutem ſerio ab his inanibus ſtudiis et corruptione rationis et reuelationis auocaſſe. Et memorabile prorſus eſt, quod a praeceptore ſuo Ioanne Oſtendorpio canonico templi S. Lebuini Dauentriae viro docto et clariſſimo ſe audiuiſſe teſtatur Gerardus Geldenhauerus dictus Nouiomagus, Weſſelum ad eum, cum aliquando adoleſcens adhuc ad illum acceſſiſſet, de ſtudiorum ſuorum ratione eum conſulturus, dixiſſe: *Studioſe adoleſcens ad eum vſque diem, quo doctrina Thomae et Bonauenturae et aliorum eiusdem farinae recentiorum et contentioſorum theologorum ab omnibus vere Chriſtianis theologis explodetur.* Hortatumque eſſe, vt ſcriptores veteres recentioribus praeferret: *futurum enim breui, vt doctores illi irrefragabiles, cucullati, albati et atrati in ordinem ſe dignum redigerentur.* Hac cum opinione de Scholaſticis eſſet occupatus, mirum non eſt, cum contemtu de iis illum eſſe locutum. Narratur enim **): ſi quis forte inter diſputandum ei obiiceret, hoc ſeraphicus: ipſum reſpondere ſolitum fuiſſe: *Thomas fuit doctor, quid tum poſtea? et ego doctor ſum. Thomas vix Latine intellexit, et vmilinguis fuit, ego trium principalium linguarum mediocrem aſſecutus ſum notitiam; Thomas vix vnquam vmbram Ariſtotelicam vidit, ego Ariſtotelem Graecum in ipſa Graecia didici.* Valde autem veremur, vt vera ſit iſta narratiuncula. Nam et incertiſſimum eſt, vtrum vnquam in Graecia Weſſelus fuerit, et a moribus viri pii et candidiſſimi haec iactantia valde eſſe aliena videtur. Veriſimile tamen auctoritatem Scholaſticorum, etiam Thomae et Bonauenturae eum contemſiſſe, cum magna παῤῥησία in hanc theologiae et philoſophiae labem inſurgere conatus ſit. Qui ſi meliora

*) Conf. BAYLE Dict. T. IV. art. Sixt. p. 220. **) ADAMI l. c.

dare ausus fuisset, inter reformatores potius philosophiae quam inter Scholasticos, quorum vlcera tam acriter tetigit, esset referendus. Ex his vero nemo non intelligit fratrum ignorantiae odia et persecutiones Wesselum meruisse, narratque ipse, vt obseruatum MATTH. FLACIO [o], *se putare, quod condemnato Wesalia ad se examinandum inquisitor venturus sit.* Neque tamen in crudelium hominum vngues incidit vir optimus, episcopis Monasterienſi et Traiectenſi, Dauide in Burgundia, qui eum plurimi faciebat [p], illum tuentibus. Tandem annis grauis pie defunctus est anno CIↃCCCCXXCIX, die IV Octobris, postquam in morbo grauissimas tentationes magna fortitudine animoque vere pio superauisset [q], Groeningae in choro ecclesiae spiritualium sororum sepultus, hoc ei posito epitaphio [r]:

Pallida Wesseli saxum hoc tegit ossa magistri,
Philosophos inter qui leo fortis erat.
Illum lingua triplex, Hebraea, Pelasga, Latina,
Inclyta doctorum scandere pulpta dedit.
Agrippina et Parisium, duo regna Mineruae
Sensere ingenii vimque decusque suum.
At laus vna viro, qui totum scibile sciuit,
Et vitio infectis malleus ipse fuit.
Arx Frisiae cineres, Germania tollit honores.
Dic, ferat omnipotens, lector amice animam.

Ex qua inscriptione patet, fuisse eum cum summis inter Scholasticos viris, Alano Insulano et Petro de Alliaco, quorum elogia illi tribuuntur comparatum. Quibus merito addendum, quod in libro memoriali templi illius legitur: *Anno domini* CIↃCCCCXXCIX *obiit venerabilis magister Wesselus Hermanni, egregius doctor sacrae theologiae et in Latina et Graeca et Hebraica lingua multum eruditus, et in tota philosophia quasi vniuersalis.* Hinc factum vt more illorum temporum lux mundi diceretur. Appellationem vero Magistri contradictionum sine dubio ab aduersariis accepit, eo quod erroribus, tyrannidi, nugisque magno animo contradiceret. In conflictibus quoque philosophorum acerrime eum disputauisse, et ineptos philosophastros depexos dedisse, ex epitaphio colligi potest, in quo leoni forti in philosophia assimilatur. Post mortem quae in scrinio eius reperta sunt, monachorum quorundam mendicantium furore exusta esse, scribit, qui vitam eius nobis dedit ALBERTVS HARDENBERGIVS, quae opusculis Wesseli a Io. LYDIO praemissa est, hocque sibi dictum esse refert ab illis, qui suis ipsi oculis hoc vidissent. Ast falsum fuisse Hardenbergium Oudinus coniicit, tum ob honorabilem sepulturam, quam post mortem sortitus est,

o) Cat. test. verit. L. XVI. p. 1908.
p) Ad tuendam valetudinem Wesselo episcopum vsum fuisse, a nonnullis traditur.
q) ADAMI l. c.
r) OVDINVS et BENTHEMIVS ll. cc.

eſt, tum ob codicem Graecum N. T. qui ipſius fuit, et ad Dauentrienſes monachos Dominicanos peruenit, ex quo colligit, reliquos quoque libros Weſſeli ad eum locum peruenisſe. Verum imbecilles has eſſe ratiunculas, contra teſtimonium Hardenbergii ad oculatos teſtes prouocantis, quilibet videt. Quamuis enim honeſtam ei ſepulturam procurauerit publica tanti viri exiſtimatio, potuere tamen fratres illi ignorantiae et malitiae in illa Weſſeli ſcripta ſaeuire, quibus potiri iis licuit. De quibus eius operibus cum ſermo ſit, inepte ſupellectilis eius librariae pars quaedam huc trahitur. Neque tamen omnia eius ſcripta interciderunt, quorum pars curante LVTHERO et IO. ARNOLDO BERGELLANO Wittebergae, et tum alibi prodiit ſub titulo: *Farrago rerum theologicarum;* quotquot vero haberi potuerunt, ediderunt Batauí [s], de quibus videſis FABRICIVM [t]. Solet etiam ad eum referri liber pro Nominalibus aduerſus Formalium Realiumque defenſores, atque ex parte contra Rodolphum Agricolam. Eum autem magis ſapere agnoſcit FABRICIVS [u], auctorem Ioannem de Weſalia, addictum Nominalibus, quam amicum Agricolae Groeningenſem Weſſelum. Id quod facile fieri potuit, vt haec inter ſe nomina confuſa fuerint, quamuis probari non poſſit, quod WHARTONVS [x] contendit, pleraque quae ad Weſſelum referantur ad Ioannem de Weſalia, illius amicum, ob errores in eccleſia gliſcentes ab inquiſitoribus acriter notatum et ad reuocationem compulſum [y] pertinere. Aliud enim ſcriptorum coaeuorum loquuntur teſtimonia.

§. XLIV. GABRIELEM BIEL ideo adducere tractatio poſcit, quia cum eo tertia Scholaſticorum aetas exſpirauit, ſucceſſitque nouum eorum genus, ſuo loco in hiſtoria recentioris philoſophiae contemplandum; quamuis ille parum ſuper ceteros eminuerit. Eius hiſtoriam diligenter poſt alios enarrauit Cel. IO. IACOBVS MOSERVS [z], qui videndus. Nos pauca, vt noſtrum inſtitutum decet, damus. Patria fuit Biel Spirenſis, licet quidam Heluetium faciant, alii Tubingenſem, qui locum habitationis cum patria confundunt. Iactis philoſophiae atque theologiae fundamentis cum eloquentia valeret, primo quidem ad diuina eloquia populo pro concione tradenda Moguntiam vocatus, indeque ad praepoſiti eccleſiae collegiatae Vracenſis in terris Wurtenbergicis munus promotus eſt. Qui cum comiti ſuo Eberhardo, qui ducis poſtea axioma accepit, eſſet gratiſſimus, vna cum Ioanne Nauclero cancellario, Petro Iacobo Arlanenſi et Ioanne Reuchlino comes in itinere, quod Romam ſuſceperat, allectus eſt, ex quo conſtat, inter literatiſſimos huius regio- *Gabriel Biel.*

s) Groeningae 1614. Amſtelod. 1617. 4.
t) T. IV. p. 495.
u) loc. cit.
x) Append. ad Cau. p. 125.
y) De hoc conciónatore Wormatienſi vid. ORT. GRATIVS in Faſcic. rerum expet. p. 163. TRITHEMIVS Chronic. Sponhem. p. 391. BZOVIVS an. 1479. 1482. OVDINVS T. III. p. 2715.
z) In Vitis Profeſſ. Tubing. Ord. theol. Dec. p. 24. ſeqq. add. WERENSDORF. pec. Diſſ. Witteb. 1719. FISCHER. in vita Gerhardi pag. 40. FABRICIVS T. II. p. 1. ſeq.

regionis viros, quos secum habere comes cupiebat, fuisse numeratum. Et Gabrielis quoque consilio operaque comes laudatissimus vsus est in condendo anno cIↃcccclxxivTubingensi athenaeo, cui etiam annis aliquot post eum theologiae professorem dedit publicum, quo loco vsque ad obitum sacras literas et philosophiam docuit. Tandem nomen dedit ordini de communi vita, siue Caputianorum, obiitque anno cIↃccccxcv, aetatis LXV, errant itaque, qui ad annum cIↃIↃxx vitam prorogasse volunt. Secutus est in philosophia Nominalium sectam, quae eo tempore in Germania triumphabat, et imprimis Occamum sibi ducem elegit, in cuius *Commentarium in IV libros sententiarum*, *Collectorium* siue epitomen confecit. Valde eum laudat TRITHEMIVS [a], testatus, *esse eum virum in scripturis diuinis eruditum, et in seculari philosophia egregie doctum, ingenio excellentem, vita et conuersatione praeclarum, qui gymnasio Tubingensi ab exordio suae institutionis praefuerit annis multis, ibique tam in philosophia, quam in sacris literis multos discipulos eruditierit scripseritque quaedam non spernendae authoritatis opuscula, quibus nomen suum notificauerit.* MIRAEO [b] autem *illustre sidus inter clericos vitae communis audit.* Iniquius itaque iudicium est HORNII [c]; *omnium Scholasticorum fucum* illum appellantis. Ad quam sententiam pronuntiandam eum seduxisse videtur, collectoris nomen, quod Gabrieli tributum est: sua enim fucorum instar ex reliquorum Scholasticorum laboribus ingrata industria decerpsisse credidit Hornius; ast falsus est. Nomen enim hoc, more temporis illius, accepit a Collectorio, quod in Occamum scripsisse diximus. Tantopere Ethicam Aristotelis deperiisse traditur [d], vt eam publicis concionibus exponeret. Scripta eius post WHARTONVM, HENDREICHIVM [e], et MOSERVM [f] enumerat FABRICIVS [g].

Scholastici alii tertiae aetatis.

§. XLV. Praeter hos, quos enarrauimus, philosophos longa aliorum quoque Scholasticorum series est, qui hac tertia aetate, vti ingenio et acumine decreuerunt, ita numero et copia valde creuerunt. Hos vero porro recensere omnes, esset Lectoris patientia abuti, et leges tractationis nostrae negligere. Facile, qui plura cupiunt, haurient ex historiae literariae scriptoribus, et ex fontibus, quos accurate indicauit B. FABRICII diligentia. Paucos heic cumulamus, breuissima descriptione adducendos, ne nomina eorum, satis nota vel neglexisse vel inuidisse harum cupediarum cupidis videamur. Celebratus fuit circa annum cIↃcccc a dialecticae peritia IOANNES BOTRELL Carmelita Anglus, de quo tamen cum nihil amplius afferant BALEVS [h] et PITSEVS [i], nihil porro, quod dicamus, habemus. Claruit quoque philosophiae Scholasticae laude seculo XIV, PETRVS AVREOLI natus Verberiae ad

Ioannes Botrell.

Petrus de Verberia s. Aureoli.

a) De Scr. Eccl. c. 903. p. 215.
b) Auctar. p. 89.
c) Histor. philos. L. II. c. 5. p. 301.
d) Vid. MOSERVS l. c. Acta phil. Vol. I. p. 713.
e) Pandect. Brandenburg. p. 571.
f) loc. cit. p. 31.
g) loc. cit.
h) Cent. VII. 21.
i) p. 568.

ad Iſaram, vnde Petrus de Verberia vocari ſolet. Quidam Ordinis Minorum ſocium faciunt [k], rectius aliis ex Sodalitio vallis ſcholarum fuiſſe dicitur. Pariſienſem is ſcholam Scholaſticae philoſophiae et theologiae laude valde ſuo tempore nobilitauit [l], et imprimis eloquentiae eccleſiaſticae laude inclaruit, vnde facundi doctoris nomen reportauit. TRITHEMIVS [m] Aquenſem in ſecunda Narbonenſi epiſcopum fuiſſe ait, quem reliqui ſequuntur, negauit OVDINVS [n] rationibus non vanis. Ad cardinalitiam dignitatem vero peruenisse, qui dicunt, nullo fundamento nituntur, vt obſeruatum fratribus SAMMARTHANIS [o]. Inter Anglos eodem ſeculo magnam philoſophiae nomine famam conſecutus eſt IOANNES DE BACONE, ſiue BACONTHORPIVS, a patria ita vocatus, pago Nordfolcienſi, Carmelitarum religionem profeſſus [p], primo quidem Oxonii [q], tum Pariſiis in literarum ſtudia incubuit, iactisque feliciter fundamentis theologiam, iurisprudentiam eccleſiaſticam et philoſophiam ibi docuit, inter praecipuos referendus, qui Auerroëm ſibi ducem in philoſophia elegerunt. In patriam redux ordinis ſui Prouincialis factus, diem obiit anno CIↃCCCXLVI, et praeter libros theologicos et quodlibeticos, de quibus WHARTONVS [r] videndus, aliaque pro ordine ſuo ſcripta, quaedam philoſophica, e. g. *de potentiis animae*, ſcripſit, et Auerrois potiſſimum opiniones ſecutus eſt, quae quales fuerint, ſupra diximus. Dictus doctor reſolutus. Miramur autem inuentum fuiſſe noſtro tempore, cui placuerit Baconthorpii placita renouare, et in theatrum literarium reducere [s]. Eadem quoque aetas tulit GREGORIVM DE ARIMINO, ciuitate Romandiolae [t], Ordinis Eremitarum Auguſtini ſodalem [u]. Theologiae et philoſophiae Scholaſticae laude cum emineret, ad Nominalium ſectam diſceſſit, et a quibusdam ſuae aetatis opinionibus receſſum fecit, eos imprimis refutauit, qui contradictoria Deum poſſe ſtatuebant, quod dogma hoc tempore vulgare valde in academia Pariſienſi fuiſſe ex IO. LAVNOIO [x], intelligitur. Alias eius opiniones non tangimus, quae ad theologiam pertinent, videndus autem P. BAYLE [y]. Huic comes iungi poteſt ALPHONSVS VARGAS Toletanus, itidem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini profeſſus [z], qui philoſophiam et theologiam per decennium Pariſiis docuit. Tandem ad Hiſpalenſem ſedem promotus fatis functus eſt anno CIↃCCCLIX, vel vt alii volunt CIↃCCCLXVI, et in Ariſto-

Ioannes Baconthorpius.

Gregorius de Arimino.

Alphonſus Vargas.

k) WADDINGVS l. c. p. 276.
l) BVLAEVS Sec. VI. p. 985.
m) c. 545. p. 131.
n) T. III. p. 850. ſeqq.
o) Gall. Chriſtian. T. I. p. 17.
p) ALEGRE in Paradiſo Carmelitici Ord. pag. 294.
q) BALEVS V. I. PITSEVS p. 451.
r) pag. 18.
s) Ioſephus Zagaglia theologus Carmelita Ferrarienſis defunctus aet. 92. ann. 1711. vid. Mem. de Treuoux 1713. p. 1661.
t) Vid. BAYLE Dict. T. IV. art. Rimini pag. 56.
u) CVRTIVS Elog. Auguſtinian. pag. 121. PHIL. ELLSIVS Encomiaſt. Auguſt. pag. 247.
x) De fortuna Ariſtot. c. X. p. 215.
y) loc. cit.
z) ELLSIVS l. c.

Aristotelis librum *de anima quaestiones* inter alia scripta reliquit, de quibus videndus NICOLAVS ANTONIVS [a]. Porro Aristotelicae philosophiae laude super alios eminuisse ait TRITHEMIVS [b] IOANNEM CAPREOLVM Gallum, Ordinis Praedicatorum, et professorem Tolosanum, ideo notandum, quod Thomae aduersus Scotum, Petrum Aureolum, Nominales, aliosque Thomae aduersarios diligentissimum se promachum praestiterit, edito ingenti *in IV libros Sententiarum* opere, quod ab aliis postea in compendium missum est [c]. Ex Scoti partibus vtilissimam Scholasticae philosophiae et theologiae cultoribus operam praestitit HIERONYMVS DE FERRARIIS, editis *Locis communibus ex libris sententiarum* et quodlibeticis Ioannis Duns Scoti. In iis enim non modo singula Scoti loca, et ex iis opiniones quoque illius indicauit, sed et quae contraria sit Thomae sententia adiecit, non omissis placitis commentatorum Auicennae et Auerrois, sic vt vtilem in historia philosophiae et theologiae Scholasticae operam liber praestare possit [d]. Serius, nempe Seculo XV magna eruditionis commendatione vixit MARTINVS MAGISTER, lanii Turonensis filius, qui cum anno cIↃcccclxix in Galliam studiorum caussa concessisset, Nauarreo collegio adscriptus est, acceptaque laurea philosophica anno cIↃcccclxxiii in collegio S. Barbarae philosophiam, maxime vero moralem doctrinam, magno applausu docuit, et theologiam quoque publice tanta felicitate professus est, vt dignus haberetur, quem sibi a confessionibus atque eleemosynis futurum deligeret Galliae rex Ludouicus XI [e]. Obiit anno cIↃcccclxxxii. Etiam hic ex Nominalium parte fuit, quos consequentiarum via assertum iuit. Commentatus est in *Praedicabilia Porphyrii*, *et de fato*. Praecipue autem edito libro *de quatuor virtutibus cardinalibus* maximam inter Scholasticos laudem sibi comparauit, de quibus eius scriptis videndus post Io. LAVNOIVM [f], CAS. OVDINVS [g]. Idem Gymnasium Nauarrense protulit IOANNEM RAVLINVM Tullensem, qui eidem tandem collegio praefectus doctorque datus est, et anno cIↃIↃxiv, septuagenario maior, in religione Cluniacensis monasterii obiit, de quo plura dabit idem LAVNOIVS [h]. Eodem loco vixit, literisque operam dedit, et philosophiae quoque docendae insudauit IACOBVS ALMAIN, Senonensis, Occamistarum partibus adeoque Nominalibus addictissimus, qui quamprimum philosophiam praelegere coeperat, dialecticam physicamque explicuit. Anno cIↃIↃviii collegio Nauarreo adscriptus theologiae doctor triennio post renunciatus est, defunctus anno cIↃIↃxv. Inter

Ioannes Capreolus.

Hieronymus de Ferrariis.

Martinus Magister.

Ioannes Raulinus.

Iacobus Almain.

a) Bibl. Hispan. T. II. p. 113.
b) c. 719. p. 176.
c) ALTAMVRA p. 158. ECHARDVS T. I. p. 917. FABRICIVS T. I. p. 917.
d) Conf. MORHOF. Polyhist. lit. T. II. L. I. c. 14. §. 9. p. 87. seqq.
e) LAVNOIVS Hist. gymnas. Nauarr. p. 592.
f) loc. cit.
g) T. III. p. 2641. FABRICIVS T. V. p. 125.
h) p. 617.

ter ſcripta eius diligenter recenſita a LAVNOIO [i] et FABRICIO [k] *Tractatus quinque conſequentiarum* notandi ſunt, qui ſyſtema aliquod ſyllogiſticae Scholaſticae exhibent, qualis ea ineunte ſeculo XVI et circa reformationis tempora viguit. Agit enim in iis de definitione et diuiſione, exque his conſequentiarum rationes exponit, regulasque exhibet pro argumentationibus enthymematicis, et tum ſyllogiſmos explicat atque exponibilia. Pari ratione *Embammata phyſicalia* edidit, in quibus totam philoſophiam naturalem ex ingenti apophthegmatum phyſicalium aceruo illuſtrare conatus eſt; et *Moralia*, in quatuor diuiſa tractatus, in quibus de actuum et habituum eſſentia, et eorum impedimentis, de virtutibus theologicis tribus, fide, ſpe et charitate; de humanis virtutibus, earumque oppoſitis ſatis ſubtiliter differuit. Iuſſu quoque academiae Pariſienſis librum ſcripſit aduerſus Thomam Caietanum, *de Auctoritate Eccleſiae et conciliorum* [l]. Inter Britannos ROBERTVS HOLCOTH, LELANDO [m] Haldecotus, Auoniae Borealis alumnus, Ord. Praedicatorum ſodalis, in cathedra Oxonienſi philoſophiae et theologiae peritia ſingulari eminuit, multisque ſcriptis, hiſtoriae literariae Anglicae ſcriptoribus enumeratis [n] inclaruit. Seculo porro XV medio philoſophiae Scholaſticae tradendae operam commendauit ſuam NICOLAVS DE ORBELLIS, vel DORBELLVS, Andegauenſis prouinciae, Turonenſis Gallus, Ordin. Minorum [o], qui philoſophiam et theologiam in gymnaſio Pictauienſi docuit, Scotique partes ſtrenue defendit, exque eius mente *Logicam*, itemque *Commentarios in Ariſtotelis Phyſica*, *Metaphyſica*, *Ethica*, *et de anima* ſcripſit [p]. Simili ratione de ſcriptis et philoſophia Ariſtotelis logicis, metaphyſicis, phyſicis et de anima meruit DOMINICVS DE FLANDRIA Dominicanus, qui Bononiae philoſophiam et theologiam docuit, obiitque anno cIↃIↃ, teſte IAC. QVETIF [q], qui libros eius recenſet, quibus Peripateticam philoſophiam illuſtrare conatus eſt [r]. Inter Patauinos profeſſores circa haec tempora floruit MAVRICIVS HIBERNICVS PORTV FILDAEVS; Ordini Minorum adſcriptus [s]; denique archiepiſcopus in Hibernia Tuamenſis [t], qui anno cIↃIↃXIII obiit. Ob celebritatem eruditionis dictus eſt flos mundi, et in Scoti ſcripta non ſine acumine commentatus eſt. Et his quidem multi adhuc addi poſſent, ſi vel Scho-

Robertus Halcoth.

Nicolaus de Orbellis.

Dominicus de Flandria.

Mauricius Hibernicus.

i) Hiſt. gymn. Nauarr. p. 611.
k) T. IV. pag. 3. add. LABBEVS de S. E. pag. 488. BAYLE Dict. T. I. Artic. Almain p. 164.
l) Extat inter Gerſonis Opera T. II. p. 976. ed. DVPINII, qui etiam in Bibl. eccleſ. T. XIV. p. 17. videndus.
m) pag. 411. ABTAMVRA, QVETIF etc.
n) Conf. FABRICIVS T. III. p. 799. ſeqq.
o) WADDING. Bibl. Ord. Min. p. 268.
p) TRITHEMIVS c. 815. WHARTON. p. 113. OVDINVS T. III. pag. 546. FABRICIVS T. V. p. 332.
q) T. I. p. 894.
r) Add. FABRIC. T. II. p. 157.
s) WADDINGVS Bibl. Ord. Min. p. 256.
t) IAC. WARAEVS de Script. Hiberniae pag. 78.

lasticae philosophiae historia specialis enarranda, vel certarum scientiarum fata exponenda essent. Dici enim posset, de Richardo Walingforde, Nicolao de Lynna [w] Ioanne Halifax, Ioanne Duns de Saxonia, Ioanne de Lignariis [x], Ioanne de Marliano [y], Ioanne de Sacrobosco [z], Ioanne de Regiomonte [a], mathematicarum disciplinarum notitia inter Scholasticos celeberrimis: de Alberto de Rieckmersdorf, Ioanne Rauani, Henrico de Einbeck, Ioanne Monsterbeck, Nicolao Stor, Henrico Luhr, Nicolao Smylau etc. inter Germanos logica eruditione conspicuis [b]; de Henrico de Wismaria, Henrico de Gandauo, Ioanne de Eligerio aliisque naturalium rerum peritis [c] etc. Verum haec pro nostro instituto, quod generalem tantum philosophiae historiam nos pandere iubet, prolixa nimis sunt, et ad specialem tractationem pertinent: facile autem eorum notitia ex fontibus hactenus copiose adductis potest hauriri.

w) BALEVS VI. 25. PITSEVS p. 505. LELANDVS c. 370. FABRICIVS T. V. p. 347.

x) TRITHEMIVS c. 580. FABRIC. T. III. p. 276.

y) TRITHEMIVS c. 788. BARTH. CVRTIVS in Histor. Medic. Mediolan. p. 29. Scriptoresque bibliothecarum medicarum. Fuit enim medicus et mathematicus, defunctus 1483.

z) LELANDVS c. 376. BALEVS VI. 93. PITSEVS p. 334. VOSSIVS de Scient. math. pag. 179. obiit Parisiis 1256. Decantatissimus est eius liber de Sphaera mundi, per 400 annos in scholis praelectus, de quo vid. FABRIC. T. IV. p. 374. seq.

a) Proprium nomen Ioannes Mullerus, siue Molitor. Vitam eius elegantter enarrauit PETR. GASSENDVS. Add. Cl. DOPPELMAYR de Mathem. et Artific. Norimb. p. 1. seqq. TRITHEMIVS de Script. German. c. 844. RICCIOLVS in Almagest. etc.

b) Videndi de his Cl. REIMMANNI Hist. lit. German. P. II. p. 254. seqq. et FABRICIVS loc. cit.

c) IDEM l. c. p. 303.

SECTIO TERTIA,

DE NATVRA, INDOLE ET MODO PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE.

§. I.

Generalis idea philoſophiae Scholaſticae.

Enarrata profeſſorum philoſophiae, qui Scholaſtici vocantur, et a Seculo XI ad initia Seculi XVI imperium obtinuerunt hiſtoria, reſtat, vt faciem philoſophiae depingamus, quae tum fuit, eiusque naturam et conſtitutionem, affectiones, modum philoſophandi, ſectas, circumſtantiasque alias, memoratu dignas exponamus, vt quibus fatis philoſophia ſub Scholaſticorum regno gauiſa ſit, quae vel incrementa vel decrementa acceperit, quaeque alia ſunt in hiſtoria doctrinarum ſine attentione non praetermittenda, conſtet. Id quod eo magis neceſſarium eſt, quo magis ſanctioris diſciplinae hiſtoria, et reipublicae Chriſtianae, qui his ſeculis apparuerunt, vultus cognoſci accurate non poſſunt, niſi huius philoſophiae imago depicta conſideretur; eo quod veſano curioſorum hominum ſtudio ſororio philoſophia et theologia Scholaſtica inter ſe iunctae ſunt vinculo. Immo et matheſeos et iurisprudentiae et medicinae ſtudium contaminatum ab illo philoſophandi genere eſt, vt manifeſtis hactenus Iacobi de Rauenna, Richardi Suiſſeti, Petri de Apono, aliorumque exemplis demonſtrauimus, quarum ſcientiarum hiſtoria ſine explicatis Scholaſticae philoſophiae fatis his temporibus intelligi ſatis non poteſt. Deſcripſimus autem iam ſupra, cum natales atque origines philoſophiae Scholaſticae exponeremus, qualis eius ab initio natura extiterit, quibus parentibus fuerit vſa, quo genio ducta prodierit, et quibus ad ſeculum vsque XVI incrementis gauiſa fuerit: oſtendimusque, ex dialecticae primo quidem Stoicae deinde Ariſtotelicae ſtudio, cum metaphyſicis quaeſtionibus et diſceptationibus coniuncto, innumeram abſtractionum, diſtinctionum, diſputationumque farraginem fuiſſe exortam, eamque mira quidem, aſt inutili et vana ſubtilitate ita fuiſſe auctam, vt peruerſiſſima totius philoſophiae indoles inde enaſceretur. Incrementa autem accepiſſe laetiſſima, vbi Saracenica philoſophandi methodus, publicatis Arabum meletematibus philoſophicis, et imprimis Auerrois ſcriptis, innotuiſſet; remque tandem pernicioſam faſtigium quodlam attigiſſe, vbi deſipiens philoſophiam cum theologia coniungendi, vel hanc potius per illam perficiendi ſtudium de ingeniorum ſobrietate et modeſtia triumphauiſſet. Quibus omnibus in antecedentibus luculenter, niſi fallimur, expoſitis, multisque exemplis fuſe demonſtratis, nihil aliud ſupereſſe videtur, quam vt collectis, quae ſparſim allatae ſunt, obſerua-

tionibus, paulo accuratius, et ὡς ἐν συνόψει effigiem philoſophiae huius depingamus, et pernicioſos, quos tulit, fructus demonſtremus, vt, qui ſponte coecutire non vult, habeat, ex quo de natura et conſtitutione atque indole philoſophiae Scholaſticae iudicare poſſit. Faciamus autem id, qua licet breuitate, ne feſſum in hoc vepreto Lectorem nimis diu detinentes, ad iucundiora feſtinanti atque meliora remoram inieciſſe accuſemur. Prolixe enim huius philoſophiae naturam deſcribere, idem eſſet, ac ſenticeta conſtruere, ad quae Lectori diuertendum ſit. Qui itaque his deliciis amplioribus frui cupit, illi ipſa philoſophorum Scholaſticorum praecipuorum v. g. Alberti M. Thomae, Scoti, Occami et ſimilium, ſcripta adeunda ſunt, quae de omnibus philoſophiae partibus reliquerunt. Quae qui nunquam inſpexit, nulla ratione comprehendet, quam profunda philoſophia omnis labe correpta ſit, et quam marcidi eius vultus compareant, quae ſpectra lemuresque in hos veritatis campos irrepſerint, quantumque inde vera philoſophandi ratio damnum paſſa ſit. Quae quoque ratio eſt, cur ſyſtematis philoſophiae Scholaſticae delineationem, more hactenus obſeruato, afferre nobis non liceat; integrae enim tractationes Scholaſticorum deſcribendae eſſent, quod vtilitate caret, et nec locum heic habet, nec nos otio ſatis inſtructi ad inutilem hanc operam ſumus, nec Lectoris patientia ita abutendum eſſe aequiſſimis rationibus conuicti arbitramur.

Obſeruationes generales de philoſophia Scholaſtica.

§. II. Conſiderata itaque, repetita induſtria, Scholaſticae philoſophiae hiſtoria, ita de ea ſtatuendum eſſe aequi arbitri haud difficulter fatebuntur.

I. Philoſophiae Scholaſticae anima, dialectica eriſtica, ad defendenda dogmata ad-hibita.

I. Philoſophiae Scholaſticae animam, et in quo omnia vertebantur, cardinem non fuiſſe, inquiſitionem veritatis attentam et ſine praeiudiciis inſtitutam, nexuque veritatum ex principiis conuenientibus deductarum conſtantem, ſed ſubtilitatis cuiusdam, magnum ingenii acumen demonſtrantis affectationem vanam et ambitioſam, quae dialecticis et metaphyſicis armis inſtructa de quaeſtionibus difficilibus quidem et acutiſſimis, ſed nec vſu nec certitudine commendandis, ſumma animi contentione diſputaret, et ad innumeras velitationes philoſophicas, logomachiis, mentis praeciſionibus vanis, axiomatibus precario aſſumtis, diſtinctionibus fundamento carentibus, terminorumque barbarorum ſpectris adiuta in arenam deſcenderet. Hanc vero philoſophandi ſubtilitatem pugnasque incruentas ad ea dogmata ſtabilienda defendendaque fuiſſe adhibita, quae hierarchiae eccleſiaſticae, temporum fatis tandem inualeſcenti et triumphanti conuenirent, illique hominibus conducerent, qui vt ſoli fere philoſophiae cultores erant, ſibique ſolis Scholaſtici munus creditum eſſe contendebant, ita ad conſeruandam auctoritatem emolumentumque ſuum, capitisque ſub quo in vnum corpus coaluerant, has argutias adhibebant. In hoc ipſam quaſi eſſentiam philoſophiae Scholaſticae quaerendam eſſe, nemo ſu-

mo superioris tractationis non plane immemor temere negauerit, confiteatur potius, oportet ita hanc naturam Scholasticae philosophiae necessario euenire debuisse. Euersa enim seculis VIII, IX, X studiis eruditionis fere omnibus, cum seculo XI dialectica ex Hibernia in Angliam et ex hac in Galliam et Italiam atque Germaniam traducta resurgeret, cuius ab Augustini tempore magna in Ecclesia iam fuerat auctoritas, eaque ab ingeniis quibusdam magnis quidem et supra modum acutis, sed nugacibus et otiosis excoleretur, et metaphysicae, ope doctrinae de pradicabilibus, quae viam parabat, iungeretur, quae vero tunc in Ecclesia oriebantur, dissensiones litesque omnia disputationibus contentiosis replerent, deficientibus aliis magisque sanis philosophiae partibus haec sola triumphauit. Cumque homines tantum Ecclesiastici se liberalium artium studio dedissent, nec aliae, praeter istas septem, disciplinae ob paupertatem ingeniorum atque temporum infelicitatem obtinerent, quadriuium autem, quod mathematicas disciplinas tradebat, a plerisque negligeretur, quin ex triuio quoque grammatica et rhetorica in tanta aeui istius barbarie parum curaretur, nihil remansit nisi dialectica quaedam acuta quidem et subtilis, sed cauillationibus iurgiisque inanibus plena, et innumerarum ineptiarum mater futura. Quam ad theologiam adaptantes philosophi in Scholis Ecclesiarum cathedralium et coenobiorum docentes, qui non nisi theologiae ancillari posse philosophiam contendebant, ipsum quoque sacrarum literarum campum istis nugis tricisque repleuerunt. Ad quod eo potissimum animo accesserunt, quem requirebat ipsorum vtilitas, et hierarchiae, cuius pars erant, emolumentum, et arcana capitis eius cum membris cohaerentis ratio. Illi enim homagii sacramento addicti, philosophari aliter non poterant, quam vel iubebantur, vel necessitatis status et conditionis suae poscebat vtilitas. Quae omnia cum testimoniis fide omni dignissimis passim iam in antecedentibus corroborata sint, actum agere, et testium nube demonstrare dicta nolumus. Conferenda autem cum his sunt, quae prudenter monuerunt viri acuti IACOBVS THOMASIVS [a], ADAMVS TRIBBECHOVIVS [b] et CHR. AVG. HEVMANNVS [c].

§. III. II. Ex dictis vero constat, animam philosophiae Scholasticae, et verum, ex quo conflata est, elementum fuisse dialecticam. Quae vero cum arte rationali confundenda non est, a qua vt scoriae ab auro, differt. Non enim prudenter institutum fuit istud artis dialecticae studium, nec in eo versata diligentia, vt habito respectu ad humani intellectus vires de modo accurate ratiocinandi, et veritatis vtilis et ad felicitatem hominis facientis inquirendae disquisitio institueretur: sed cum Stoicae prius, mox Peripateticae dialecticae principia adhiberentur, cauillationum

II. Dialectica ista non rationalis philosophia fuit, sed ars rixosa.

a) De cauſſis ineptiarum barbari aeui Scholastici, inter praefat. LXXXII. p. 544. et Hist. sap. et stult. P. III. p. 226. seqq.

b) De DD. Scholasticis, passim.

c) In praef. ad Tribbechouii librum laudatum p. 17.

num ſtudium, et inanis velitandi in arena philoſophica libido totam artem abſoluebat; haec omnibus eruditionis partibus praeferebatur, in hac ingenii humani nobilitatem veramque gloriam quaerendam eſſe ſtatuebatur, huic vni dies noctesque tribuebantur, huius addiſcendae gratia integrae regiones et prouinciae peragrabantur, tandem in hoc inani ſtudio conſeneſcebat humana induſtria. Teſtes ſupra ſectione prima dedimus omni exceptione maiores P. Abaelardum et Ioannem Sarisberienſem, quorum verba ſupra adducta hoc loco repetenda ſunt. In cuius vitae hiſtoria exemplum quoque commilitonum eius adduximus, qui [d] *cum eos poſt multos annos inuiſeret, adhuc dialectica detinebantur, et inueniebantur, qui fuerant, vrgebanturque iisdem, quibus prius, ſtimulis, inque hoc vno profecerant, dedicerant modum, modeſtiam neſciebant, adeo quidem, vt de reparatione eorum poſſet deſperari.* Valde id quidem idem vir cordatus et ſupra aetatis ſuae indolem ſapiens deteſtatur, et admodum illis indignatur, *qui clamant in compitis, in triuiis docent, et in ea, quam ſolam profitentur, arte non decennium, aut vicennium, ſed totam conſumunt aetatem: et cum ſenectus ingruit, corpus eneruat, ſenſuum retundit acumina, et praecedentes comprimit voluptates, ſolam hanc in ore voluunt, verſant in manibus, et aliis omnibus ſtudiis locum iſta praeripiunt* etc. Verum parum profeciſſe virum eruditum et prudentem, vel ex hoc vno argumento diſci poteſt, quia cum illa in prima Scholaſticorum aetate accidiſſent, in ſecunda et tertia innumeris modis aucta ſunt. Quod equidem mirari quis poſſet, niſi ex enarrata hactenus Scholaſticorum hiſtoria conſtaret, vtiliſſimam fuiſſe hanc nugandi artem cultoribus ſuis, et ex ea exortos fuiſſe titulos doctorum illuminatiſſimorum, profundiſſimorum, ſubtiliſſimorum, reſolutiſſimorum, ſeraphicorum, angelicorum, mirabilium, venerabilium; natos illa obſtetricante fuiſſe doctores, profeſſores, cancellarios, abbates, epiſcopos, cardinales, pontifices maximos etc. Quibus praemiis cum contentioſa et ſophiſtica illa philoſophia ornata fuerit, quem non coeco ruere impetu in illam oportuit?

Cauſſa cur dialectica eriſtica tanto ſtudio exculta.

III Metaphyſica inani dialecticae iuncta malum hoc auctum, indeque exortae logomachiae innumerae.

§. IV. III. Valde vero inualuit malum in ſe iam vehemens, cum metaphyſica dialecticae iungi coepiſſet, quod initium accepit ſeculo XI, ſequentibus autem ſeculis ſupra omnem expectationem creuit. Cum enim dialectica ad diſputationes theologicas et defendenda dogmata publice recepta, erroresque non ſine emolumento introductos eſſet adhibita, neceſſario de principiis vniuerſalibus, et notionibus quoque abſtractis erat diſpiciendum, ex quibus velitationes illae poſſent inſtrui. Cum autem ſeculo XII Ariſtotelis metaphyſica innotuiſſet, cuius ſeuem hactenus praeguſtum ex praedicabilium doctrina habuerant, haecque mira ſubtilitas non modo acuminis laudem affectantibus mire placuiſſet, ſed ad ſerendas quoque feliciterque depugnandas lites vtiliſſime adhiberi poſſe

d) Metalog. L. II. c. 10. p. 805. conf. Vives de corrupt. art. L. III. p. 112.

poſſe conſtaret, dici non poteſt, quanto impetu, et ſi verum dicendum, furore et inſania in hoc metaphyſicae ſtudium ingenia etiam nobiliſſima, et praeclaris a natura muneribus inſtructa ruere coeperint. Quod quidem ferri potuiſſet, ſi generali rerum tranſcendentalium conſideratione contenti, et de vniuerſalibus principiis regulisque ſolliciti, ſupra rerum naturam non fuiſſent progreſſi, et figmenta otioſi ingenii, ipſarum eſſentiarum contemplationi non praetuliſſent. Verum vbi ſemel nugari coeperunt, omnia alia euenire neceſſe fuit. Nempe ad abſtractarum notionum praeciſionumque mentalium ſyluam ſemel delati, cum non ex natura rerum de axiomatibus et principiis earum eſſent ſolliciti, ſed vaga et vana conceptuum ludificatione argumentum, quod defendere ſuſceperant, tueri, et contrarias opiniones debellare fuiſſent aggreſſi, in tenebris his, quas ideae obſcurae, voces nihili, termini barbari ipſoque ſtrepitu ſuo horrendum quid ſonantes, excitauerant, magnos quidem pulueres excitarunt, ſed multum mouendo parum promouerunt. Cumque ex repugnantium quoque aduerſariorum parte ſimiles artes illis opponerentur, enatae inde diſtinctiones ſubtiliſſimae quidem, ſed ſolis inaniſſimae imaginationis relationibus quibusdam, quas nemo, niſi foecundiſſimi harum ſubtilitatum fabri, aſſequebatur, nixae; quae, quo magis haec contentioſa ars creſcebat, eo magis infinitum in modum augebantur. Adeo vt, Scoti et Occami tempore, tota philoſophia in eiusmodi puerorum terriculamenta, et inanes nubes eſſet transmutata. Ex quibus innumeras de verbis et terminis philoſophicis contentiones debuiſſe enaſci, et immenſum logomachiarum pelagus exortum fuiſſe, facile Lector coniiciet, et triſtis docet experientia, quod viris quidem cordatis mox riſum expreſſit, mox lachrymas, tolli tamen emendarique non potuit. Qua de re Eraſmi, H. Cornelii Agrippae, Auentini aliorumque flagellorum Scholaſticorum verba heic adducere prolixitas vetat[e]. Vnum, ne ſine teſte diſcedamus, damus, prudentem et grauem ineptiarum harum cenſorem LVDOVICVM VIVEM[f], ita differentem: *Quid quod ex philoſophi huius,* (Ariſtotelis) *libris qui ſunt ſane multi acute ſcripti, et docte, non vtiliſſimos ſibi ſumſerunt, ſed intricatiſſimos, et rixoſiſſimos, quique minimum haberent bonae frugis, non de animalibus, qui multum vtilitatis afferunt ad vitam, et quorum ingens fuit apud veteres pretium, non problemata, ſed phyſicos, et quique phyſicis ſunt proximi obſcuritate et argutiis, videlicet de prima philoſophia, de coelo, de generatione, nam libros meteororum ita tractant, vt aliud videantur agere, atque adeo mirum eſt, receptos eſſe inter libros Scholaſticos, puto caſu magis quam conſilio contigiſſe. Sunt enim earum rerum inexperti prorſus, et huius naturae quam melius agricolae et fabri norunt, quam ipſi tanti philoſophi. Qui naturae huic,*

e) Collegit ea TRIBECHOVIVS l. c. p. 46. f) l. c. L. V. p. 166.

huic, quam ignorarent, irati, aliam sibi confinxerunt, nempe subtilitatum nugas de iis rebus, quas nunquam Deus condidisset, nempe formalitates, haecceitates, realitates, relationes, Platonis ideas et monstra, quae quando aliud non possunt, certe dignitate cohonestant nominis, metaphysicam appellantes. Et si quis ingenium habeat naturae huius imperitum, aut ab eo abhorrens, ad commenta, ad somnia quaedam insanissima propensum, hunc dicunt ingenium habere metaphysicum: vt de Scoto, in quo fortassis a callidis et acutis hominibus ambiguitate nominis deludimur, vt ingenium esse metaphysicum sentiant, quasi extra hanc naturam in alia quadam noua et inusitata. Similia aliis quoque locis [g] habet, prorsus egregia et non sine graui vulnere Scholasticorum vlcera tangentia, quae tamen heic exscribere non licet, Lectorem vero apud ipsum legisse nunquam poenitebit.

IV. Fructus pessimi inde enati, maxime theologiae corruptio.

§. V. IV. Studium sophistices, quod hos homines totos occupauerat, quales fructus tulerit, rerum intelligens, nobis non monentibus, ex ipsa pseudo-philosophiae huius natura intelliget. Nempe et rationalis philosophiae officium est, cuncta rite inter se discernere, nempe vera a falsis, diuina ab humanis, certa ab incertis; cuncta ex suis principiis deducere, limitesque cuilibet argumento ponere, sicque ex suis fontibus et axiomata vera atque certa, et conclusiones deriuare omnisque veritatis scenam aperire: ita e contrario sophistica ista ars in id potissimum neruos suos intendebat, vt misceret inter se omnia, principia scientiarum confunderet, humana diuinis, rotunda quadratis, vera falsis, attemperaret, et neglectis rationis atque reuelationis limitibus, sine certo duce, sine regula coeca discurreret, et hoc pacto incertissimae confusioni portam aperiret patentissimam. Id inde potissimum euenit, quod inepti homines, vbi semel huius philosophiae amore essent occupati, et status munerisque sui memores, theologiae esse inseruiendum statuissent, non discretis inter se, vti debebat, vtriusque luminis causis, fine, et terminis, sed neglecto omni discrimine et ordine, rationem cum reuelatione misere confuderant, rati, non posse theologiam consistere, vel attingere eius perfectionem quenquam, nisi in ea tractanda dialecticum se praestitisset; et ita vere ancillari theologiae philosophiam, si illa in hanc tota quasi conuerteretur. Hinc horrenda illa principiorum confusio, vt nescias, vtrum sacras literas, aut gentilem aliquam mataeologiam, aut naturalem quandam scientiam explicare in animo habeant? Quam insaniam, impossibile fuisset, vt non mature obseruassent, si rationalem artem sobria ratione didicissent. At hic lernae huius malorum fons erat pestilentissimus, quod sectariam et ineptam quandam dialecticam didicerant, quae praeter inutiles tricas, terminorumque, enunciationum, syllogismorum cateruos, et sterilem quandam analyticae et syntheticae methodi explicationem nulli argumento graui, vero, et maturo adplicatam nihil prorsus

g) de causis corrupt. art. L. III. p. 112.

prorſus artificii ſuppeditabat, quo mediante veritates detegi, principia diſcerni, et ad domeſticos quaeque fontes reuocari poſſent. Promtuarium autem, vnde principia generalia, theologiae poſtmodum inferenda, deſumebant, erat illa metaphyſica verbalis, ſiue potius terminologia otioſa, quae ſpectris intellectum, ſcientias ignotis principiis, laruisque deteſtandis replebat, et in qua notiones vagae, propoſitiones et regulae nihil ſignificantes, obſcurae, incertae dominabantur. His duumuiris, dialecticae et metaphyſicae, omne in theologiam imperium traditum et his fulcris ſuſtentatum eſt totum Scholaſticae doctrinae aedificium. Quod quantas ex eo ἀνομαλίας ſuſcipere debuerit, quantam deformitatem neceſſario contraxerit, nemo ignorat, qui, quid ſacra doctrina, quid philoſophia ſit, quibus limitibus diſcernantur, qua ratione ſobria ſubordinentur, quos fines obtineant, ſemel didicit. Et hinc omnis illa, quae in theologia Scholaſtica conſpicitur, corruptionis praultas ortum habuit. Quae tanta fuit, vt naſcentis Scholaſticae doctrinae tempore multas theologis paulo attentioribus querelas exprimeret, vt *Sectione ſecunda* paſſim demonſtratum. Quae tamen querelae et conatus eo minus malo obicem ponere potuere, quo minus veram hos ſuſcipientes medicinam adhibere pſeudophiloſophi nouerant, et vel cum falſa philoſophia omnem verae philoſophiae vſum condemnabant, vt Bernardo accidit, vel dogmata tantum nonnulla, quae nec ſatis intelligebant, nec vt intelligi poſſent, explicari patiebantur, confodiebant. Ita vero factum, vt tandem triumphare Ariſtoteli captiuamque ducere theologiam liceret, et Arabum quoque philoſophandi ratio omnem iudicii theologici ſobrietatem ſupprimeret, ita vt ne ſummi quidem inter Scholaſticos viri ab hac intemperantia abſtinerent. Id quod alio exemplo opus non habet, quam ipſius Thomae, quem theologorum Scholaſticorum patriarcham vere dixeris. De eo enim ſupra facultatis philoſophiae Pariſienſis querelas adduximus, *eum in omnibus, etiam arduiſſimis fidei articulis, et humanam rationem tranſcendentibus vti dictis Ariſtotelis, et immiſcere eius philoſophiam doctrinae fidei, ſicut pateat cuilibet intuenti: hoc autem praebere occaſionem errandi, quum ipſemet dicat, quod auctoritates philoſophorum ſint argumenta extranea doctrinae ſacrae.* Haec Thomas fecerat, qui tam longum Scholaſticorum ſyrma poſt ſe trahebat, et prae mille aliis tamen ſapiebat. Quid non vulgus Scholaſticorum ſuſcepiſſe ſuſpicandum eſt? quorum libri pleni ſunt huius vitii, quod ipſum ſuccum et ſanguinem Scholaſticae theologiae corrupit. Quam labem iam in Petro Lombardo notauit Iacobus Faber, elegantioris inter Gallos philoſophiae reſtaurator, *ex cuius ore plus millies ſe accepiſſe et audiuiſſe* teſtatur AVENTINVS [h], *eum ſacroſanctae philoſophiae veritatem fontemque puriſſimum coeno quaeſtionum, riuulis opinionum conturbaſſe.*

Sss ss 2 Multa

h) L. VI. p. 638. Hoc DVPINIO opponi debet, ſtatuenti, Lombardum modum ponere ineptae curioſitati Scholaſticorum voluiſſe, de Meth. ſtudii theol. c. 2. p. 20.

Multa passim hac de re conquesti sunt viri eordati piique, obseruantes, ita neruos succidi sacrae doctrinae, et castimoniae sacrarum literarum vim quasi inferri. Inter quos monachus Cizensis PAVLVS LANGIVS [i] grauissime pronuntiauit: *Nubes fuerunt apostoli et euangelistae, quia altitudinem scientiae habuerunt et doctrinae; sed multi haeretici conati sunt superascendere. Multi sapientes naturales fuerunt, se istis superiores existimantes. Multi etiam doctores appellati catholici fuerunt, nescio si in animo extiterunt, nouitate loquendi, miscendo cum supernaturali theologia naturalem, cum scriptura diuina philosophicam, historicam, et poëticam, sibi ipsis superuolitare sunt visi, et, quod est certum, in dubium reuocantes per vtrum, et quod est clarum et lucidum, in turbidum et obscurum redigentes per vtrum.* Et paulo post: *In tantum exorbitauerunt naturales hominum mentes, vt super altitudinem nubium se extollant: dicentes atque credentes, quod theologica non possunt apprehendi nisi coeco Aristotele duce, et viam praebente orbato Platone, atque ceteris praeeuntibus philosophis, veris priuati luminibus solum innitentes baculis scientiae naturalis, quasi velint asserere, quod in docendo superuolitet scientia naturalis, de quibus scriptura dicit, vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Plura huius generis loca Gochii Mechlinensis, Gaileri a Kaysersberg, Cornelii Agrippae, Auentini, Erasmi aliorumque adducit TRIBBECHOVIVS [k], qui legendus, Henrici Gandauensis et Trithemii loca autem talia deplorantium supra suo iam loco adduximus.

V. Emolumentum cleri et hierarchiae ecclesiasticae sanssa inter alias magna eius labis.

§. VI. V. In caussa fuisse humani ingenii curiositatem et ambitionem magna sibi lumina et inusitatam ingenii subtilitatem vindicantem, vt hoc malum gliscceret, negari non potest. Ast caussam solam fuisse dici nequit; accessit enim emolumentum et vtilitas, quam ex eo capiebant, qui hierarchiae ecclesiasticae, quae tunc vigebat, curiaeque Romanae, quae illius proram puppimque constituebat, tuendae promouendaeque manus admouerant. Probe enim videbant, nihil tam a sacris literis, quam a sana ratione adeo alienum dici statuique posse, quod non his armis defendi, et, qui contra mussitabat, prosterni posset, modo esset ex re Ecclesiae, vel ordinis potius, qui ei praeerat ecclesiastici. Exemplum damus transsubstantiationis dogma, cum ipsa Scholastica philosophia et theologia genitum et exsculptum. Quod quae emolumenta tulerit suis promachis hoc loco, ne aliena sectemur, dicere non licet. Cui cum nonnulli interque eos Rabanus Maurus, Ioannes Scotus Erigena, et deinde maiori contentione Berengarius se opposuissent, his potissimum armis dialecticis repulsi oppugnatique sunt, nec aliis rationibus inuicta Lanfranci acies pro eo pugnare potuit. Cumque primo quidem προβληματικῶς illud excuteretur, vires tamen sumente philosophia et theologia Scholastica, et in nerium erumpente tandem, non obstantibus tam luculentis, quae

i) Chron. Ciz. T. I. Pistor. p. 836. k) l. c. p. 55.

quae monſtroſum dogma euertebant, ſacrarum literarum et rationis ſanae argumentis, in articulum fidei tranſiit, vt in critica doctrinae ſacrae hiſtoria prolixius exponendum. Similia, ne nimis a ſcopo diuertamur, ſilemus. Neque tamen haec Eccleſiae vulnera curabant, qui iis medendis inuigilare debebant, ſed quantis poſſent viribus iis augendis inſudabant; contenti ſophiſtica ſua philoſophia et terminologia dominantis religionis auctoritatem defendiſſe. Hinc in ſynodis et conciliis aliunde haereſibus, quas miſeri theologi haud raro fingebant, et ope pſeudophiloſophiae ſuae exſculpebant, alia remedia parata non ſunt, quam ex his pharmacopoleis deſumta: quae veneni alicuius latentis inſtar omnem ſanitatem coeleſtis doctrinae corruperunt. Acta ſynodorum et conciliorum decreta inſpicienda illis ſunt, quibus haec exemplis illuſtrare eſt animus.

§. VII. VI. Neque ſic malorum et ineptiarum finis; ſed cum humana curioſitas et ambitio in gignendis ingenii monſtris ſupra modum eſſent foecundae, ad tantam cogitationum ſubtilitatem exaltata haec philoſophia eſt, vt ipſum humani intellectus modum captumque ſuperaret. Quem magnorum quidem ingeniorum fructum fuiſſe, negari non poteſt, aſt cum magna ſimul materiae bonae et laudabilis inopia adeſſet, ad aranearum telas effingendas adaptatus eſt. Quem in finem non argumenta tantum quaeſtionum ſuarum ſelegerunt difficillima, abſtruſa, obſcura et innumerabilibus labyrinthis intricata, ſed ad inutilia quoque ὑπέρσοφα καὶ ἄσοφα frequenter recurrerunt. Et licet haud raro diſputatio inde exſurgeret ridicula, vana et nugax, ſaepe etiam paradoxa et interdum impia et deteſtabilis, tantum tamen abeſt, vt diſplicuerit otioſo hominum generi, vt potius in his egregie ſibi placerent, et neſcio, quos perfectionis philoſophicae gradus ſe attigiſſe crederent, immo ab aliis quoque pro iis haberentur, quibus nihil imperuium ſit in naturae, vel, ſi mauis, in ipſis diuinae ſapientiae myſteriis. Qua in re cum aranearum telis comparari poteſt mirifica ingeniorum Scholaſticorum ſubtilitas, quae ſumma quidem fuit, ſed futilis, et inutilis atque friuola. Pulchre ea de re, more ſuo illuſtris VERVLAMIVS [1]: *Quemadmodum complura corpora naturalia dum valent integra, corrumpuntur ſaepius et abeunt in vermes, eodem modo ſana et ſolida rerum cognitio ſaepe numero putreſcit, et ſoluitur in ſubtiles, vanas, inſalubres et (ſi ita loqui liceat) vermiculatas quaeſtiones; quae motu quodam et viuacitate nonnulla praeditae videntur, ſed putidae ſunt et nullius vſus. Hoc genus doctrinae minus ſanae et ſeipſum corrumpentis inualuit apud multos praecipue ex Scholaſticis, qui ſummo otio abundantes, atque ingenio acres, lectione autem impares, quippe quorum mentes concluſae eſſent in paucorum auctorum, praecipue Ariſtotelis dictatoris ſui ſcriptis, non minus quam corpora ipſorum in coenobiorum cellis, hiſtoriam vero et naturae*

VI. Subtilitas affectata nimia et inutilis.

1) De Augm. ſcient. T. I. Opp. L. I. c. 9.

turae et temporis maxima ex parte ignorantes, ex non magno materiae ſtamine, ſed maxima ſpiritus, quaſi radii, agitatione operoſiſſimas telas, quae in libris eorum extant, confecerunt. Etenim mens humana, ſi agat in materiam, naturam rerum et opera Dei contemplando pro modo materiae operatur, atque ab eadem determinatur; ſin ipſa in ſe vertatur, tanquam aranea texens telam, tum demum interminata eſt, et parit certe telas quasdam doctrinae, tenuitate fili operisque admirabiles, ſed quoad vſum friuolas et inanes. Dici autem non poteſt, quam grauiter bonas mentes virorum doctorum offenderit inutilis et veſana haec Scholaſticorum ſubtilitas. Inter quos in iis exagitandis feſtiuum probauit ingenium magnus ERASMVS, cuius *Encomium moriae* falſe hos homines exagitat, diſputantes: *Num in Chriſto plures filiationes? num poſſibilis propoſitio: pater Deus odit filium? num Deus potuerit ſuppoſitare mulierem? num diabolum? num aſinum? num cucurbitam? quemadmodum cucurbita fuerit concionatura, editura miracula, figenda cruci?* etc. qui multa affert huius generis et amare ridet his adhuc deteſtabiliora et magis ridicula, licet ſubtiliora, *de indiſtantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, de haecceitatibus* etc. Similia habent Melchior Canus et Ioannes Maldonatus, quorum loca cum a LAVNOIO [m] adducta ſint, ea apud ipſum legi, quam heic exſcribere volumus. Quamquam autem ſubtilitatis laudem nemo facile his philoſophis denegabit, tantum tamen abeſt, vt inde acuminis veri et laudabilis notam ſuſtineant, vt potius inter perditiſſima huius ſectae vitia eam referendam eſſe putemus. Cauſſam pro nobis perorantem ſiſtimus LVDOVICVM VIVEM [n], ne partium ſtudio aliquid dediſſe videamur. Is inter alia ita: *Adducti ſunt quidam in eam opinionem, vt dicant, haec quidem hactenus eſſe aliis artibus vtilia, quod acuant ingenia diſcentium, et ſi quis haec intelligat, facile etiam alia aſſequetur minus difficilia, quorum neutrum eſt verum. Videntur illa eſſe ingenioſa, partim quod non intelliguntur, nam quidam ea ſola habent in pretio, quae non capiunt, alii ſubtiliſſimam oportere rem arbitrantur, quam ipſi non cernant. Multis perinde videntur arguta, vt luſus pueriles feſtiui, et argutuli. Nam aenigmata haec non ex ingenio, eruditione multa exercitato et ſubacto, ſed ex ignorantia meliorum ſunt nata, tanquam herbae inutiles in ſolo inculto: neceſſe erat eos aliquid agere. Haec eſt enim natura humanorum ingeniorum, vt quoniam igneum eſt, etiam hebetiſſimum, ſe ad aliquid agendum applicet. Itaque non acuunt haec ingenium, ſed cogunt ſylueſcere, contentioſum reddunt ſpinae iſtae, et moroſum, non viuidum et actuoſum: in pulchris acuunt quidem et dedolant, ſed ita vt nihil ſuperſit ſolidi extenuant, minuunt, deprimunt, et in his ſemel fractum haud facile ad res praeclaras ſinunt attollere: praeſertim quum haec non modo aliena ſint a veris artibus, ſed etiam contraria, vt tendenti-*

m) De Fort. Ariſtot. c. XIV. p. 273. ſeqq. n) l. c. L. III. p. 129.

dentibus ad altiores ac veras disciplinas, tanta sint haec cura dediscenda, ne profectum impediant, quanta fuerant accepta. Addimus egregie disputatis, subesse interdum quaestionibus his subtilissimis et obscurissimis virus aliquod, quod inuisa animis ingerit spicula. Talis est disputatio illa de principio indiuiduationis, quam se cum aliis de vniuersalibus, de nominum analogia, de primo cognito, de distinctione quantitatis a re quanta, de maximo et minimo, de infinito, de intentione et remissione, de proportionibus et gradibus etc. ferre non posse testatus est MELCHIOR CANVS o). Quae controuersia quamuis frequentissime in scholis horum philosophorum agitata sit, et nemini inter tot theologos summi nominis et existimationis suspecta fuerit, ipsi vero Thomae, doctori angelico tanto studio ventilata, vt maiori non possit, reuera tamen detestabilem supponit errorem gentilem de materiae principio Deo coaequali, ex quo indiuiduationis principium, duce Aristotele, sed non intellecto, deriuabant. Quam pestiferi dogmatis quasi neptem pro formosa virgine salua catholica fide Scholasticos commendare posteris non valuisse, recte, qui in origines huius controuersiae erudite inquisiuit, obseruatum est IACOBO THOMASIO p), qui *se valde vereri*, ait, *ne nimium hic Thomas Aquinas, siue splendori dederit, siue amori Aristotelici nominis. Nam hunc e sectarum Scholasticarum principibus maxime fuisse*, obseruat, *qui, cum de principio indiuiduationis disceptanda lis esset, ad materiam signatam recurreret*, (nempe sibi persuadendo, principium numeralis multiplicationis esse materiam quantitate molis affectam, vnde inter angelos quoque indiuiduorum dari multitudinem negauit) *non aliunde hausiam, quam ex lacunis gentilitiae metaphysicae.* Hinc Scoti schola, quae latens venenum vidit, barbaram illam haecceitatem, et Occami secta cum reliquis Nominalibus entitatem introduxit, quae non materiae modo, sed spiritui quoque applicari potest.

§. VIII. VII. Hanc subtilitatem ingenii ad quaestiones abstrusas et tenuitate quadam quasi inuisibiles traductam vt in vsum deducerent Scholastici, abstractionum atque praecisionum mentalium auxilio vsi sunt: nec errabimus, contendentes, magnam tricarum Scholasticarum partem huic potissimum fonti deberi. Non contenti enim rerum naturam modosque considerasse, et relationes earum inter se expendisse, eas ab ipsis rebus mentis quidem sola operatione separabant, easque isto abstrahendi a subiecto suo artificio in vniuersales quasdam notiones siue ideas transformabant. Quae si mera mentis ratiocinantis entia imaginaria esse fuissent recordati, salua fuisset propemodum haec philosophandi ratio. Ast inepti philosophastri, quas sibi finxerant notiones, in entia realia transformabant, et his, suppositis pro principiis veris et genuinis, ad explicandam rerum omnium naturam vtebantur. Id quod non modo in logica factum, in qua decantatissima Realium et Nominalium controuersia ex his origi-

VII. Abstractionibus et praecisionibus mentalibus omnia repleta.

o) LL. theol. L. IX. c. 7. p) Praef. XLIII. p. 246. seq.

orginibus surrexit, sed in naturali quoque philosophia, in qua rerum omnium natura ex eiusmodi entibus imaginariis explicata, et quod iterum VIVES q) indignatur, *pro floſculis et arboribus placidiſſimis in iucundiſſimo naturae horto, crux ingeniis fixa eſt, vt nec ibi ſe amoenitate poſſent delectare, et fracta ac debilitata attollere ſe ad meliorem rerum cognitionem non valerent. Ita ex hoc philoſophiae genere ad medicinam et naturae inſpectionem tranſiuerunt praepoſteri, abſurdi, ſpinoſi, in omnibus inepti cauillatores, vt quae ſimpliciter accepta intelligerentur, ac prodeſſent, ipſi vellicando, perſtringendo, detorquendo frangerent et corrumperent.* Maxime vero hoc factum in metaphyſica, in qua intolerabilia prorſus commenti ſunt abſtractionum ſpectra, quibus terrere Lectorem et a conſideratione philoſophiae Scholaſticae, velut auium terriculamentis abigere nolumus. Quod ſi horrendas has abſtractiones ad conſuetas voces, et notiones certas ac definitas reuoces, euaneſcent omnes illi ſatyri et lemures, et in nihilum atque logomachiam abibit tota diſputatio. Ex his iudicium ferendum de hac philoſophia ſeraphica, angelica, profundiſſima, illuminatiſſima, reſolutiſſima etc.

VIII. Scepticiſmus inde enatus.

§. IX. VIII. Quemadmodum autem ſemel admiſſo in viſcera morbo magna inde per vniuerſa membra ſequi ſolet corruptio, et labes concepta ſerpit viresque acquirit eundo, ita Scholaſticae quoque philoſophiae quaeque arcto cum ea vinculo cohaeret, theologiae euenit, in qua dialectica illa contentioſa conceptis nugarum ſubtiliſſimarum quidem; at inutilium et friuolarum, ſeminibus ſcepticiſmum, magnum orbis literarii, quinimmo Eccleſiae, malum genuit. Semel enim ſibi conſtituto fine, iſta velitatione philoſophica et acumine dialectico ingenii gloriam quaerere, et ad magnorum munerum dignitates ſe extollere, neceſſarium fuit, omnem eo curam conuerti, vt, quisquis haec ſibi propoſuiſſet, in ea arte excelleret. Quam vbi ſemel fideliter didicit, et naturae, educationis, imitationis atque exemplorum beneficio illi idoneus factus eſt, non potuit non in eo dies noctesque verſari, vt ſophiſticam hanc artem vbique oſtentaret. Fieri id potuit nullo fere labore; vbique enim regnabant in hac arte inſana notionum confuſio, diſtinctionum vanitas, terminorum barbarorum multitudo, infinitus quaeſtionum aceruus, ratio diſputandi friuola: quibus vbi vtebantur homines audaces, et clamoribus inconditis magna ſui fiducia inſtructi, vel etiam ad dicendum et ſcribendum, quicquid temeritas ſuppeditaſſet, paratiſſimi, tota philoſophia ſecularis et ſacra in palaeſtram quandam ſophiſticam commutata eſt. In ea non ſecundum tacticorum regulas decertatum, id eſt, artis rationalis praeceptis pretium ſtatutum eſt. Hos enim canones ſi ſecuti eſſent, cito citius totus diſputationis aeſtus deferbuiſſet, et in fumum auramque tenuem euanuiſſent tumentes illae bullae, quas inepti philoſophaſtri proiecerant. Sed cum neque principiorum praemiſſarumque iuſta haberetur ratio,

q) De Cauſſis corrupt. art. pag. 172.

ratio, neque terminorum clara et perſpicua adhiberetur conceptio, his ratiociniis vagis, obſcuris et per innumeras ratiuncularum ambages infinitasque diſtinctionum nihili ſeries vagantibus in vtramque partem differere poſſe ſibi laudi duxerunt, inque eo omne artis ſuae praeſidium collocarunt. Ita vero factum, vt cum aequali acie pro ſententiis temere receptis et contra eas dimicarent, intellectus redderetur incertiſſimus, nec haberet, cui acquieſceret, nec tam euidens eſſet ratio, cui non alia opponeretur, ſicque Scepticiſmus tandem apertiſſime triumpharet. Non facere nos Scholaſticis iniuriam, teſtis eſſe poteſt tota, quam hactenus deſcripſimus hiſtoria. In qua inter alia narrauimus Simonem Tornacenſem eam ſibi artis huius peritiam vindicaſſe, qua, quae vno die fortiſſimis rationibus euiciſſet, altera non minori argumentorum vi poſſet euertere. Quam quidem eius iactantiam, fabulae de eius impietate publice θεηλάτως vlta cudendae occaſionem dediſſe ſupra euicimus: nihil tamen impedit, quo minus credamus, eum in hac ancipiti aleâ fuiſſe verſatiſſimum. Certe hoc ex iſta traditione recte concluditur, conſuetudinem philoſophorum et theologorum eius ordinis anſam hoc commentum excogitandi ſuppeditaſſe. Complures autem iam in prima Scholaſticorum aetate ita conſueuiſſe facere, acerbe conqueſtus eſt Gualterus S. Victoris prior, quem eam ob rem Abaelardum, Lombardum, Petrum Pictauienſem et Gilbertum Porretanum vehementer accuſaſſe, et, quod omnem Galliam inexplicabilibus labyrinthis inuoluerent, fuiſſe indignatum, ſupra narrauimus. Ita enim inter alia [r]: *Dialectici, quorum Ariſtoteles princeps eſt, ſolent argumentationum retia tendere, et vagam rhetoricae libertatem et ſyllogiſmorum ſpineta concludere. Hi ergo in eo totos dies et noctes terunt, vt interrogent, vel reſpondeant, vel dent propoſitiones, vel accipiant, aſſumant, affirment, atque concludant - - Sicut enim rerum omnium, ita et propoſitionum infinita conuerſio eſt: vnum idemque verum et falſum, et neutrum adhibitis mille differentiis facillime negat et probat.* Alias virorum cordatorum querelas cumulauit TRIBBECHOVIVS [s], qui omnino inſpiciendus. Hoc cum prima aetas, reliquis adhuc modeſtior fecerit, quid de ſecunda et tertia dicendum, quae primam impudentia et audacia, diſputandique pruritu prorſus intolerabili longe vicit? Probe id vidit FRANCISCVS PATRICIVS [t], ideo Scholaſticos, quamuis Ariſtotelem ſibi ducem elegiſſent, inter veros et genuinos Peripateticos referre dedignatus. Poſtquam enim obſeruauiſſet, *ingentem ab Alberto M. Thoma Aquinate et Ioanne Duns ſucceſſionem manauiſſe, quae in Auerroicis hypotheſibus habitauerit, ex his*, monet, *nouam quandam in Ariſtotele veterem tamen in Academia ac Pyrrhonis ſchola, rationem philoſophandi ortam eſſe,*

r) Apud LAVNOIVM l. c. c. III. p. 189. ſeqq.
s) c. IV. p. 131.
t) Diſcuſſ. perip. T. I. L. XIII. p. 162. ſeq.

esse, vt scilicet, de singulis dubitare, vtile fore arbitrarentur. Inde dubitationum ac quaestionum sexcentorum millium numerum manauisse. Nam cum omnia Aristotelis dicta velut certa reciperent, multis tamen locis contradictionem prae se ferrent, necesse fuisse de alteris dubitare; sed dubia de dubiis nectendo in nouam quandam academiam horum scholas euasisse, ita vt nihil in Aristotele certi affirmari possit. Ita vero pestilentissimis erroribus porta patebat amplissima; quos impune problematicae disquisitionis larua tectos ventilare licebat, eo quod nihil certe definiretur. Dicique non potest, quanta impietatis seges ex his prauis seminibus orta sit, quae non dubitauit ipsam DEI existentiam et summa fidei mysteria ancipiti et fluctuanti disputationi subiicere. Specimen eius impietatis si vis, accipe PAVLI LANGII [a] verba: *Agnellus vir humilis ac beatae vitae, cum et ipse studium in Oxoniensi conuentu instituisset, et post tempus modicum eum audiuisset, semel inter se clamose disputantes, vtrum ista sit vera: Deus est; Zelo accensus et multum turbatus ait: heu me! Simplices et illiterati ad Deum rapiuntur, et isti literati Deum esse ponunt in quaestione, et exin studium reuocauit.* Quae impietas, de grauissimis religionis et naturalis et reuelatae articulis incerta alea disputandi tantopere tandem inualuit, vt Leo X in concilio Lateranensi caueri iusserit: *ne quisquam contra animae immortalitatem differat, aut eam mortalem credat.* Id quod Auerroismo inter Scholasticos regnanti adscribendum est. Nec aliter intelligi potest infandus Atheorum numerus, quem in Gallia ad sexaginta millia et in vna Lutetia ad quinquaginta millia exsurgere incredibili narratione scripsit MARINVS MERSENNVS [x], nisi ad hanc scepticam de Deo disputationem velis respicere. Illud certum, cardinales in consilio de emendanda Ecclesia Paulum III, P. M. admonuisse: *Abusum magnum et pernicioſum esse in gymnasiis publicis praesertim in Italia, in quibus multi philosophiae professores impietatem doceant, immo in templis fiant disputationes impiissimae, et si quae sint piae, tractentur in eis valde irreuerenter, ideoque putare se indicendum episcopis, vbi sunt publica gymnasia, ne docerent adolescentes impietatem.* Plura huius generis testimonia collegit TRIBBECHOVIVS [y], quae sine stupore legi non possunt. Licet autem, in omnis impietatis patrocinium disputari posse, crederent, maledicta illa disputandi consuetudine seducti Scholastici; eis tamen, quos suis partibus non fauere videbant, vel tantum suspicabantur, atheismi et haereseos notam inurere non erubescebant; et in ipsa illa disceptandi methodo et philosophiae abusu facile ansam arripientes, hac potissimum obtrectatione contra illos trisulca vibrabant fulmina, qui auctoritati status hierarchici, eiusque capitis, curiaeue Romanae emolumentis et religioni dominanti contra ire, moresque clericorum damnare audebant. Quae impudentia non modo doctos viros, sed ipsam quoque

Inde orta Atheismi impietas theoretica.

a) Chron. Ciz. T. I. p. 305.
x) In rarissimis Qq. in Genesin p. 671.
y) l. c. p. 135. seqq.

quoque sacrae purpurae maiestatem pressit, et ausa est, optimum principem Fridericum II hac infamia onerare. Ita scilicet solent, qui pessimis viuunt moribus, vt alios inculpent, ne suorum vitiorum recrudescat memoria. Praeter impietatem theoreticam, practicam quoque haec proteruia produxit; cum enim omnis honestatis principia tantae incertitudinis fluctibus obiicerentur, facile fuit omnibus sceleribus patrocinium parare, et omnem virtutis culturam abiicere. Quod cum in annalibus ecclesiasticis enarrari soleat [z], hoc loco explicari quidem non potest, non tamen in historia Scholasticorum naeuorum negligendum est, vt constet, quam corruptionem voluntatis produxerit ista intellectus incertitudo et deprauatio. *et practicam.*

§. X. IX. Barbariem cogitationum comitata est dictionis barbaries squalorque, qui foedos philosophiae vultus penitus tandem conspurcauit. Quamuis enim in triuio grammaticae et rhetoricae institutiones panderentur, parum tamen istis studiis sordes sermonis, quae ex barbararum gentium inuasionibus in praecedentibus seculis relictae erant pelli potuerunt. Id quod mirandum magnopere haud est. Cum enim nec humanitatis studiis pretium, nec barbariei modus poneretur, ea quoque notionum terminorumque caterua excogitaretur, quam veteris Latii incolae ex vltima Barbaria aduectam iudicassent, impossibile fuit his nugis occupatis, de sermonis puritate cogitare, vel scientiarum sectari elegantiam. Hinc non sine magno taedio in horum hominum scriptis versari licet, adeo omnia sordent, et insubidae dictionis squalentisque atque coenum olentis sermonis ineptiae stomachum mouent atque concitant nauseam. Non repetemus pudendae inscitiae ne pueris quidem hodie condonandae specimina, quae ex medio aeuo adduxit curiosa TRIBECHOVII [a] diligentia, nec prouocabimus ad historiam Longobardicam IACOBI DE VORAGINE, et quod in ea exhibetur calendarium etymologicum, quod post ERASMVM SCHMIDIVM recusum dedit Cl. SCHELHORNIVS [b], quo an ineptius et puerilius, et ob pudendam ignorantiam risu sibilisque dignius, quicquam excogitari queat, dubii haeremus: sed ad ipsas Scholasticorum tractationes prouocamus, quas adducere hoc loco Lectorique mouere nauseam eo minus opus est, quo minus eorum vbique desideratur copia, et in quouis fere Scholastico haec occurrat barbaries. Obseruauit iam suo tempore hoc literaturae castioris odium in philosophis IOANNES SARISBERIENSIS [c]; cum enim laudabilem Bernardi Carnotensis operam in adducendis ad elegantiorem veteris aeui literaturam iuuenum animis narrauisset, addit: *sed postmodum, ex quo opinio veritati praeiudicium fecit, et homines videri quam esse philosophi maluerunt, professoresque artium, se totam philosophiam breuius, quam trien-* *IX. Iuncta barbariessermonis cum barbariecogitationum.*

z) Multa scriptorum coaeuorum testimonia collegit Io. HENRIC. HOTTINGERVS Histor. Eccles. Sec. XIII. p. 357. - - 434. Diligens in his cleri vitiis perstringendis est Auentinus.

a) c. V. p. 205.

b) Amoenit. liter. T. XI. p. 324. seqq.

c) Metalog. L. I. c. 24. p. 784.

nio aut biennio transfuſuros auditoribus pollicebantur, impetu multitudinis imperitae victi ceſſerunt. Exinde autem, minus temporis et diligentiae in grammaticae ſtudium impenſum eſt. Ex quo contigit, vt qui omnes artes, tam liberales quam mechanicas profitentur, nec primam nouerint, ſine qua fruſtra quis progredietur ad reliquas. Haec ſuo tempore Sarisberienſis, quo nonnihil tamen pretii ſtatuebatur literis: ſuccedente vero tempore, quo magis philoſophia illa incondita inualuit, eo magis ſermonis puritas, quae a barbararum gentium inuaſionibus dudum iam vitium contraxerat, contaminari coepit. Cuius rei teſtes eſſe poſſunt gloſſaria medii aeui a viris doctis condita, vt barbara lingua poſſet intelligi. Tantopere vero has ſordes barbara gens deamauit, vt, cum ſeculo XIV viri nonnulli eruditi ſurgerent, qui orationis nitorem ſermonisque puritatem reſtituere conabantur, non modo eandem cantilenam canerent, easdemque voces raucas repeterent, ſed odio quoque perſequerentur humaniorum literarum profeſſores. De qua re tamen hoc loco dici plura non poſſunt, eo quod ad humanitatis ſtudiorum hiſtoriam pertinet. Damus tamen verba VIVIS[d]: *Quum iam Latina lingua prope tota interiiſſet, viderentque plauſibile et venerandum, magnique ad opinionem ingentis eruditionis momenti, horrenda barbarie et ſoloeciſmis orationem conſpurcare, vnusque ad exprimendum, quod volebat, verbum de ſermone vernaculo mutuabatur, alias, quod decorum crederetur, ſi quam peſſime Latine loqueretur; alias quod expeditius: interdum quoque, quod meliore quidem voce non carebat quidem, ſed non eſſet intellecta. Ita malebant aliqui iuxta vetus dictum imperitius loqui, modo apertius, nata hinc eſt barbaries non vna, ſicut erat vna Latina lingua, verum ſua cuique genti et nationi. Aliam ex ſuo vernaculo inuexit Hiſpanus, aliam Italus, aliam Gallus, aliam Germanus, aliam Britannus, nec hi mutuo intelligebant.* Idem de poëtica arte dicendum. Quamuis enim nonnulla ingenia paulo comtiora haec ſecula tulerint, quae produxit, eorumque exemplo medii aeui barbariem negare conatus eſt doctiſſimus LEYSERVS[e], rari tamen apparebant nantes in gurgite vaſto, et hi quoque a ſorditie ſui aeui non erant immunes, reliqui barbaram Leoninorum verſuum iucunditatem affectabant. Quae omnia infelicitatem eorum temporum prodentia alium quidem locum poſtulant, heic tamen ideo intacta praetermittenda non fuerunt, quia ex hac elegantioris literaturae penuria magno ſitu et ſqualore ita obducta ſunt ingenia, vt miteſcere, et rubiginem deponere philoſophiae beneficio non potuerint, haec vero illa barbarie valde corrupta fuerit. Par ratio eſt hiſtoriae, reliquarumque diſciplinarum, quarum fata inter Scholaſticos in hiſtoria literaria aeui medii enarrari ſolent. Nos vnam, quae nos occupat, philoſophiae hiſtoriam tangimus, quam facem philoſophantibus accendere clariſſimam in prolegomenis totius tractationis demon-

d) De Cauſſ. corr. art. L. II. p. 78. e) In Hiſtoria poëtarum medii aeui.

demonſtrauimus. Eam cum vnus Burlaeus tam miſere inepteque tradiderit, et tantopere ſe luſcum praeſtiterit, intelligi inde facile poteſt, quam pueriliter reliqui ineptiuerint et coecutiuerint. Exemplo eſſe poſſunt pueriles Alberti M. lapſus ſuo loco notati.

§. XI. X. Nihil vero magis omnem veram philoſophandi rationem perdidit, et Scholaſticos in deuia abire coëgit, quam Ἀριστοτελομανία, quae inter eos obtinuit. Et tempore quidem naſcentis philoſophiae Scholaſticae valde premebatur Auguſtini auctoritate Ariſtotelis exiſtimatio. Cum enim illius logica in ſcholis apud plerosque hactenus ſola obtinuiſſet, et praeter Boëthii et Victorini verſiones aliquot librorum dialecticorum Ariſtotelis nihil huius innotuiſſet, valde ſuſpectae erant nouae ſcriptorum eius philoſophicorum verſiones, quae comparebant; vnde factum, vt publicis quoque ſtatutis ſupprimerentur, vt ſupra narratum. Id quod non ex odio Ariſtotelicae philoſophiae, ſed ex praeiudicio auctoritatis factum eſt, cum graue et intolerabile videretur veteranis illis palaeſtrae philoſophicae agonothetis, quae pueri didicere, ſenes perdenda fateri, et ſancto Eccleſiae praeſuli, cui iſtam logicam tribuebant, praeferre philoſophum gentilem, patique, vt noui magiſtri iſtius philoſophiae cognitione ferocirent. Vbi vero egregius, quem in philoſophia eriſtica Ariſtotelica philoſophia praeſtabat, vſus conſpiciebatur, non obſtantibus aliorum clamoribus plerique non ſine magno impetu in Stagiritae amplexus ruebant, magnoque ſupercilio eos contemnebant, qui Ariſtotelis logicam damnabant, vt ex SARISBERIENSIS [f] diſputatione aduerſus Cornificium quendam manifeſtum eſt. Logicae poſtea acceſſit metaphyſica et phyſica, tandemque libri quoque ethici et politici commendati ſunt. Quae Ariſtotelis ſcripta tanto applauſu et philoſophantium conſenſu recepta ſunt, vt non obſtante pontificum decreto in Pariſienſi academia ea ſummo loco ponere, et ſtudioſae iuuentuti commendare Thomas auderet, hanc Ariſtotelis venerationem ab Alberto M. praeceptore ſuo edoctus. Qui cum fere diuina auctoritate inter Scholaſticos potiretur, eius exemplum in regulam abiit, et inſanire circa Ariſtotelis philoſophiam tota coepit Scholaſtica natio. Cuius furores nemo elegantius depinxit, quam VIVES [g], dignus qui iterum audiatur: *Sunt et ex philoſophis, et ex theologis, qui non ſolum, quo Ariſtoteles peruenit, extremum eſſe aiant naturae, ſed qua peruenit, eam rectiſſimam eſſe omnium et certiſſimam in natura viam, vt non aliter credant, ſe poſſe euincere, illud eſſe ſummum ac abſolutiſſimum, quam Ariſtotelicis ſyllogiſmis: quod vero illis non congruat, alienum eſſe a naturae face atque ſplendore.* Et poſt alia: *Quae noſtrorum hominum perſuaſio effecit, vt multa reciperemus in philoſophiam pro compertis atque exploratis, quae minime eſſent talia: videlicet Ariſtoteles dixerat. Quid erat opus nos defatigari inquirendo, quandoquidem fixum illud erat et confirmatum, certius inueniri nil poſſe?*

X. Ἀριστοτελομανία Scholaſticorum.

f) Metalog. L. II. g) l. c. L. V. p. 161.

posse? Vnde nata est incredibilis in hominum pectoribus socordia atque inertia: quae latissime diffusa pro dulcissimo habuit, alienis oculis omnia intueri, aliena fide omnia credere, nihil ipsam quaerere, nihil scrutari. Quae in sequentibus acute discutit, quamque indignis hi homines modis in philosophiam peccauerint, tam luculenter ostendit, vt otia nobis hoc in argumento feciſſe censendus sit. Aliorum de hoc insano Aristotelicae philosophiae amore querelae legi possunt apud TRIBBECHOVIVM [h] et LAVNOIVM [i], aliosque quos non exscribimus. Nullo vero luculentiori argumento furoris huius specimina patent, quam quod in concionibus sacris Aristotelis ethica loco euangelii tradita est rudi populo, quod Gabrielem Bielem feciſſe supra notauimus, et de aliis quoque conqueſtus est PHILIPPVS MELANCHTHON [k]. Immo eo vsque progressa est rabies, vt philosopho huic locum inter beatas fidelium electorum animas facerent. Quos furores in carmine quodam leonino de vita et morte Aristotelis a Cel. HEVMANNO [l] ad detegendam deteſtabilem horum temporum faciem ex obliuione reuocato, contemplare quaeso, Lector et obstupesce.

XI. Aristoteles a Scholasticis non intellectus.

§. XII. XI. Ferri vtcunque potuisset amor philosophiae sectariae, cum praestaret, habere imperfectam philosophiam, quam nullam; ast dum Aristotelem in manus horum hominum fata dederunt, prorsus nihil philosophiae studium adiutum est. Ille enim ex Graeciae sapientibus dux eligebatur, quem intelligere satis nec poterant, nec volebant. Eum enim et dicendi breuitate obscurum, et notionum abstractarum atque aequiuocarum cumulo difficilem, et veteris philosophiae, quam haud raro refutat, allegatione profundum esse, suo loco accurate demonstrauimus, et quot difficultates summi quoque viri in eius interpretatione inuenerint ostendimus. Ad hunc vero philosophum Scholastici accedere ab his praesidiis prorsus imparati, cum nec Graecam linguam intelligerent, nec versionibus instructi essent fidelibus et accuratis, nec Graecanicam philosophiam a limine salutassent. Et tamen in intimos Aristotelis sensus se penetrauisse, gloriati sunt. Et negari quidem non potest, iudicandi acie et ingenii, quod nonnullis contigit, acumine quosdam interdum in veros Aristotelis sensus penetrauisse; verum cum totum tamen systematis nexum ignorarent, et in pluribus offenderent, nunquam genuina Aristotelis philosophia patuit, et monstra saepe excogitata sunt horrenda et informia, ipsi Stagiritae terrifica futura, si vidisset: quae eo fertiliori agro enasci potuerunt, quo magis ad excogitanda talia quam maxime apta est philosophia Peripatetica. Cur autem Aristoteles solus apud Scholasticos triumphauerit, causſae ex praedictis haud difficulter possunt colligi. Quanquam enim exosa patribus fuerat philosophia Peripatetica, haereticorum tamen versutia, quae ex his pharetris tela aduersus

Philosophia Peripatetica cur sola Scholasticis placuerit?

h) De DD. Schol. c. V. §. 3. p. 216. seqq.
i) De Fort. Aristot. c. XVI. XVII. XVIII.
k) Apolog. A. C. p. 62. conf. MANLII Collectanea p. 475. MATTHESIVS in vita Lutheri Act. phil. Vol. I. p. 714.
l) Act. Phil. l. c.

uersus orthodoxos depromebat, eos cogebat, vt his quoque armis pugnare discerent, quod a Graecis ad Latinos cum transiisset ansam suppeditauit contemtum prius et exosum philosophum e puluere restituendi in locum suum, tandemque in throno philosophico collocandi. Quod valde adiuuerunt versiones scriptorum Aristotelicorum a Boëthio et Victorino confectae, quae sublatis Graecis codicibus in Latinorum manus deuenerant. Neque tamen haec omnia imperium Aristoteli vindicassent, nisi ob caussas supra dictas rixosa illa philosophandi ratio fuisset introducta. Huic enim cum Aristotelicam logicam et metaphysicam mirifice conuenire, et rationes politicas egregie fulcire, intelligerent, ambabus, quod aiunt manibus Lycei philosophiam amplexi sunt. Quae cum procis suis vehementer se iam commendasset, multo magis arrisit, vbi Friderici II. studio Aristotelicorum Arabum scripta philosophica, et imprimis commentationes in Aristotelem vulgatae sunt. Cum enim maxima esset philosophiae Saracenicae existimatio, et viderent Scholastici, in Aristotele sibi vindicando, tuendo, illustrando totam versari Arabicae philosophiae gloriam, confirmati in hac Ἀριστοτελομανίᾳ bigis quadrigisque ad hunc philosophiae regem accersendum et in solio collocandum acceleraruntIta vero duplici morbo nouo laborare coepit philosophia Scholastica, iamiam cum morboso corpore conflictata. Nam hoc pacto vitia philosophiae Saracenicae, peruersa interpretatio Aristotelis, nouaeque atque ipsi Aristoteli ignotae opiniones, etc. sub Peripateticae et Saracenicae philosophiae nomine inter Latinos vulgatae dispersaeque sunt, hisque naeuis omnibus laborare coepit philosophia Scholastica: et cum theologi Muhammedani de diuinis rebus ex Aristotelica philosophia argutari subtilissime coepissent, in praepostera hac diuinorum cum humanis commixtione Scholastici, qui eandem iam viam, sed timidius, ingressi erant, vehementer confirmati sunt, ita, vt quod primo cum aliquo metu et modeste satis audebant, post innotescentes Arabum libros magna fiducia et tam imprudenter fieret, vt nec modus, nec ratio vlla mali huius esset; sicque ad maturam aetatem illa pestilens confusio progressa vbique imperaret.

A Saracenica philosophia Scholastica magis corrupta.

§. XIII. XII. Ex dictis vero de theologia Scholastica iudicandum est, quae vno eodemque sub iugo cum philosophia ire huicque collum subiicere coacta est, quamuis ancillari philosophiam theologiae profiterentur. Non patitur locus et tractationis ratio, vt qua ratione a philosophia Scholastica theologia pessime deprauata sit, exponamus. Relinquendum hoc illis est, qui theologiae historiam explicant, et annales condunt doctrinae sacrae. Vnum tamen negligendum hoc loco non est, iuris canonici compilationem cum theologia coniunctam nouae philosophiae corruptioni locum feciss. Ita enim omnis doctrina morum vitiata est, et peregrinum viuendi officiaque hominis et ciuis determinandi principium intrusum, quod cum ipsum male consarcinatum esset, et falsas ineptasque regulas exhiberet, philosophiam moralem Aristotelis, quam

XII. Facies theologiae Scholasticae ex philosophia iudicanda.

Philosophia et theologia moralis quomodo vitiata.

quam multis modis peccare, rei periti norunt, ſibi aſciuit, ſicque condito moralis theologiae ſyſtemate, illud doctrinae genus peperit, quod laxam conſcientiis ad patranda quaeuis portam aperuit, et quod hodie deteſtatur, quicquid boni ſenſus et integrae mentis eſt, et a virtutis verae ſtudio alienum non ſeruat animum.

XIII. Cauſſae tantae corruptionis.

§. XIV. XIII. Mirari equidem iure quis poſſit, qui factum ſit, vt ita in praeceps ruerit tota philoſophantium natio, cum nec ingenium iis deeſſet ad meliora audenda, nec occaſio, eo quod melioris eruditionis fontes non prorſus erant proſcripti. Sed ad cauſſas in ſectione prima et ſecunda huius capitis attendentibus haud difficile erit, ſcaturigines detegere, ex quibus tota haec ſentina profluxit. Ignorantia enim Graecae linguae, quam inuaſiones populorum barbarorum genuerant, quaeque melioris literaturae et philoſophiae quoque fontes ſurripuerat; vniuerſalis et morum et ſcientiarum barbaries, quae Seculo VIII, IX, X, longe lateque Occidentem peruagata erat; renaſcens quidem ſeculo XI dialectica et metaphyſica, ſed ad controuerſias theologicas et confirmandas opiniones dominantes adhibita, indeque orta ſumma claritas ingeniorum dialecticorum verae genitae Scholaſticae philoſophiae cauſſae ſunt, influxumque habuerunt, ſupra modum foecundum atque efficacem. In his turbidis lacunis felicia extendebat retia humana auctoritas et ambitio, cum magna lucri cupiditate coniuncta. His enim idolis cum ſacrificarentur omnia, et ad hos fines a clero reſpicere iuberentur, quaecunque ignorantia adhuc reliquerat ſtudia, renaſcentis philoſophiae, ex Scholis clericorum prodeuntis facies alia eſſe non potuit. Valde illa fauit curiae Romanae regulis et axiomatibus politicis, noua ita fulcra nactae, quibus incredibilis potentiae faſtigium ad quod ab exiguis initiis aſcenderat, poſſet confirmari. Hinc praemia vaniſſimo doctrinae generi propoſita opima, et quo quis in his nugis erat exercitator, eo magis praeclara merces et gloria. Prouocamus, ne falſa dixiſſe videamur, ad exempla Guilelmi Campellenſis, Gilberti Porretani, Petri Lombardi, Stephani Langhtoni, Roberti Grosthead, Alberti M. Bonauenturae, Aegidii Columnae, Petri Hiſpani, Petri de Tarantaſia, Guilelmi Durantis, Petri de Verberia, Durandi a S. Porciano, Petri de Alliaco, et complura alia, in antecedentibus adducta; hos enim omnes Scholaſticae philoſophiae et theologiae peritia ad fulgentem epiſcopatuum, archiepiſcopatuum, cardinalitiae purpurae, ipſamque pontificis maximi dignitatem promouit; vt alios taceamus, profeſſionibus, et cancellariatu, quem vocant Academiarum, generalatu ordinum religioſorum, prouincialium et abbatum munere, aliisque axiomatibus conſpicuos, et ad hos gradus in via Scholaſticae eruditionis graſſantes. Quis tam larga mercede etiam deterrimo domino non lubens ſeruiuiſſet? quis non collum iugo ſubmiſiſſet, quod infulas, purpuram et diadema reddidit?

Praemia Scholaſticorum dignitates Eccleſiaſticae.

§. XV.

§. XV. Licet autem in tam ingenti Scholasticorum numero non omnes his opimis spoliis mactati diligentiae suae praemia retulerint adeo splendida, alia tamen ratione vanitati et ambitioni hominum sua eruditione tumentium subuentum est. Nempe qui ingenio Scholastico eminebant, fulgentissimis et ambitiosis praenotabantur titulis, quorum potiores supra iam attulimus, longe maior autem aceruus dari posset, si id ageremus, et nisi laborem nostrum praeoccupasset B. IACOBI THOMASII, diligentia, ex cuius scriniis *titulos honorarios Scholasticorum et alia scriptorum cognomina in catalogum ordine alphabetico relata* nobis exhibuit Cl. HEVMANNVS [m], qui et alios auctores nominauit [n], qui eos tetigerunt. Inter haec quidem Scholasticorum elogia quidam occurrunt tituli, qui a libris auctoribus suis haeserunt, vt supra obseruatum, et cum his honorum et meritorum laudibus confundendi non sunt, E. g. Lombardus hoc pacto dicitur magister sententiarum, Suissetus calculator, Petrus Aponensis conciliator, Hugo de S. Victore didascalus, Matthaeus Monasterienſis florilegus, anonymus quidam micrologus, Ioannes Sarisberiensis policrates etc. Plerique autem vel immensam superbiam animi Scholasticae sapientiae laude elati, vel coecam venerationem et obsequium discipulorum magistrorum subtilitatem in texendis aranearum telis admirantium produnt, nec aliud volunt doctores isti seraphici, angelici, doctores doctorum, facundissimi, fundatissimi, fontes vitae, glorioſi, illuminati, irrefragabiles, melliflui, ordinatissimi, opinatissimi, profundi, resoluti, relucentes, singulares, subtiles, sublimes, venerabiles, vniuersales, vt alia epitheta inuidenda taceamus, quae ridere MARNIXIVM [o] quendam nasoque suspendere adunco, quis quaeso aegre feret? Porro alia quoque ratione praemia nugacissimo eruditionis generi soluta sunt, nempe honoribus academicis, quos a Iudaeis et Arabibus ad Latinos transtulit aetas Scholastica. Locus et instituti ratio non patiuntur, vt eorum hic pandamus historiam, factum id est abunde ab aliis, quos enumerat FABRICIVS [p], qui consuli possunt. Id modo huc aduocandum est, quod omnino ad nostram tractationem pertinet, splendidissimum magistri titulum, qui olim inter summa ministerii aulici fastigia eminebat, sibi vindicasse theologiam Scholasticam. Qui enim eam ita perdidicerant, vt acumine Scholastico recepta dogmata tueri, ingenioque philosophico in sacrarum doctrinarum explicatione eminere possent, magistri appellabantur, idemque sonabat vox, quod hodie doctoris nomen. Quamuis fatendum sit, et dignitates Ecclesiasticas et honores academicos haud raro indignis esse tributos. Id quod

Tituli splendidissimi.

Honores academici.

m) Act. philos. Vol. III. p. 921.

n) Illis addi possunt Io. MOLLERVS in Homonymoscop p. 878. et BAILLETVS, Iugement des sauans T. I. p. 204.

o) In Apiario Romanae Ecclesiae P. I. c. 10. p. 59. 60. edit. German.

p) Bibliograph. Antiquar. c. XXI. §. 2. p. 619.

quod planxit BERNARDVS WESTERODVS [q], monachus Corbeiensis hoc carmine:

Eligitur praepositus,
Decanus vel Scholasticus,
Vt alios defendat,
Qui semet ipsum destruit,
Et omnia, quae reperit,
Diabolo commendat.
Iam fit magister artium,
Qui nescit quotas partium,
De vero fundamento:
Habere nomen appetit,
Rem vero nec curat nec scit
Examine contemto
Quid dicam de presbyteris,
Quos praesul sine literis.
Ad ordines deducet.
In quibus nec scientia,
Nec vitae condecentia
Ad minimum relucet.

Alia quae passim hac de re extant [r], breuitatis caussa praeterimus.

XIV. Mores ex hac pseudo-philosophia corrupti.

§. XVI. XIV. Non caruisse hanc pseudo-philosophiam influxu in mores horum philosophorum et theologorum cum historia Ecclesiastica et philosophica testis est locupletissimus, tum ipsa falsae philosophiae indoles atque natura euincit. Vbique enim in intellectu regnantibus praeiudiciis auctoritatis, opinionis, receptae hypotheseos, lucri, et similibus voluntas quoque non corrumpi non potuit, quamuis miram nobis sanctorum inter coelites quoque relatorum farraginem haec tempora obscura et corrupta exhibeant; de quibus disceptationem instituere, huius loci et tractationis haud est. Maxime vero persecutorius spiritus hanc pseudophilosophiam animauit, vt solet fieri, vbi ambitio et emolumenti proprii studium sororias iungunt manus, et contra aduersarios procedunt in pugnam. Manifestauit se vitium in philosophis longe pessimum et prorsus indecorum in ipsis Scholasticorum disputationibus, tantis irarum, conuitiorum, clamorum et tumultuum fluctibus agitatis, vt non modo ad rauim, sed etiam vsque ad sanguinem interdum depugnarent, vt de Nominalium et Realium certaminibus in sequentibus dicetur. Maxime vero hunc persecutionis spiritum experti sunt, qui vel a consuetis dogmatibus abire, et λεπτολογίας horum hominum contemnere, vel haec vlcera Ecclesiae tangere ausi sunt, quos et vita et fama persequi et premere non erubuerunt. Luculentum nobis suo loco exemplum exhibebit Laurentii Vallae Scholasticomastigis historia.

XV. Magna tamen inter Scholasticos ingenia et non contemnenda.

§. XVII. XV. Ex his larga manu datis luculenter intelligi posse confidimus, quam marcidos et deformes vultus philosophia sub Scholasticis habuerit; ea enim quae iam attulimus, in historia eorum fundamentum satis firmum habent, et ab ipso Lectore vel mediocriter attento ex illa possunt confirmari illustrarique. Quae vero licet ita se habeant, negandum tamen

q) In Planctu, siue satyra in clericos, quam exhibet FLACIVS inter Carmina de corrupto Ecclesiae statu p. 101. et BERNEGGER. de idolo Lauretano p. 141.
r) Legendus omnino VIVES L. I. p. 59.

tamen non eſt, non defuiſſe his Scholaſticorum temporibus ingenia magna, acuta, et aliorum menſuram longe ſuperantia. Talia enim plerique viri illi docti habuerunt, quorum ſingularem hiſtoriam conſtruximus. Dolendum autem tanti acuminis et εὐσοχίας ingenia in haec tempora incidiſſe, quibus rapta a fatali conſuetudinis torrente manus dedere, et inſtitutionis vitio ad patrum exempla formata ſunt. Vnde quamuis tot philoſophandi vitia in iis culpemus, non cunctamur tamen ſubſcribere MELANCHTHONI [s], Scholaſticos doctores *magnos et ingenioſos homines* vocanti; et ambabus manibus magni VERVLAMII [t] iurati nugarum philoſophicarum aduerſarii ſententiam amplectimur, ita de Scholaſticis iudicantis: *Scyllae fabulam ad viuum exprimit hoc philoſophiae genus, cuius os et pectus virginem formoſam prae ſe ferebant, infra vero fuiſſe aiunt;*

Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris.

Sic generalia quaedam apud Scholaſticos inuenias, quae pulchra ſunt dictu, et non perperam inuenta, vbi autem ventum fuerit ad diſtinctiones deciſionesque, pro foecundo vtero ad vitae humanae commoda in protentoſas et latrantes quaeſtiones deſinunt. Nihilominus certiſſimum eſt, ſi modo Scholaſtici ad inexplebilem ſitim veritatis et continuam agitationem ingenii varietatem et multiplicitatem lectionis et contemplationum adiunxiſſent, inſignia profecto illi extitiſſent lumina, omnesque artes et ſcientias mirifice prouexiſſent. Verum id eſſe attenta lectio meliorum ex Scholaſticorum grege auctorum probabit, apud quos inter mille inutiles tricas et quisquilias, haud raro egregiae deprehenduntur obſeruationes. Vnde cum magno LEIBNIZIO [u] in votis habemus, vt vir quidam accurate doctus et Scholaſticae philoſophiae aeque ac recentioris peritus ex hoc ſtercore aurum colligat perſuaſiſſimi, non contemnendum egregiarum obſeruationum faſciculum ita poſſe comprehendi.

§. XVIII. Ex hac generali philoſophiae Scholaſticae delineatione, ſatis manifeſtum eſſe putamus, cur, quod in reliquis hiſtoriae philoſophicae partibus fecimus, ſpecialem ſingularum partium eius διατύπωσιν exhibere, et quid Scholaſtici per ſingulas diſciplinas philoſophicas ſtatuerint explicare nec poſſimus, nec velimus. Impoſſibile enim id eſſe, ipſa incertiſſima diſputandi ratio, quaeſtionum ingens moles, diſtinctionum cateruae, opinionum diuerſitas, immo ipſa, quae vna in Scholaſticis laudari poteſt modeſtia; quae pauca definiuit, et per ambiguae diſceptationis labyrinthos incerta decurrere maluit, demonſtrant. Hae enim circumſtantiae non patiuntur Scholaſticorum doctrinam compendioſo ſyſtematis nexu depictam in hoc theatro collocari. Non haec noſtra tantum imbecillitas et ἀβλεψία eſt, ſed idem viſum acutiſſimo VIVI, quo vix alius rectius

Philoſophiae Scholaſticae delineatio ſpecialis exhiberi non poteſt.

s) In Apolog. A. C. t) loco ſupra cit. u) Praef. ad Theodicaeam §. 6. p. m. 7.

ad dignoſcendos veros Scholaſticae literaturae vultus iudicium attulit *). Is prolixus ea in re eſt in *primo de cauſſis corruptarum artium libro*, vbi inter alia: *Philoſophi metaphoris et ambagibus obſcurarunt, quae diluciđe potuiſſent dicere: alii ſcrupuli, vbi nulli ſunt, quaerunt et nodum, quod aiunt, in ſcirpo, qua videantur altius rimari, et ſubtilius omnia examinare. Nec ſolum ignaris inuiderunt ſuam peritiam, ſed eiusdem artis ſtudioſis et peritis. Ideo, ne ea crederentur illi ſcire, quae plane ſciebant, ipſi quaeſtiunculas excitarunt, vt eſt id facile etiam in rebus liquidiſſimis, vt ſi ſcientiae opinionem aliis detraxiſſent, id totum in ſe deriuaretur, quod aliis decederet.* Sed et reliqua legenda ſunt, quae natiuos horum hominum colores verasque cauſſas incertitudinis et obſcuritatis philoſophiae Scholaſticae detegunt. Quae ſi luce quadam perfundi poſſet, et clara quaedam afferri delineatio philoſophiae Scholaſticae, inutilem tamen et ſuperuacaneum nos laborem ſuſcepturos eſſe ipſa clamat rei natura et indoles. Quemadmodum enim nihil plane noui vel ſingularis in medium attulit philoſophia Scholaſtica, ſed quae philoſophiae colorem aliquem habent, ex Ariſtotele transſumta ſunt, cuius placita ex purioribus ſuo loco fontibus delineauimus, ineptis barbarisque Scholaſticorum terminis phraſibusque non repetenda: ita reliqua vel male Stagiritam exprimunt, vel pueriles nugas, et otiantis ingenii ſomnia exhibent, quae referre operoſe, et faciem tricarum inutilium veram depingere, idem eſſet, ac Lectoris noſtroque otio petulanter abuti, et philoſophiae fautores ad auerſanda eius limina prouocare. Ne tamen ἀμεθόδως egiſſe, noſtrique inſtituti immemores fuiſſe, videamur, paucis explicabimus quae nobis de Scholaſticorum in ſingulas philoſophiae partes meritis ſententia ſit, quidque illis ſtatuendum eſſe nobis videatur, qui ipſos Scholaſticorum libros adire, eorumque placita amplius cognoſcere cupiunt.

Logica Scholaſticorum qualis?

§. XIX. A logica initium philoſophandi, tanquam a ratiocinandi inſtrumento, cum faciendum eſſe Scholaſtici ſtatuerint, ſumma atque prima eorum cura ſtudiumque in ea excolenda fuit, adeo, vt quod ſupra iam ex Sarisberienſi probauimus, inuenti fuerint quamplurimi, qui totam vitam in dialecticis conſumerent. Inepte autem id factum eſt, cum in inſtrumento veritatis inueniendo excolendoque tantum temporis triuerint, vt quod reliquis philoſophiae partibus, quibus veritas naturalis et moralis diſcitur, et felicitatis comparandae ratio intelligitur, tribuerent, haberent plane nullum. Quamuis autem magnifice dialecticam ſuam iactarent, deformes tamen ea philoſophiae rationalis vultus exhibuit, et reuera eriſtica quaedam atque ſophiſtica ars magis fuit, quam ratiocinandi ſcientia. In eo omne ſtudium verſabatur, vt de rebus, quas nec intelligebant, nec vera earum principia aſſequebantur, ſyllogiſmorum retia tenderent, eorumque ſyrmata poſt ſe traherent, excogitataque ſophiſtica argutandi et cauillandi ratione, non veritatem detegerent, ſed aduerſarium

ad

*) De Cauſſ. corr. art loc. cit. pag. 115.

ad filentium redigerent, indeque glorioſam ſibi pararent victoriam. Hinc tot quaeſtiones inutiles, intricatae, vagae, obiectum dialecticae Scholaſticae conſtitutae ſunt, et argumentorum vis non ex ponderе, ſed ex numero dimenſa, neglecti probabilitatis gradus, contemtus demonſtrandi ordo, et confuſis, incertis atque vagis notionibus, terminis, propoſitionibus, ſyllogiſmis repleta omnia. Qua ratione cum via ad veritatem, tot deuiis perderetur, tot vepretis et ſpinetis obſita impediretur, tot ſalebris corrumperetur, non aliter fieri potuit, quam vt peſſimum inde iter ad ipſam philoſophiam emergeret, quod cum ducibus duobus malis, logomachia et ſcepticiſmo, ſuſciperetur, infelici philoſophantium euentu abſolutum eſt. Nemo in hac pſeudo-dialecticae facie depingenda verisque eius vultibus detegendis vel accuratior vel felicior fuit Lvdovico Vive, cuius *liber tertius de cauſſis corruptarum artium* totus ea de re legi meretur, doctiſſime enim et eleganter tum de ipſa dialecticae Ariſtotelicae ratione differit, et lynceum in hoc quoque argumento ſe demonſtrauit, naeuosque eius acute vidit, tum errores, moleſtias et vanitates dialecticae Scholaſticae ex vero deſcripſit. Longum eſſet, omnia afferre, quae prudenter monet; delibabimus pauca tantum, et potiora, vt rem totam in manifeſta luce collocemus. Ita vero vir praeſtantiſſimus [y]: *Venio ad amicos meos recentes, vt ipſi vocant Sophiſtas, in quos tanquam in nauis ſentinam omnia huius artis vitia confluxerunt, et Ariſtotelis, et priorum, et longe plura et foetidiora de ſuo adiecerunt. - - Irrumpit ad tradendam dialecticam iuuenis ignarus Latini et Graeci ſermonis, ignarus earum rerum atque artium, quae his duabus linguis ſunt proditae. Primum omnium, quorſum pertineat dialectica, ignorat, quae ſua, quae aliena, itaque et ſua aliis ceſſerunt, et ipſi inuaſerunt aliena. - - Ipſi tanquam vento quodam transuerſi acti in metaphyſica impetum fecerunt: non illinc modice repetunt, quae videbantur ad logicam pertinere, vt Ariſtoteles fecerat, ſed penitus ſe et pueros ſuos immergunt in arcana illa naturae, quae conſtare et intelligi nullo penitus modo poſſunt, niſi guſtatis his exterioribus. - - Sunt qui perpetuo ibi detinent, vt qui maxime ſunt reales, quaſi vero ad nugandum in illis commentis inuenta ſit dialectica, et non ad recte diſſerendum. Ibi naſcuntur mira monſtra quaeſtionum de natura communi, qua miror non interdum eos terreri in ſomniis, aut de illa in tenebris audere verba facere, adeo monſtroſa ſunt. - - Albertus Grotus et deinceps alii nauem in altum deduxerunt, vt nullae iam terrae appareant, coelum vndique, et vndique pontus. - - Ad diuina transgreſſi puero in Schola ludenti ac nuganti de ſyllogiſmis diuinis in manus dederunt rem arduam et periculoſam; ibi tam confidenter diſtribuunt, ſingularizant, particularizant, complete, incomplete, quam ſi de pomo aliquo eſſet ſermo, et dum volunt rem humanam ingenia ſuperantem in pueriles formas redigere, in*

y) p. 121. Intelligit eos, qui priſtinam Scholaſticorum viam ſequebantur.

multa incidunt abſurda et impia, quae tamen conſuetudo inter eos effecit leuiá, vt tres eſſe deos, tres eſſentias diuinas, filium eſſe patrem et non eſſe patrem, quae aures abhorrent audire. Loquuntur ipſi de rebus offenſiuis piarum aurium; quae poſſunt eſſe magis? - - Nuperrimi dialectici non contenti corruptela ſignificationum, quam a maioribus acceperant, quandoquidem illa iam vulgata et protrita videbantur, ipſi nouam penitus linguam inuexerunt: cuiuslibet hominis quilibet aſinus, et aſinus praeter ab aſinus, et aſinus poſſibiliter non ſunt, alter alius homo non eſt ipſemet cuiuslibet alterius hominis alius aſinus eſt ens. Quis haec vlla in lingua intelligat? adiectis literis quoniam verba deerant, et ad melius diuinandum. - - Ex iſta imperitia ſermonis natae ſunt nobis ſuppoſitiones, aſcenſus, deſcenſus, ampliationes, reſtrictiones, appellationes, exponibilia, ad quae ſi lingua eſſet adaptanda, non ſolum obmuteſcendum eſſet, ſed aliquid eſſet verum in ſcriptoribus, vt interdum miror, quomodo haec eis venerunt in mentem, tam ob omni ratione et loquendi et ſentiendi abhorrentia. - - - Quia ſtatim altercandum erat, et ſemper altercandum, quaeſita ſunt ſpinoſa quaedam apta diſputationibus, quae materiam ſuppeditarent rixis, et diutiſſime proferrent altercationem etiam in tradendis praeceptis artis: nihil ſemel dicunt, ne adimant ſibi argumentandi et in contrarium dicendi occaſionem. His exemplum ſophiſtae cuiusdam Pariſienſis ſubiungit [z], quod qui ſine riſu legit, illum ipſo Timone eſſe obſcuriorem oportet. Ex his vero de arte quoque critica Scholaſticorum iudicandum eſt, in qua eo magis pueriliter labebantur, quo magis a linguarum peritia et notitia antiquitatis erant imparatiſſimi. Hinc ridiculi illi errores pueris ſub baculo adhuc in tyrociniis verſantibus non condonandi. Exempla ipſa ſua barbarie et ignorantia non iniucunda dabit IACOBI DE VORAGINE *Legenda aurea*, et quod ex ea excerptum, de quo ſupra iam diximus, *Calendarium etymologicum*: in eo enim Hilarius deriuatur, ab altus et ares, id eſt virtus, Ignatius, quaſi ignem patius, id eſt patiens, Agatha ab agyos, ſanctus et theos Deus, Gregorius a grex et gorae, etc.

Phyſica Scholaſticorum.

§. XX. Ex his, quid inepti philoſophi in naturali philoſophia valuerint, nobis non monentibus, quilibet intelligit. Nempe cum difficillimam philoſophiae partem eſſent aggreſſi, non naturam obſeruationibus et experientia rimandi, non ad rerum naturalium affectiones attendendi ſtudioſi fuerunt, ſed dialectica ſubtilitate vagisque et obſcuris principiis, quorum nec ſenſus nec veritas vlla erat, de rebus ſibi ignotis differere, et naturam quisquiliarum ſuarum coeno conſpurcare contenderunt. Id quod aliter quoque euenire non potuit. Selegerant ſibi in his ducem Ariſtotelem; quem et ipſum difficilem et in hoc argumento obſcurum, notionumque quas ſequitur, vagarum et dictionis breuis et conciſae ſtudio

z) De Cauſſ. corr. art. loc. cit. p. 128.

dio impeditum Graece loquentem non intellexerunt, ſed ex barbaris verſionibus ex malis Arabicis inepte confectis de eius opinione quaedam perceperunt. Qui cum incertas et obſcuras voces pro rerum principiis ſuppoſuiſſet, nacti hi homines talem ducem ad dialecticas et metaphyſicas tricas totam ſcientiam naturalem reuocarunt, et tam amplum rerum creatarum theatrum, in ontologiam quandam, vel, vt rectius dicamus, in terminorum confuſorum et nihil ſignificantium chaos transformarunt, entia ſibi naturalia fingentes, quae ſolae formauerant abſtractiones abſurdiſſimae. Multi in hac deteſtabili doctrina phyſica Scholaſticorum damnanda et exagitanda fuere viri ſummi et melioris literaturae ſenſu inſtructi, ex quibus imprimis legendi VIVES [a], MORHOFIVS [b], et qui reliquos lumine et acumine vicit Magnus VERVLAMIVS [c]. Ipſae vero Scholaſticorum tractationes phyſicae, omnium luculentiſſimum eſſe poſſunt ſpecimen. Nos, non niſi exorata quidem prius a Lectore venia, vnum adducemus, vt exemplo res conſtet. Leguntur inter THOMAE AQVINATIS opuſcula quaedam huius generis: *De principiis naturae, de natura materiae, et dimenſionibus interminatis, de miſtione elementorum, de occultis operibus naturae, de motu cordis*, in quibus inter reliqua [d] occulta naturae opera deriuat a formis rerum, quae in propriis materiis exiſtunt, principia autem formalia talium corporum eſſe ait coeleſtia corpora, quae diuerſimode ſe habentia ſecundum acceſſum et receſſum, generationem et corruptionem cauſſant in his inferioribus. Ex quibus concludit latentes in his formis occultis facultates reduci in altiora principia, nempe corpora coeleſtia, vel virtutes his adhuc ſuperiores, in ſubſtantias ſeparatas intellectuales, quae his operationibus veſtigia ſua imprimant. Ex his, quaeſo, Lector, in myſteria occultorum naturae operum penetrare conare, et v. g. quae ſit cauſſa virtutis in Magnete, diſce. Cuncta quae confuſis incertisque et obſcuriſſimis notionibus angelicus doctor tibi tradit, eo tendunt, eſſe e. g. vim Magnetis impreſſam corpori huic per formam quandam occultam a ſphaerarum coeleſtium et intelligentiarum iis praefixarum influxu deſcendentem; et ſic magno lumine naturali auctus angelicam philoſophiam miraberis. Elegantiora non habent alii, ex quibus ſi BONAVENTVRAM, barbarie reliquis tolerabiliorem inſpicere ſuſtinemus, complura huius rei exempla inueniemus [e]. E. g. Elementum definit eſſe primum principium componibilium, ſed non compoſitum; elementatum quodlibet corpus compoſitum ex quatuor elementis; quintam eſſentiam, corpus per ſe differens ab omnibus elementis et elementatis, tam in materia, quam in forma, tam in natura, quam in virtute, non habens in ſe contrarietatem, vnde nec cauſſam corruptionis. His cupediis abundant menſae Scholaſticae. Talis cum phyſica fuerit, corrupta inde medicina quoque

a) loc. cit.
b) Polyhiſt. T. II. L. I. c. 13. p. 74.
c) loco ſupra cit.
d) p. 213. ſeqq.
e) In Compendio theolog. verit. c. II. Opuſc. T. II. p. 728. ſeqq. edit. Lugdun.

que est, et ineptissimae hypotheses ad artem salutarem allatae; quas non difficile fuit conciliare inter se Aponensi, cum obscurarum notionum vocumque nihili ea sit conditio, vt in quascunque cupias significationes rapere possis. Ex vero iterum VIVES [f]: *Medicis rerum veterum ignaris, et earum quae potissimum ad salutem humani corporis conducerent, aliquid tamen fuit agendum ex Scholastica illa physicae exercitatione. Ingentem et copiosissimam disputandi materiam in hanc quoque artem tanquam plaustris inuexerunt, de intentione et remissione formarum, de raritate et densitate, de partibus proportionalibus, de instantibus, ea quae nec sunt, nec vnquam euenient, ventilantes sua somnia, deserta pugna cum morbis, interea loci prementibus atque occidentibus.* Non defuisse quidem his quoque tenebricosis temporibus viros nonnullos magnos, qui via experientiae ad cognoscenda naturae miracula haud infeliciter progressi sunt, Alberti M. Rogeri Baconi, Arnoldi de Villa Noua, et paucorum aliorum exemplis constat. Ast nec ex horum obseruationibus generalis naturalis philosophiae consideratio emendata est, vt ex ipsius Alberti M. exemplo discimus, qui cum tot experientiae testimoniis de viribus naturae esset instructus, cum reliquis in explicandis naturae φαινομένοις desipere maluit: nec passi sunt homines ineptissimi, et in his tenebris palpare gaudentes, haec lumina naturali accendi scientiae; inde inuidia in hos naturalis doctrinae profectus exarsit, quodque assequi obsita squalore ingenia non poterant, aut haereseos aut magiae insimularunt, et excitata horrenda ex monte Tarpeio fulmina, quibus in famam et fortunam virorum quibus

De meliore luto finxit praecordia Titan

saeuitum est. Vnum praeter reliqua supra iam adducta exemplum allegamus, Virgilii, Salisburgensium episcopi, cuius vita legitur apud CANISIVM [g] et MABILLONIVM [h]. Is cum eruditionis caussa valde suspectus esset Bonifacio, magno ignorantiae et barbariei patrono, quae fulcra esse superstitionis sibi tantopere deamatae nouerat, valde eius censuram incurrit ob assertos antipodas. Concludebat enim acutissimus theologus, nouum ita annunciari mundum, pro quo Christus passus haud sit. Cuius inconditos clamores licet retundere et ipse Virgilius interposita ad pontificem Romanum appellatione, et Odilonis Bauariae ducis demonstratione et precibus conaretur, ad hoc tamen tribunal, etiam in physica cognitione infallibile! citatus est, qua de re post AVENTINVM [i] legendus est magnum olim Augustae nostrae sidus MARCVS WELSERVS [k].

§. XXI.

f) L. V. p. 176.

g) Antiqq. lect. T. VI. p. 1173.

h) Act. SS. Ben. Sec. IV. P. II. et Anal. T. II. L. 23. n. 4. L. 22. n. 14. PAGI Crit. Anti-Baron. T. III. ad an. 746. n. 6. MEZGER. Hist. Salisb. L. II. c. 9. seqq.

i) L. III. Annal.

k) Annal. Boic. L. V. conf. BAYLE Dict. T. IV. art. Virgile p. 459.

§. XXI. Nulla vero in scientia philosophica sibi magis Scholastica gens placebat, quam in metaphysica, hanc scientiarum reginam esse clamabat, hanc in eruditionis cacumine ponere homines iactabat. Et credere quidem quis posset, in ea regnasse, multumque praestitisse Scholasticos, eis ingenii viribus instructos, quibus notionum sublimitate et axiomatum altitudine supra rerum naturalium sphaeras euehi potuerint. Verum aliter res cecidit, et nec vera et generalia philosophiae omnis atque primae principia, nec ipsam quam tamen sibi hermathenae instar delegerunt metaphysicam Aristotelicam assecuti sunt. Et prius quidem ex ineptis terminis et distinctionibus ac vagis vanisque praecisionibus, quibus metaphysicas disquisitiones suas instituebant, disci potest, quibus factum, vt, quae vniuersalis quaedam philosophiae institutio esse debebat, inanium terminorum et abstractionum chaos esset, et systema aliquod Scotisticum, id est, vere tenebricosum et obscurum. Posterius ex collatione metaphysicae Aristotelicae cum metaphysica Scholastica omnium rectissime intelligitur. Cum enim Aristoteles in metaphysica veterum physicorum principia vel euertenda vel emendanda suscepisset, vsus mathematicorum axiomatum subsidio, noua sibi fabricauit, quae intelligi non possunt nisi ab iis, qui vtriusque rei praesidiis instructi sunt. Ast nec veterem physicam nec mathesin nouerant hi metaphysici, et in tam peregrina, qualis Aristotelis metaphysica est, regione versantes, cuius nec linguam nec mores assequebantur, spectra pro hominibus, id est, inania otiosorum ingeniorum somnia pro principiis Aristotelis arripuerunt. Exemplum eius rei luculentum esse potest materia prima, vexatissimum in Scholastica philosophia argumentum. Hanc in metaphysica dixerat Stagirita esse, quae per se ipsam neque quid esset, neque quantum, neque aliud quid esse dicatur, quo ens determinetur. In qua definitione ad veterum philosophorum principia ex corpusculis esse affirmantium notionem corporis respexit, a quo materiam primam, ex qua componantur corpora, praecisione mentali separabat. Illi autem corpus dixere, non, quod Scholastici ita vocarunt, materiam extensam; sed quantitatem formis et qualitatibus ornatam. Ab hac quantitate formis instructa, qua fiunt corpora, primum illud principium ipsi separandum visum erat, eo quod materiae formam et priuationem, tanquam prima principia opponebat, et ex his tribus atque generalissimis principiis rerum omnium naturalium generationem deriuabat. Ita enim mentis praecisione in hoc materiae principio efformando abstrahendum erat, ab omnibus illis, quae faciunt, vt res sit vel aliquid, vel quanta, vel qualis, et vt certum corpus existat determinatum, alias principii locum tueri, eique formam et priuationem adiici, atque ex his demum tribus rerum omnium corporearum determinationes, ortumque et generationem deriuari non posse statuebat. Valde placuit Scholasticis hic foetus, cum ingenio eum suo, abstractionibus deditissimo fauere viderent. Verum cum ignorarent, quid corpus veteribus

Metaphysica Scholastica.

phyſicis, a quibus in ordinandis rerum naturalium principiis Ariſtoteles diuortium faciebat, eſſet, et materiae conceptum metaphyſicum cum ſubiecto extenſo, adeoque formae et quantitate iam induto confunderent, in ineptiſſimas de materia prima diſputationes inciderunt, et innumeras de ea tricas excogitarunt, quibus Ariſtotelis ſententia multum obſcurata eſt. Cumque nulla notione certa et perſpicua vterentur, varias et diuerſiſſimas excogitarunt opiniones. Thomae aſſeclis materia prima pura eſt potentia omni actu deſtituta; alii, qui hoc merum imaginationis ſpectrum laruamque eſſe perſentiſcebant, certam materiae exiſtentiam defendebant, licet ignorarent, qualis ea eſſet. Vnde eo vsque nonnulli progreſſi ſunt, vt cum haec materiae attributa non niſi Deo conuenire poſſe crederent, eum eſſe materiam primam contenderent, et periculoſo errore, ex eo omnia fluxiſſe affirmarent, quem Dauidis de Dinanto errorem fuiſſe, ſupra oſtendimus.

Theologia naturalis Scholaſticorum.

§. XXII. Attigerunt etiam Scholaſtici praecipuam metaphyſicae partem, doctrinam de Deo deque religione naturali, nec deneganda eſt quibusdam eorum laus, quod acute in eo argumento fuerint verſati. Inter quos iure ſuo eminent THOMAS ob *Summam contra gentes*, et THOMAS BRADWARDINVS ob libros *de prouidentia*, de quo vtroque GABR. NAVDAEVS [l] pronuntiauit; *omnium inſtar iure merito haberi poteſt doctoris angelici S. Thomae Aquinatis ſumma aduerſus gentes, adeo ferax eſt ſenſuum, rationis, ſubtilitatis et doctrinae; nec minimum quoque auxilium poſitum eſt in libris de prouidentia Thomae Bradwardini, quoniam in illis pari ferme cum D. Thoma ſubtilitate et rationum pondere procedit.* Verum quod rationis acumen ſatis egregie ſuppeditauit, methodus Scholaſtica, inanes diſtinctiones, termini obſcuri et alia huius generis, ita vitiauerunt, vt vſum aduerſus infideles ſuum, quem debebant, praeſtare nequeant. Vt taceamus ignorantiam errorum gentilium, ex inſcitia, quam hiſtoriae philoſophicae defectus genuit, exortam, qua factum, vt nec errantium mentem aſſequerentur, nec earum apte refutare opiniones poſſent. In doctrina vero de ſpiritibus nugati ſunt non minus, quam in reliquis, abditarum ſubſtantiarum naturas ſuis abſtractionibus ſomniisque exhaurire ſe poſſe perſuaſi. Exemplo eſſe poteſt BONAVENTVRA, quamuis innumeros ſe nugaciores habuerit. Is enim in compendio theologicae veritatis [m], ita de angelis agit, vt eos definiat, eſſe ſubſtantias qualitercunque compoſitas, ſcilicet ex eo quod eſt, et quo eſt; eos porro diſtinguat in diuerſas hierarchias coeleſtes tribuatque illis viſionem matutinam, ſiue rerum in verbo, et veſpertinam, ſiue rerum in ſe, inque ea cognitionem magis illos in habitu, quam in actu habere dicat. Agit etiam de proprietatibus et officiis ſingulorum ordinum, de motu, de praelatione, de confirmatione angelorum, et imprimis de eorum locutione, de qua miras naenias

l) Bibliograph. polit. p. m. 15.

m) l. c. Tit. II. c. 11. ſeqq.

nias narrat, inque toto argumento ita verſatur, ac ſi ad beatas ſpirituum ſedes translatus ipſe eorum naturam totam viſione intuitiua perſpexiſſet. Haec Bonauentura, modeſtior et doctior aliis, quid non inficetum Scholaſticorum vulgus feciſſe cenſendum eſt?

§. XXIII. Neque meliora in philoſophia morali apud Scholaſticos quaerenda ſunt, in qua coecorum more vagi et palpantes oberrabant, et quid de moribus recte ſtatuendum eſſet, ignorabant. Et quod ad illa quidem tempora attinet, in quibus libri Ariſtotelis ethici nondum vulgati ſunt, quod ſeculo XII demum factum eſt, ex confuſis inter ſe Scripturae S. praeceptis et PP. ſententiis tota morum doctrina tradita eſt, et vix pars fuit philoſophiae. Maximo vero in pretio habita ſunt Gregorii M. Moralia, de quibus cum in antecedentibus late iam ſit dictum, oſtenſumque, quam miſere illis libris vera ratio moralis doctrinae corrupta ſit, palam eſt, his quoque temporibus meliorem conditionem eam non accepiſſe, quamuis ita mordicus illi profeſſores inhaererent, vt emergere diu libri Ariſtotelis ethici non potuerint. Nam miſere cognoſcendi principia inter ſe confundebantur, vt quid Scripturae debeatur, quid doctorum Eccleſiae conſenſui, quid conciliorum decretis, cento hic tam male conſutus oſtendere non poſſet. Neque de principiis actionum humanarum diſpicere curabant inepti homines, contenti nudo aridoque diſcurſu officiorum ſummam quandam deſcripſiſſe, vel de virtutibus chaos aliquod praeceptionum male cohaerentium condidiſſe. Vbi vero ethica Ariſtotelis innotuit, et moralis quoque doctrina pars philoſophiae haberi coepit, de virtutibus et vitiis tractare coeperunt Scholaſtici, inter quos Thomam in *Secunda ſecundae* reliquos omnes ſuperaſſe ſupra iam in eius vita monuimus. Nec negari poteſt, probauiſſe nonnullos in eo argumento induſtriam et voluntatem rectam. Verum duplex malum rem omnem perdidit. Nam cum vera et genuina actionum moralium fundamenta et principia ex natura hominis morali detegenda eſſent, oſtendendumque, qua ratione emendandus animus, et ad veram actionum ſuarum normam adplicandus eſſet, his vel plane praetermiſſis, vel inepte et ὡς ἐν παρέργῳ tactis, dialectica illa peſtis Ethicam occupauit, et Scholaſtico modo de officiis caſibusque conſcientiae actum eſt. In qua tractatione non quaeri debent definitiones accuratae virtutum et officiorum, ſed inutilis et contentioſa ratiuncularum de caſibus vix vnquam in vita humana occurrentibus coaceruatio. Qui vero in ἀρετολογίας campum deſcendebant, Ariſtotelem ducem ſequentes vndecim eius virtutes exponebant, minime curioſi quo ſenſu virtus Ariſtoteli placuiſſet. Vt vero Scholaſtica Ethica theologiae aptius et concinnius iungeretur, virtutum theologicarum trigam, fidem, ſpem, charitatem addebant, ſicque gryphes equis iungebant, nempe virtutes politicas et felicitati vitae ciuilis atque aulicae dicatas, quas Ariſtoteles commendat, cum virtutibus a Spiritu S. profectis, et aeternae felicitati deſtinatis. Quod quam miſerum ſit, et ab omni

Ethica Scholaſticorum.

vera de moribus philoſophandi ratione alienum, rei periti nullo negotio intelligent. Alterum malum introduxit ſuperſtitio et cleri emolumentum ex illa oriundum. His enim moderantibus virtutum immutata ſunt nomina, et illis tributa, qui in defendendo augendoque ſuperſtitionis foediſſimae et ab omni ratione philoſophica alienae regno ſe praebuerunt induſtrios. Cuius rei exemplum eſſe poteſt pii ſanctique nomen atque encomium, illis tributum, qui aut ſingulari aulae ſe Romanae probauerant obſequio, aut clericorum commoda, rēditus, et honores valde auxerant, aut in ceremoniis ritibusque multiplicandis, colendis, ſeruandis fuerant diligentiſſimi. Hoc ad ſanctitatem quidem theologicam pertinebat, aſt ita iudicium corrupit, vt quid philoſophia pium atque Deum decens eſſe dicebat, non intelligeretur. Eadem ratio valuit etiam de caſtitate, quam introducta coelibatus clericorum lex, ob inſignia, quae inde hierarchiae eccleſiaſticae oriebantur, emolumenta, mire peruerterat, ita vt caſtitatem virgineam ſeruari crederentur monachi perditiſſimo luxu et infami incontinentia polluti, vt de monachis S. Dionyſii ſupra in Abaelardi hiſtoria obſeruatum, additumque, libenter toleraſſe hos prauos mores principes, vt effrenes homines eo facilius coërcerent. Duplex tamen rei medicina adhibita eſt, ipſo vero morbo ſuo euentu deterior. Cum enim ius canonicum priuata magis, quam publica auctoritate initio acceſſiſſet, tertium moralis doctrinae genus, ex iure canonico, ciuilique, et ethica Ariſtotelica conſarcinatum inualuit, quo pacto arida prorſus atque ſterilis ethica facta eſt; praecipue cum ſeculo XIV in eo apex moralium tractationum conſtitueretur, vt caſus conſcientiae magna et inepta curioſitate definirentur, iis ſaepenumero principiis adhibitis, quibus omnis verae virtuti neruus relaxatus eſt, quam peſtem hodienum dolent viri pii cordatique. Placere non potuit in tam graui argumento inanis et leuis tractatio animis paulo melioribus, qui ita mentis emendationem negligi dolebant, hinc de remedio illi ponendo cogitauerunt. Verum cum a ſanae philoſophiae praeceptis deſtituerentur, neglecto rationis et reuelationis lumine, imaginationis ſomnia ſuppoſuerunt, et internum quendam virtutis fundum ſibi aſſeruerunt, qua in re philoſophia myſtica per Ioannem Scotum Erigenam inter Latinos manifeſtata et in monaſteriis propagata valde confirmati ſunt. Quae actionum moralium regula vbi ſemel fuiſſet admiſſa, impudenti fronte et inaudita audacia, apparitiones, reuelationes immediatae, colloquia angelica, viſiones diuinae, et huius generis ſexcenta alia, quibus medii aeui hiſtoria ſcatet, excogitata ſunt. Qua ratione omni tandem philoſophiae morali ex vtraque parte oculi effoſſi ſunt, et triumphauit humanarum virium, et ſuperſtitionis ineptiſſimae fiducia, Scholaſticis et Myſticis, diuerſa licet via, ad eundem ſcopum collineantibus.

Ius naturae et gentium Scholaſticorum.

§. XXIV. Iuris naturalis et gentium praecepta a morali philoſophia ante Grotium nemo recte diſtinxit, nec Scholaſticis in mentem venit, peculiari tractatione de iis agere, quamuis videret vnus itemque alter hanc

quoque

quoque disputationem ad moralem partem pertinere *. Non possibile fuit hominibus confusas notiones sequentibus, et iuris pontificii decreta cum naturae legibus confundentibus, vel patrum effata, nullo vero sanoque principio connexa in illarum locum surrogantibus talia dare, quae vel mediocriter sufficere potuissent. Quae vero de officiis, quae pars sunt iuris naturalis, disputarunt, miseram iuris diuini humanique confusionem spirare supra euicimus: et par quoque casuum conscientiae ratio est, de quibus hoc loco prolixe disputandum non est, cum ad theologiae moralis historiam pertineant. Velimus autem legi, expendique, quae eruditissimi et cordati viri Io. Mabillonivs o et Lvd. Elies Dvpinivs p monuerunt, quorum libri cum in omnium manibus versentur, eorum loca, breuitatis causa non exscribimus. Ipsa vero summa principum iura haud raro violare, et eiusmodi axiomata introducere, quae in maiestatem summam maxime erant iniuria, mali huius fuit consequens; vt attentata curiae Romanae in summos principes euidenter demonstrarunt q. Quibus licet nonnulli se mascule opponerent, quaeque iura principum, quae cleri sint, ostendere satagerent, fecit tamen defectus sanae philosophiae, et principiorum rationis atque reuelationis confusio, modusque disputandi Scholasticus, vt bona causa plerumque male defenderetur, id quod de Occami de hoc argumento scriptis supra monuimus. Vbi vero vel emolumentum poscebat, vel ambitio iubebat, vel arcanae rationes suadebant, violandi gentium iura occasionem et excusationem facilem inueniebat superstitio. Exemplum qui cupit, hunc expeditionum cruciatarum iubemus inspicere historiam.

§. XXV. Politicae scientiae praecepta tradere et ab indole philoso- *Politica Scho-*
phiae Scholasticae spinis modo theoreticis assuetae et a commodis et ra- *lasticorum.*
tione status cleri, qui philosophiae claues custodiebat, erat alienum. Eis enim expediebat, prudentiae regulas non cumulare. Aristotelis autem scripta, quae huc pertinent, his hominibus prorsus erant inutilia, eo quod Graecarum rerumpublicarum statum, quem illa respiciunt, ignorabant: et aliae tum erant rerum publicarum et imperiorum formae, quibus applicari, nisi summa cautione istae regulae non possunt. Nihil igitur, quod fructum magnum referat, in scriptis Thomae, Aegidii Romani, aliorumque, quibus de regimine principum egerunt, deprehenditur. Illi enim vbi principes praeceptis imbuerunt suis, ad id sollicite respexerunt, vt ita formarentur, quo sarta tectaque maneret cleri auctoritas et veneratio. Quam tot artibus callidissimis assertum iuere, vt politicae cuiusdam Machiauellisticae regulas eos non latuisse sit apertissimum.

n) Id de Petro de Tarentasia supra obseruatum.

o) De studiis monasticis P. II. c. 7. p. 299. seqq.

p) Meth. studii theolog. L. IV. p. 88.

q) Ea rationibus theologicis et philosophicis defendere ausus est Petrus de Alliaco.

Sectae Scholasticorum.

§. XXVI. Abiisse Scholasticos in sententiarum diuortia, ex antecedentibus constat; ex hoc vero opinionum dissensu exortae sunt sectae, quae magna haud raro contentione inter se digladiatae sunt. Et Alberti M. quidem discipuli Albertistae vocati sunt; cui sectae occasionem dedit aucta in immensum philosophiae Aristotelicae cum sacris dogmatibus commixtio, cui tunc multi adhuc paulo magis sobrii contradicebant, et castius de rebus sacris philosophandum esse statuebant: in quo ducem eos habuisse Petrum Lombardum ex supra dictis notum est. Obseruauit id more suo acute et eleganter PAVLVS LANGIVS[r]: *Albertus ob amplitudinem omnifariae doctrinae Magnus dictus, fuit in omni philosophia Peripatetica peritissimus. Hinc et a plerisque simia Aristotelis appellatus est, qui et nimium vino secularis scientiae ebriatus sapientiam humanam, ne dicam, philosophiam profanam diuinis literis copulare ausus est, quique dialecticam contentiosam, spinosam et garrulam, sacratissimae et purissimae non pertimuit commiscere theologiae, nouum et philosophicum modum sacras docendi et explanandi literas suis tradens sequacibus: theologistarum sectae, quae ab eo Albertistarum dicitur, dux et monarcha excellens.* Paria habet AVENTINVS, qui videndus. Nouarum porro sectarum condendarum occasionem dedere dissensiones inter Thomae Aquinatis et Ioannis Duns Scoti asseclas obortae. Cum enim summam sibi existimationem auctoritatemque comparasset Thomas, et qui ordini Dominicanorum nomen dederant, sodalis sui placitis strenue adhaererent, Franciscanorum familia gloriae Praedicatorum ordinis valde aemula, vt hanc exinaniret, ad contradictiones et dissensiones plurimas progressa est. Quae aemulatio vt vbique partem aduersam premebat, ita in philosophiae quoque et theologiae studium influxum habuit, vt, cum Thomae Summa, instar libri classici haberetur, isque Augustinum pressius secutus, multos sibi vbique locorum tanti nominis veneratione sectatores acquisiuisset, ordo Minorum ab eius placitis recederet, eaque in haud paucis tanquam minus recta et philosophiae atque PP. doctrinae haud conformia conuelleret. Qua in concertatione quamuis Bonauenturae auctoritas magno suae parti esset ponderi, minus tamen is Scholasticus, id est philosophus visus est, quam vt ingenio Thomae et sequacium integras phalanges opponere posset. Hinc alius progressus ex Minoritarum sodalitio Scotus, quem subtilitate et abstractionum artificio Thomam superasse supra retulimus. Is cum ad lapidem Lydium philosophiae contentiosae Thomae doctrinam philosophicam et theologicam examinasset, plurima in ea desiderare se posse sibi visus est, et maiori subtilitate accuratius philosophandum esse statuit. Cumque is multos, ex suo praecipue ordine, discipulos haberet, exorta inde Scotistarum et Thomistarum certamina. Quae non leui modo conceptuum logicorum et relationum ac affectionum quarundam propositionum dialecticarum

r) In Chronico Cizensi loc. cit.

carum et metaphyſicarum diſſenſu inualuere, ſed ad nobiliſſimum quoque argumentum de auxiliis gratiae et liberi arbitrii extenſa ſunt, in quo Scoti Schola ab Auguſtini placitis longius, quam Thomae, receſſit. Quae tamen eorum concertationes, et diſſenſus momenta, hoc loco exponi non poſſunt, adeundus autem eſt ex Scholaſticis vetuſtioribus Hieronymus de Ferrariis, cuius locos communes hunc diſſenſum inter Scotiſtas et Thomiſtas explicare ſupra monuimus; ex Scholaſticis recentioribus autem IOANNES ARADA theologus Salamanticenſis, qui *Controuerſias theologicas inter S. Thomam et Scotum ſuper quatuor libros ſententiarum* edidit [s], *in quibus pugnantes ſententiae referuntur, potiores difficultates elucidantur, et reſponſiones et argumenta Scoti reiiciuntur.* In philoſophia autem diuerſas vtriusque partis opiniones recenſuit IOANNES LALEMANDET [t], qui videndus. Fuerunt tamen, qui conciliare vtramque partem auderent, exigua vtriusque gratia, quae inimicis vtrinque telis congredi maluit, vt philoſophiae eriſticae vſum quendam haberet inſignem. Quod tum quidem factum eſſe, ex temporum illorum conditione et indole nemini mirum videri debet, at noſtro adhuc aeuo in tanta emendatae philoſophiae luce factum eſſe, et quotidie a nonnullis fieri, merito mirandum, luculento argumento, quid auctoritatis, ordinis, receptae hypotheſeos aliaque praeiudicia, quid educatio et conſuetudo valeant. Ex ipſa vero Scoti Schola Occamus prodiit, nouae iterum ſubtilitatis inconditae conditor, quem cum Ludouici Bauari imperatoris gratia plurimis mirifice commendaſſet, Occamiſtarum inde ſecta exorta eſt, de qua ſupra iam quaedam attulimus. Neque hic quidem diſſenſionum finis, ſed vt quisque in excogitandis nouis quaeſtionibus et aſſertionibus ingenioſior, atque eriſticae philoſophiae beneficio contentioſior, ita nouae quoque factioni gratior. Memorabilis ea de re eſt AVENTINI [u] locus, ita ſcribentis: *Ante trecentos annos mendicantes et academici Ariſtotelem extulerunt, variisque in illum commentariis editis diſſidere coeperunt inter ſe, alius aliter ſemper expoſuit, quilibet ſingulari modo ac opinione, ita vt vno aliquo pertractando totum vitae tempus conſumat, nil legat, nil intelligat aliud, condemnat reliquos, cum illis rixetur, altercetur, belligeretur, litiget. Et ita omnes ſelium in morem inter ſe committantur. Hic Sophiſta eſt, ille Thomiſta, alius Albertiſta, hic iterum Realiſta, ille Occamiſta, hic Marſilium ſequitur, ille Tartaretum, alius Bricartum. Hic antichriſtus eſt, ille Moderinus, hic noua, ille veteri incedit via, hic voces tractat, ille vocum ſignificata, clamorum autem et rixarum non eſt finis, ſemperque inter ſe diſſident, niſi cum aliorum ſanguini inſidiantur.* In ſequentibus haec in Ingolſtadienſi quoque academia obtigiſſe, ſeque ex decreto principum in reducendis ad concordiam animis profeſſorum ingentes labores exantlaſſe, refert. Alia eius loca non minus memo-

s) Colon. 1620. 4.
t) Monach. 1645. fol. editis Deciſionibus philoſophicis.
u) L. I. p. 218.

memorabilia, quibus infinitas Scholaſticorum diſcordias magna fortitudine detexit, breuitatis cauſſa ſilentio praeterimus. Inter omnes vero Scholaſticorum ſectas nulla eſt, quae Nominalium et Realium concertationes adaequet, quas cum toties in partes vocauerimus, prolixiorem iam earum delineationem poſcit noſtra tractatio.

Hiſtoriae ſectae Nominalium et Realium ſcriptores.

§. XXVII. Nominalium et Realium hiſtoria impedita et obſcura eſt, nec eo lumine a ſcriptoribus hiſtoriae philoſophicae, quo debebat, illuſtrata. In veterum Scholaſticorum ſcriptis, praeter ea, quae Io. SARISBERIENSIS [x] habet, infra adducenda, articulosque Nominalium Ludouico XI oblatorum [y], quorum in ſequentibus quoque faciemus mentionem, parum deprehenditur, ex quo hiſtoria harum ſectarum diſci poſſit, quamuis plena ſint vtriusque partis ſcripta obiectionum, quibus aduerſarios ſuos preſſerunt, ex quo Occamus Nominalium ſectam reſuſcitauerat. Inter recentiores, duos, qui Nominalium veſtigia preſſerunt, ſcriptores eorum hiſtoriam expoſuiſſe, viri docti referunt, nempe Io. SALABERTVM in *Philoſophia Nominalium vindicata* [z], vel quo titulo MORHOFIVS [a] librum aduocat, *Logica in Nominalium via*: et anonymum, auctorem *Artis rationis ad mentem Nominalium*, quae Oxonii [b] prodiit. Neutrum tamen librum videre nobis contigit, et prioris tanta quoque eſt raritas, vt ſummis in Gallia curis a praeſtantiſſimo MATVR. VEISSIERE LA CROZE quaeſitus inueniri tamen, quod ipſe nobis per literas retulit, non potuerit. P. BAYLE autem, qui librum inſpexit, de Nominalium quidem ſecta eiusque conditore potiora referre promiſit [c], ſed neſcio qua culpa, non praeſtitit. Nemo vero obſcuriſſimis ſectis lucem recentiori aetate inter noſtrates accendit ante IACOBVM THOMASIVM, qui vt erat hiſtoriae philoſophicae tum veteris tum medii aeui callentiſſimus, et accurato iudicio ad detegendos opinionum fontes inſtructus, ita non inelegantem *de ſecta Nominalium* narrationem, licet pro inſtituti modo breuiuſculam condidit: Ex hoc ſua hauſit et in compendium redegit MORHOFIVS. Nosque olim collatis eius obſeruationibus cum teſtimoniis veterum, memorabiliora quoque expoſuimus [f], quae calculo ſuo probauit magni vir nominis B. Io. FRANC. BVDDEVS [g]. Alios, qui ὡς ἐν παρόδῳ harum ſectarum mentionem fecerunt, cum nihil noui afferant, ſilemus.

Hiſtoria Nominalium et Realium.

§. XXVIII. Hiſtoria contentionis inter Nominales et Reales intelligi, eiusque origo vera detegi non poteſt, niſi ad Graecanicae philoſophiae hiſtoriam reſpiciamus, quae illius occaſionem exhibuit. Nempe ad Platonis, Ariſtotelis et Zenonis hypotheſes de ideis, ſiue ſpeciebus rerum vniuerſalibus attendendum eſt, ad quas digitum intendit Porphyrius, cuius *introductio*

x) Metalog. L. II. c. 17. p. 814. ſeqq.
y) Extant apud BALVZIVM Miſcell. T. IV.
z) Paris 1651. 8.
a) Polyhiſt. T. II. L. I. c. 13. §. 11. p. 79.
b) 1673. 12.
c) Dict. T. I. art. Abelard. not. 2. p. 28.
d) Orat. XII. p. 241. ſeqq.
e) loc. cit. p. 73.
f) In hiſtoria de ideis Sect. II. §. 4. p. 198.
g) Comp. hiſt. phil. c. V. §. 7. p. 352. Iſagog. in theol. hiſt. L. I. c. 4. p. 231.

ductio in Aristotelis logicam, siue tractatus *de praedicabilibus* ansam controuersiae dedit. Platoni quid idea sit, peculiari tractatione, prolixe excussimus, quae consuli ab iis debet, qui accurate totam rei seriem pernoscere cupiunt. Nos pro praesentis instituti modo paucis notamus, Platoni ideam non esse illam, quae ex contemplatione obiectorum singularium exsurgit notionem vniuersalem reique alicuius generalem conceptum, quem recentiores ideam vocant, ille ἰδέη vocauit et ab idea distinxit. Sed ideae sunt illi essentialia rerum omnium singularium exemplaria, αὐτοθσία gaudentia; ad quorum naturam indolemque res singulares formatae sunt, et quae illis veram certamque atque stabilem essentiam largiuntur. Has ideas ex diuina mente oriri, inque ea radicari, sua autem propria substantia gaudere, et esse αὐτῶς καὶ ὄντως ὄντα statuit, et circa earum cognitionem versari intellectum humanum, in his rerum essentiis separatim et extra materiam existentibus cognoscendis cardinem verti totius philosophiae asseruit. Ridiculum id visum Aristoteli, dari extra materiam eiusmodi essentias vniuersales, quibus res omnes singulares essentialiter modificarentur, rato, esse haec τερατίσματα et nugas otiosi ingenii, Platonemque sine caussa ratione neque sufficienti haec somnia ex scholis Pythagoreorum, quae istis entibus personabant, recepisse, suoque intulisse systemati. Cum autem negare non auderet, esse in rebus formas essentiales, has ideas, siue formas, qua voce Platonicum nomen exprimere maluit, materiae ab aeterno esse impressas, et in eo latere affirmauit, et ita demum ex rationibus istis formisque seminalibus materiam esse formatam statuit. Non negabat Zeno, et tota schola Stoica rationes seminales, rerumque materialium radices, sed denegabat eis essentialitatem atque formalitatem, eos ridens, qui huiusmodi vniuersalia extra intellectum dari asserunt, eaque a notionibus vniuersalibus et vocibus quibus illae exprimuntur, distinguunt. Tres has veteris Graeciae philosophantis sententias alio loco [h] prolixe explicuimus, et testimoniis veterum abunde roborauimus, quae huc transferre locus haud patitur. Scholasticorum voces si huc trahimus, illi de vniuersali disputantes, quod in metaphysicum, physicum et logicum diuidunt, triplicem hunc vniuersalis respectum ita exprimunt, vt primum vniuersale dicant ante rem, secundum in re, tertium post rem. Haec subtilis disputatio non modo Academiam, Lyceum et Stoam inter se commisit, sed et post Christi nati tempora Eclecticis philosophis occasionem dedit, subtilissimas tricas suas syncretisticas ad hanc quoque pugnam componendam adhibendi, et in isto argumento Platonem, Aristotelem et Zenonem inter se conciliandi. Hoc vt obtinerent, ita statuebant: ideas quidem rerum essentialia esse exemplaria, reipsa et per se subsistentia, verum tantum in intellectu diuino, qui in fingendis rebus singularibus iis velut caussis exemplaribus vsus sit, quibus materiae characteres rerum essentiales impresserit, vt inde formam acciperent;

h) In Historia philosophica de ideis.

rent; quemadmodum vna ſigilli figura et charactere innumeris cerae partibus notae illae characteriſticae poſſunt imprimi. In Logica autem iſtorum exemplarium ſigna eſſe notiones vniuerſales per abſtractionem intellectus cognoſcendas, quibus eſſentiae rerum exprimantur. Et huc tum praedicamentorum, tum praecipue praedicabilium doctrina ex metaphyſica in dialecticam transferebatur. Subtiliſſime ea de re diſputat PLOTINVS [i], quem alii ex hac ſchola Alexandrina ſecuti ſunt, quorum φιλοσοφούμενα de ea *Tomo ſecundo* retulimus. Valde placuit hic pullus genitoribus ſuis; alii autem paulo perſpicaciores huic conciliationi non multum fidebant, et de ideis quidem in intellectu diuino ſecundum ſyſtema Ammonii et Plotini differebant, qua ratione autem vel in phyſica vel in dialectica conſiderandae eſſent, ob infinitas controuerſiae difficultates tutiſſimum eſſe arbitrabantur, ſi plane quaeſtio omitteretur. Hac modeſtia et prudentia vſus eſt PORPHYRIVS, qui quamuis diu de ideis philoſophatus eſſet, hocque argumentum, vt ipſe narrat [k], multis laboribus et longa meditatione excuſſiſſet, in dialectica tamen omittendam de iis diſquiſitionem eſſe ſtatuit. Hinc cautus mox in limine introductionis in logicam Peripateticam [l] monet: Αὐτίκα περὶ γενῶν τε καὶ εἰδῶν τὸ μὲν εἴτε ὑφέστηκεν, εἴτε καὶ ἐν μόναις ψιλαῖς ἐπινοίαις κεῖται· εἴτε καὶ ὑφεστηκότα σώματά ἐστιν, ἢ ἀσώματα· καὶ πότερον χωριστὰ, εἰ ἐν τοῖς αἰσθήτοις καὶ περὶ ταῦτα ὑφεστῶτα, παραιτήσομαι λεγεῖν· βαθυτάτης οὔσης τῆς τοιαύτης πραγματείας, καὶ ἄλλης μείζονος δεομένης ἐξετάσεως. *Ne longe abeam, de generibus et ſpeciebus, conſiſtantne in rerum natura, an in ſolis nudis animi notionibus poſita ſint: et ſi conſiſtunt in rerum natura, num corpora ſint, an incorporalia, et vtrum ſeparata ſint, an in rebus ſenſibilibus conſiſtant et circa has, recuſabo dicere, quia obſcuriſſima eſt huiusmodi tractatio, et alius maioris indiget exquiſitionis.* Quae licet Porphyrius ſobrie et prudenter monuiſſet, maximo tamen poſterioribus ſeculis facta ſunt offendiculo. Cum enim, intercidente per barbararum gentium irruptiones Graecae linguae vſu nemo fere legere philoſophorum Graecorum ſcripta poſſet, ſolae verſiones librorum dialecticorum a Boëthio et Victorino confectae in manibus hominum philoſophantium verſabantur, quibus iuncta erat introductio Porphyriana de praedicabilibus. Cumque in ea litis huius facta eſſet mentio, in vetitum conniſi otioſi homines de his vniuerſalibus diſputare coeperunt. Neque vero Ariſtotelem legere vel Platonem vel Stoicos licebat, vnde impoſſibile fuit, aliquod inter partes has arbitrium interponere. Itaque Ariſtotelis dialectica ſcripta, quae Latine extabant, ſequebantur, prout poterant, et vniuerſale non ante rem eſſe, nec poſt rem, ſed in re, id eſt formas rerum materiae eſſe immerſas ſtatuebant. Quae opinio, quantum memoriae ex iſtis temporibus ſeruatum eſt, obtinuit, vsque ad ſeculum XI, quo Roſcelinus,

i) Ennead. V. L. 5. ſeqq.
k) Vit. Plotini c. 18. p. 122.
l) §. 2. p. 2. edit. Iul. Pacii.

linus, vel Rucelinus ſacerdos et philoſophus Compendienſis, de quo ſupra iam diximus, ab Ariſtotele receſſum fecit, et in Stoicorum caſtra ita tranſiit, vt ſtatueret, vniuerſalia, nec ante rem, nec in re exiſtere, nec vllam habere realem exiſtentiam, ſed eſſe nuda nomina et voces, quibus rerum ſingularium genera denotentur: a quo dogmate ſectae Nominalium nomen haeſit, quae per Roſcelini diſcipulum, Abaelardum propagata eſt. Negare Salabertum, quod a Roſcelino Praeceptore Abaelardus Nominalium opinionem hauſerit, P. BAYLE refert, non tamen addit, quibus rationibus id euinci poſſe ſibi perſuaſum habuerit: de Roſcelino enim, quod promiſit, agere oblitus eſt. Verum et Nominalium ſectae eum conditorem fuiſſe, et mediante Abaelardi inſtitutione eam propagauiſſe teſtantur OTTO FRISINGENSIS [m] et IO. SARISBERIENSIS [n]. Inde vetus illud in Roſcelinum, ab AVENTINO [o] relatum.

Quas Ruceline doces, non vult dialectica voces,
Iamque dolens de ſe non vult in vocibus eſſe
Res amat, in rebus cunctis vult eſſe diebus.
Voce retractetur, res fit, quod voce docetur,
Plorat Ariſtoteles rugas ducendo ſeniles
Res ſibi ſubtractas per voces intitulatas
Porphyriusque gemit, quia res ſibi lector ademit.
Qui res abrodit, Ruceline Boëthius odit:
Non argumentis, nulloque ſophismate ſentis
Res exiſtentes in vocibus eſſe manentes.

Valde diſplicuit philoſophis ſeculi XI noua opinio; ſine dubio, quod non niſi in vocibus vniuerſalium naturam omnem ponebat: quo modo euerti omnem praedicandi definiendique rationem videbant. Suſpicamur quoque, inuidiam nouo dogmati Rucelinum conflauiſſe, quod ad ſacra religionis Chriſtianae myſteria illud perperam transtuliſſet, vt ſupra dictum. Ita enim ἑτεροδοξίας ſuſpecta facta eſt noua ſententia, quam auerſabantur, quotquot cautius philoſophari cupiebant. Nouitatis tamen auida iuuentus, vt fieri ſolet, Nominalium partes ſtrenue proſecuta eſt, modum opinioni afferente, et a nudis vocibus vniuerſalia, ad enuntiationum praedicabilium vniuerſalitatem reuocante Petro Abaelardo, cuius ea de re velitationem cum Guilelmo Campellenſi ſupra iam retulimus, expoſuimusque, quas vterque partes ſecutus ſit. Cum autem magno ſtudioſorum iuuenum applauſu exciperetur dialectica Abaelardi ſubtilitas, magnis incrementis vſa eſt Nominalium factio, plerisque, vt ipſe ABAELARDVS fatetur, a Realibus ad hunc Nominalem philoſophum transfugientibus; id quod fruſtra negat IAC. THOMASIVS [p]. Et tum, niſi fallimur, Realium et Nominalium ſectae ſibi potiſſimum oppoſitae ſunt, ex quibus No-

m) L. I. c. 42.
n) l. c. p. 814.
o) L. VI. p. 396.
p) loc. cit. p. 868.

minales, quamdiu Abaelardus docuit, valde triumphabant. Cum autem is multorum in ſacra doctrina errorum poſtularetur, vetus, quae iam Roſcelinum oppreſſit criminatio recruduit, et periculoſa viſa eſt Nominalium factio, Realibus fortiſſimis eam telis impetentibus, inter quos inſignem fuiſſe operam Alberici SARISBERIENSIS [g] notauit, vt ſupra oſtenſum, cum enim *inter ceteros opinatiſſimum dialecticum, et reuera Nominalis ſectae acerrimum impugnatorem vocat.* Quorum tela vt euitarent Nominales, deſerta paulo Abaelardi hypotheſi vniuerſalia in notionibus atque conceptibus mentis ex rebus ſingularibus abſtractione formatis conſiſtere ſtatuebant, vnde Conceptuales dicti ſunt. Neque tamen Realium quoque vna eademque erat ſententia, ſed varia ratione de vniuerſalibus praecipiebant, quorum diuerſas opiniones ita exponit SARISBERIENSIS. „Eorum, qui rebus inhaerent, multae ſunt, et diuerſae opinio„nes. Siquidem hic ideo, quod omne, quod vnum eſt, numero eſt, „aut rem vniuerſalem, aut vnam numero eſſe, aut omnino non eſſe, „concludit. Sed quia impoſſibile, ſubſtantialia non eſſe, exiſtentibus „his quorum ſunt ſubſtantialia, denuo colligunt vniuerſalia ſingularibus, „quoad eſſentiam vnienda, duce Gautero de Mauritania. Habuit haec „opinio aliquos aſſertores, ſed pridem hanc nullus profitetur. Ille ideas „ponit, Platonem aemulatus, et imitans Bernardum Carnotenſem, et „nihil praeter eas genus dicit eſſe vel ſpeciem. Eſt autem idea, ſicut Se„neca definiuit, eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum. Et quo„niam vniuerſalia corruptioni non ſubiacent, nec motibus alterantur, „quibus mouentur ſingularia, et quaſi ad momentum, aliis ſuccedentibus „alia defluunt, proprie et vere dicuntur vniuerſalia. - - Magnum „profecto eſt et notum philoſophis, contemplantibus altiora, quod iſti „pollicentur, ſed, ſicut Boëthius et alii multi teſtantur auctores, a ſenten„tia Ariſtotelis penitus alienum eſt. Nam et ipſe huius ſententiae, ſicut „euidens eſt in libris eius, ſaepius aduerſatur. Egerunt operoſius Ber„nardus Carnotenſis et eius ſectatores, vt componerent inter Ariſtotelem „et Platonem, ſed eos tarde veniſſe arbitror, et laboraſſe in vanum, vt re„conciliarent mortuos, qui, quamdiu in vita licuit, diſſenſerunt. Porro „alius Ariſtotelem vt exprimat, cum Gilberto epiſcopo Pictauienſi vni„uerſalitatem formis natiuis attribuit, et in earum conformitate laborat. „Eſt autem forma natiua, originalis exemplum, et quae non in mente „Dei conſiſtit, ſed rebus creatis inhaeret. - - Eſt et alius, qui cum „Gausleno Sueſionenſi epiſcopo vniuerſalitatem rebus in vnum collectis „attribuit, et ſingulis eandem demit. Exinde cum ad interpretandas au„ctoritates ventum eſt, laborat prae dolore, quia in locis pluribus rictum „literae indignantis ferre non ſuſtinet. Eſt aliquis, qui confugiat ad ſubſi„dium nouae linguae, quia Latinae peritiam non ſatis habet; nunc enim „cum genus audit, vel ſpecies, res quidem dicit intelligendas vniuerſales, „nunc

[g] In Metalogico loc. cit.

„nunc rerum maneriem [r] interpretatur. Hoc autem in quo auctore in„uenerit, vel hanc distinctione, incertum habeo: nisi forte in glossema„tibus aut modernorum linguis doctorum. Sed et ibi, quid significet, „non video, nisi rerum collectionem cum Gausleno, aut rem vniuersa„lem, quod tamen fugit maneriem dici, nam ad vtrumque potest ab in„terpretatione nomen referri, eo quod maneries rerum numerus, aut „status dici potest, in quo talis permanet res. Nec deest, qui rerum sta„tus attendat, eos genera dicat esse et species.“ Ex quo loco manifestum est, ipsos Reales non satis sciuisse, quid in obscuro argumento statuendum sit, quamuis, in eo conuenerint, non solas voces vel conceptus esse vniuersalia, sed realem eorum dari existentiam, in quocunque demum illa sit quaerenda. Metuebant enim, ne admissa Nominalium opinione, rerum scientia et certitudo adeoque ipsae res tollerentur, et in nudam onomatologiam conuerteretur philosophia; cum Aristotele enim statuebant: subiectum scientiae esse rem necessariam aeternumque veram, et hanc necessitatem non in nexu essentiali et necessario inter subiectum et praedicatum, sed in existentia physica quaerebant, quod ex Academia retinuisse Aristotelem suo loco demonstrauimus. Et haec quidem vtriusque sectae fata fuerunt seculo XII, quo vixit Sarisberiensis, qui, licet moderate, Realium partibus adhaesit. Post eius tempora pauca in scriptoribus medii aeui de Nominalium et Realium factionibus leguntur, ex quo colligimus, Nominalium factionem valde numero et auctoritate decreuisse. Meminit tamen vtriusque partis Gaufredus, poeta Anglicus, de Vinosaluo [s] dictus, et cum Gaufredo Antisiodorensi [t], Abaelardi discipulo, qui Nominalium quoque partes secutus est, non confundendus. Is enim in carmine *de statu curiae Romanae* [u], suo adhuc tempore hanc controuersiam vigere, his prodidit versiculis:

Alter adest, quaerens, vniuersalia quare
Septem sint numero, si trahis inde duo?
Sint in corporeis ea subsistentia rebus?
An mentis ratio separet illa procul?

Magnum vero pondus Realium factioni addidere capita Scholasticorum ex Dominicanorum et Minorum Ordine, Thomas Aquinas et Ioannes Duns Scotus; hi enim cum Realium agmini se parastatas praebuissent, omnem mendicantium turbam, quae cathedras tum plerasque philosophicas et theologicas occupauerat, post se traxerunt. Quamuis enim, vt su-

r) Falso in quibusdam editionibus legitur *materies*. Haec enim vox huc non quadrat. *Maneries* dicta est a manendo, quia in vniuersalibus existere singularia et permanere credebant. Praeiuit Strato, quem τὸ ὂν dixisse διαμονὴν τῶν ὄντων permanentiam entium refert PROCLVS in Timaeum L. IV. p. 242. 243.

s) Videndi post PITSEVM p. 161. LEYSERVS hist. poetar. medii aeui p. 862. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. III. p. 35.

t) De eo vid. OVDINVS T. II. p. 1494. CAR. DE VISCH. Bibl. Cisterc. p. 120. FABRIC. l. c. p. 20.

u) Edidit id post FLACIVM inter Carmina de corrupto Ecclesiae statu, Io. WOLFIVS Lect. memorab. T. I. p. 420. et post hunc MABILLON. Analect. T. IV. p. 369.

pra dictum, de his quoque inter se digladiaretur Dominici et Franciſci familia, et qua ratione vniuerſalitas rei realiter exiſtat, diuerſis opinionibus diſputabat, quod occaſionem dedit Scotiſtis ſe Formales vocandi, vt a Realibus ſiue Thomiſtis diſtinguerentur, re tamen ipſa ſe Nominalibus vtraque pars acriter oppoſuit. Tandem ſeculo XIV Guilelmus Occamus ex Scoti diſciplina prodiit, qui vt nomen ſibi faceret, inter mortuam pene Nominalium ſectam acumine ſuo reſtituit, vt in eius vita dictum *). A cuius aetate ſupra obſeruatum, viros ſubtiliſſimos Richardum Suiſſetum, Guilelmum de Arimino, Ioannem Buridanum, Petrum de Alliaco, Marſilium ab Inghen, Adamum Dorp, Albertum de Saxonia, Ioannem Weſſelum et multos alios magno hanc ſectam robore diſputandi acuiſſe atque auxiſſe. Quibus Nominalium incrementis plurimum profuit Ludouici Bauari, apud quem Occamus gratioſus erat, beneuolentia. Cum enim plerique Ordinis Minorum ſodales offenſi papae Ioannis XXIII diligentia auaritiam curiae Romanae exemplo Chriſti et Apoſtolorum tuendi auerſo ab eo eſſent animo, et Occamum ſtrenue ſequerentur, ipſiusque imperatoris cauſſae, contra attentata pontificis, ſe addixiſſent, ſicque inter Germanos vni vere et ſoli valerent, Nominalium ſecta in hac gente quoque valde aucta eſt. Vbi vero contraria pars vicerat, et pontificis factio obtinuerat, ibi pulſi Nominales fugatique ſunt. Id quod ipſi Nominales in articulis Ludouici XI oblatis notauerunt; primam Nominalium perſecutionem inde exortam fuiſſe, quod Occamus Pſychopannycharum haereſin, cui iſte pontifex fauebat, et alios eius errores ſcriptis refutaſſet, et in dialogo ſuo reges papae non ſubiectos eſſe, ſcripturae, patrum et conciliorum auctoritate demonſtraſſet. Hac vero occaſione cum Ioannes Buridanus, vt ſupra dictum, et Marſilius ab Inghen Viennenſis et Heidelbergenſis academiae excitandae auctores fuiſſent, cum ipſis horum Athenaeorum originibus Nominalium opinio atque ſecta in iis propagata eſt. Neque tamen quieuerunt Reales, ſed cum non obſtante fauore, quo in aula imperatoris Romani Nominales gaudebant, in Bohemia regis procerumque gratia fruendi occaſionem inueniſſent, ita in Pragenſi ſtudiorum vniuerſitate inualuerunt, vt Nominales iterum grauiſſima perſecutione premerentur. Quam in cauſſa fuiſſe, *vt Nominales relicta Praga Lipſiam ſe contulerint, et ſolenniſſimam ibi vniuerſitatem erexerint*, ex articulis Nominalium modo laudatis diſcimus. Cum autem teſte TRITHEMIO *y*), motus Huſſitici ſucceſſionis iſtius cauſſa fuerint, ipſeque Huſſus, eodem referente *verſutus fuerit ingenio, ſermone facundus, et in logicis diſputator acutus*, hinc ſuſpicamur, Nominalium et Realium controuerſias quaeſtionibus iſtis Huſſi et factionis eius ſe immiſcuiſſe. Illud certum eſt, academiam Baſileenſem opera Ioannis a Lapide, monachi Carthuſiani, qui Tubingenſi quoque academiae ordinandae adhibitus eſt, Realium opinione, teſte TRITHEMIO *z*) fuiſſe infectam.

x) Conf. citati. *y*) Annal. Hirſaug. T. II. p. 315. *z*) c. 894. p. 213.

infectam. Maxima tamen persecutione Nominalium partes pressae sunt sub Ludouico XI, Galliarum rege; ab eo enim edicto publico damnati sunt, libri fisco addicti, ciues academici Nominalium doctrinam eiurare iussi: recensenturque in eo edicto regio, cuius copiam ex archiuo academiae Parisiensis nobis fecit GABR. NAVDAEVS [a], Guilelmus Occam, Monachus Cistercienſis, quem Suissetum esse Naudaeus coniicit, Ariminensis, Buridanus, Petrus de Alliaco, Marsilius Inghen, Adamus Dorp, Albertus de Saxonia; commendantur vero et permittuntur Albertus M. D. Thomas, Aegidius de Roma, Alexander de Hales. Caussam saeuissimae tempestatis in Nominales iam prius post caedem ducis Aurelianensis dispersos, sed pace reddita iterum in Gallia reflorescentes, ex laudatis supra Nominalium articulis intelligimus. Eam enim anno CIↃCCCCLXXIII, non aliam ob caussam obortam esse Nominales referunt, quam quod haec Nominalium secta Thomistas gloria et disputandi solertia superasset, et Louanienſis theologi, Petri de Riuo tractatum, in quo absolutam futurorum contingentium incertitudinem asseruit, approbare noluisset. In ea persecutione Ioannem Bracardum quendam antesignanum se Realium contra Nominales praestitisse, ex eodem loco discimus. Nominales autem Gallia exules in Germaniam, atque Angliam profugerunt; in quibus regionibus eorum partes satis erant potentes, sic vt sub initia reformationis Biel, Melanchthon, Lutherus aliique Nominalibus addicti essent, vt alibi a nobis demonstratum [b]. Immo nec post renatas literas has controuersias in Scholasticorum cathedris feruere desiisse, ex Lalemandeti, Derodonis et aliorum huius generis scriptorum de eorum controuersiis palam est. Non enim vni de vniuersalibus opinioni adhaeserunt Nominales, sed totam fere philosophiam, praecipue rationalem, innouare aggressi sunt, cuius auctorem eos habuisse Occamum, supra memorauimus. Magnis hae controuersiae animorum motibus et saeuis interdum bellis agitatae sunt, sic vt omnis non modo modestia, sed et humanitas deponeretur. Testem damus VIVEM [c], qui has pugnas ipse vidit: *Clamores primum ad rauim, hinc improbitas, sannae, minae, conuitia, dum luctantur, et vterque alterum tentat prosternere: consumtis verbis venitur ad pugnos, ad veram luctam ex ficta et simulata. Quin etiam, quae contingunt in palaestra, illic non desunt, colaphi, alapae, consputio, calces, morsus, etiam quae iam supra leges palaestrae, fustes, ferrum, saucii multi, nonnunquam occisi.* Nihil in his dedisse Viuem odio in Scholasticos concepto, aliorum virorum cordatorum demonstrant testimonia, inter quos magnus ERASMVS [d], *eos frequenter*, ait, *vsque ad pallorem, vsque ad conuitia, vsque ad sputa, nonnunquam et vsque ad pugnos inuicem digladiari, alios vt Nominales, alios, vt Reales loqui.* Et IOACHIMVS CAMERARIVS [e], sermone

a) In Addit. ad histor. Ludou. XI. p. 203.
b) Hist. de ideis p. 207.
c) L. I.
d) Praef. enchirid.
e) Vid. Melanchthon. p. 21

mone de Nominalium et Realium ſectis facto ſubiicit: *Non ſolum contentiones et iurgia inter diſſentientes, ſed dimicationes etiam ac pugnae commiſſae fuerunt, interdum concertationibus non tantum pertinacibus verborum, ſed manuum quoque violentis. Haec diſſidia et Tubingenſem academiam inuaſerant, contubernio bonarum artium et philoſophiae ſtudiis deſtinato, in duo quaſi caſtella diuiſo, ex quibus de opinione ſua factiones illae acerrimae praeliantes inimicitias graues exercebant.* Similia in Anglia contigiſſe, inque cruentos interdum conflictus diſputationem abiiſſe in academia Oxonienſi teſtis eſt ANTONIVS WOOD [f], ita vt diuortio ſciſſa academia, opus fuerit vtrique parti dare ſuum cancellarium, Borealibus alium, alium Auſtralibus. Nec Gallia poſt ſeuerum Ludouici edictum expers mali fuit, in qua acerrima inter Nominales et Reales praelia obtigiſſe refert FRANC. PATRICIVS [g], eaque cruenta fuiſſe teſtatur NIC. CAVSSINVS [h]. Hinc et ignominioſa nomina, Realibus Nominales tyronum, verbalium, terminiſtarum, immo, ſi Salaberto a THOMASIO [i] citato fides eſt, Sabellianorum nominibus paſſim infamantibus, culpantibusque, quod omnem ſcientiam peſſundarent. Quod vtrum recte Nominalibus obiectum ſit, heic diſputandi locus haud eſt; illud autem ſilentio non praetereundum, Realium hypotheſin nonnullis viris doctis Auerroiſmi et Spinoziſmi ſuſpectam fuiſſe, vt de Guilelmi Campellenſis opinione ſupra iam obſeruatum [k]. Qui quamuis excuſari poſſe videantur, quod non eam, quam Auerroës et Spinoza, diuerſis licet modis, tenuerunt opinionem, tuiti ſint, nec viderint deteſtabile conſequentiarum virus, certum tamen eſt, eorum doctrinam ipſa Nominalium ſententia fuiſſe deteriorem, hancquē inter tricas nugasque Scholaſticas minus deſipuiſſe. Et haec quidem de Scholaſticis.

f) Antiqq. Oxon. ad ann. 1343.
g) Diſc. Perip. T. I. c. XIII. p. 170.
h) De Eloq. diu. et hum. L. IV. c. 34. p. 220.
i) Hiſt. Sap. et ſtult. p. 105.
k) BAYLE art. Abelard. not. C. art. Ceſalpin not. C. BVDDEVS Hiſtor. phil. p. 339. REIMMANN. Hiſtor. atheiſmi p. 340. conf. quae in Hiſtoria de ideis p. 121. diximus.

I. INDEX
PERSONARVM ET NOMINVM.

A.

Aaron Ben Senton 123.
Abaelardus, Petrus 716
Abano, Petrus 834
Abbo 608, 641
Abdalla Abucasimus 26, 42
Muhamed Abubeker 120
Abdossalamus 119
Aben Rush 97
Abibeker 63
Abilkasim 63
Abraham Ibnu Sahal 122
Abu Abdallah 81
Abu Abdulmelicus 21
Abu Achmed 93
Abu Ali Aljobbais 74
Abu Almasar 81
Abubahar 49, 120
Abubater 77
Abubecr Muhamed Ebn Baiiah 92
Abubeter 77
Abu Chamed 120
Abufarhus Alwawas 42
Abug-Iaafar Abdallah 24
Abug-Iaafar Al-Manfor 22
Abug-Iaafar Haron Rashidus 24
Abul Abbas Al Mamon 21
Abul Chais 119
Abulfadlus 40
Abulfaraius 6, 51, 119
Abulfarhus Albagas 42
Abulguail 97
Abulhamed 93
Abul Hanifa 98
Abul Hasan Al-Ashari s. Esciari 49, 63, 74 seqq.
Ibnu Haidor 120
Abulhemus 119
Abul Husein Essophi 44, 63, 76
Abulhusen Ibnu Telmid 44
Abul Ola Morarienfis 141
Abul Taxif 47
Abu Maaschar 69, 121
Abu Manfor 62
Abu Mohammed Abdalla 52
Abu Muslimus 22
Abu Tadli Ahmed Ebn Musa 94
Abu Walid 97
Acca 579
Achmed Abulabbas Mutadinus Allala 45
Achsiidaeus Casur 42
Adamus Bremenf. 653
Perfem 657
Adelardus 626, 682
Scholaft. S. Galli 626
Adelboldus 653
Adelinus 576
Adelmannus 658
Ademarus 653
Adhelmus 576
Adreualdus 616
Adrianus 576
Adso 651
Aelfridus 610
Aeneas Gazaeus 527
Aetius 438
Afrihi 42, 44, 118
Agobardus 629
Aharon Al-Rashid 64
Ahmed Abul Abbas 41, 42, 45, 62
Abtingaeus 62
Azdaeus 63
Ben Edris Sanhag 52
Ahmed Ben Henbal 52, 98
Ebn Cothaci Alfergani 121
Ebn Hayed 135
Tilun 135
Ispahanienfis 62
Aimoinus 653
Alaminus 32
Alanus ab Infulis 780
Al Aphdal 113
Albategnius 63, 121
Albericus 661, 742
Albertus Caffinenfis 166
Magnus 703, 788
Albinus, Flaccus 580
Albohazen Haly 122
Albubecar 77
Albubeter 77
Albu Masar 121
Aichabitius 63, 121
Alchwinus 580
Alcuinus, Flaccus 580
Aldhelmus 576
Aldilazith 122
Alemamus Phacroddinus 120
Alefius, Alexander 779
Aetophilus, Io. 810
Alexander de Villa Dei 785
Alexandria 839
Alfarabius 42, 44, 71 seqq.
Alferganus 121
Alfredus 576, 610, 786
Malmesbur. 639
Algazelius 44, 93
Algerus 657
Alhared Ebn Calda 14, 26
Alhasan 39, 52, 63
Ali Kadi Abubecr 147
Al Ioophi Alkendi 64
Alis 51, 217

I. INDEX

Ali Zelthus 62
Alkazis 63
Alkindus 40,62 ſq.
Alliaco, Petrus de 856
Almain, Iacobus 866
Almaminus 32,34
Almamon 20,24,31 ſeqq.
Almanſor 21,34,77
Almaricus 688
Almawakef 56
Almericus 688
Almotanabbi 64
Almotawakeli 40
Alpagus, Andr. 104
Alpatragius 122
Alphanus 657
Alpharabius 63
Alphonſus X. 844
Alphraganus 63
Aluarus 623
Alraſi 76 ſeqq.
Alulfus 563
Alypius 490
Ambroſius 282,359
Senenſis 791
Ammonius Saccas 337,420
Amrus 18,26,52
Anaſtaſius 624
Anatolius 460
Angelrannus 658
Angilbertus 628
Anſegiſus 626
Anſelmus Cantuarienſis 664
Laudunenſis 666, 741
Lucenſ. 657
Mantuanus 655
Autonius Cluniacenſis 651
Nicol. 8
Aphdolloddinus 62
Apollinarius 522
Apollo 268
Apono, Petrus de 834
Apuleius 564
Arcadius 512
Arimino, Gregorius de 865
Ariſtoteles 35,327,529
Arius 283
Arnaldus Brixienſis 687,747
Villanouanus 841
Arnobius 282,351,462
Arradis 41
Arzahel Meſſallah 122
Aſaadeus 217
Askerus 611
Aſſerius 786
Aſſiotus 63
Aſterius Meneuenſis 618
Athelſtanus 611,638
Athenagoras 282,337,401 ſeq. 417
Athenodorus 436
Auenpace 92
Auenzoar 91
Auernus, Wilhelmus 785
Auerroes 47,49,97 ſeqq.
Auguſtinus 282,332,462, 485,568
Auicenna 43,62,80 ſeqq.
Aui Iaaphar Ibn Thophail 95 ſeqq.
Aureoli, Petrus 864
Aurelius Antoninus 378,402
Autolycus 399

B.

Bachillani 44,118
Bacon, Roger 817
Baconthorpius, Io. 865
Balatianus 27
Baldricus 645
Baltus, Fr. 328
Bandinus 766
Barbara Nicomedienſ. 436
Bardeſanes 417
Bardas 537,539
Barnabas 277
Baſilides 436
Baſilius 274,541
Baſſolis, Ioannes 841
Baugulfus 592,606
Bayle. P. 63
Beda venerabilis 577
Behaioddinus 62
Behmeianus 62
Beleth, Ioannes 782
Benedictus 573,577
Benno 654
Berechtwaldus 575
Berengarius 659,736
Bernardus Carnotenſis 769
Corbeienſ. 657
S. 751
Bernoldus 657
Berthorius 657
Bernwardus 638,644
Bethem Hali Rodoham 122
Biel, Gabriel 863
Binder, Chriſtoph. 709
Blidulfus 640
Boëthius 524 ſeq. 565
Bonauentura 808 ſq.
Baduarius de Peraga 815
Brixianus 815
Brocardus 815
Franciſcus 815
Fridericus 815
Botrell, Io. 864
Bracardus, Io. 911
Bradwardin, Thomas 827
Bridfertus 638
Brocardus Haſſus 655
Bruno 643,645,661
Bubi Kie 77
Burchardus Wormat. 655
Buridan, Ioannes 854
Burlaeus, Gualterus 856

C.

Campanus Lombardus 657
Campellis, Guil. de 731
Capella, Martianus 564
Capito, Robertus 786
Capreolus, Io. 866
Carolus M. 572,583 ſq.
Caluus 604,616
Caſimus Mutamanus 32
Caſſiodorus M. Aurel. 566, 573

Cati-

Catibaeus 62
Cazrinius 62
Chalcidius 462,472,567
Chalidaeus 42
Chatibaeus 62
Chintasuintus 562
Chondemir 42
Chosroes 533
Claudianus Mamertus 523
Chrysoloras, Emanuel 554
Clemangis, Nicolaus 857
Clemens, Scotus 586,629
Alexandrinus 276
282,306,308,332,
337,414,429
Romanus 270
Columna, Aegidius de 820
Commodus, L. Aurel. 402
L. Verus 402
Conchis, Guil. de 774
Conradus Hirsaugiens. 787
de media ciuitate s.
Halberstadiens. 843
Coring, Herman. 7,556
Constantinus Floriacens. 641
Afer 641,681
Luxouiensis 641
Porphyrogen. 537
Cosmas Indopleustes 357
Crescens 378
Croze, Mat. Veyss. la 507
Curius Fortunatianus 569

D.

Damascenus, Io. 27, 534
Danaeus, Lambertus 709
Daniel Morley 682
Dararaeus 140
Dauid Aliawariensis
de Dinanto 688, 692
fil. Honaini 40
Demetrius 432
Demirius 62
Diaconus de Britannia 588
Didymus Alexandrinus 438,
462,471
Dionysius Alexandrinus 436
Areopagita 507
Corinthius 417
Ditmarus 626
Diues, Edmundus 818
Dominicus de Flandria 867
Dorbellus, Nicolaus 867
Drogo, Taruens. 658
Duns Scotus 825
de Saxonia 868
Dunstanus 638
Durandus, Guilelm. 838
a S. Porciano 845

E.

Eadgerus 638
Ealfridus 610
Ebn Malca 119
Edris 93
Rosthd 97
Ebnol Hosan 119
Sayeg 92
Ecbertus Metens. 651
Eccardus Teutonicus 844
Edgarus 636
Eduardus III. 656
Egbertus 575,579
Eginhartus 625
Einbeck, Henric. 868
Elbodus 566
Eligerio, Io. de 868
Elipandus Tolet. 630
Elkananinus 30
Elmacinus, Georg. 7
El Machaied Ettosi 63, 116 sq.
Emran Ben Isaac 122
Epictetus 309
Epiphanianus 433
Erpen, Thom. 7
Eribertus 634
Erricus Autissiod. 628
Esciari, vid. Abulhasan
Esseriph Esschalli 49, 63, 88
Etartosis 94
Ethelwoldus 638, 639
Etosi 116 seq.
Etththeseri 120
Eusebius 232, 332, 461, 462,
470
Eutychius, Alexandrin. 7
Eustratius 544
Ezarharagui 49

F.

Fabricius, Io. Alb. 6, 555, 556
Fahri Tartusius 63
Rasis 62
Faustus 491
Felix Croyladensis 579
Geruensis 579
Vrgelitanus 630
Feridunus 217
Ferrariis, Hieron. de 866
Fortunatianus 569
Franco 609, 657
Freindius, Ioan. 26
Fridericus II. Imp. 698
Fulbertus 648, 657 seq. 743
Fulco 608
Fullo 608

G.

Gabriel medic. 28, 40
Gadumser Taurisius 62
Gaheth 62
Galenus 35
Gallandius 207
Garbo, Dinus de 839
Gaudentius, Paganinus 428
Gaufridus Antissiodor. 747,
768
Gauricus 45
Gazzali 44
Geber 122
Gerardus Laudun. 668
Gemsiidus Gaiathus 62
Gentius, Georg. 210
Georgius Bachtishua Indus
34
Cyprius 549
Lapitha 549

Georgius Pachymeres 545
Gerbertus 638, 646 ſeq.
Geruaſius 736
Geſius 528
Giddo 644
Gilbertus Criſpinus 734
Porretanus 768
Giſelbertus 657
Glabrus Radulphus 653
Godeſchalcus 630
Gratianus 706
Gregorius Cyprius 549
Magn. 306, 560
Nyſſenus 274, 306
Thaumaturgus 436 IX, 702
Grimbaldus 611, 618, 630
Guandelbertus 629
Guarro, Wilh. 826
Guido Aretinus 654
Guimundus 657
Guntherus Eluonenſ. 657

H.

Habu Henon 48
Hai Ebn Yokdahn 96
Hakem 140
Hales, Alexander ab 778
Hali 84
Halifax, Ioannes 868
Hamza 140
Haraldus 611
Hardeiuinus 774
Haron Wacikus 39
Haſnum 120
Haymo Halberſtadienſ. 582
Helia, Petr. 774
Heloiſa 743
Helpericus 626, 654, 657
Henricus Imp. II. 656
de Gandauo 868
de Wiſmaria 868
Heraclas 431, 436
Heraclides 436
Heraclitus 374
Heraclius 626
Herais 436
Herbelot, Barthol. 7
Hermannus Contractus 653, 654, 668 ſq.
Dalmata 682
Hermas 272
Hermias 282, 407
Sozomenus 407
Hero 511
Herricus 628
Heſen 139
Heumann. C. A. 709
Hieronymus de Ferrariis 866
Hierius 490
Hierocles 527
Hilarius Pictauienſ. 769
Hildebertus Cenoman. 670
Hildeboldus 640
Hildericus 627
Hilduinus 624
Himmelius, Io. 709
Hincmarus 626
Hippocrates 40
Hippolytus 282
Holacus 116
Holcoth, Robert. 867
Honain Ebn. Iſaac 28, 40
Hottinger, Io. Henr. 6
Hucbaldus 608
Hugo de S. Victore 714
Eterianus 782
Humbertus Tullenſ. 657
Hypatia 511

I.

Iaafar Abulſadlus 41
Iaballat Al Moſtauſi 44
Iacob Manſure 47, 99
de Rauenna 839
Iacobus Sabachidas Kindaeus 62
Iakub 120
Iamblichus 529
Iazbach 83
Ibn Abinalius 63
Ahmed 117
Ibn Buſirides 154
Amid 62
Arabs 63, 154
Batrik 63
Beitar 62
Chalicam 79
Dafar 63
Hagheb 52
Hauaſen 63, 154
Honaim Raſiaeus 62
Hoſain Raſi 80
Kemouna 62
Alfraganus 112
Matoul 62
Mutaher 62
Omar 62
Patrik 63
Phared 134
Kadi Schiaba 62
Ruſchad 97
Schel 63
Sina vid. Auicenna
Ibnu Elchatib 63, 113 ſq.
El Baitar 49, 119
Saig 49, 63, 92
Thofail 49
Zohar 49, 91
Ieſus Chriſtus 247
Ignatius 270
Ingetrannus 659
Inghen, Marſilius ab 855
Ingulfus 658
Ioannes Apoſtolus 258
Damaſcenus 27, 534, 723
Eald-Saxo 618
Italus 552
Meſue 27
Meſuach 20, 27, 44
de Neapoli 840
Pariſienſis 839
de Parma 810
Philoponus 25, 529
Sarisberienſis 747
773
Scotus 565, 587, 611
614
Ioſeph 120

Irenaeus 341, 350, 408 sq.
Isaac Ben Emram 122
Erram 122
fil. Honaini 40
Isidorus Hispalensis 569
Iso 643
Israel Scotus 646
Iuliani, Petrus 815
Iulius Firmicus Maternus 282
Iuo Carnotensis 656, 666
Iustinianus imperator 533
Iustinus Martyr 282, 367 sq.

K.

Kahlan 64
Katibaeus 62
Koch, Cornel. Dieteric. 554
Kosium 10
Kosta 41
Kotoboddinus 62
Kublai Kanni 118

L.

Lackemacher, Io. Gottfr. 8, 163
Lactantius 282, 351, 462, 465
Lambertus de Legia 668
Schafnaburg 653
Lanfrancus 663, 716, 727
Langhtonus, Stephanus 782
Launoius, Io. 556
Leo Africanus 5
Ioannes 5
Philosophus 36, 149, 539
Isaurus 536
VI. Sapiens 541
IX. P. R. 666
Leonidas, Origenis pat. 429
Leuthaldus Nouarensis 742
Lombardus 671, 717, 764 sq.
Lotulfus 742
Lucas 268
Ludewig, Io. Petr. de 8
Ludgerus Monasterienf. 582
Ludouicus, Pius 603, 616
Balbus
Sanctus R. G. 784
Luhr, Henricus 868
Lupus Ferrarienfis 627
Lynna, Nicolaus de 868

M.

Macrobius 566
Magentinus 544
Mahan 20
Maidulfus 576
Makrizi 63
Malec Ebn Anafi 98
Malumbra, Rizardus 839
Mamon 20
Manes 489
Manno 644
Manfor, Iacob 99
Manfur 47
Marcellus 643
Marianus Scotus 653, 657
Marliano, Io. 868
Marfilius ab Inghen 855
Martianus Capella 564
Martianus Magifter 865
Masifi 119
Maslama 92
Maternus, Iul. Firmicus 567
Matthaeus Ebn Ynes 41, 118
Mauritius Hibernicus 867
Rothomag. 666
Maximus Tyrius 307
Maurus 573
Mayronis, Franciscus 840
Meiwercus 634
Merwanus 21
Mesuach, Io. 20
Mesue, Io. 20
Michael Anchialus 545
Michael Ducas 544, 552
Ephesius 543
Psellus sen. 538
iunior 550
Scotus 786
Minutius Felix 282
Miraeus, Aubertus 555
Mogrebinus 119
Mohammed Ebn Mohammed
Sherif 89
al Baziani 118
Ebn Abdolla
Mohammed Edris 98
Effendi 141
Mohdi 64
Monsterbeck, Io. 868
Moramer 12
Morapheni Abdollatifi 62
Morley, Daniel 682
Moses Maimonides 100
Moshemius, Io. Laur. 473
Motariabbin 41, 42
Motawakelus 135
Mouapheki Abdollatifi 62
Mozar 145
Muhammedus prophet 5, 13
Muhammed Tusius 62, 119
Ebn Tolun 45
Ibn Ismael 140
Muleasses 50
Musa fil. Almamini 34
Musladinus Sadi 62, 208
Mutenabbis 41, 42
Mutewakkilus 135, 165

N.

Nanno 644
Nasiroddinus 45, 62, 117
Necha, Alexander 565, 786
Nemesius 530
Neotus 611
Nicephorus Blemmides 545
Gregoras 548
Nicetas Dauid 543
Nicolaus de Bibra 844
Niemeierus, Io. Barthol. 709
Nilus 308
Niphus, Augustin. 104
Noimoddinus 63, 113, 120
Norbertus 571
Notkerus 643
Nuuerius 62

O.

Occam, Guilielmus 846
Odo Cluniacenſis 563, 608, 651
Oeolfridus 577
Olbertus 655, 659
Olearius, Adam 210
Oliuerus, Malmesbur. 657
Olog Beig 43, 118
Olwanus 154
Omaris Ibn Phared 154
Omarus 5, 64
Orbellis, Nicolaus de 867
Origenes 276, 282, 306, 337
Osbernus 657
Osbertus 654, 657
Oſiander, Io. Ad. 709
Oſius 485
Oswaldus 638, 639, 642
Othricus 644, 651
Ottfridus 613
Ott II. 637
III. 637
Cluniacenſis 563, 608, 651
Friſingenſis 683, 768, 787
Magnus 637, 644
Remenſ. 661

P.

Pantaenus 306, 407, 417
Pappus 511
Paſchaſius Radbertus 608
630
Paulus Apoſtolus 260
Diaconus 627
Petrus Abano ſ. de Apono 834
Cluniacenſis 736
Comeſtor 772
Damiani 668
de Dacia 844
Hibernus 799
Hiſpanus 815
de Honeſtis 668
Lombardus 671, 717, 747, 764 ſq.
Mauritius 760
Petrus Pictauienſis 747
Piſanus 584
de Riga 782
de Tarantaſia 837
Phacri Raſis 62
Phacroddinus Razi 80, 120
Philippus II. rex Hiſpan. 48
Philoponus Ioannes 25
Photius 540
Plato 328, 529
Plutarchus 436
Pocockius. Eduard. 6
Pontianus 500
Polycarpus 270
Porphyrius 307, 436, 723
Potamon 420
Procopius Gazaeus 274
Prudentius Trecaſſinus 611
Pope, Alexand. 463
Pſellus, Michael, ſen. 538
iun. 550
Pulley, Robertus 671, 767

R.

Rabanus Maurus 582, 607
612 ſq.
Radbertus Paſchaſius 608
630
Raſi 44, 49
Raſiidus 20, 24, 32
Ratbodus 643
Ratgarius 607, 613
Ratgerius 645
Ratramnus 608, 630
Rauani Ioannes 868
Raulinus, Io. 866
Raymundus de Penna forti 783
Razis 44, 49
Regino 629
Regiomonte, Io. de 863
Rembertus 608
Remigius Autiſſiodor. 565, 608, 640
monach. S. Luthwini 640
Rich, Edmundus 818
Richardus epiſcopus 774
Rieckmersdorf. Albertus de 868
Robertus 647, 648, 654, 656
Capito 786
Meludenſis 743
Perſcrutator 841
Pully 671, 767
Retinenſis 670, 682
de Sorbona 837
Rogerius 89
Romanianus 490
Roſcellinus 673, 716
Rupella, Ioan. de 809
Rupertus Caſinenſis 657
Ruthardus 630

S.

Sabkaeus 62
Sacroboſco, Io. 868
Sadi 62, 208
Saed Ebn Hebatolla 119
Sahan 10
Said Ebn Patrik 7
Saifuddaula 41
Saladinus 45
Sarisberienſis, Io. 555, 747, 773
Schafeius 62
Schamſoddinus Aikaeus 62
Azbachanaeus 62
Schechabeddin 208
Scheich Atthar 199
Schiraſita 62
Scotus Erigena 565, 587, 611 614
Michael 796
Seldenus, Io. 7
Senan 71
Seneca 267
Sergius 23, 40
Serenus 436
Seruatus Lupus 613, 627
Shadi 208
Sharauerdus 62

Sharol Mawaſck 146
Sigismundus Halberſtadienſ. 651
Simplicianus 500
Simon Tornacenſ. 697, 829
Smylau, Nicol. 868
Socrates 374
Stor, Nicol. 868
Suiſſet Richard 849
Sylueſter II. P. R. 646
Syneſius 507 ſeqq.

T.

Tado 62
Takkadinus 20
Talegius 62
Tamerlanes 42, 118
Tangmarus 644
Tarantaſia, Petrus de 837
Tatianus 282, 378 ſq. 417
Terricus 678
Tertullianus 282, 411
Thabet Ebn Korra 63, 69 ſq.
Sonan 71
Thageddinus 63
Thebit 70
Themiſtius 307
Theon 511
Theodoricus Metenſ. 651
Benedict. 657
Theodorus Cantuarienſ. 576
Tarſenſis 575
Laſcaris 545
Metochita 546
Theodotus 298, 417
Theophanes 274
Theophilus Maronita 23
Imperator 36, 530
Alexandrinus 507, 512
Antiochenus 399, 417
Theophilus Caeſarienſis 417
Theotechnus 461
Thograi 63, 90
Thomas Anglicus 808
Aquinas 791, 798
Cantapratenſ. 791
Gualenſis 808
Thomaſius, Iac. 709
Thophail 63, 95 ſeqq.
Tryphon 436
Tiathelmus 651
Timotheus 268
Timur 42
Tobias Roſenſis. 575
Tribbechouius, Adam. 709
Trithemius, Io. 555
Triumphus, Auguſtin. 823

V.

Valentinus 290
Vargas, Alphonſus 865
Varro, Wilhelm. 826
Vcbaldus 628
Verberia, Petrus 864
Verus 402
Victorinus 495, 500
Vincentius Bellouacenſis 783
Vindicianus 490
Vlug Beig 118
Voegelinus 545
Vrbanus II. 661

W

Wacicus 39
Walafridus Strabo 613, 614
Walid 22, 76
Wolingforde, Richard 868
Wandalbertus 629
Warakanus 12
Warnefrid, Paul 627
Waſel Ebn Ata 52
Wathekus Billa Abug Iaafar 39
Wayel 10
Wegelinus 545
Wenericus 657
Wereſridus 618
Weſſelus, Ioan. Hermann. 859
Wewulphus 611
Wicbertus 575
Wido 651
Wilgiſius 575
Wilhelmus Hirſaugienſis 668
de S. Amore 809
Auernus 785
de Brabantia 805
de Campellis 731
de Conchis 774
Willeramus 667
Wolf, Io. Chriſtoph. 7
Wolfgang 651

X

Ximenez, Roder. 7

Y

Yahga 119
Yunes 41, 118
Yuo 747
Yuſeph 120

Z

Zachaeus 249
Zacharias Scholaſticus 528
Zagaglia, Ioſephus 865
Zahel Bebiz 122
Zainoddin Al Tuſi 93
Zauauaeus 63
Zeel 122

II. INDEX
RERVM ET MATERIARVM.

A.

Abaelardus, Petrus, an primus philoſophiam theologiae admiſcuerit 716. hiſtoria eius calamitatum ſuarum non eſt ſuſpectae fidei 735. vitae eius ſcriptores 736, quonam loco natus ib. cur Palatinus dictus 737. quonam genere natus ib. ad dialecticam diſcendam totus eius rapitur animus 737. Nominalium opinionem paululum mutat 738. Guilelmum Campellenſem aggreditur 738. praeceptores eius ib. Melidoni ſcholam dialecticam aperit 739. magnum ſibi parat applauſum ibid. nouam de praeceptore aufert victoriam 740. Guilelmi inuidia vehementer premitur ibid. qua de cauſſa ad ſacrarum litterarum ſtudium animum verterit 741. Anſelmum praeceptorem eligit ib. eum contemnit 742. ſuo Marte ſacrarum litterarum ſtudium ſuſcipit 742. Ezechielem multo applauſu explicat ib. Anſelmi inuidiam in ſe ſuſcitat 742. lectiones theologicas intermittere cogitur ib. Pariſiis ſacram ſcripturam explicat 743. amores eius erga Heloiſam 744. triſte eorum fatum 745. vitam monaſticam eligit 746. quare ex monaſterio Sandionyſiano pulſus 747. ſcholis more ſolito magna diſcipulorum frequentia vacat ib. Tritheiſmi accuſatur 748. pene lapidatus eſſet 748. abſoluitur 749. alia de cauſſa damnatur ib. reſtituitur 749. tranquillam degere vitam conſtituit ib. nouam in ſe ſuſcitat tempeſtatem 749. carceri includitur 750. aufugit ib. oratorium prope Nouiogentum in ſolitudine exſtruit 750. multi ad eum adoleſcentes aduolant 751. Norbertum in illum ſuſcitant theologi ib. abbas Monaſterii Benedictini S. Gildaſii Riuenſis eligitur 753. inſidias illi ſtruunt monachi ibid. coenobium ſuum Paracleti Heloiſae tradit 754. litterarum eius commercium cum Heloiſa 754. quonam loco tum docuerit ib. denuo haereſeos accuſatur 756. diſputationem cum Bernardo in ſynodo Senonenſi quare declinauerit 757. apud Pontificem a Bernardo accuſatur 758. ſe defendit ib. an ab omni errore liberari poſſit 759. Romam proficiſci conſtituit 760. cum Bernardo reconciliatur 761. reliquum vitae in Cluniacenſi monaſterio transigit ib. mors eius 762. eius epitaphia ib. corpus ſuum ad Heloiſam miſſum in Paracleto conditur 762. ſcripta eius 763 magnus fuit ib. an Atheiſmi reus ſit 764

Abbaſidarum familia cum Haſchemidis eadem 21

Abbo, eruditio eius 641. in Angliam ad reſtituendas litteras inuitatur 642. redux ex Anglia Floriacenſis abbas conſtituitur ib. mors eius ib. eius ſcripta 643

Academia Marocci fundata 48

Achamoth in ſyſtemate Valentini quid 293

Actiones, quae a corporibus procedunt, cuiusnam ſint 184

Adagia Arabum Ethica 211

Adelardus, quando vixerit 683. ſcientiarum addiſcendarum cauſſa ad Saracenos abiit ib. in Gallia philoſophiam docuit 683 Euclidem ex Arabico vertit ſermone ib. non idem cum Abaelardo 683

Aegypti quomodo medicina apud illos culta 46

Aeneas Gazaeus an a Platoniſmo liberandus 527

Aënus in Valentini ſyſtemate quid 292

Aeones in ſyſtemate Valentiniano 291

Aeternitas mundi an poſſit aſſeri 186

Affectus vnde ex Valentini mente ortus 293

Agape in Valentini ſyſtemate 292

Alanus, a duo fuerint, Inſulanus et Ciſtercienſis 780. epitaphium eius ib. quanta eruditio-

eruditionis eius exiſtimatio fuerit 781 opera eius ib.
Al-Barzach apud Muhamedanos qualis locus 158
Albertiſtae quaenam ſcholaſticorum ſecta 902
Albertus M. ex eius ſchola Ariſtotelico-ſcholaſtica philoſophia vbique diſſeminata 703. quando natus 788. vnde Magnus dictus 789. an miraculo perſpicax e ſtupido factus 790. vtrum Coloniae an Pariſiis primo iuuentutem docuerit 790. quare illi fuerit permiſſum, Ariſtotelem explicare 791. honores eius et diſcipuli 791. epiſcopali dignitate ſe abdicat 792. laudes eius ib. corruptio philoſophiae et theologiae ſcholaſticae ab illo promota 792. phyſicam et artes mechanicas excolit 793. necromantiae accuſatur ib. defenditur 794. quid de capite eius magico iudicandum ib. libri magici illi ſupponuntur 794. quid de conuiuio eius magico iudicandum 795. an lapide philoſophico ſit potitus 797. an obſtetrices manus parturientibus porrexerit ib. multi eius libri 797. iudicium de illis 798. eius cura philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica propagatur ib.
Alcairi gymnaſium a Saracenis eſt exſtructum 45
Al-Cala quaenam ſcientia apud Saracenos 53, 58. ſectatoribus eius poena ſtatuitur 60
Alchemiae ſe tradit Thograi 90
Alcoranus, cur tam pauca philoſophiam redolentia in illo inuenientur 17. eſt miraculum maximum ib. vnde illum Dei verbum eſſe increatum aſſerant Muhammedani 134. an creatus ſit nec ne 165
Alcuinus, vnde Flaccus dictus 580. an Bedam habuerit praeceptorem 5 o. ex diſciplina Egberti profecit 581. quaenam eius meritis laudes tribuendae 581. eius de litteris merita 582. a Carolo M. in Galliam euocatur ib. conſiliis adhibetur ibid. ſcholae palatinae praeficitur ib. eius perſuaſione a Carolo M. ſcholae eruditionis eius exiſtimatio fuerit 781 opera eius ib.
Al-Barzach apud Muhamedanos qualis locus 158
Albertiſtae quaenam ſcholaſticorum ſecta 902
Albertus M. ex eius ſchola Ariſtotelico-ſcholaſtica philoſophia vbique diſſeminata 703. quando natus 788. vnde Magnus dictus 789. an miraculo perſpicax e ſtupido factus 790. vtrum Coloniae an Pariſiis primo iuuentutem docuerit 790. quare illi fuerit permiſſum, Ariſtotelem explicare 791. honores eius et diſcipuli 791. epiſcopali dignitate ſe abdicat 792. laudes eius ib. corruptio philoſophiae et theologiae ſcholaſticae ab illo promota 792. phyſicam et artes mechanicas excolit 793. necromantiae accuſatur ib. defenditur 794. quid de capite eius magico iudicandum ib. libri magici illi ſupponuntur 794. quid de conuiuio eius magico iudicandum 795. an lapide philoſophico ſit potitus 797. an obſtetrices manus parturientibus porrexerit ib. multi eius libri 797. iudicium de illis 798. eius cura philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica propagatur ib.
Alcairi gymnaſium a Saracenis eſt exſtructum 45
Al-Cala quaenam ſcientia apud Saracenos 53, 58. ſectatoribus eius poena ſtatuitur 60
Alchemiae ſe tradit Thograi 90
Alcoranus, cur tam pauca philoſophiam redolentia in illo inuenientur 17. eſt miraculum maximum ib. vnde illum Dei verbum eſſe increatum aſſerant Muhammedani 134. an creatus ſit nec ne 165
Alcuinus, vnde Flaccus dictus 580. an Bedam habuerit praeceptorem 5 o. ex diſciplina Egberti profecit 581. quaenam eius meritis laudes tribuendae 581. eius de litteris merita 582. a Carolo M. in Galliam euocatur ib. conſiliis adhibetur ibid. ſcholae palatinae praeficitur ib. eius perſuaſione a Carolo M. ſcholae eruditionis eius exiſtimatio fuerit 781 opera eius ib.
Al-Barzach apud Muhamedanos qualis locus 158
Albertiſtae quaenam ſcholaſticorum ſecta 902
Albertus M. ex eius ſchola Ariſtotelico-ſcholaſtica philoſophia vbique diſſeminata 703. quando natus 788. vnde Magnus dictus 789. an miraculo perſpicax e ſtupido factus 790. vtrum Coloniae an Pariſiis primo iuuentutem docuerit 790. quare illi fuerit permiſſum, Ariſtotelem explicare 791. honores eius et diſcipuli 791. epiſcopali dignitate ſe abdicat 792. laudes eius ib. corruptio philoſophiae et theologiae ſcholaſticae ab illo promota 792. phyſicam et artes mechanicas excolit 793. necromantiae accuſatur ib. defenditur 794. quid de capite eius magico iudicandum ib. libri magici illi ſupponuntur 794. quid de conuiuio eius magico iudicandum 795. an lapide philoſophico ſit potitus 797. an obſtetrices manus parturientibus porrexerit ib. multi eius libri 797. iudicium de illis 798. eius cura philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica propagatur ib.
Alcairi gymnaſium a Saracenis eſt exſtructum 45
Al-Cala quaenam ſcientia apud Saracenos 53, 58. ſectatoribus eius poena ſtatuitur 60
Alchemiae ſe tradit Thograi 90
Alcoranus, cur tam pauca philoſophiam redolentia in illo inuenientur 17. eſt miraculum maximum ib. vnde illum Dei verbum eſſe increatum aſſerant Muhammedani 134. an creatus ſit nec ne 165
Alcuinus, vnde Flaccus dictus 580. an Bedam habuerit praeceptorem 5 o. ex diſciplina Egberti profecit 581. quaenam eius meritis laudes tribuendae 581. eius de litteris merita 582. a Carolo M. in Galliam euocatur ib. conſiliis adhibetur ibid. ſcholae palatinae praeficitur ib. eius perſuaſione a Carolo M. ſcholae eruditionis eius exiſtimatio fuerit 781 opera eius ib.
Al-Barzach apud Muhamedanos qualis locus 158
Albertiſtae quaenam ſcholaſticorum ſecta 902
Albertus M. ex eius ſchola Ariſtotelico-ſcholaſtica philoſophia vbique diſſeminata 703. quando natus 788. vnde Magnus dictus 789. an miraculo perſpicax e ſtupido factus 790. vtrum Coloniae an Pariſiis primo iuuentutem docuerit 790. quare illi fuerit permiſſum, Ariſtotelem explicare 791. honores eius et diſcipuli 791. epiſcopali dignitate ſe abdicat 792. laudes eius ib. corruptio philoſophiae et theologiae ſcholaſticae ab illo promota 792. phyſicam et artes mechanicas excolit 793. necromantiae accuſatur ib. defenditur 794. quid de capite eius magico iudicandum ib. libri magici illi ſupponuntur 794. quid de conuiuio eius magico iudicandum 795. an lapide philoſophico ſit potitus 797. an obſtetrices manus parturientibus porrexerit ib. multi eius libri 797. iudicium de illis 798. eius cura philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica propagatur ib.
Alcairi gymnaſium a Saracenis eſt exſtructum 45
Al-Cala quaenam ſcientia apud Saracenos 53, 58. ſectatoribus eius poena ſtatuitur 60
Alchemiae ſe tradit Thograi 90
Alcoranus, cur tam pauca philoſophiam redolentia in illo inuenientur 17. eſt miraculum maximum ib. vnde illum Dei verbum eſſe increatum aſſerant Muhammedani 134. an creatus ſit nec ne 165
Alcuinus, vnde Flaccus dictus 580. an Bedam habuerit praeceptorem 5 o. ex diſciplina Egberti profecit 581. quaenam eius meritis laudes tribuendae 581. eius de litteris merita 582. a Carolo M. in Galliam euocatur ib. conſiliis adhibetur ibid. ſcholae palatinae praeficitur ib. eius perſuaſione a Carolo M. ſcholae

guntur plures 582. ab aula in coenobium ſecedit ib. iuuentutem ibi inſtituit 582. diſcipuli eius ib. ſcripta eius 583. quare laudandus ib.
Aleph Beth etc. hebraicum Chriſtus puer explicat 249
Aletheia in ſyſtemate Valentiniano 291
Alexandriae a Saracenis gymnaſium eſt exſtructum 45
Alfarabius patria eius atque parentes 71. paternae domui ſe ſubducit et philoſophiae incumbit 71. medicinae, matheſi et aſtronomiae operam dat 72. lautiſſimo ſtipendio in aulam vocatur ſed illud recuſat 72. mundi contemtor dicitur 73. Ariſtotelis lectione valde delectatur 73. magni aeſtimatur 74. libri eius in linguam hebraicam transferuntur 74. quando obierit 74
Alfredus difficilem naturam ſtupenda induſtria ſuperat 610. octo horas quotidie literis tradit ib. viros doctiſſimos vndecunque conquirit 610. Oxonienſem ſcholam condidit ib.
Algazel profeſſoris publici munus Bagdadi ſuſcipit 93. magno honore excipitur ib. ſummus conſiliarius eius lectionibus intereſt 94. iter religioſum ſuſcipit 94 Islamiſmum contra Chriſtianos defendit ib. libri eius in compendium rediguntur 94. haereſeos inſimulatur ib. carmina moralia condit 95. libri eius ibid.
Alkendi, nomina eius varia vnde 63. patria eius 64. pater eius et natales 64. quando vixerit 65. philoſophus κατ' ἐξοχήν dicitur 66. in omni fere diſciplinarum genere fuit verſatus ib. totum ſe tradit illuſtrandis interpretandisque libris Ariſtotelis 66. matheſin commendat 67. logicam et metaphyſicam ſtudio ſuo illuſtrat 67. medicinae incumbit ib. an magiae fuerit deditus 67. feliciſſimus fuit in coniecturando 68. cuinam religioni fuerit addictus 68. continentia eius iraeque moderatio 68. ex inimico amicum facit 69
Allegoria mature philoſophiae Aegyptiacae

cae in ecclesia portum aperuit 274. vnde studium allegoricum ortum 275. duplici via in ecclesiam inuectum 276
Alliaco, Petrus de, studia eius et discipuli 857. immaculatam b. Virginis conceptionem defendit ib. dignitates eius 857. quando obierit 858. laudes eius ib. astrologiam iudiciariam nimis amat 858
Alphakii, quinam apud Mauros ita audiant 50
Almamon, eius merita de litteris et philosophia 31. indoles eius clementia atque liberalitas 32. vita eius ib. viros doctos vndique conquirit 33. Ioannem Mesueh reliquis eruditis ducem praeficit ib. a patre ea de causa increpatur ibid. fratri in imperio succedit 34. libros vndique coëmit ibid. libros Graecos in Arabicam linguam transferri curat 35. Aristoteles ei in somnio apparuisse dicitur ib. Astronomiam didicit 36. ventus quidem ab illo nomen accepit ibid. conuentus eruditorum frequentat ib. Leonem philosophum Constantinopolitensem ad se vocat 37. libros Graecos facta versione arabica comburi iubet 38
Almansor litterarum studiis apud Arabes fauet 22 an astrologiae deditus fuerit ib. philosophiam et matheſin studet 23 praemia eruditis proponit, qui libros Graecos in linguam Arabicam transferunt 23
Al-Mansor qualis liber 79
Al-Manteck, quaenam scientia 53
Almaricus an a theologis Parisiensibus iure damnatus 688. ex quonam fonte errores de Deo hauserit 689. vtrum Spinozae suo dogmate praeluserit 691
Al-Rasi varia eius nomina vnde 77. patria eius ib. triginta fere annos natus philosophiam didicit 77. in arte medica fuit exercitatissimus 77. experimentator dicitur ib. vti et Galenus Arabum 78 cum omnis generis hominibus conuersatur ib. Graecos plerumque exscripsit 78 Cairi artem medicam exercet 78. Corduban proficiscitur lautissimo stipendio in aulam vocatus 78. apoplexia correptum mirando modo in vitam reuocat 79 quando mortuus ibid.
Ambrosius ex patribus primus doctrinam moralem in compendium redegit 359
Amicus quis verus 220
Ammonius, philosophia eius ab Origene in ecclesiam introducta 427
Amor, mores eius ex quibusdam rosarii persici sententiis expositi 230
Anatolius philosophiam peripateticam excolit 460. eruditio eius magna 460 episcopus creatur et Eusebio Laodicaeae successor datur 461. in mathematicis eximie est eruditus 461
Angelus, Muhamedanorum de illis opiniones 166. duo, malus et bonus, hominibus adesse creduntur 272. vnde hoc dogma ortum 273. peculiaris bestiis praepositus esse dicitur 274. illos cum filiabus hominum concubuisse statuitur 377. gubernationi creaturarum praefectos esse volunt patres eccles. ib. Athenagorae de illis doctrinae 404. corpus subtile illis tribuit Irenaeus 409. Clementis Alexandr. de illis doctrinae 426 vnde in varios ordines redacti 447. sine corpore esse non possunt 447. mali crassius corpus pro criminum modulo sunt adepti 448. tutelarem habet quilibet homo 449. eorum cultus ex quo tempore inualuerit 449. vbique esse dicitur 846
Anglia philosophiae fuit asylum medio aeuo 574
Anima, Auerroisticae sectae de illa doctrina 110. an illam esse materialem Auerroes affirmauerit 112. hominum immortales sunt mente Muhamedanorum 167. status eius post mortem ex mente Muhamedanorum 168. quaenam notio illius nomine exprimitur 183. vnde eius immortalitas probari queat 189. status eius post mortem ib. an earum praeexistentiam Paulus crediderit 264, 265. an illo

Clemens et Ignatius fauerit 271. non immortalis eſt ſuapte natura, ex Tatiani mente 387. quaenam moriatur et non moriatur 388. per ſe tenebrae eſt ib. cum ſpiritu diuino coniungendus ib. 39 fomitem quendam ſpiritualis virtutis retinet 388. non eſt ſimplex nec ſine corpore apparere poteſt 392. lapſus eorum et liberatio 394. eius materialitatem ſtatuit Irenaeus 409. corpore ſolutae characterem corporis cuſtodiunt 410 quid de illis praeceperit Arnobius 464 quid Lactantius 468. omnes ſunt ratione et libertate inſtructae 448. quomodo ex iis daemones aut angeli fieri queant 448. quare in corpora miſſae 450. fuerunt initio mentes ib. praeter corpus vehiculum quoddam habent 450. plura corpora intrant 451. eſt media inter ſpiritum et corpus 453. damnatarum nulla eſt aeternitas 454. quibusnam gradibus emendentur et purgentur 456. Syneſii de illa ſententia 518

Animal, omnes eorum ſpecies et totum eorum genus vnum eſt 181. eorum et plantarum genus vnum quid eſt 181. Deum cognoſci nequeunt 190

Anſelmus Cantuarienſis, eruditio eius 664. Dialecticae ſubtilitatibus inclaruit 665 acumen philoſophicum demonſtrauit in theologia ib. argumentum ab idea entis ſummi pro exiſtentia ab illo iam fuit adductum 665

Anthropos in ſyſtemate Valentiniano vnde ortus 291

Apathia Stoicorum an a Clemente Alex. non admiſſa 425

Apocataſtaſis, vnde Origenes illam hauſerit 457

Apologia, in illis oppugnatur philoſophia gentilis 283

Apono, Petrus de, ſtudia eius 834. hiſtoria eius multis fabulis commaculata eſt ib. an maximum ſoſtrum popoſcerit 834. inter magiae cultores refertur ib. abſolutio eius ab hoc crimine teſtata 835. aſtrologiae fuit deditus ib. eruditio eius 836 naeui eius 853. quando mortuus 837

Apoſtoli, vtrum fuerint philoſophi 255. falſo inter philoſophos referuntur 257

Aqua, vnde haud multae compoſitionis eſſe iudicatur 183

Aquila Franciae, quis ita dictus 858

Arabes, cur Saraceni dicti 3 not. varie annos computant 4 not. eorum philoſophiae fata 5 ſeqq. an omne litterarum genus illis denegandum 9. quando literae apud illos florere inceperint 24. fata philoſophiae inter occidentales Arabes 45. quare Muſtehgemi dicti 46. Sectae inter illos 50. eorum vitae conditio 129. varia eius methodus moralia tradendi 207. Phyſica eorum et Metaphyſica 172. philoſophia eorum moralis 199. adagia eorum ethica 211. prouerbia eorum ſymbolica 215. Pythagoricas ſaepe ſententias expreſſerunt 216. et ab Hebraeis et Chriſtianis hauſerunt ibid. quidnam eorum libros vertendi fuerit occaſio 681. eorum philoſophia in noſtras terras introducta 698. quibusnam ſcholaſticis parentes fuerint 701. an illis philoſophiae origo tribuenda 718

Ariſtoteles, ſcripta eius in Arabicam transferuntur linguam 35. quidam patres eccleſiae illi fauerunt 327. quo tempore Germanis innoteſcere coeperit 670. quando eius ſcripta in Latinam linguam conuerſa ib. quando eius libri ad Pariſienſes delati 672. 684. nimis Sec. XII. amatur 678 et aliis valde eſt exoſus 679. nonnulli ob nimium eius amorem haereſeos ſunt accuſati 680. eius philoſophiam in Germaniam quis introduxerit 685. philoſophia eius prohibita 695. a variis doctoribus condemnata 695. cauſſae philoſophiae eius receptae 696. not. incrementa eius philoſophiae inter ſcholaſticos in Gallia 697. dialectica eius permiſſa libri phyſici et metaphyſici prohibiti ib. tandem et hi permiſſi 698. pontificiis conſtitutionibus introducitur 705. profeſſores eius philoſophiae publici conſtituuntur 706

Ariſtotelica philoſophia, quare PP. eccleſiae inuiſa 288. Ariſtotelica ſecta, fata eius in Oriente poſt Sec. VII. 534
Arius, an haereſis eius ex ſchola Platonis 288
Arnobius qua conditione ad ſacra Chriſtiana admittitur 463. philoſophia eius ib. ſcepticis paſſim arma ſubminiſtrat 464
Ars ſcribendi, quando inter Arabes innotuerit 12
Arteria, quomodo illae exiſtant in generatione ſpontanea 177
Artes liberales, earum circulus quisnam fuerit 596. earum diſtinctio vnde 597
Aſcetae Chriſtiani vnde enati 363
Aſcharitae ſecta inter Saracenos 52. origo eius 74
Aſſimilatio entis ſupremi vnde conſequenda 194
Aſtra, illis anima rationalis ineſt 426, 453
Aſtrologia, illi operam dant Arabes 11. Arabum merita in illa 155
Aſtronomi Saracenici quinam 120. Arabum merita in illa 155
Athei ex Muhammedanis quinam 138. an Auerroes 141
Atheiſmus, an Muhammediſmus ad illum ducere poſſit 137. quonam ſenſu Dauidi de Dinanto obiici poſſit 694. an Abaelardus eius ſit reus 764
Athenagoras ex philoſopho Chriſtianus factus 401. an Platonicis fauerit dogmatibus 402. an Eclecticum philoſophandi genus in eccleſiam primus introduxerit 402. quinam Commodo apologiam tradiderit 402 not. doctrinae eius philoſophicae 403
Attributa Dei, Muhamedanorum de illis doctrinae 167
Auaritiae exemplum Thograi 90
Auerroes, nomina eius 97. patria eius et parentes 97. iurisprudentiae et theologiae operam dat 98. otio in philoſophiae, matheſi et medicinae 99. iudex et pontifex Cordubenſis eligitur 99. et Marrocci ib. iudices conſtituit per totum regnum et iuſtitiae normam praeſcribit 99. honoribus filiis ſuis decretis obſtitit ib. haereſeos incuſatur 100. lapidibus a pueris impetitur ib. in carcerem coniicitur ib. haereſeos poeniten tiam demonſtrare cogitur 101. in priſtinum magiſtratum reſtituitur 101. quando mortuus ib. laudes eius 102. Commentator dicitur 103. cantica, quae compoſuit, in ſenectute igne delet 103. philoſophorum cauſſam agit aduerſus Algazelium 103. libri eius et eorum verſiones 104. Ariſtoteli nimis deditus eſt 105 an mentem Ariſtotelis perſpexerit Graecarum litterarum ignarus 105. contrarios ſenſus Ariſtoteli ſupponit 107. medicinam ad philoſophiam attemperat 108 Graecos expilat ibid. Galenum cum Ariſtotele in concordiam redigere laborat 108. an archiater fuerit ib. an Auicennae inimicus 108. quid de eius impietate iudicandum 109. ſecta eius, quaenam fuerit ib.
Auerroiſtica ſecta, qualis fuerit 109
Auguſtinus, quinam eius hiſtoriam explicarint 485. iam in pueritia litterariis ſtudiis ſe dicat 486. Madauras proficiſcitur oratoriae artis addiſcendae cauſſa 486. a graeca lingua abhorret ib. Thagaſtam reuertitur 486. eloquentiae dat operam 486. ſacram ſcripturam prae Ciceronis facundia aſpernatur 487. quomodo philoſophiam Ariſtotelis didicerit 487. Manichaeorum partes amplectitur 488. Carthaginem abiens rhetoricae profeſſionem auſpicatur 490. aſtrologiam amare coepit ib. quomodo a Manichaeiſmo reuerſus 491. Romam petit Rhetoricam profeſſurus 492. ſcepticus factus 493. Mediolani rhetoricae profeſſionem nanciſcitur 493. ad veram Chriſti doctrinam ſe confert 494. quomodo Platonicos legerit 496. philoſophia manuducitur ad conuerſionem 499. philoſophia eius qualis fuerit 502. ſcripta eius 506. magni aeſtimatur a ſcriptoribus medii aeui 568. methodus eius 722
Auicenna, quinam eius vitam ſcripſerint 80

nomina eius 80. patria eius 81. inſtitutio eius 81. iuuenis Bagdadum mittitur ad mathematicam, philoſophiam et medicinam diſcendam 82. Logicae ſummam dat operam 82. Chalifae filium valde aegrotantem ſanat 82. in carcerem coniicitur 83. mors eius 84. patiens eſt improbi laboris 84. eius diuitiae ib. an diuinum et Platonicum quid ſcriptis eius inſit 85. princeps medicorum dicitur 85. an regio ſato ortus aut magnus Vezirius fuerit 85. mores eius 86. plagiarius eſt 86. an philoſophiae vtilitati et adiumento fuerit 87. ſcripta eius 88
Autophyes in ſyſtemate Valentiniano 291

B.

Bacon, Rogerus, quinam eius vitam ſcripſerint 817. ſtudia eius et praeceptores 818 monaſticam eligit vitam 818. naturae arcana perſcrutatur et cognoſcit ib. multa iam vidit, quae poſt aliquot demum ſeculа philoſophorum detexit curioſitas 820 eruditio eius ib. caput eius magicum loquens 821. inter magos refertur 821 ſe defendit ib. renouata magiae accuſatione in vincula coniicitur 822. ſcripta eius ib.
Bagdadi pulcherrimum conditur collegium 44
Baltus, rationes eius, quibus patres eccleſiae a Platoniſmo illis obiecto liberare ſtudet 328, 398. notatur 347
Barbaries ſeculo VII. ingruentis cauſſae 558. inter Graecos Sec. VIII. et IX. ingruit 536. eius Sec. X. exempla 634
Barbarus, ab illis omnem litterarturam ad Graecos transiiſſe vult Tatianus 380
Bardas philoſophiam inter Graecos ex parte reſtituit 537
Barnabas, eius ſtudium in allegoriis quale 277
Baſorae fuit collegium publicum doctorum inter Arabes 43
Baſra quaenam vrbs 64
Beatus, eorum ſedes quales ex Tatiani mente 393. ex Simonis Magi 394. quibusnam gradibus homo fiat beatus 456
Beda, praeceptores eius, 577. eius epitaphium ib. iuuentutem erudiuit 577. magna ei eſt eruditio 578. vnde venerabilis dictus ibid. ſcripta eius 579. in magiae ſuſpicionem adducitur 579
Bellator peregrinans quisnam ita dictus 134
Benedictus, an inſtitutionis ſcholaſticae in monaſteriis auctor 573
Berengarius ſummus Seculi XI. philoſophus 659. transſubſtantiationis dogma reiecit 660. maxima eius fuit in dialectica peritia 661. aduerſarii eius 666
Bernardus qualem ſe in controuerſia cum Abaelardo geſſerit 751. quam praecipitanter in Abaelardi cauſſa verſatus ſit 759. reconciliatur cum Abaelardo 761
Bibliothecae ab Arabibus combuſtae 30. exſtructae 47. Scorialenſis, vnde aucta 48 palatinus Apollo quaenam ita dicta 561 copioſam traducit in Angliam Theodorus Cilix 575
Bocharae fuit ſchola Arabum 43
Boëthius puer Athenas mittitur 524. octodecim ibi annos degit in ſtudia incumbens 525. Syncretiſmo philoſophico eſt deditus 525. ſcripta eius 526. medio aeuo magni aeſtimatur 566
Bonauentura, quinam eius vitam ſcripſerint 808. voto matris ſatisfaciens habitum ſumit Franciſcanum ib. ſtudia eius et praeceptores 809. munera eius ib. merita eius 810. funus eius multo honore elatum ib. inter coelites ponitur 811. doctor Seraphicus appellatur 811. theologiam myſticam excoluit ib. multa ei falſo tribuuntur ſcripta 812. typus philoſophiae eius ibid.
Bonum, quomodo Deus illud velit mente Muhamedanorum 163
Bruno, Vrbani II. R. P. praeceptor 661. ordinem Carthuſianorum inſtituit 662. an non Berengarii fuerit diſcipulus 662. ei Lanfrancus maxime obſtitit. 663

Buridanus, an ſophiſma quoddam in reginae Ioannae amores cuderit 854. quando munus doctoris obierit ib. ſcripta eius 835. pons eius aſinorum ib. eius aſinus quid 858
Bythium in ſyſtemate Valentiniano 291
Bython in ſyſtemate Valentiniano quid 291

C.

Cabbala, an Chriſtus illam ſciuerit 250
Cairi gymnaſium a Saracenis exſtructum fuit 45
Calculator, vnde nomen hoc Suiſſeto tributum 850
Campana vrinatoria iam Rog. Bacano cognita 820
Campellis, vid. Wilhelmus.
Canere qui ſcite calluit, eruditus et philoſophus putatur 571. ars canendi nimis exculta Sec. XI. 654
Cantus eccleſiaſticus, magna eius aeſtimatio 654
Capella, Martianus, magna eius aeſtimatio medio aeuo 564. quinam in eum ſint commentati 565. obſcuritas eius ib.
Caput magicum conficit Albertus M. 794. loquens ex aere conflat Rog. Baco 821
Carmina, quae compoſuit Auerroës, in ſenectute igne delet 193 not.
Carolus Calvus, merita eius in litteras 604
Carolus M. eius in litteras et philoſophiam merita 583. litteras pingere diſcit 583 quando ab Alcuino inſtitutus 584. qua occaſione litterae ſub illo refloreſcere coeperint 585. ſtudia eius 587. ſcholae ab illo erectae 591. excitat epiſcopos ad promouendas litteras 592. fruſtranei conatus eius iuuandae eruditionis 593
Carthuſiani, a quonam eorum ordo inſtitutus 662
Cauſſa, occaſionalium ſyſtema Arabibus iam fuit cognitum 185
Cauſſa prima, quare Deum ita vocare noluerint Saraceni 56
Cerebrum, quomodo generetur 177
Chaldaei Mathematici dici volunt 559
Chalcidius, an chriſtianus philoſophus fuerit 472. iudicium de religione eius 477 philoſophus ſyncretiſta fuit 480
Charis in ſyſtemate Valentiniano 291
Chateb, quinam ita dicti 10
Chawarigii ſecta inter Saracenos 52
Chriſtiani exorientium inter Saracenos litterarum cauſſa fuerunt 25. medicam artem inter illos profitentur 26. veterum philoſophia 269. quinam ex veteribus ſtudio allegorico maxime addicti 275 quare eorum doctores nomen philoſophorum retinuerint 401. quare pallium ſumſerint 414
Chriſtus, vtrum fuerit philoſophus 247. an Cabbalam ſciuerit 250. in Valentini ſyſtemate 292. quomodo natus 294. Theodoti de illo haereſis 298
Circulatio ſanguinis Nemeſium non tota latuit 531
Claudianus Mamertus, elogium eius 523 epitaphium eius ib. philoſophia eius qualis 524
Clemens Alexandrinus, an Athenis ſit natus 415. quos praeceptores habuerit 416 an vnus eorum ſectae Ionicae fuerit addictus 416. ratio philoſophandi ab illo adhibita 420. an eclectice philoſophandi viam ante Ammonium iam ſit ingreſſus 420. methodum adhibuit in ſcriptis ſuis myſtagogicam 422. lapſus et naeui eius vnde 423. cauſſam Chriſti pigmento academico haud raro illuſtrauit 427 an praeexiſtentiae animarum fauerit 271
Clerus, vitia eius multum ad eruditionis neglectum contulerunt 601
Coelibatus, vnde in primaeua religione chriſtiana commendata 364. ab Athenagora laudatur 407
Coelum corpus eſt finitum 185. eſt figurae ſphaericae ib. quot conditi ex mente Valentini 293. limitibus ſuis eſt circumſcriptum 393
Cognomina multis gaudent Arabes 63 not.
Collector, vnde Gabrieli Bielio hoc nomen tributum 854

Columna, Aegidius de, ſtudia eius et praeceptores 823. munera ib. liber eius de regimine principum in linguam Hebraeam transfertur 823. doctor fundatiſſimus apellatur ibid. principibus gratioſus eſt 824. quid de eius meritis iudicandum 835
Commendator, quis inter Arabes ita dictus 103
Comeſtor, vnde nomen hoc ortum 773
Computatio annorum apud Arabes varia 4. 12
Conceptuales, quinam ita dicti 908
Coniunctio, animae cum ſpiritu ſancto quaenam ex Tatiani mente 391
Continentia, eius praeſtantia variis praeceptis ex roſario perſico commendata 226
Conuentus eruditorum Almamon inſtituit 36
Conuerſatio, praecepta quaedam de eius virtutibus ex roſario perſico 235
Cor, quomodo generetur 177
Corbeienſis ſcholae celebritas 607
Corporeitas, quaenam ſit notio eius 184
Corpus, reſurrectio eius a Muhamedanis creditur 169
Corpus, naturalia omnia vnum ſunt 182 quomodo grauitas et leuitas ei competat 182. quomodo eorum formae cognoſcantur 182. quanam in re vniuerſa eorum multitudo conueniat 183. extenſio pertinet ad corpus 184. ex duabus notionibus conſtat 184. coeleſtium motus 186
Corruptio, vnde 189
Coſmas quamnam terrarum orbis figuram ſtatuerit 357
Creatura, qua de cauſſa Deus illas produxerit 166. omnes, quas multas putamus, vnum ſunt 182
Critica, illam patres eccleſiae non calluerunt 354
Cuſa, quaenam vrbs 64
Currus natantes iam Rog. Bacono cogniti 820

D.

Daemones, Tatiani de illis doctrina 386 quando morientur 390. a quibusnam videri poſſint 392. quidnam illi faciendum, qui vincere eos velit 392. morborum cauſſas ſibi adſcribunt 393
Damnatio, vnde eius aeternitas ab Origene negata 454, 456
Dararaei ſecta inter Saracenos 53. atheiſmi ſunt rei 140
Dauid de Dinanto, vnde errorem de Deo hauſerit 692. quo ſenſu Atheiſmus ei obiici poſſit 694
Decretum Dei, Motazalorum de iis ſententia 144. Al-Iabariorum de illis doctrina 145. Al-Naiarianorum opinio 146. Al-Aſsharitarum placita ibid.
Demiurgus in Valentini ſyſtemate 293
Deodidactus, quisnam habetur 670
Deus, cur Saracenorum quidam illum cauſſam primam appellare noluerint 56. eius attributa ab eſſentia ipſius diuerſa ſtatuit Eſciari 75. an corporeum credant Muhamedani 131. elementa eſſe putatur 138. definitio eius ex theologia Muhamedana 158. non ſubiacet decreto ib. non eſt corpus forma praeditum, nec ſubſtantia terminis circumſcripta 158. non ſimilis eſt cuipiam eorum, quae exiſtunt, nec quippiam ei eſt ſimile ib. vnde illum ſubſtantiam eſſe negauerint Arabes 159. quomodo thronum inſideat 159 omnibus rebus prope eſt ibid. non exiſtit in re aliqua, nec in ipſo res aliqua 160 ſuperioritas et ſanctitas eius 160. quomodo diſtinctus a creaturis 160. nihil eſt in eſſentia ipſius praeter ipſum neque in alio, praeter ipſum eſſentia eius 160 Deus a mutatione et diſſolutione immunis eſt, nec vlla perfectionis additione indiget 162. Apprehenſione intellectus et oculorum viſione exiſtit ib. eſt viuens et ſempiternus ib. omnia imperat et creat 162. ſcit omnia ſcibilia 163. vult quae ſunt et diſponit ea, quae de nouo proueniunt 163. ſine eius voluntate nihil fieri poteſt 164. omnia videt et audit 164. quisnam eius ſit ſermo ib. iuſtitia eius ad voluntatem eius reſtringi debet 165. ab aeterno ſolus exiſtit 166

qua

qua de cauſſa creaturas produxerit 166 quomodo ex rebus creatis agnoſci poſſit 187. omnia perfectionis attributa ei inſunt 188. Tatiani de illo doctrina, quomodo explicanda 381. Athenagorae doctrinae de illo 403. corpus ei tribuit Tertullianus 411. quantam materiam fecerit ex mente Origenis 443. potentia eius materia reſtringitur 444. ſubtile ei corpus tribui poteſt ibid. Deus eiusque perſonae, angeli et homo ſecundum animam ſunt vnius eiusdemque ſubſtantiae 445. tres ſunt hypoſtaſes in illo 445. ex ſe materiam nunquam non producit ex Originis mente 457. de illo magis rhetorice quam philoſophice agit Arnobius 464. Boëthii de Deo demiurgo verſus 525. illum eſſe omnia et omnia eſſe Deum docet Scotus Erigena 620. et Almericus 688. argumentum pro eius exiſtentia ab idea ſummi entis iam ab Anſelmo allatum 665. illum eſſe materiam primam Dauid de Dinanto affirmat 629

Dhariani quinam fuerint 140

Diabolus, pactum cum illo iniiſſe dicitur Gerbertus 650

Dialectica, quare veteribus Chriſtianorum doctoribus exoſa 353. illam ſcripſit Auguſtinus 506. quae ſub eius nomine exſtat magni a ſcriptoribus medii aeui aeſtimatur 568. ad illam vnam omnem philoſophiam refert Io. Scotus Erigena 619. ei ſoli inhaerent philoſophi Sec. X. 633. eius nomine et metaphyſica comprehenditur Sec. XI. 671. eius ſtudio Seculum XII. eſt inſigne 675. opera eius ad ſummum honoris gradum homines ſunt euecti 676. tota theologiae vis in illa quaerebatur 677, 727. maxima eius fuit gloria ib. peripateticae ſtudium Sec. XII. vehementer feruens 680

Dialectica eſt anima philoſophiae ſcholaſticae 870. apud Scholaſticos ars rixoſa fuit 871. cur tanto ſtudio a Scholaſticis exculta 872. metaphyſicae iungitur ib.

Didaſcalus, quinam ex Scholaſticis ita vocatus 714

Didymus Alexandrinus, an autor philoſophumenon Origeni tributorum 438. quaenam eius philoſophia 471

Dionyſius Areopagita et Syneſius, an vnus ſcriptor 507. quo tempore ſcripta ſub hoc nomine exiſtantia ficta ſint 521. an Apollinarius hoc nomen aſſumſerit 522 quisnam autoris ſcopus 522. magna eius aeſtimatio 623, 624.

Diſciplina morum, quaedam ſententiae ad illam pertinentes ex roſario perſico 232

Diſcipuli an apud Hebraeos ſederint aut ſteterint 250

Diſputationes de lege ſeuere prohibuit Muhamedes et quare 51

Diſſolutio vnde 189

Doctor communis quisnam ita appellatus 802. angelicus quisnam ita vocatus 802 ſeraphicus quisnam 811. fundatiſſimus quisnam 823. fundatus quis 826. illuminatus quis 840. reſolutiſſimus quis 845. planus et perſpicuus quis 856. facundus quis 865. reſolutus quis 865

Doctores, an ſoli apud Hebraeos ſederint ſtantibus ad eorum pedes diſcipulis 250

E.

Eccleſiaſticus in Valentini ſyſtemate 292

Eccleſia in ſyſtemate Valentiniano vnde orta 291

Eclectica philoſophia, an illam Athenagoras primus in eccleſiam introduxerit 402. an Clemens Alexandrinus iam ante Ammonium eam excoluerit 420. Origenis errores ex illa ſunt deriuandi 442

Efficiens, non cauſſa Deus eſt vocandus 56.

Eleemoſynae largiendae Muhamedanis commendantur 199, 203. duplex earum genus conſtituitur 203. quare illae praeſtandae ſint ex Muhamedanorum mente 203

Elementa Deus eſſe creduntur 138.

Eloquentia magni apud Arabes aeſtimatur 10. illi ſtudent Patres eccleſiae et quare 307

Elpiſtici an fuerint Chriſtiani 244
Emanatiuum ſyſtema ad id Syneſii carmina ſpectant 516. Valentinianum 291 ſeqq. vnde ortum 295. ab Origene aſſumtum 447. Io. Scotus Erigena exprimit 621
Enchiridion Epicteti, quisnam eius auctor 309
Encratitae, eorum haereſis quo fundamento nitatur 305
Ennoia in ſyſtemate Valentiniano quid 291,300
Enthuſiaſmus, eius in philoſophia Saracenica fundamenta 195
Enthymeſis in ſyſtemate Valentini 292
Epictetus, eius enchiridii auctor quis 309
Epiphanius, an philoſophumenon Origeni tributorum auctor 438
Epitaphium Claudiani Mamerti 523. Abaelardi 762. Petri Comeſtoris 773. Alexandri Haleſii 779. Nechami 786. Durandi 346. Weſſeli 862
Eremitae chriſtiani vnde orti 363
Eruditi, illis Rashidus ſummopere fauet 24 conuentus eorum inſtituit Almamon 36
Eruditi, magno honore a Carolo Caluo habentur 604
Eruditio, ad eius neglectum vitia Cleri multum contulerunt 631
Eſciari nouam inter theologos Muhammedanos ſectam condit 74
Eſſentiae quaedam ſeparatae ſphaeris coeleſtibus inſunt 196. multae tales ſunt et variae 197. diuinis nulla eſt cum corporibus connexio vel dependentia 197
Ethica, myſticam quandam Arabes commenti ſunt 154. vnde illam hauſerint 154 Saracenorum exoterica 207. Scholaſticorum qualis 899
Etymologicum Iſidori Hiſpalenſis qualis liber 570
Euclides ſtudio Thabeti Ebn Korra a mendis purgatur 70
Euſebius, quomodo eius philoſophia comparata 471
Expeditiones cruciatae, earum cauſſa fuit litterarum ignorantia 653
Experimentator quisnam ita nominatus 77
Extenſio ad corpus pertinet quatenus eſt corpus 184

F.

Facundia Caroli M, qualis 588
Facundus doctor, cuinam hoc nomen impertitum 865
Fanaticiſmus philoſophiae peripateticae Saracenorum delineatus 175
Fataliſmus inter Muhamedanos praeualuit doctores 144 ſeq. 163
Fatum Platonicum commendat Boëthius 526
Fauſtus Manichaeorum epiſcopus habetur 491. facundia naturali homines alicit ib. cum Auguſtino differens imperitiam ſuam confitetur 492
Felicitas futura, quanam in re conſiſtat 190 hominis vnde acquiratur 192 ſeqq.
Figura orbis terrarum plana creditur 357
Filius Dei quomodo a patre differat ex mente Origenis 446. miniſter patris eſt in creatione ib. eſt emanatio prima ex Deo 446. Syneſii de illo ſententia 519
Flaccus, vnde Alcuinus ita dictus 580
Floriacenſis apud Aurelianos ſcholae celebritas 608
Flos mundi quisnam ita dictus 867
Foemina, ſpeculorum vſus in illis damnatur 361. ſcholas Origenis frequentant 432
Formae corporum quomodo cognoſcantur 182. quidnam eius eſſentia 184
Formales, quaenam Scholaſticorum ſecta 910
Francia, quis eius aquila dictus 858
Fraus, quamnam de pia fouerit ſententiam Syneſius 514
Fridericus II imperator, eius cura Ariſtoteles in Germania et Italia philoſophantium vſu vulgatus 698. quot nominibus de philoſophia mereri cupiuerit 699. cur parum profecerit eius in promouenda philoſophia ſtudium 700
Fulbertus, eius eruditio 658. principibus eſt acceptus ib. dignitates eius, ib. ve-

nerabilis Socrates vocatur 658. discipuli eius ib.
Fuldensis schola a Carolo M. erecta 592 celebritas eius 606
Fundatus doctor, quisnam hoc gesserit nomen 826
Fundatissimus doctor, quisnam ita appellatus 823
Futura, sidera significare possunt 453

G.

Galenus, scripta eius in Arabicam transferuntur linguam 35
Galenus Arabum quisnam ita dictus 78
Gallia, fata Aristotelis in hac terra 672, 684, 695. sq.
Gemelhazaz, quisnam locus fuerit 46 not.
Generatio hominis sine patre et matre, quomodo fieri possit 175. a quibusnam philosophis haec spontanea credita 178
Genethliaci volunt Mathematici appellari 559
Genius, duo hominibus adesse creduntur 272, 449. vnde hoc dogma ortum 273 quinam ad idola petrahant 404. tutelares omnibus rebus praesides destinat Origenes 449
Gentiles ex parte Christum cognouisse Iustinus statuit 375
Genus totum animalium vnum est 187
Gerbertus quonam genere natus 646. disciplinarum elementa in schola Floriacensi hausit ib. in Hispaniam proficiscitur 746. multa eruditione ornatus in Galliam reuertitur 647. ab Hugone Capeto filii Roberti studiis praeficitur ib. eligitur pontifex 647. merita eius ib. calumniis infamatur 647. magnam ex matheseos peritia famam consequitur 648. discipuli eius ib. scripta eius 649 philosophus appellatur 649. magiae criminis accusatur ib. vnde fabula de eius pacto cum diabolo orta 650
Germanica lingua, eam excolit Carolus M. 588
Ghabetaei secta inter Saracenos 52
Ghabraei secta inter Saracenos 52
Giabarii secta inter Saracenos 52
Gilbertus Porretanus, vnde historia eius haurienda 768. patria eius. ib. eius praeceptores 769. magna illi est ingenii subtilitas et rationum acumen ib. honores eius 769. heterodoxiae accusatur ib. historia huius controuersiae 770 scripta eius 771. laudes eius ib.
Gnosis, vnde oriatur 294
Gnosticus quis sit ex mente Clementis Alexandrini 424
Gradus, an academicorum origines ad Lombardum referendae 767
Graeca lingua, eius vsus Christianis interdicitur 22
Graeci omnem litteraturam a barbaris accepisse fert Tatianus 380. barbaries inter Sec. VIII. et IX. ingruit 536
Graeci, philosophia inter illos ex parte a Barda restituitur 537. Seculo X. a Constantino Porphyrogenneta promouetur ib. philosophi in Occidentem dilapsi 554
Grammatica, illam scripsit Augustinus 506
Grammaticus, vnde Ioannes Philoponus ita dictus 529
Grauitas, quomodo corporibus competat 182
Gregorius M. qua ratione in litteras peccauerit 560. multum inseruiit Scholasticis 562. moralia eius infeliciter libris philosophicis substituta. ibid.
Gymnasia, quaenam artes et disciplinae in Saracenicis tradita 46

H.

Habitum philosophorum quare Christiani doctores retinuerint 401
Haeresis, ex philosophia gentili ortae 287 eius promtuarium philosophiam Graecanicam facit Tertullianus 411
Haereticus quare Thograi habetur 91. quare Auenpace 92. Algazel habetur 94 et Auerroës 100. Ibnu El Chatib Rasi 114. Simon Tornacensis 830

Hai Ebn Yockdahn, hiſtoria huius fabulae 96. cur iis, qui myſticam theologiam ſectantur, placeat 175. quisnam eius autor 178. doctrinae ex hoc libro 174 ſeqq.
Haleſius, Alexander inter doctores publicos ſacrae Scripturae Pariſiis conſtituitur 778 an Thomam Aquinatem habuerit diſcipulum 778. irrefragabilis dicitur 779 ſcripta eius ibid. eius epitaphium 779
Hamzaei quinam fuerint inter Saracenos 53
Hanifaei ſecta inter Muhamedanos 52
Hebraei, ſtudium allegoricum apud eos floruit 275
Hebraicae linguae ignari fuerunt patres eccleſiae 359
Hedo in ſyſtemate Valentiniano 291
Hegira, Arabum aera quando incoepta 5 not.
Heloiſa, foemina ſatis docta 744. amores eius et Abaelardi ib. triſte eorum fatum 746. Abaelardi coenobium Paracleti illi traditur 754
Henbalitae ſecta inter Saracenos 52
Henoſis in ſyſtemate Valentiniano 291
Hermannus, vnde Contractus cognominatus 668. qua ratione ad philoſophiam peruenerit 669. libri eius ib. Deodidactus putatur 670
Hermas, eius paſtor liber eſt ſuppoſititius 272
Hibernia, aſylum philoſophiae medio aeuo 374
Hippocrates in linguam Arabicam transfertur 40
Hiſtoria philoſophica medii aeui, ex quibus fontibus haurienda 554
Hochmath Hammedabberim quaenam ſcientia 58
Homo, vbinam terrarum ſine parentibus naſci et quomodo generari poſſit 176 quid ſit 192. corporibus coeleſtibus ſimilis eſt ib. proprietates entis neceſſario exiſtentis cur acquirere laborare debeat 192. illi proſpiciendum eſt corpori 92. actionis eius reſpectus quisnam ſit 192. felicitas eius quanam in re conſiſtat 192. cuiusnam opus ex mente Valentini 293. ex tribus partibus conſtat 294. animalis ſolum redemtione opus habet 294. immortalitatis imago factus 385. quid ſit ex Tatiani mente 392 duae in illo ſunt animae 426, 450. quilibet habet angelum tutelarem 449. duo illi praeſto ſunt angeli, bonus et malus ibid. anima eſt, non corpus ex Origenis mente 451. quibusnam modis fiat beatus 456
Honor, Algazelio profeſſori Bagdadenſi habitus 93
Hora, canonicas cum clericis decantat Robertus rex Galliae 654
Horus in Valentini ſyſtemate 292
Hydraulica, magnam ex hac arte conſequitur famam Gerbertus 648
Hypoſtaſis, quid ſit apud Origenem 445

I.

Ibnu El Chatib Raſi, ſtudia eius 113. munera inter pauperes diſtribuit 114. haereſeos incuſatur ib. abſoluitur ib. interceſſioni eius terrae regi ereptae ipſi reſtituuntur 114. capitur et in Hiſpaniam mittitur 115. ob furta in regis theſauros commiſſa et haereſin morte multatur 115 male poſt mortem habitus eſt ib. Auerrois veſtigiis gnauiter inſtitit 116. lingua fidis quare dictus 116. libri eius ib.
Idiota apud Arabes, quinam ita dicti 13
Idea, Platonicae quare patribus eccleſiae diſplicuerint 330. arrident Iuſtino Martyri 370
Idololatria, quomodo eius abſurditatem demonſtrauerit Lactantius 351
Iecur, quomodo generetur 177
Ieiunium Ramadani Mahumedanis praecipitur 199, 204
Ieſus Chriſtus vtrum fuerit philoſophus 247 ſq. an doctoris titulum aſſumſerit 254. vid. Chriſtus

Æsus in systemate Valentiniano 292
Ignatius an praeexistentiae animarum fauerit 271
Illuminatio quomodo possit distingui 812
Illuminatus doctor quisnam ita vocatus 840
Immortalitas animae, an illam negauerit Auerroës 112. a Muhamedanis asserta 167. vnde probari queat 189
Impostores tres, dictum de illis Simoni Tornacensi iniuste tributum 831
Infernum, nemo qui vnum Deum confessus est, in illo manebit 172
Inimicus, liberalitate et benignitate erga illos vsus est Auerroës 102. Inimicum Alkendus sibi facit amicum eum instituendo 69
Intellectus, doctrina sectae Auerroisticae de illo 110. agens habetur substantia separata in homine 111. est vniuersalis ib.
Intentio, religionis Muhamedanae fundamentum ponitur 199. an hanc Muhamedes praescripsit 200
Interpres nominatur κατ' ἐξοχήν Honain Ebn Isaac 29
Ioanna, regina Galliae, in eius amores sophisma quoddam a Buridano profertur 854
Ioannes, an doctrinam de λόγῳ a Philone mutuum acceperit 258
Ioannes Damascenus, eius cognomina 534 vitam eius quis scripserit 535. philosophiae et matheseos est peritus ib. vitam aulicam cum monastica commutauit 535 inter primos systematum theologicorum conditores refertur ibid. quo sensu inter parentes philosophiae scholasticae referendus 723. Philoponus vnde ita dictus 529. Aristotelem interpretatur ibid. contra mundi aeternitatem disputat ib. Platonem non totum neglexit 529. Iamblichum aggreditur ibid. quando vixerit 530. Sarisberiensis, inter praecipua medii aeui ornamenta refertur 773. paruus dicitur ibid. studiorum caussa in Gallias migrauit ibid. praeceptores eius 773 eius eruditio 775. sententiae eius de philosophia et philosophis sui temporis 776. ob defensionem auctoritatis pontificiae ab Angliae rege in exilium mittitur 777. post septennium in Angliam rediit ibid. quando obierit 777. scripta eius ib. perperam inter plagiarios refertur 778
Irenaeus, eius Platonismus 341, 408. eruditione graeca non satis est instructus 408
Irrefragabilis quisnam ita dictus 779
Isidorus Hispalensis, laudes eius 570. eius etymologicum qualis liber ib. merita eius 571
Islamismus, quid sit 9 not. philosophiae est inimicus 130
Iudaei, ab illis theologia philosophica ad Arabes transiuit 34. studium allegoricum apud eos floruit 275
Iudicium extremum, Muhamedanorum de illo sententiae 170
Iureconsulti, eorum apud Muhamedanos secta quaenam 98
Ius naturae et gentium Scholasticorum quale 900
Ius, pontificii origo 655. compilatio eius a Gratiano philosophiae obfuit 707, 887 malo fidere in cathedris publica auctoritate explicatur ib.
Iustinus Martyr, quomodo ei philosophia parauerit viam ad Christianam religionem amplectendam 368. primo Stoicum audit 368. ad Peripateticum se confert 369. a Pythagoreo repellitur 369. Platonicum eligit 370. ideae Platonis illi arridēt 370. solitudinem sectatur ibid. ex colloquio senis cuiusdam Christianus factus philosophus 371. Platonis doctrinam cum Christiana concordare credit 371. sententia eius de salute philosophorum gentilium 372. sententia eius de λόγῳ 373. non a Platonismo liberandus 376. doctrina eius de angelis 377. an euersiones Aristotelicorum dogmatum scripserit 378. quando martyrium obierit 378
Iustitia Dei Muhamedanorum de illa opinio 164. quinam iustitiam tenere possint 469

Iuuentus, mores eius ex quibusdam perſici roſarii ſententiis expoſiti 230

K.

Kadarii ſecta inter Saracenos 52
Kadraei ſecta inter Saracenos 53
Karmataei inter Saracenos quinam fuerint 53

L.

Lactantius, idololatriae abſurditatem quomodo demonſtrauerit 351. quid de eius philoſophia ſentiendum 465. pia fraude ſaepius in refutandis gentilibus vtitur 466. in ſcepticorum caſtris militat 466 an philoſophiam gentilem ſolidis rationibus oppugnauerit 466. grauiter in philoſophiam peccat 467
Lanfrancus, an philoſophiae ſcholaſticae origo ab illo deriuanda 716
Lapis vnde iactus eorum in vallem Mina, in peregrinationibus Mahumedanorum ſacris, ſolemnis 205. philoſophicum tenuiſſe creditur Albertus M. 797. et Arnoldus Villanouanus 841
Lectiones Algazelii a ſummis et imis magno applauſu frequentantur 94
Leo Iſaurus, eius barbaries erga eruditos 536
Leo philoſophus, ſtudia eius 539. ab Agarenorum principe in aulam inuitatur 539 ceteris magiſtris praeficitur ib. illi praecipue reſtauratio litterarum Sec. IX debetur 540
Leo VI cur ſapiens dictus 543. an Conſtantini Manaſſis elegia de Leone ad illum ſpectent 542. an oracula XV de futuris imperatoribus illi debeantur 542
Leodienſis ſcholae celebritas 609
Leuitas, quomodo corporibus competat 182
Lex apud Muhammedanos duplex eſt, ſcripta et non ſcripta 69
Libri bene multi ab Arabibus combuſti 30 eruditos varia lingua ſcriptos coëmit Almamon princeps Arabs 34. Graecos facta verſione Arabica comburi iuſſit Almamon 38. ſupponuntur viris Apoſtolicis 272
Lingua, eius elegantiam ſtudent Arabes 11 Graeca interdicitur Chriſtianis 22. Arabica introducitur ib. Auguſtini, quinam ex ſcholaſticis ita vocatus 714. fidis, quisnam ita dictus 116. Germanicam ex colit Carol. M. 588. Hebraicae, patres eccleſiae fuerunt ignari 359
Literae, profanas valde contemnit Gregorius M. 561. Caroli M. in illas merita 584. earum facies ſeculo X. 632. earum praeſidio ſeculo X fuerunt Ottones 637. earum ſtatus Sec. XI. 652
Literatura, omnem a barbaris accepiſſe Graecos vult Tatianus 380
Logica Thabeti Ebn Korra magni aeſtimatur 71. quinam Saracenorum illam illuſtrauerint 62. merita Saracenorum in illa 153. quaenam cauſſa illam veteribus Chriſtianorum doctoribus fecerit exoſam 352. Scholaſticorum qualis 892
Logos, an Ioannes doctrinam de illo a Philone mutuum acceperit 258. in ſyſtemate Valentiniano quid et vnde 291. Iuſtini ſententia de illo 373. Theophili 396. Athenagorae de illo ſententia 404 Clementis Alexand. 426. Origenis de illo ſententia 446
Lombardus, Petrus, primus philoſophiae ſcholaſticae autor dicitur 717, 728. patria eius 764. an ex illegitimo thoro prodierit 765. an primus theologiae doctor publicus in Academia Pariſienſi fit conſtitutus 765. magiſter ſententiarum vnde dictus ib. an ſcholaſticorum veſaniae occurrat 766. plagii accuſatur ib. ſcripta eius cur placuerint 766. an graduum academicorum origines ad eum referendae 767
Loquentes, quaenam ſecta apud Arabes 58 vnde nomen acceperit 59. Rationales ſeu rationaliſtae dicuntur 60. ſpecimen de illis 141
Lotio Muhammedanis valde commendata 199, 207
Ludouicus Pius, merita eius in literas 603 multae ab illo ſcholae erectae 605
Lugdunenſis ſcholae celebritas 606

Lumen diuinum ſupramundanum in philoſophia Saracenica 196
Lux mundi quisnam ita dictus 862

M.

Macaria in ſyſtemate Valentini 292
Macariotes in ſyſtemate Valentiniano 292
Magdeburgum, ſchola ibi inſtituta 644
Magia, illius criminis accuſatur Gerbertus 648. Albertus M. 796. Rog. Bacon 821 Petrus de Apono 834. Villanouanus 842
Magiſter doctores theologiae ita nominati ſunt 767
Magiſter abſtractionum quis ita appellatus 840. contradictionum quis 862. ſententiarum quis 765
Malum, quomodo Deus illud velit mente Muhamedanorum 163. an Deus eius ſit autor 164. eius origo Auguſtinum facit dubium 495
Manichaeiſmus vnde ortus 489
Marocii Academia fundata 48, 99
Materia corporis quae 184. Tatiani de illa doctrinae explicatae 384. quantam Deus creauerit 443. vniuerſa in meliorem redigetur ſubſtantia 445. ex Deo ſemper producitur 457. quid Arnobius de illa ſtatuerit 463
Mathematici Saracenici quinam 120. hoc nomine volunt dici Aſtrologi et Chaldaei 559. odium aduerſus illos ad Chriſtianos tranſit 560
Matheſis Saracenorum in illa merita 155 obiectum eius quidnam 873
Matrimonium, pro fornicatione a Tatiano habetur 395
Medabberim quaenam ſecta inter Saracenos 58, 141
Mediatores inter Deos et homines quinam fuerint apud Zabios 126
Medicina, eius apud Arabes ſtudium quale fuerit 14. a Chriſtianis apud Arabes colitur 26. quomodo Alexandriae culta 46. rationalis quisnam inter Arabes illam reuocauerit 92
Medicus, maximum ſoſtrum quisnam popoſcerit 834
Melchitae, quinam ita dicti 19
Melkitae ſecta inter Saracenos 52
Membrum, quando eius actio ceſſat 180
Menogenitos in Valentini ſyſtemate 292
Merces, illam pro inſtitutione petere infra dignitatem putabatur 369
Meſue, Ioannes, quando vixerit 28. illi initia philoſophiae inter Arabes inualeſcentis debentur ib. an publice docuerit 29
Metaphyſica quaenam ſcientia apud Saracenos 59. quinam eorum illam illuſtrarint 62. in illa ſatis ſubtiliter philoſophati ſunt Arabes 153. quaenam fuerit apud Saracenos 172. dialecticae nomine ſec. XI comprehenſa 671. obiectum eius quidnam 813. ſcholaſticorum 897
Metenſomatoſis Origeni poteſt tribui 452
Methodus arcana a Clemente Alexandrino in ſcriptis ſuis adhibita 422
Metricos in ſyſtemate Valentini 292
Michael Epheſius an cum Michaële Pſello vnus idemque 543. an pro Michaële Duca habendus 544
Mixis in ſyſtemate Valentiniano 291
Moatazalae ſecta inter Saracenos 52
Moderatio irae in Alkendo eximia 69
Monaſteria aſyla philoſophiae ſed miſera 572
Monogeneos in ſyſtemate Valentini 292
Moralia Gregorii M. diuina reuelatione reperiuntur 562
Moralis philoſophia Saracenorum an a Muhammede aucta et culta 198. doctrinae eius apud Muhamedanos capita 199 ſqq. patrum eccleſiae qualis fuerit 539. illam ex patribus primus in compendium redegit Ambroſius 359. abſurdus nimiusque patrum in illa fuit rigor 360. illam philoſophia Alexandrina corrupit 361. eius diuiſio 873
Morbus, eorum cauſſas daemones ſibi adſcribunt 393
Mores praecepta quaedam ad illos pertinentia ex roſario perſico 232
Morgii ſecta inter Saracenos 52
Mori in ſyſtemate emanatiuo quid 390
Mors, illam contemnit Thograi 91. quando eueniat 180. pauperum quid 253
Mortuus virgis caeſus reuiuiſcit 79

Muhammedes, literarum eſt ignarus 130. an ad philoſophos referendus 13, 131. legem tulit, ne quisquam muslemorum liberales artes diſceret 15. quare 133. vnde doctrinam ſuam corraſerit 16. diſceptationes de lege prohibuit 51. cur a rerum philoſophicarum explicatione abſtinuerit 198. an moralem philoſophiam Saracenorum auxerit atque coluerit 198. apoſtolus Dei habetur 199
Muhammediſmus an ad Atheiſmum ducere poſſit 137
Mulier praua in aedibus boni viri quid 225
Mundities in illa fundata eſt Muhammedana religio 201
Mundus, argumenta quaedam contra eius aeternitatem 186. non per ſe potuit prodire 187. aeternum requirit motorem ſiue aeternus ſit, ſiue minus 187. eius corruptio quanam in re conſiſtat 197. vnde ortus ex Tatiani ſententia 385. qualem habeat ſpiritum ex Tatiani mente 386 ex Deo genitus eſt velut ex patre filius 426. dantur duo ſenſibilis et intelligibilis 426. quare factus 447. huic ſuccedet alius et illi alius 457
Muſica, ſeculo XI philoſophiae nomine exculta 654. noua eius ſcala a quonam inuenta ib.
Muſtehgemi quare Arabes ita dicti 47

N.

Maſiroddinus, in obſeruationibus aſtronomicis faciendis celeberrimus 117. libri eius ibid. magni aeſtimatur ib. literas inter ipſos Tartaros promouet 117
Naturalis philoſophia, illius rudes fuere patres eccleſiae 359. Lactantii in illa naeui 468. eius diuiſio 813
Nauis, volantes iam Rog. Bacono cognitae 820
Necromantia, in illa verſatiſſimus dicitur Berengarius 659. et Albertus M. 793
Nemeſius, quando vixerit 530. eruditio eius non vulgaris 531. ſanguinis circuitus illum non totus latuit 531
Nilus, an Stoicorum diſciplinam in eccleſia traduxerit 308. an enchiridii Epicteti auctor 309
Nobiles quare medio aeuo artes liberales neglexerint 600
Nomen philoſophorum quare Chriſtiani doctores retinuerint 401
Nominales, eorum conditor quis 674, 907 quanam in re eorum opinionem mutauerit Abaelardus 738. eorum reſtaurator eſt Occam 847. ſcriptores hiſtoriae eorum ſectae 904. contentiones inter illos et Reales quaenam et vnde 904. a quonam dogmate nomen illis haeſerit 907
Nothus an Lombardus fuerit 765
Nuptiae ſecundae a patribus reiectae 360 ab Athenagora 407
Nus in ſyſtemate Valentiniano 291

O.

Occam, Guilelmus, Scotum audit 846. pene ſepultam ſectam Nominalium reſuſcitat 847. auctoritati pontificis ſe opponit ib. anathemate percutitur 847. ad Ludouicum imperatorem ſecedit cauſſamque eius aduerſus papam defendit 848 ſcripta eius et de illis iudicium 848
Occamiſtae, ſecta Scholaſticorum quaenam 903
Ommiadarum familia vnde nomen acceperit 21
Omniſcientia, inter illam et ſcientiam Dei per eſſentiam diſtinguunt Muhammedani 161
Orationes conſtanter celebrandae Muhammedanis commendantur 199. eſt religionis columna, qua ſublata ruit religio et eſt clauis paradiſi 202
Oratores, magni apud Arabes aeſtimantur 19
Orbis terrarum, eius figura plana eſſe ſtatuitur 357
Ordo Carthuſianorum a quonam inſtitutus 662
Organa hydraulica a Gerberto facta 648

Orientalis philoſophia, ex illa Valentiniani ſyſtema eſt ortum 297. illi Tatianus eſt addictus 381. ex illa Origenes hauſit ſuos errores 458. anſam praebuit erroribus Manichaeorum 489. a Ioanne Scoto Erigena in eccleſias occidentales introducitur 618

Origenes philoſophiam Ammonii in eccleſiam introduxit 427. vnde Adamantini nomen acceperit 428. ſtudia eius 429 an gentilis natus ad Chriſti caſtra transfugerit 430. an Ammonium audire nequiuerit 430. grammaticam et philoſophiam docet 431. priuatae catechumenorum inſtitutioni iuuenis praeficitur 431. Clementi ſucceſſor datur 431. foeminae quoque eius ſcholas frequentant 432. nimis auſterus eſt 432. per Achaiam iter facit et philoſophos docentes adit 432. methodus eius docendi 433 diſcipuli eius 436. eius laudes 437. eius philoſophumenων hiſtoria et de illis iudicium 437. eruditio eius philoſophica, qualis fuerit 440. gentiles quoque philoſophi eum magni aeſtimarunt 441. errores eius vnde enati 442. ſyſtema eius philoſophico-theologicum 443. an errores eius defendi aut excuſari poſſint 459

Osnabruga, ſchola a Carolo M. ibi erigitur 592. ſingulari priuilegio illi conceditur ius Graecas et Latinas litteras docendi 593

Otto Friſingenſis, an verſiones Arabicas Friderico ſuppeditauerit 684. parentes eius 685. doctoris theologiae gradum obtinet ibid. philoſophiam peripateticam in Germaniam introducit 685

Ottones, imperatores, eorum merita in litteras 637

Oxonia, ſchola ibi conditur ab Alfredo 610

P.

Pactum cum diabolo iniiſſe dicitur Gerbertus 650

Palatinus Apollo, quid ita dictum 561

Palingeneſia vnde orta 456

Pallium, quare a Chriſtianis ſumtum 414

Pantaenus, Clementis Alexandrini praeceptor 417. vtrumne Stoicus an Pythagoraeus fuerit 418. ſyncretiſticam philoſophiam eſt ſecutus 419

Paracletus in ſyſtemate Valentini 292

Pariſii, ſcholae a Carolo M. ibi erectae conditio 592

Paruus, quisnam ita dictus 773

Patientia Auerrois ſingularis 102. quantopere illam commendet Lactantius 470

Patres eccleſiae, argumentum de eorum philoſophia difficile 269. quaenam illis de philoſophia gentili fuerit opinio 281 omnes philoſophorum ſectas ſunt aggreſſi 284. haereſium ex gentili philoſophia ortarum cauſſa, ipſam philoſophiam oderunt 287. quosnam in vſus philoſophiam poſtliminio receptam adhibuerint 303 eloquentiae quare ſtuduerint 307. philoſophiam gentilem cum cautione in vſus Chriſtianos traduxerunt 310. quaenam vera eius de philoſophia gentili fuerit ſententia 312. diuerſae eorum de philoſophia gentili voces conciliatae 321 nulli ſectae nomen addixerunt 323. quare philoſophia peripatetica illis peroſa 324. Epicuream philoſophiam quare deteſtauerint 326. quinam eorum philoſophiam Ariſtotelicam amauerint 327. Platoni fauerunt 328, 331. cur Platonis philoſophumena laudauerint 335. quo ſenſu eorum Platoniſmus aſſeratur 338. Ante-Nicaeni a Platoniſmo non immunes 340. diſputationes eorum non ſatis accuratae, ob ratiocinandi imperitiam 349 quare logicam parui aeſtimauerint 352 ignorantia eorum in arte critica 354. ſtilus eorum affectatus eſt et allegoricus 355. phyſicam ſcientiam prorſus neglexerunt 356. eorum philoſophia moralis qualis fuerit 359. linguae hebraicae ignari fuerunt 359. abſurdus nimiusque eorum in doctrina morali fuit rigor 360. quidnam de eorum philoſophia iudicandum 364. eorum

364. eorum philoſophia poſt conditam ſectam eclecticam 427. quinam ſeculo quarto philoſophiae fuerint periti 462
Patricos in ſyſtemate Valentini 292
Paulus, an philoſophus fuerit 260. an in Gamalielis contubernio fuerit 261. an quaedam ex ſecta Platonica hauſerit 264,266
Pelagianiſmus, illi fauet Duns Scotus. 826
Peregrinationes religionis cauſſa ſuſcipiendae Muhamedanis commendantur 199, 204. hic ritus ab Arabibus deriuandus 205. quid ſignificet ibid.
Peripatetica philoſophia quare patribus Eccleſiae peroſa 324. ab Anatolio exculta 459. ab Ottone Friſingenſi in Germaniam introducta 685
Perſcrutator quisnam ita dictus 841
Perſona quid ſit apud Origenem 445
Perſpicuus doctor quis 836
Petrus Comeſtor, hiſtoria eius ſcholaſtica qualis liber 772. vnde cognomen nactus 773. epitaphium eius ibid.
Petrus Hiſpanus, laudes eius 815. melior medicus quam Papa ibid. litteris et litteratis ſe beneuolum praeſtat 816. triſtis eius vitae exitus ib. ſcripta eius 817
Philoſophia, Saracenicae fata 5 ſeqq. cur illi in Alcorano nullus ſit locus 17. quare eius ſtudium Saracenis non arriſerit 20 inter omnes pene Aſiae gentes colitur 42. quinam Saracenorum de philoſophia in genere meruerint 62. Saracenica, ante Islamiſmum nulla 123. nec Islamiſmi introductione eſt promota 130 ſub Abbaſidis demum introducta, ſed infeliciter 134. adhibita eſt ad incruſtandum et pingendum Islamiſmum 135. illam ſectae corruperunt euerteruntque 143. a fatis philoſophiae inter Chriſtianos triſtem euentum accepit 148. damnum illi iniecere verſiones philoſophicorum ſcriptorum ineptae 149. damna philoſophiae inde emergentia inter Chriſtianos 151. conditio eius 152. tota ex Graecis hauſta 152. licet manca fuerit tamen laudanda eſt 156. fanaticiſmus eius 175. ſenſu eminentiori ita vocatur Chriſtiana religio 242. varia eius ſignificatio apud veteres Chriſtianos 246 apoſtolici viri ab illa abhorruerunt 269 Aegyptiacae mature in eccleſiam portam aperuit Allegoria 274. ſeculo II. in eccleſiam eſt introducta 278. patrum eccleſiae veterum de gentili opinio 281. gentilis in apologiis veterum Doctorum eccleſiae oppugnatur 282. haereſes ex illa ortae eam exoſam PP. reddiderunt 287 quosnam in vſus illam PP. eccleſiae adhibuerint 303 ſeqq. ob eloquentiae ſtudium a patribus colitur 307. cum cautione in vſus Chriſtianos traducenda eſt 310. vera patrum de illa ſententia 312. diuerſae patrum de illa voces conciliatae 321 quidnam de patrum philoſophia iudicandum 365. Iuſtino viam ad amplectendam Chriſtianam religionem parauit 368 Graecos illam a barbaris accepiſſe vult Tatianus 380. Graecanicam haereſeos promtuarium facit Tertullianus 411. ducit Auguſtinum ad conuerſionem 499 eius inter Chriſtianos occidentales ſtatus 523. magnum vulnus ei inflixit Gregorius M. 560. facies eius Sec. VII. in Occidente 569. Seculo VIII. 571. eius aſyla medio aeuo 572. quare medio aeuo in curſu artium neglecta 599. conditio eius Sec. IX, 601. facies eius Sec. X. 632. eius ſtatus Seculo XI. 652 et 671 Sec. XII. ad XIV. 575. Sec. XIV. et XV. 704
Philoſophumena Origeni tributa, quid de illis iudicandum 437
Philoſophus ἀυτοδίδακτος, fata huius libri 96
Philoſophus, an Ieſus Chriſtus fuerit 247 cur Chriſtianis ſacris ſe addixerint philoſophi 279. eorum ſectae DD. eccleſiae ſunt aggreſſi 284. infra eius dignitatem putabatur mercedem pro inſtitutione petere 369. quare eorum nomen et habitum retinuerint Chriſtiani doctores 401

401. κατ' ἐξοχήν quis ita dictus 649
Photius, vitam eius quis scripserit 540. inter restauratores eruditionis in Graecia refertur ib. multorum librorum philosophicorum notitiam ei debemus 540 munera eius gesta 541. imperatoris Basilii filios erudiuit 541. solamen eius in calamitatibus ib.
Physica, quinam Saracenorum in illa excolenda celebres sint 62. Arabum quaenam fuerit 172. peripateticismus in illa 173. illam patres ecclesiae prorsus neglexerunt 356. quidnam consideret 813 scholasticorum qualis 894
Physiologus, iudicium de hoc libro 358
Pistis in systemate Valentiniano 292
Plagiarii sunt medici Arabes fere omnes 78. an Io. Sarisberiensis inter illos referendus 778. Lombardus iis annumeratur 766. et Thomas Aquinas 807
Planetae, ad eorum cultum symbolicum veteres Arabes in peregrinationibus religionis caussa susceptis respexerunt 205 sq.
Planta, earum et animalium genus vnum quid est 187
Planus doctor, quis 856
Plato, illi patres ecclesiae valde fauerunt 328 seqq. illius ideae patribus eccl. displicent 330. eius respublica a patribus carpitur ib. quando a primis Christianis doctoribus laudatus, quando reprehensus 331. cur illum reliquis philosophis praetulerint P P. 331. cognitionem sacrarum literarum habuit 333. cur patres ecclesiae philosophumena eius laudauerint 335. secta eclectica illum patribus commendauit 337. illum cum Mose conspirare, vult Clemens Alexandrinus 423 idearum doctrinam a Mose accepisse traditur 426. illum sequitur Arnobius 464. multum valet apud Augustinum 496,503
Platonica secta, seculo II inter Christianos valde celebris fuit 396. fata eius in Oriente post seculum VI. 533
Platonismus patrum illum Baltus negat 328 quo sensu asseratur 338. patres Ante-Nicaeni ab illo non immunes 340. Irenaei 341, 408. quid de illo statuendum 343. an ab illo Iustinus liberari possit 376. illi Theophilus est addictus 399 et Athenagoras 402, 406. et Clemens Alexandrinus 424. Augustinus 503. Synesius 515. illum exprimit Boëthius 526. illi adhaeret Aeneas Gazaeus 527 Zacharius Scholasticus 528
Pleroma, quid in systemate Valentiniano 291
Poena, vnde aeternae ab Origene negatae 454,456
Poesis, eius apud Arabes aestimatio 10, 41. vnde Arabes illi fuerint dediti 207
Poeta, eorum honos apud Arabes 11, 41
Politica scholasticorum qualis 901
Pons asinorum quid 855
Populus libri, quinam fuerint apud Arabes 13
Porphyrius, scripta eius philosophiae scholasticae ansam praebuerunt 723
Praeexistentia animarum, an illi fauerit Clemens Alexandr. 271. an Ignatius ib.
Praemium pro institutione poscere infra dignitatem habebatur 369
Principes Saracenorum litterarum et philosophiae promotores 39
Principia duo an statuerit Valentinus 299
Proarche in systemate Valentiniano 291
Promotiones academicae a scholasticis ortae 889
Propator in systemate Valentiniano 291
Prouerbia Arabibus solemnia 207. symbolica Arabum 215. saepe Pythagoreorum sententias expressserunt 216
Psellus, Michael, sen. inter primos inualescenti inter Graecos barbariei se obiecit 538. gentilismi accusatur ib. opuscula sub eius nomine existantia vtrum illi an iunioti tribuenda 538
Psellus, Michael, iun. quando vixerit 550 patria eius atque parentes ib. plus suomet ingenio, quam praeceptorum institutione didicit 550. communis Graecorum

rum praeceptor habetur 551. in vniuerſam eruditionem exſpatiatus eſt 552. negotiis publicis adhibetur 552. imperatorem inſtruit ib. id vitio ei vertitur 552 autoritas eius imminuitur ib. Ioannem Italum aduerſarium nanciſcitur 552. ſenex monachi habitum induit 553. quaenam eius fuerit philoſophia ib.
Pſychologia Tatiani explicata 389
Pullus, Robertus, quando vixerit 767. Oxonii theologiae ſtudium reuocat ibid. purpuratorum eccleſiae Rom. albo adſcribitur 767. Academiam Oxonienſem multis priuilegiis auget ib. eius libri ſententiarum valde ſe commendarunt 767
Puluis pyrius iam Rog. Bacono cognitus 820
Purgatorium animarum ex mente Origenis quale 455

Q.

Quadratura circuli, illam explicare ſtudet Rog. Baconus 820
Quadriuium quid fuerit medio aeuo 594 pauciſſimos cultores habuit 598
Quaternio Alexandrinorum trinitati chriſtianae a Syneſio adaptatur 515
Querulus eſt Thograi multas diuitias poſſidens 90

R.

Rabanus Maurus, patria eius 612. vnde nomen Mauri acceperit ib. ſcholaſticus Fuldenſis conſtituitur 612. diuinam et humanam philoſophiam docet 613. ex coenobio eiicitur ib. ad Lotharii aulam ſe confert 614. ad ſedem Moguntinam euehitur ib. laudes eius 614
Ratio, illam confundit Lactantius cum reuelatione 467
Rationalis philoſophiae diuiſio 813
Rationaliſtae, quinam ita dicti 60
Reales, hiſtoriae huius ſectae ſcriptores quinam 904. contentiones inter illos et nominales quaenam et vnde 904. eorum hypotheſis Spinoziſmi ſuſpecta nonnullis videtur 912
Rectum tripliciter dicitur 814
Religio, chriſtiana philoſophia eſt ſenſu eminentiori 242. philoſophiae nomen illi eſt tributum 243. improprie philoſophia dicitur 244. an Auerroes illam ſpreuerit 109. fata eius ex ſideribus pendere ſtatuit Abu El Maaſar 121. an Zabiorum fuerit philoſophica 125. an Muhammedana ad Atheiſmum ducere poſſit 137 Muhammedana difficilibus diſputationibus et incertis hypotheſibus fertilis fuit 147. in munditie fundata eſt Mahumedana 201. philoſophiae anteponenda 283. haereſes in illam ex philoſophia gentili illatae 287. Chriſtiana, ad illam amplectendam philoſophia Iuſtino viam parauit 368
Religioſus praecepta de eorum moribus in roſario perſico extantia 223
Remenſis ſcholae celebritas 608
Reminiſcentia, Boethii de illa verſus 526
Res, omnium origo quaenam ex Tatiani mente 384
Reſolutus doctor quis hoc nomen geſſerit 865
Reſolutiſſimus doctor quis ita appellatus 845
Respublica Platonis a patribus eccleſiae carpitur 330
Reſurrectio animae et corporis a Muhamedanis creditur 169. corporis, inter populares errores illam refert Syneſius 519
Reuelatio, illam cum ratione confundit Lactantius 467
Rex, praecepta de eorum moribus in roſario perſico propinata 217. muſicam excoluerunt reges eccleſiaſticam Sec. XI. 654
Ritus, in Mahumedanis cultus mentalis requiritur 200
Robertus, rex Galliae horas canonicas cum clericis decantat 654
Romani in hiſtoria Saracenica quinam ita dicti 36 not.

Rosarium perficum recensio huius libri 208
sylloge praeceptorum moralium huius libri 217
Roscellinus, eius in explicanda trinitate error 673. primus Nominalium fuit conditor 674. an ex Aristotelica philosophia hauserit errorem ibid. an philosophia scholastica ab illo deriuanda 716

S.

Sabaei, sectae huius instituta 70
Sacella Zabiis quid 126
Sacra scriptura, quotuplex eius lumen 813 quomodo omnis cognitio referatur ad illam 814
Sadi, quando vixerit 208. a Christianis capitur ib. a viro quodam nobili redimitur ib. eius rosarii scopus atque ratio 208
Safas apud Arabes quis 206
Sanguis, eius circulatio Nemesium non tota latuit 531
Sapientia Dei quomodo occultetur in omni cognitione 814
Saraceni, vnde dicti 3 not. eorum philosophiae fata 5 seqq. fontes historiae philosophicae eorum 5. status litterarum et philosophiae ante Islamismi tempora 8. status philosophiae apud illos tempore nascentis Islamismi 15. sub familia Ommiadarum 21. sub familia Abbasidarum ib. causae exorientium inter illos litterarum et philosophiae 25 progressus philosophiae apud illos 39 eorum scholae in Oriente 43. sectae inter illos 50. a quibus theologia philosophica ad illos transiuerit 54. 135. natura et indoles philosophiae eorum 123 seqq.
Scala musica, a quonam noua inuenta 654
Sceptici inter Saracenos quinam 58. illis arma subministrat Arnobius 464. in eorum castris militat Lactantius 466. ad illos se confert Augustinus 493
Scepticismus inter Muhammedanos secta lo-quentium introducitur 141. illum promouet Duns Scotus 828
Schafaei secta inter Saracenos celebris 52
Schamrachaei secta inter Saracenos 52
Schola palatina Caroli M. quaenam eius aestimatio 590. quasnam Carolus M. erexerit 591. vt ecclesiis cathedralibus iungerentur Carolus autor est 593. earum fata Sec. IX. 605
Scholasticus, varia vocis significatio 709 quid sit 711. pro veris philosophis haberi non possunt 713. tres eorum aetates 731. prima aetas eorum 733. secunda 787. tertia 845. cur dialectica eristica ab illis tanto studio exculta 872. Aristotelem vnice amant 885. nec intelligunt 886. cur sola philosophia peripatetica illi placuerit ib. ad maximas dignitates euehuntur 888. tituli eorum splendidi 889. magna inter illos sunt ingenia 890. Logica eorum qualis 892 eorum physica 894. metaphysica 897 theologia naturalis 898. ethica 899. ius naturae et gentium 900. politica 907 eorum sectae 902
Scholastica philosophia eius inter Muhamedanos origo 54. vnde dicta 675. vtrum a Saracenorum philosophia deriuanda 687 701. errores inde exorti enataeque inde controuersiae 687. causae philosophiae huius receptae 696. Arabico-scholasticae facies depicta 702. fontes eius historiae 709. eius origines 714 seqq. facies eius 721. tres eius aetates 731 generalis eius idea 869. eius anima est dialectica eristica 870. haec dialectica non rationalis philosophia sed ars rixosa fuit 871. metaphysicam dialecticam iungit 872. innumeras gignit logomachias 873. theologiam corrumpit 875. omnia inter se miscet 874. emolumentum cleri et hierarchiam ecclesiasticam promouet 876. nimiam et inutilem affectat subtilitatem 875. abstractionibus et praecisionibus mentalibus omnia replet 879. scepticismum fouet 880. atheismi impietas theoretica inde oritur 882. et practica

883. barbariem fermonis cum barbarie cogitationum iungit 883. elegantiorem literaturam negligit 884. Ariſtotelem inſano amore amplectitur 885. nec intelligit 886. cur philoſophia peripatetica illi ſola accepta 886. a Saracenica philoſophia magis corrumpitur 887. et iure canonico quoque 887. ſectatores ſuos ad maximas promouet dignitates 888. et fulgentiſſimis ornat titulis 889. honores academici ab illa orti 889. mores corrumpit 890. ſpecialis eius delineatio exhiberi nequit 891. ſectae eius quales 902

Scientia Dei per eſſentiam, inter illam et omniſcientiam diſtinguunt Muhamedani 161

Scorialenſis bibliotheca vnde aucta 48

Scotiſtae, quaenam ſcholaſticorum ſecta 902 vnde orti 828

Scotus, Io. Duns, patria eius incerta 825 ſtudia eius et praeceptores 826. ingens illi eſt auditorum numerus 826. doctrinae typum variat ib. a Thomae doctrina diſcedit ib. Pelagianiſmo fauet 826 immaculatam Virginis b. conceptionem tuetur 827. ſolenni pompa Colonienſes ei obuiam procedunt 827. an viuus ſit ſepultus ib. ſcripta eius 828. doctor ſubtilis vocatur ib. epitaphium eius 828 ſcepticiſmum promouet ibid.

Scotus, Io. Erigena, patria eius 614. an in Orientem ſit profectus 615. eruditio eius vnde acquiſita 615. ex Anglia in Galliam euocatur ibid. grauis ei enaſcitur perſecutio 616. Dionyſii Areopagitae libros in linguam latinam e graeca transtulit 616. ob id Romam euocatur ib. an in Anglia obierit 617. philoſophiam orientalem in eccleſias occidentales introducit 618. libri eius de diuiſione naturae ib. qualis fuerit eius philoſophia 619. ſyſtema emanatiuum exprimit 621

Scrutinium ſepulchri apud Muhamedanos quid 168

Scythae philoſophiae dederunt operam 43

Sectae inter Saracenos quaenam 50. a quonam tempore deriuandae 53. philoſophiam euerterunt corruperuntque 143

Secta Auerroiſtica qualis fuerit 109

Secta, omnes veterum philoſophorum a D D. eccleſiae oppugnatae ſunt 284. ſcholaſticorum 902

Seneca an Pauli fuerit diſcipulus 267

Senectus, eius imbecillitates ex quibusdam perſici roſarii ſententiis declaratae 231

Sephatii, ſecta inter Saracenos 52

Seraphicus, quisnam ita appellatus 811

Sharifi, quinam ita nominati 88

Shii ſecta inter Saracenos 52

Sidera futura ſignificare poſſunt 453

Sige in ſyſtemate Valentiniano 291

Simon Tornacenſis vnde dictus 829. ſtudia eius ibid. haereſeos accuſatur 830 argumenta pro trinitate infirmaturus e linguis factus eſſe dicitur 830. fabula hoc factum declaratur 831. vnde haec inquietatis calumnia orta 832

Simulacra Zabiis quid 126

Socrates venerabilis, quisnam ita dictus 658

Sophia in ſyſtemate Valentini 292

Sophiſma, quodnam Buridanus in reginae Ioannae amores cudiſſe dicitur 854

Species, omnes animalium vnum ſunt 181 quibusnam rebus alia ab alia ſeparetur 183

Speculum, eius vſus in foeminis damnatur 361. opticum iam Rog. Bacono cognitum 820. vt et vſtorium ib. quadruplex, qualis liber 784

Sphaera ſuprema, eius proprietates ex mente Arabum 196. vnicuique coeleſti adeſt eſſentia ſeparata a materia omni ib.

Spinoziſmus, an Auerrois de intellectu vniuerſali doctrina illi faueat 112. an Zindikaei illi addicti 138

Spiritus viuificans quid ſit 176. animalis vnus tantum eſt 180. magna eius eſt in cerebro copia ib. eſt eſſentia et vera ratio eſſentiae 181. in toto animalium genere vnus eſt ibid. notionem aliquam corporeitati ſuae ſuperadditam habet 183 ſimilis eſt corporibus coeleſtibus 191. ſedes eius ibid. ſpiritus mundi vniuerſus

ex Tatiani mente 387. hominis diuinus quid 389. Dei, quibus obtingat 390 corpus ei tribuit Tertullianus 411
Spiritus Sanctus, quaenam animae coniunctio cum illo 391
Stellae sensibus animalis respondent 186 habent essentias, quae Deum cognoscunt 191
Stilus patrum ecclesiae affectatus est allegoricus 555
Stoicismus Clementis Alexandrini 424
Subtilis doctor quisnam 828
Suisset, Richard. studia eius 849. ob matheseos studium reprehenditur 850. vnde calculatoris nomen acceperit ib. cur eius pene nulla mentio facta 850. iudicia de eius libro varia 851. quid de illo iudicandum 852. recensio eius libri 853
Suna quidnam sit apud Muhamedanos 69 not.
Superstitio caussa est depressae philosophiae 559
Supplicium, aeterna vnde ab Origene negata 454, 456
Syncrasis in systemate Valentiniano 292
Syncretismus, philosophico est addictus Clemens Alexandrinus 424. philosophicus, vnde Origenes illum hauserit 429. illi Chalcidius fuit addictus 480
Synesis in Valentini systemate 292
Synesius et Pseudo-Dionysius, an vnus scriptor 507. pure facundus et eloquens est 511. matheseos et philosophiae totum se tradit 511. praeceptores eius ib. Hypatiam magistram magni facit 512. legatus ad Arcadium imperatorem mittitur 512. ad Christianorum doctrinam se confert 512. quare a munere publico ecclesiastico abhorruerit 512. episcopatus munus in se suscipere cogitur 513. an impostorem egerit 514 not. qualis eius fuerit philosophia 515. quo anno obierit 516. ad quamnam Platonicorum classem referendus 518
Systemata philosophica quinam Saracenorum composuerint 62. quis theologico-philosophicorum primus autor 734
Systema caussarum occasionalium Arabibus iam cognitum 185. emanatiuum Valentinianum 291 seqq. vnde ortum 295 illud purius a Christianis doceri putat Tatianus 380. Tatiani explicatio eius 381 seq. ab Origene assumtum 447

T.

Taciturnitas, eius commoda ex quibusdam persici rosarii regulis enumerata 229
Tatianus quis fuerit 378. apologia eius pro V. R. C. philosophiae eius vestigia indicat 379. fanaticismus philosophicus eius et theologicus vnde ortus 379. ad Christianam religionem se confert ibid. haeresin Encratitarum condidit 379. doctrinae eius breuis conspectus 380. ad Valentinianos deflexit 395
Telescopia iam Rog. Bacono cognita 820
Terra, eius figura plana esse statuitur 357
Tertullianus, veteris philosophiae fuit callentissimus 411. nonnunquam lapsus in illa est 411. an omnem philosophiam reiecerit 413. qua de caussa pallium sumserit 414
Theletos in systemate Valentiniano 292
Theodorus Cilix ecclesiam anglicanam ad romanam accommodat 575. bibliothecam copiosam secum in Angliam adducit ib. Anglos in literis instruit 575
Theodorus Metochita, inter summa aulae negotia philosophiae operam dat 546 laudes eius ibid. eius epitaphium 547, 713. scripta eius 548
Theodotus, eius de Christo sententia 298
Theologia tota eius vis in dialectica quaeritur 677, 727. mystica, eius natales 557 promota est a Scoto 622. opponitur scholasticae 712. Muhamedana an philosophiae conformis 137. naturalis Saracenorum quaenam 157. naturalis scholasticorum qualis 898. philosophica, illius inter Saracenos origines 54, 136. facies eius 57. Scholasticae origines 557 Scholastica ab Anselmo Cantuariensi ecclesiae est obtrusa 665. ei opponitur mystica 713
Theophilus Antiochenus, de superstitione gentili

gentili ad Christiana castra persugit 399 philosophiam Platonicam amauit ibid. sententia eius de λόγῳ 399. an Arianismi accusari possit 400
Thograi carmina lamentis implet 90. auaritiae est deditus ib. sagittis confoditur ib. mortem contemnit 91. haereticus habetur 91
Thomas de Aquino philosophiam Aristotelico-scholasticam vbique disseminauit 703 an illi primordia philosophiae scholasticae tribuenda 717. a quibusnam laudatus 798. vitam eius quinam scripserint 799. familia eius ibid. studia eius et praeceptores 799. inuita matre habitum monasticum induit ib. variis vexationibus tentatus vt propositum desereret, ex carcere aufugit 800. ingenii tarditatem laboris patientia vincit ib. an Halesium habuerit praeceptorem 800. quonam loco primum docuerit ib. Aristotelicam philosophiam Parisiis docet 801. Neapolim repetit ibique docet ib. quonam loco mortuus 801. coelitum choro adscribitur 802. doctor communis nominatus 802. et doctor angelicus 802. reprehenditur 803. virtutes eius ib. eius stilus qualis 804. defectus eius quinam 804. versionem Aristotelis confici curat 805. Aristotelem vnice sequitur ib. Saracenorum methodum peripatetice philosophandi sequitur 806. eius summa theologiae 807. plagii accusatur ib. acutus et subtilis interpres Aristotelis est 807 scripta illi falso tributa 808
Thomistae, vnde orti 826, 902
Thophail Aristotelicae philosophiae ad enthusiasmum procliuis deditus 96. auctor vitae Hai Ebn Yokdahn ibid.
Titulus, superbissimis ornatur Alkendus, Saracenorum philosophus 66
Topographia Christiana, qualis liber 357
Tranquillitas animi in Auerroe summa 103
Transmigratio animarum an a veteribus Arabibus credita 130. an Origeni possit tribui 452
Transubstantiatio, eius dogma reiecit Berengarius 655
Trifidus, quid sit 665
Trinitas, Irenaei de illa sententia 409. Christianae Alexandrinorum trinitatem adaptat Synesius 515. Roscellini in illa explicanda error 674. illam rationibus dialecticis explicare nititur Abaelardus 748
Triuium quid fuerit medio aeuo 594
Tubus, astrorum cursus per illos obseruare medio aeuo iam fuit in vsu 648
Tumultus, eorum caussas daemones sibi adscribunt 393
Turcae, quibus studiis operam nauarunt 46

V.

Valentinus, vnde eius haeresis tam celebris facta 290. eius systema 291. vnde eius errores orti 294. propago Orientalis philosophiae doctrinae fuit eius systema 297. an duo statuerit principia 299
Vehiculum praeter corpus animae habent 450
Vena, quomodo illae existant 177
Venerabilis, vnde Beda ita dictus 578
Ventus quidam vnde Almamon dictus 36
Verbum Dei quid sit Muhamedanorum sententia 164
Verbum, Tatiani de ipso doctrinae explicatae 382. seq.
Veritas quotuplex 813. Lactantii sententia de illa 467
Versio, Arabicae scriptorum philosophicorum quales fuerint 149. scriptorum Arabicorum, quidnam ad illos condendos fuerit occasio 681
Vestis philosophorum quare a Christianis doctoribus retenta 401
Victorinus, quis fuerit 495. scripta eius 496
Villanouanus, Arnoldus, studia eius 841 Chemiae arcana nouit ib. magiae suspectus est factus 842. aufugit ib. quamdiu vixerit 842
Vincentius Bellouacensis, speculum quadruplex sumtus suppeditante rege Gallorum con-

concinnat 784. qualis liber hoc ſpeculum ſit 784
Vir, apoſtolici viri a philoſophia abhorruerunt 271
Virginitas, vnde in primaeua Chriſti eccleſia eius commendatio 364
Viſio perpetua entis neceſſarii eſt hominum felicitas, 192. vnde acquiratur 193
Vita, quidnam eius eſſentia 184. quaenam corpora debilem, quaenam fortiorem habeant 191
Vitae ſanctorum, moralem doctrinam corrumpunt 635
Vitrum, polyhedra iam Rog. Bacono cognita 820
Voluntas Dei, Muhammedanorum de illa ſententiae 164
Voluntas libera relicta eſt humano generi 385
Vt, re, mi, fa, ſol, la, a quonam inuentum 654. quibusnam verſibus expreſſum 655.

W.

Waidii ſecta inter Saracenos 52
Weſſelus, Io. Hermannus, vnde Gansfortius dictus 859. educatio eius et ſtudia ib. Nominalium opinionem ad Germanos tranſfert 859. ad Platonis caſtra ſecedit ib. an ad Graecos abierit 860. an in Sixti IV. familia fuerit ib. philoſophiam ſcholaſticam contemnit 861. epitaphium eius 862. lux mundi et magiſter contradictionum appellatur 862. an monachi poſt eius fata in illius ſcripta ſaeuierint 863. ſcripta eius ibid.
Wilhelmus de Campellis vnde nomen hoc acceperit 731. parentes et praeceptores eius 732. dialecticam docet ib. habitum eccleſiaſticum cum monaſtico commutauit 732. cum dialectica et rhetorica theologiam docet 733. an Spinoſiſmi reus ſit ibid. diſputationis eius contra Abaelardum fata 733. laudes eius 734 ſententias theologicas ſcripſit 734. an primus Pariſienſis profeſſor fuerit 734.
Willeramus, vtrum diſcendi an docendi cauſſa Lutetiae haeſerit 667. an Pariſiis dialecticam docuerit 673 not.

Z.

Zabii, eorum ſectae inſtituta 70. qualis fuerit 124. an eorum religio fuerit philoſophica 125. hypotheſes eorum 125 duae eorum fuerunt ſectae 126. vnde orti 128. an eorum errores ex philoſophia Ariſtotelica 129
Zacharias Scholaſticus, quare nomen Ammonii dialogo ſuo praefixerit 528. an omnem eiurauerit Platoniſmum ib.
Zindikaei inter Saracenos quinam fuerint 53. doctrinae eorum atheiſticae 138. pro Sadducaeis habiti ſunt 135
Zoe in ſyſtemate Valentiniano 29


00059981

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016